WILHELMI MOMMAE
OECONOMIA
TEMPORUM
TESTAMENTARIA TRIPLEX;
Et
PRAELECTIONES
THEOLOGICAE.

De varia conditione & ſtatu Eccleſiæ Dei
ſub Triplici

OECONOMIA;
PATRIARCHARUM,
AC
TESTAMENTI
VETERIS, & denique NOVI;

LIBRI TRES:

Quibus plurima Sacrarum literarum oracula, Doctrina de Teſtamentis & Fœderibus Dei, umbræ Veteris Teſtamenti, ejuſque à Novo differentia, & memorabiles Eccleſiæ caſus enarrantur:

AUCTORE
WILHELMO MOMMA, Hamburgenſe.

TOMUS PRIOR.

Editio Secunda, Priori auctior & emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud Viduam JOANNIS à SOMEREN.
M DC LXXXIII.



TYPOGRAPHUS
LECTORI
S.

AMicorum, quibus plurimum deferimus, conſilia, ac noſtrum bene de publico merendi, & commoda Tua, Benevole Lector, *omni cura atque labore promovendi ſtudium, ad ſecundam hanc* Oeconomiae Cl. Mommae *τοῦ μακαρίτου editionem nos incitarunt, quum prioris editionis deſiderarentur jam dudum & fruſtra quaererentur exemplaria. In votis erat, uti ipſi Cl. Auctori licuiſſet aliquando alteram hujus ſui Operis editionem repraeſentare, & Eccleſiae fata, inde ab exceſſu Apoſtolorum ad conſummationem uſque ſeculi continuo deducta, filo (id quod* Tertio *reſervaverat* Volumini,*) pertexere. Aſt interceſſit juſtiſſimus Deus, qui Illum, filo vitae abrupto, ad beatas tranſtulit ſedes, ſatis habens hunc Tantum Virum ingrato, & depoſito hoc coeli indigno ſeculo oſtendiſſe tantum. Nihilo tamen minus, quantum in nobis fuit, id operam dedimus, ut ne ſine novo prodiret iterata haec editio ornatu. Ne quid dicam de typorum nitore atque elegantia, qua haec priorem editionem longe ſuperat, etiam innumera menda, in citatione maxime locorum Scripturae, ex priori praeſertim Operis tomo ſuſtulit induſtria Viri in ſcriptis Cl. Auctoris verſatiſſimi, eique, dum vixit, Amiciſſimi. Adjunximus Operi huic* Praelectiones *Auctoris* Theologicas, *in quas, dum intenti eramus ſcriptis Ejus perluſtrandis, incidimus. Priores VIII. ſunt de* Adventu Schiloh, *ad* Geneſ. *X L I X.* 10. *quibus exorſus eſt Profeſſionem ſuam Theologicam in Athenaeo Hammonenſi. Poſteriores C X X I I. agunt de* Variis Theologiae Capitibus; *quorum ſeriem Lectionibus ipſis praemiſimus. In his ſi quid forte*

te minus exaſciatum, minus elaboratum deprehenderis, *cogites*, *velim*, Benevole Lector, *poſthumas eſſe*, & *deſtitutas ab ultima Auctoris manu. Brevitas ipſa Lectionum indicio eſt, haec tantum ad ſublevandam memoriam ab Eo in chartam eſſe conjecta; quae in Scholis publicis accuratius & latius deducta meminerunt*, *qui docentem audivere. Et quoniam ſcripta Magni* Cocceji *nocturna verſarat manu, verſarat diurna*, *hujuſque tanti Praeceptoris ſui verba una cum rebus tantum non in ſuccum & ſanguinem verterat, non miraberis*, *ſi res iiſdem non raro verbis*, *quibus uſus eſt Vir iſte Incomparabilis*, *à Noſtro expreſſas videas; neque id culpabis, cum ipſe Auctor noſter ſummi iſtius Viri in ſe merita non diſſimulaverit*, *ſed quantum per Illum profecerit*, *publice plus ſemel faſſus fuerit. De vita*, *moribus & obitu denique Auctoris nil addimus, nec quae dura presſerint fata innocentiſſimum hoc, ſceleriſque purum caput*, *neque plumbeas maleferiatorum*, *quibuſcum confligendum Beata haec Anima habuit*, *iras jam memoramus*, *ſed Lectorem harum rerum curioſum & ſciendi avidum ablegamus ad accuratam Praefationem*, *quam Poſthumis* Mommae *noſtri* Meditationibus *in* Epiſtolas *Pauli ad* Romanos & Galatas *praemiſit Reverendus atque Doctiſſimus Verbi divini in Eccleſia noſtra Amſtelodamenſi Miniſter*, D. Guilielmus Anslarius, *Cl. Mommae, dum vivos inter ageret*, *conjunctiſſimus. Tu interim fave conatibus noſtris*, Amice Lector, & *animum adde ad majora aliquando audenda.*

PRÆ-

PRÆFATIO AUCTORIS

AD

L. E C T O R E M.

Benevole Lector,

LAtuimus hucuſque in occulto; nunc in publicum prodimus. Pythagoras diſcipulos in ludum admiſſos certo tacere tempore juſſit, & audire tantum. Ita & nobis videmur juſtam temporis menſuram, tacendo & audiendo impleviſſe. Neque tamen animum ad ſcribendum appulimus, eo conſilio, ut ſcribendo affectaremus παιδείας κλέος, aut caveremus, ne σιωπήσαντες λάθοιμεν εἰς τὸν πολὺν ὅμιλον ἀριθμούμενοι: ſed ut ſtudium & deſiderium noſtrum bene merendi de Eccleſia Reformata, cui hactenus alia vix ratione utilis eſſe potui, hoc qualicunque argumento exponerem. Timotheum ſeriò monuit Paulus, ne *negligeret*, ſed *exſuſcitaret donum, quod in ipſo.* 1 Tim. 4: 14. 2 Tim. 1: 16. Id ſi & nos tentemus, quis vertet vitio? Ipſis olim gentilibus viſum, *omnes homines ſumma ope niti decere, ne vitam tranſigant ſilentio.*

Sed ne in ſcribendis prologis operam abutamur, occaſionem & argumentum operis narrabimus. Ante decennium diſputationem ſcripſi de *Oeconomia temporum*; in qua propoſitum fuit oſtendere, quomodo Deus *olim locutus eſt* & egit *cum Patribus* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως; *in Poſtremo* autem *dierum* nobiſcum *in Filio.* Hebr. 1: 1. Quæ tunc in me fuit ἱκανότης, omnem illuc attuli. *Puer* autem *eram.* ideò & ὡς νήπιος tunc *cogitavi*, & ὡς νήπιος *locutus ſum.* 1 Cor. 13: 11. Præter ſpem illa exercitatio à multis ſereno vultu excepta, ab illo tempore, me neſcio, recuſa eſt. Ante biennium cum inviſerem Belgium, quod Patriâ meâ charius habeo, (in quo utinam mihi liceret obire diem!) rogatus ſum, ut illam, tertia vice, auctam & illuſtratam, emitterem. Ad domeſticos reverſus lares, dum manum admoveo operi, tanta ſe obtulit rerum varietas, ut illico judicarem, opus juſtam diſputationis molem longe exceſſurum. Ideo è re viſum, ſemota diſputatione, plenum componere tractatum, & in illo, pro dignitate materiæ, agere de periodis Eccleſiæ, deque viciſſitudine diſpenſationis, cœlitus circa illam obſervatæ. Id omne in tres dividi libros potuit, quorum Primus Eccleſiam inde à lapſu ad introitum uſque Iſraëlitarum in Ægyptum; Secundus inde ab exitu ex Ægypto uſque ad Chriſtum natum; Tertius

inde à Chriſto nato uſque ad conſummationem ſeculi deſcriberet. Unum autem volumen tres hos capere haut potuit libros. Ideo duos priores in unum redegimus. Tertio ſecundum deſtinavimus. Horum prius nunc tibi exhibemus; alterum brevi, ni ſecus viſum fuerit Deo, in cujus manu ſunt tempora noſtra & opportunitates, adjecturi.

Quæ autem hoc volumen tangunt, de iis ita habe. Exorſi id ſumus à Geneſi. Quicquid poſt lapſum primorum accidit Parentum; Illuſtriſſima quæque de Chriſto oracula; Vitas, Fidem, Virtutes Patriarcharum; Peccata illius ſeculi & delicta, ſtulta conſilia & incepta; divinas admonitiones, caſtigationes & pœnas, in illo enarravimus. Patriarchas gratia Chriſti ſervatos, nec accepiſſe onerofam illam legem, quæ per Moſen addita eſt, ſed ἐν εἰλικρινείᾳ coram Deo ambulaſſe, & in fide mortuos eſſe, ubique oſtendimus. Abrahami exitu ex Ur, introitu in Canaan, Jacobi itinere in Ægyptum, Joſephi in Ægypto exaltatione abſolvitur liber primus. A Geneſi perreximus ad Exodum; inde ad Leviticum, Numeros, Deuteronomium. Hic dura in Ægypto ſervitus, plágæ in Ægyptios immiſſæ, mirabilis ex Ægypto exitus, longa in deſerto itinera, Promulgatio divini fœderis, Inſtitutio cultus legalis, Erectio Tabernaculi, Leges tum Eccleſiæ, tum Politiæ, & plurima alia enarrantur. Inprimis id nobis negotii credidimus dari, ut doceremus, Fœdus gratiæ, quod pactum fuerat cum Patribus, etiam cum Iſraële publicè & ſolemniter eſſe renovatum. Legem autem, quæ ſubintravit, Fœdus gratiæ non tollere aut irritum facere, ſed illi utiliter adjunctam, ut illius umbris fides excitaretur & aleretur; & ut tanquam *pædagogus* eſſet in Chriſtum, qui illius *finis* eſt. Nam & Pontifex ſecundum legem inſtitutus, illius Typus fuit. Etiam Tabernaculum erectum in deſerto. Etiam altare, & ſacrificia omnia, cottidie in illo oblata. Hic difficilem materiam de ſacrificiis & donis, de differentiis dierum, ciborum & potus, de lotionibus, in compendio tractavimus, ut quam inſignis in inſtitutis illis lateat ſapientia, cuivis obvium ſit. Pleraque oracula quæ Moſes, aut alii, ut Bileam, vaticinando protulerunt, haut præterivimus; ut nec ſcandala populi, murmurationes, faſtidia, conjurationes, caſtigationes. Etiam fœderis in Moab ante obitum Moſis pacti mentio facta. A Moſe fit tranſitus ad *Jehoſuam*, qui populum κατεκληροδότησε. Inde ad *Judices*. quorum fides & virtus memorabilis fuit. Sed illorum tandem pertæſus populus petiit *Regem*; & accepit. Ibi de Saulo, Davide, Salomone aliiſque, uſque ad captivitatem, tum decem tribuum, quæ in Aſſyriam; tum duarum, quæ in Chaldæam abductæ ſunt, agitur. Hìc habes delectum variarum rerum; inſignes mutationes, tum in Eccleſia, tum Politia; populi defectionem à fœdere, à cultu, à fide Patrum; & ſeveram tandem rejectionem. In Regibus obſervabis multorum βίας παραδόξους. Quidam illorum ἐπιμηκέστερον ἔσχον τὴν ἀρχήν; quidam πρόσκαιρον τὴν δυναστείαν. Alii

ἐπι-

ἐπιμελέστερον τῶν ὑπηκόων ἦρξαν; Alii impie viventes, πολλὰ ἐκαινοτόμησαν. Hoc intervallo miſit Deus *Prophetas* multos. Inter illos inſignis fuit *Elias*, nec minor *Eliſa.*

E vaticiniis Prophetarum compendium doctrinæ de Chriſto θεανθρώπῳ extraximus, ut ita omni modo fides fieret, *Chriſtum* ſub V. T. minime ignoratum, à ſanctis agnitum & exſpectatum, omnibuſque illis exſtitiſſe αἴτιον σωτηρίας αἰωνίου, In captivitatem etiam deducti Babylonicam, quis ibi populi ſtatus, quæ conditio monuimus. Ibi de inſignibus ſanctiſſimiſque Dei viris, Daniele, ſociiſque illius, &c. actum; quorum fides, conſtantia, martyria, honores, debent nobis eſſe totidem exempla & ſolatia. Ibi de Nebucadnezare, illiuſque viſionibus, & ſucceſſoribus, deque interitu illorum ſermo factus. Ablata Monarchia Babyloniorum, ſecuta eſt Medorum & Perſarum; quorum favore & benevolentia populus Dei vinculis ſolutus terram repetiit, Urbem inſtauravit, Templum recondidit, cultum divinum reſtituit. Sub illorum tamen manſit ſervitute, donec, devictis illis, in ditionem venit imperii Macedonici, ſubjectus regno Syriæ. Tandem tamen & his laxatus vinculis, αὐτονομίαν recuperavit. quæ tandem à Romanis ablata eſt. In illo cum Iſraëlitæ eſſent ſtatu, apparuit *Chriſtus*, qui ab illis exciſus è terra viventium, ſanguine ſuo cœlos placavit, & Deum mundo reconciliavit. Nec impune tantum ſcelus illis ceſſit. Urbs enim illorum exciſa eſt;& ſanctuarium deletum; *conſummatio deciſa ſtillavit ſuper ſtupentem*; & propterea tanto ſedent tempore *ſine Deo, Rege, Principe, Ephod.* Populus autem Dei, antequam id fieret, exire juſſus, aſcendit è terra. *Nam magnus fuit dies Iſreel.* Hoſ. 1: 11. Et in hiſce verſatur, benevole Lector, liber Secundus.

Uſi autem ſumus in enarrandis hiſce ſtilo facili, verbiſque tritis, imprimis autem ſermonibus διδακτοῖς Πνεύματος ἁγίου. Operam dedimus, ut ſecundum normam fidei, & analogiam veritatis omnia exigeremus; nec ab illa diſcederemus. Quare rogamus Lectores noſtros, ut ita de nobis ſentiant; Veritatem cordi nobis fuiſſe; Scripturam ducem & Magiſtram; nec in ullius alterius nos juraſſe verba Magiſtri. Sicubi verò deprehendamur erraſſe, ſeu voce, ſeu ratiocinatione, id omne deprecamur.

Auſim autem ſperare in Domino, Illos, qui volumen hoc legere dignabuntur, illum inde fructum percepturos, ut Moſen & Prophetas majori deinceps cum luce & intelligentia legere poſſint. Quod enim ipſe ego hæcce meditando emolumentum cepi, quidni id aliis polliceri queam? in quo ſi non fallor, pretium operæ me retuliſſe fatebor. Id te etiam, Lector, ſcire velim, opus hoc, ut ut parvum, vile, & ἀπόβλητον, non ſine cura, & lucubrationibus confectum: imò maximi fuiſſe laboris de tot rebus, tam difficilibus & intricatis, clare, & paucis verbis, & ad captum rudium diſſerere, quorum imprimis ædificatio curæ nobis fuit.

Neque etiam ſilentio prætereundus eſt Vir ſummus, Johannes Coccejus, b.m. Præceptor olim noſter; ſine quo hæc præſtare haut potuiſſemus. Sub illo prima ſtudiorum poſuimus fundamenta: illo auctore & duce linguas ſacras diligentius excoluimus; imò & in ſacrarum literarum ingreſſi ſumus myſteria; quæ tanta ſunt, ut inde omnis dependeat ſtudiorum ſalus & ſucceſſus. Ni enim fundamenta bene ponantur, ædificium nunquam erit ſtabile. Ni orientales linguæ ſtudioſius colantur, multum deerit Theologo aptitudinis ad meditandas ſacras literas. Poteſt quis ſine illarum ſubſidio eloquenter concionari, ſubtiliter diſputare, acutè arguere; ſed ut ſine illis Scripturas penitiſſime intelligat, Spiritus S. mentem, & phraſium divinarum vim plene capiat, poſſibile haut eſt. Deinde & in graviſſimis hujus voluminis rebus ſcripta illius diligenter conſuluimus, & in plurimis immenſum ab illo adjuti ſumus. Quare ſi quid utilitatis ex hiſce hauſeris, ſi quid didiceris, ſi quid profeceris, primum gratias age Deo T.O.M deinde vero ſanctiſſimo huic viro, cujus memoriam commendamus omnibus ſanctis. Habet Eccleſia Reformata rationes multas & ſufficientes, ut in tam eximio lumine ſublime glorietur. Fuit enim beatiſſimus Vir ὀρθοδοξίας amantiſſimus, illiuſque defenſor ſolidiſſimus. nil novi aut diverſi quicquam ſtatuit à minimo apice librorum noſtrorum Symbolicorum, Catechiſmi puta Heidelbergenſis, & Synodi Dordracenæ, quos libros quanti fecerit, qui illum noverunt viventem, teſtari poſſunt. Fuit etiam divinarum literarum interpres egregius. Omnes hujus ſeculi homines antecelluit exquiſitiſſima linguæ ſanctæ notitia. Fuit denique, dum viveret, vita innocens, propoſito ſanctus, magnarumque, ſupra quam dici poteſt, virtutum. Ego ſi Viri hujus oblivilcerer, nomen illius ſi tacerem, benefacta illius ni in cœlum extollerem, in honeſtatem ipſumque Deum peccarem. Finem jam facio dicendi, Lector, teque valere & nobis favere opto.

Scripſi hæc in antiquiſſima Urbe Lubeca; quam Deus, Auctor & Stator Civitatum, in ampliſſimum efferat faſtigium. Eundem publica voce obteſtor atque precor, ut Magnificum nobiliſſimæ hujus Urbis Senatum cuſtodiat, ſervet, protegat; & longiſſima ſtatione mortali fungi ſinat: Ut Reverendiſſimum illius Miniſterium omni gratia cumulet, illique det ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ & φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν: Ut cives denique illius omnes cumulet pace, opibus, omnique gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt heri, hodie, & in ſecula. Illi ſit laus, honos, gloria.

Anno 1672. a. d.
18. Decembr.

WILHELMUS MOMMA.

Ad reverendum & doctiſſimum Virum

WILHELMUM MOMMAM.

E L E G I A.

FVrtivas lacrimis, Gulielme, *exemimus horas,*
Lucrati parvæ tempora grata moræ:
Et dedimus Genio, *qui prima ab origine Mundi*
Ad ſua deductum ſecula nectit opus.
Quantaque ſit loquitur ſapientia Numinis, inter
Sacrorum varios deveneranda modos:
Æternum ex adytis qui fert penetralibus ignem,
Et rutilum Arctoo tollit ab axe caput.
Eventu ſuperas ſpem, conjunctiſſime Momma,
Qua primam ornavit docta juventa facem:
Cum nos ante duo Lugdunum luſtra ſodales
Duceret ad Sacræ regia ſigna Viæ.
Teſſeram amicitiæ veteris damus. Ilicet: altum
Ad ſolitos planctus Muſa reverſa gemit.
Viſa diu felix, & ocellus Belgica Mundi,
Cœleſti circum lumine fuſa caput,
Inſolitis horret cæcæ caliginis umbris,
Subtextumque diem nubibus eſſe dolet.
Armat in Europam Celtas Bellona, volenti
Vnica ſufficiens perdere cuncta Deo.
Noſque ſecuturæ caput & primordia cladis,
Inde modum bello non poſitura, facit.
Læta ſeges quondam, nunc nil niſi campus aquarum eſt,
Et flet, & immiſſas fletibus auget aquas.
Naïdes exclamant: Cur flammas inter & undam
Diſtrahimur laceris præda cruenta comis?
Cur ſequeris raptum, Vahalis, cur, Iſala, Rhenum:
Amplexus veteres brachia veſtra negant?
Tu quoque, Fleve, tuos irata voce Tubantes
Alluis, & ſervo littore multa doles.
Cur nitor, & tantis migrant ex urbibus artes,
Et deſolatæ ſtant ſine cive domus?

Cur circumſpiciens ſe neſcit Belgica? Quare
Degenerat palmas immemor ipſa ſui?
O patria, ô mater caſtrorum magna ſacrorum,
O libertati ſola relicta domus:
Siccine proſtituis magnis mercedibus emtum
Nomen, & es decoris prodiga facta tui?
Non veteres animos, generoſasque induit iras,
Et deſueta diu bellicus arma Leo?
Naïs ut hæc dixit, prope conclamavit, & ambas
Semimarina dedit ſemicremata manus.
Obſtitit Auriacus, labentem erexit, & enſem
Concuſſit validâ terque quaterque manu.
Implicuitque comam lauris Rabenhauptius; & mox
In ſpes erecta eſt Belgica tota novas.
Deque tot exemplis timidâ ſolatia dextrâ
Excipit, & major ſuſtinet eſſe malis.
Vivit adhuc Judex, fertur dixiſſe, priorum
Illuviem ſcelerum qui fuit ultus aquis.
Qui Sodomam flammis, ſtudiis Babylona diremtis,
Ægyptum tenebris funeribuſque dedit:
Ille Pharon, Sodomamque novam, Babylonaque iiſdem
Cladibus, exitio deſtinat ille pari.
Quique per armatas media Cananitide gentes
Hebræos manibus, vulgus inerme, tulit.
Semper erit Deus & vindex mihi, Belgica dixit,
Et deſideriis annuet ille meis.
(Tantam affudiſti lucem, Gulielme) futuri
Facta videbatur certior eſſe fides.

BERN. SOMERUS.

LIBER

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Homine ad imaginem Dei creato, & Teſtamento gratiæ in genere.

Homo creatus ad imaginem Dei.

§. 1. DEus T. O. M. ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ Matth. 19: 4. creavit hominem *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam* Geneſ. 1: 26. 27. Simillima hæc imago non in Dominio in creaturas; id enim imaginis ſequela eſt, & aliquando non erit, ubi tamen imago pleniſſimè erit; neque in pulchritudine & formâ, quam primi è terra hominis terreſtre accepit corpus, *Deus* enim *eſt Spiritus* Joh. 4: 24. & τὸ θεῖον non magis corpori eſt ὅμοιον, quam χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ Actor. 17: 29. neque in nudâ mentis eſſentiâ, quæ ſemper cogitat, intelligit & vult; id enim & Dæmones & inpuriſſimi quivis faciunt Spiritus; ſed propriè ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας *in ſanctitate* ſive *ſancto ſtudio veritatis*, & ἐπιγνώσει *notitiâ* ſeu *agnitione conditoris* conſiſtit. Epheſ. 4: 24. Col. 3: 10. Sine hâc imagine homo nec bonus, nec rectus, nec integer & ſanctus, nec dignum Deo ſapienti, bono, ſancto fuiſſet opus.

Eum tentari ſeduci, labi, fœduſque transgredi ſivit Deus.

§. 2. Hunc hominem, qui ſcriptum habuit in corde ſuo τὸ ἔργον τοῦ νόμου *opus legis* Rom. 2: 15. Deique, mandantis *de arbore cognitionis boni & mali non comedes*, additâ mortis comminatione, vocem in horto Eden audivit Geneſ. 2: 17. à Satana (qui, à Judæis priſcis כמאל *Sammael* dictus, היה רוכב על הנחש שהסית לחוה *equitavit in ſerpente, qui ſeduxit Evam.* unde *ſerpens* illis dicitur fuiſſe *equitatus* הנחש נרכב & Satanas *Eques,* הרוכב היה כמאל *Seſſor* ſive *Eques fuit Sammaël* referente Maimonide in Moreh lib. 2. cap. 30.) tentari, *ſeduci, ratiocinationes multas quærere* Eccleſ. 7: 29. labi, *fœduſque transgredi* Hoſ. 6: 7. εἴασε *ſivit*, permiſit Deus. Ita *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors,* & quia *in hoc uno peccârunt omnes, mors in omnes homines pertranſiit*; atque τὸ κρῖμα *factum judicandum*, omni ſeveritate juſtitiæ & judicii exigendum *ex uno* eſt *in condemnationem in omnes homines*, & verè *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt* οἱ πολλοὶ *multi* Rom. 5: 12. 16. 18. 19.

Quæ cùm in Scripturis clariſſimè enuntiata ſint, ſanctâ cum ὑποταγῇ ſunt accipienda.

§. 3. Hæc in ſcripturis clariſſimè enunciata ſanctâ cum ὑποταγῇ & animi ſubmiſſione accipimus; veritatem illorum tot ſeculorum docente experientiâ abundè novimus; illaque omnia ἀξιοπρεπῶς τῷ θεῷ ſartâ & integrâ juſtitiâ ejus, bonitate, ſanctitate, ſapientiâ fieri potuiſſe & facta eſſe, & ore & corde confitemur, dicentes cum Apoſtolo, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ Rom. 11: 33.

Tamen ab æterno apud Deum gratiæ fuit conſilium.

§. 4. Idem autem hic Deus, cui γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ Actor. 15: 18. ab æterno *fecit propoſitum* Epheſ. 3: 11. *Secundùm conſilium voluntatis ſuæ* Epheſ. 1: 11. de danda hæreditate juſtitiæ, ſanctitatis & vitæ σπέρματι *ſemini & populo*, ὃν προέγνω Rom. 8: 29. 11: 2. qui *deſcriptus eſt in cælis* Hebr. 12: 23. eſtque adeò, ut cum Eſaiâ loquamur *omnis deſcriptus ad vitam in Hieroſolymâ* Eſ. 4: 3. Hoc Propoſitum in ſacris vocatur πρόθεσις τῶν αἰώνων Epheſ. 3: 11. & quia rationem habet διαθήκης *Teſtamenti*, de quo paulo poſt, hoc Teſtamentum vocatur διαθήκη αἰώνιος *Teſtamentum æternum*

Hebr. 13:20. & juſtitia illa, quæ ſecundùm hoc propoſitum datur, Danieli appellatus צֶדֶק עֹלָמִים *juſtitia ſeculorum* Dan. 9:24. noſque adeò dicimur à Deo *electi ante jacta mundi fundamenta* Epheſ. 1:4. *gratiaque nobis* dicitur data *ante tempora ſecularia* 2 Tim. 1:9. & *benedictis Patris regnum paratum* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Matth. 25:34.

Cujus conſilii, ipſa terræ ſuper maria fundatio, teſtis eſt.

§. 5. Ipſa mundi creatio, & *terræ ſuper maria fundatio & ſuper fluvios ſtabilitio* Pſalm. 24:2. teſtis eſt & argumentum æterni hujus conſilii; illudque jam à Deo factum eſſe, cum hæc viſibilia facta ſunt; quæ ſine illo ne quidem, quantum aſſequi poſſumus, fieri potuerunt. *Deus* enim *creator cœli*, qui *terram formavit*, *fecit* & *aptavit*, לֹא תֹהוּ בְרָאָהּ *non in vanum creavit illam*, ſed *ad habitandum formavit illam* לָשֶׁבֶת יְצָרָהּ Eſ. 45:18. Deus omnipotens, fundator terræ, habitari illam, & μονὴν atque domicilium eſſe voluit; non utique *angelorum*; illorum enim *proprium habitaculum* Judæ verſ. 6. ſunt *cœli*, unde *angeli cælorum* Matth. 24:36. & *multitudo cœleſtis exercitus* Luc. 2:13. dicuntur. Spiritus hi inviſibiles viſibilium non indigent uſu; neque *tantùm animantium*, quæ naturæ Autor prona & ventri obedientia finxit; quæque non propter ſe ſunt creata, ſed propter creaturam nobiliorem, cujus uſibus inſerviant; ſed imprimis *hominis*, qui factus eſt εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ. 1 Cor. 1:7. Hujus autem hominis παράβασιν & παράπτωμα cùm Deus prævideritante ſecula omnia; utpote qui ante ſecula prædefinivit ea, quæ interveniente hoc παραπτώματι fieri debuerunt, & jam maximâ ex parte facta ſunt; adeoque cùm terram fundavit, jam probè habuit cognitam & perſpectam, utique ſtatuendum eſt, ut Deus omnia pulchrè fecerit, terram ab ipſo fundatam, hoc cum conſilio & propoſito, ut è genere humano, quod in primo homine peccaturum ſciebat, ſibi purgaret λαὸν περιούσιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων Tit. 2:12. quod in *hoc ſeculo* & in hâc terrâ viveret *ſobriè & juſtè & piè* Tit. 2:12. laudes Dei ſui decantaret, diceretque, *Domine Deus noſter*, *quam glorioſum eſt nomen tuum in tota terra* Pſal. 8:1. *Domini eſt Terra & plenitudo ejus*, *habitabilis & habitantes in ea.* Pſalm. 24:1. *& dominaretur in opera manuum Dei*, *omnia habens ſubjecta pedibus ſuis.* Pſal. 8:7. Sinè talibus tantùm abeſt, ut terra potuerit dici habitari, quinimò potiùs facta debuerit videri, ut eſſet תֹהוּ וָבֹהוּ *inordinatum & inane* Geneſ. 1:1. יְשִׁמֹן תֹהוּ יְלֵל *inane ejulabile ſolitudinis* Deut. 32:9. omnium malorum colluvies, impurorum ſpirituum domicilium, improborum receptaculum & ἀκρόπολις *arx*, unde omne Deo infertur bellum: ſique creatura, quæ *hâc cum ſpe vanitati invita eſt ſubjecta*, fore, ut aliquando *liberetur à ſervitute corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum Dei*, nihilominus συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν *una gemit & una parturit uſque nunc* Rom. 8:20. 21. 22. quas non tota tellus rationes habuiſſet gemendi & ſuſpiria jaciendi, ſi ab improbis, Dei hoſtibus, Satanæ ſemine, peccati ſervis, inobedientiæ filiis tantùm debuiſſet habitari? Ergo ſupereſt, Deum, quum terram fundavit, propoſitum habuiſſe, facere illam habitaculum hominis in integritate creandi; & amiſſâ per peccatum integritate cum magnâ poſterorum multitudine, qualis in ſcriptura vocatur הָמוֹן Geneſ. 17:4. redintegrandi & ad novam vitam reſuſcitandi.

Hinc, & Stellæ matutinæ, in terræ fundatione tanto cum gaudio jubilaſſe videntur.

§. 6. Et hæc videtur maxima & præcipua ratio, quare Deo fundante terram, *Stellæ matutinæ* tanto cum gaudio *jubilârunt*, & *omnes Filii Dei* tantâ cum hilaritate *cecinerunt.* Job. 38:6. gaudio ſcilicet elati fuerunt ſanctiſſimi hi Spiritus, pleni lucis & amoris gloriæ divinæ, terram fundari, in qua τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ ποιήματα καθορᾶται Rom. 1:20. quæque debebat eſſe θέατρον divinæ & ſapientiæ & juſtitiæ & miſericordiæ; imò & habitaculum illorum, qui debebant κληρονομεῖν σωτηρίαν Hebr. 1:14. in quorum διακονίαν illi forent mittendi, & ſuper quorum ſalute lætitiam eſſent percepturi, imò quorum aliquando

conſervi

conſervi futuri. Et quàmvis Angeli hoc myſterium, ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ, naturaliter ex ſe ipſis, aut ex nudâ ſuper maria fundatæ terræ νοητῇ *animadverſione* haut potuerunt ſcire, divinâ tamen accedente revelatione non potuerunt id neſcire.

§. 7. Æternum autem hoc Dei conſilium & propoſitum, quod ipſum *enarrat* omnibus πίστει πᾶσι *fide attendentibus* pulcherrima terræ fundatio, rationem & ſimilitudinem habere Teſtamenti §. 4. ſubindicavimus. Unde & διαθήκη in ſacris appellatur. Gal. 3: 15. 17. 18. Illam autem vocem *Teſtamenti* habere ſignificationem, conſtare poteſt ex ep. ad Hebr. 9: 16. 17. Eôque ſenſu uſurpatur ab Autoribus, non Græcis tantùm, ſed & Judæis, qui דְּיָתֵיקִי (ita illam ſcribunt) definiunt eſſe שְׁטַר צַוָּאַת שְׁכִיב מְרַע *literas, tabulas præceptionis ſ. diſpoſitionis, decumbentis è malo*, id eſt, morbo; & tali ſolent etymologia explicare דא תהי קים *hoc ſit firmum & ſtabile*, item דא תהא למיקם ולמיהוי *hoc ſtet, ratum ſit, & fiat.* Hoc gratiæ conſilium Teſtamentum dicitur.

§. 8. Teſtamentum autem, ut Apoſtolus docet & res ipſa, eſt libera, immutabilis, morte firmata hominis voluntas, quâ inſtituit & nominat hæredem bonorum ſuorum. Dico 1: *libera*; voluntas enim hominis non cogitur. 2: *immutabilis*; hominis enim διαθήκην οὐδεὶς ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται *nemo irritum facit aut ſupra diſponit.* Galat. 3: 15. 3: *ultima*; ut enim immutabilis ſit omni modo, ultima debet eſſe: nam voluntas eſt ambulatoria uſque ad mortem. 4: *morte firmata*; ubi enim eſt διαθήκη *Teſtamentum, mortem neceſſe eſt intervenire Teſtantis. Teſtamentum enim mortuis* Teſtatoribus *firmum eſt, ſiquidem non valet* ὅτε ζῇ ὁ διαθέμενος *quàmdiu vivit Teſtator.* Hebr. 9: 16. 17. 5: *de hærede bonorum*; ut enim in Teſtamento hæreditas deſcribitur, ſic & hæres, qui in illam intrare debet, inſtituitur. Teſtamentum quid?

§. 9. Eodem modo æternum hoc Dei conſilium eſt

1: *Liberrima Dei voluntas.* unde appellatur ἰδία πρόθεσις, χάρις 2 Tim. 1: 9. ἔλεος. 1 Petr. 3. neque enim Deum movit *naturæ noſtræ bonitas*, quippe quæ corrupta eſt *& mala omni die* Geneſ. 6: 4. neque *præviſa fides*, quippe quæ *Dei donum eſt* Epheſ. 2: 8. adeoque Teſtamenti hujus bonum; neque *præviſa opera*, quippe quæ fidei fructus ſunt, & vera fides eſt δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη *per charitatem operoſa* Gal. 5: 6. ſed ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας *pro beneplacito* Phil. 2: 13. propoſitum hoc ἐποίησε *fecit.* eſtque adeò totum hoc *non volentis, neque currentis, ſed miſerantis Dei.* Rom. 9: 16. Hinc Apoſtolus, quos προέγνω καὶ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε *ante agnovit & ante definivit, illos etiam vocavit.* Rom. 8: 29. 39. Quæ πρόγνωσις (de quâ & 1 Petr. 1: 2) nil aliud ſignificat, quàm miſericordiam Dei æternam erga hominem, quâ illum *agnovit, curavit*, & cum affectu *intuitus eſt.* confer Rom. cap. 11: 2. Ita & vocabulum יָדַע *noſſe* ſumitur Geneſ. cap. 18: 19. Amos. 3: 2. Hominis Teſtamentum cum gratiæ conſilio convenit, variis partibus. 1. Eſt libera Dei voluntas.

2: *Immutabilis voluntas.* Unde Scriptura notat τὸ ἀμετάθετον καὶ ἀμεταμέλητον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. Hebr. 6: 17. Rom. 11: 29. id eſt, *immutabilitatem conſilii* divini, & quod *ſine pœnitentia* eſt, & Teſtamentum Dei dicitur *Teſtamentum æternum, promptum omnibus & cuſtoditum* 2 Sam. 23: 5. & χαρίσματα *gratiæ* ipſius dicuntur הַנֶּאֱמָנִים *fideles* Eſ. 55: 4. τὰ ὅσια τὰ πιστὰ Act. 13: 34. adeò ut *montes recedent, & valles dimovebuntur, gratia autem non recedet & fœdus pacis non vacillabit.* Eſ. 54: 10. 2. Immutabilis.

3: *Morte & ſanguine firmata.* Hinc Deus loquitur de *ſanguine Teſtamenti.* Zach. 9: 11. *in ſanguine Teſtamenti tui dimiſi vinctos tuos ex lacu.* Hebr. 13: 20. *in ſanguine Teſtamenti æterni:* diciturque *Teſtamentum*, quod *eſt in ſanguine Jeſu* 1 Cor. 11: 25. Matth. 26: 28. Chriſtuſque dicitur *Mediator Teſtamenti*, ut *morte obitâ* (ecce *Teſtamentum* & 3. Morte firmata.

 mors)

mors) promiſſionem vocati acciperent Hebr. 9: 15. qui *ſanguis meliora loquitur* παρὰ τὸν Ἄβελ Hebr. 12: 24. Sine quo non eſſet *redemtio*, nec *transgreſſionum remiſſio* Epheſ. 1: 7. nec *pax* Col. 1: 20. nec *purgatio a peccatis* 1 Joh. 1: 7. nec παῤῥησία *libertas, fiducia* εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων. Hebr. 10: 9.

4. De certâ hæreditate.

4: *De hæreditate ſalutis & vitæ.* hinc dicimur κληρονομεῖν σωτηρίαν *hæreditate aſſequi ſalutem* Hebr. 1: 14. *eſſe hæredes Dei* Rom. 18: 17. *hæredes ſecundùm promiſſionem* Gal. 3: 29. Ita *Noa* dicitur factus eſſe τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης κληρονόμος *hæres juſtitiæ, quæ eſt ſecundùm fidem*. Hebr. 11: 7.

Gratiæ Teſtamenti Teſtator quis?

§. 10. Teſtator hujus Teſtamenti eſt Deus *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres illi, qui teſtantur in cœlo* 1 Joh. 5: 7. quorum ut una eſt eſſentia (καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι) ſic una eſt voluntas gratioſa & miſericors. Tamen, quia non *Pater*, nec *Spiritus S.* ſed *Filius guſtavit mortem* Hebr. 2: 9. & *ſanguinem effudit* Matth. 26: 28. in quo ſanguine conſummatiſſima eſt Teſtamenti ratificatio, adeò ut firmius ſit montibus, & ſtatis vicibus ſolis & lunæ. Jer. 33: 20. *Filius* διαθήκης ἔγγυος *Teſtamenti ſponſor* Hebr. 7: 22. μεσίτης *Mediator* Hebr. 9: 15. & ἀρχιερεὺς *Sacerdos* Hebr. 7: 26. appellatur. *Sponſor*, inquam, qui ſpopondit & ultrò in ſe ſuſcepit præſtare omne id, quod juſtitia & lex Sancta Dei, quæ nec mutari, nec abnegari, nec diſſimulari potuit, exigebat ut fieret, ſi bona Teſtamenti *pax, vita, ſalus*, nobis, *naturâ filiis iræ* Epheſ. 2: 3. *peccatoribus, hoſtibus, impotentibus, impiis* Rom. 5: 6. 10. donari & noſtra fieri debebant. cujus ſumma eſt, *Jehova Deus exercituum exaltari debuit in judicio; & Deus ſanctus ſanctificari in juſtitia.* Eſ. 5: 16. Hæc autem ſponſio quia æterna eſt, dicitur Chriſtus *ſe ipſum obtuliſſe Deo per ſpiritum æternum.* Hebr. 9: 14. Et hæc ſponſio eſt *verbum* illud *potentiæ*, quo Dominus Jeſus *tulit omnia* (confer Eſ. 63: 9. *& bajulavit illos, & tulit illos omnibus diebus ſeculi*) antequam *per ſe ipſum fecit* καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν Hebr. 11: 3. cujus inſtar eſt, quod *Angelus* מֵלִיץ *interpres, interceſſor, unus*, id eſt, unicus & ſolus *è mille* qui *eſt apud Deum*, è *miſeratione* ſua *dixit, redime illum, ne deſcendat in foveam*, מָצָאתִי כֹפֶר *inveni redemtionis pretium.* Job. 33: 24. *Mediator*, cujus ſponſione, victimâ, interceſſione interveniente nos bona Teſtamenti hæreditare, & προσέρχεσθαι μετὰ παῤῥησίας τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος Hebr. 4: 16. δυνάμεθα *poſſumus, lege ſpiritûs vitæ in Chriſto Jeſu nos liberante à lege peccati & mortis.* Rom. 8: 2. *Sacerdos*, qui non tantùm æternâ voluntate ſe obtulit *inculpatum Deo*, ſed & ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων *per ſacrificium ſuum manifeſtatus eſt* Hebr. 9: 26. & μιᾷ προσφορᾷ *unicâ oblatione, quæ* eſt *oblatio corporis Jeſu, conſummavit in æternum* τοὺς ἁγιαζομένους *illos, qui ſanctificantur* Hebr. 10: 10. *ſemper vivens, ut pro nobis intercedat.* Hebr. 7: 25.

Decuit Deum, Filium ſuum Teſtamenti hujus Sponſorem, & Teſtatorem, ungere ac ponere.

§. 11. Cæterùm maximè ἔπρεπε *decuit Deum* Hebr. 2: 10. Filium ſuum, quem *habuit initio viæ ſuæ*, imò *ante molitiones ſuas* Prov. 8: 23. quique, ut ibidem dicitur fuit אֶצְלוֹ אָמוֹן *apud illum ſinu & brachiis geſtatus, ungere ab æterno*, & *ponere, ut hæredem omnium* Hebr. 1: 2. ita & Sponſorem, Mediatorem, Sacerdotem deperditorum. Filius enim à *Patre* potuit mitti, donari, manifeſtari. Filius potuit *Spiritum*, ut *Spiritum filii.* Gal. 4: 6. accipere & effundere ſuper omnem carnem, & ita dare de ſuo, qui ſuus erat. Neque enim ullus angelorum aut hominum par erat excellentiſſimis his muniis, ut enim nullus illorum potuit creare mundum, ſic nullus eorum potuit redimere mundum, neque etiam poterat quis fieri *Dominus noſter* jure redemtionis, qui non eſſet Dominus noſter jure creationis: neque finita virtus, qualis omnibus omninò creaturis ineſt, poterat *caput ſerpentis*, τὸ κράτος *imperium Diaboli, peccati regnum, mortis ſtimulum, inferni*

ni portas, *legis maledictionem*, *iræ divinæ molem* conterere, abolere, ſuperare, portare: neque poterat eſſe noſterRedemtor & Liberator, qui alii quàmDeo nos emeret & liberaret: neque gloria Dei, quæ magis & illuſtriùs apparet in reconciliatione hominis lapſi, quàm in creatione Univerſi, poteſt dari alii-non-Deo, non-Jehovæ, ut dicatur *Non-Jehova fecit omne hoc.* neque Angelorum aut Hominum ullus poteſt habere requiſita *Sacerdotis* & *Sponſoris*, qualia ei, qui *nos decuit*, ineſſe debuerunt: *talis enim nos decebat Sacerdos, Sanctus, ſine vitio, impollutus, ſeparatus à peccatoribus, & altior cœlis factus.* Hebr. 7:26. Non *hominum* ullus. *quis* enim *dabit purum ex impuro? omnes peccârunt* Rom. 3:23. non *Angelorum ullus.* ut enim *nulli unquam angelorum dictum eſt*, *Filius meus es tu*, ita nulli hæc elogia ἐν δυνάμει & emphaſi tribui poſſunt. *Sancti* ſunt, *boni* ſunt. non tamen naturæ ſuæ potentiâ, ſed divinæ manus gratiâ, quæ ſanè *ſervis ſuis non fidit.* Job. 4:18. multi illorum *non ſervârunt* τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν Judæ verſ. 6. Et quomodo ſunt illi *altiores facti cœlis*, quibus *orbem habitabilem futurum non ſubjicit Deus* Hebr. 1:5. qui non tantùm noſtri ſunt *conſervi* Apoc. 19:10. ſed & *ſervi*, ſunt enim *omnes* λειτουργικὰ πνεύματα *ſpiritus famulantes, miniſtratorii* Hebr. 1:14. Ergo concludamus, ſolus Dominus Jeſus Chriſtus, *agnus Dei*, qui eſt *heri & hodie* ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας Hebr. 13:8. *dignus fuit accipere* hunc *honorem*, *gloriam* & *poteſtatem.* Apoc. 5:12. *Quis eſt ille*, præter illum, qui *in fidem recipere fuerit auſus cor ſuum*, *ad accedendum ad Deum*, ad ſpondendum & offerendum ſe pro nobis? Jerem. 30:21. nam *ille* eſt *Jehova*, adeoque *Jehova* eſt *juſtitia noſtra* Jerem. 23:6. *hoc eſt nomen ipſius, gloriam ſuam alii non dat. nec gloriationem ſuam ſculptilibus.* Eſ. 41:8.

Conſilium pacis inter patrem & filium, de ſalvandorum ſalute, quod, & quale?

§. 12. Neque etiam hìc, ubi de Teſtamento Dei & de divina Chriſti ſponſione agimus, præterire debemus ſilentio, ab æterno eſſe inter Deum, & *Virum*, cujus *nomen* eſt צֶמַח *germen*, *conſilium pacis.* עֲצַת שָׁלוֹם Zach. 6:13. Germen hoc eſt *germen ex alto*, *quod nos viſitavit in viſceribus miſericordiæ Dei noſtri.* Luc. 1:78. Conſuluit Deus cum Filio ſuo (ſecundùm hominem loquor) & cum illo iniit conſilium, quâ ratione hominibus per peccatum corruptis, & æternæ damnationi obnoxiîs, pax, gratia & ſalus conferri ac parari potuerit; ſimulque à Filio ſuo ſtipulatus eſt, ut *anima ipſius poneret* אָשָׁם *ſatisfactionis pretium*, quo poſito *ſemen*, *quod prolongaret dies*,. *& in cujus manu voluntas Jehovæ proſperaretur, viſurus* & habiturus eſſet εὐδόκιον. Eſ. 53:10. Filius non renuit, ſed divinæ ſtipulationi aſtipulatus dixit: *Ecce adſum*, *voluntatem tuam facere voluptas mihi eſt* Pſalm. 40:9. Hâc poſtulatione Patris, & oblatione Filii, quæ æterna eſt *per ſpiritum æternum*, Hebr. 9:14. *in fine ſeculi* autem (Hebr. 9:26.) *ſemel per oblationem corporis Jeſu* Hebr. 10:10. plenè conſummata, conſilium hoc pacis concluſum eſt, & firmum ac irrevocabile factum. hoc conſilio & quaſi pacto nititur Teſtamenti divini firmitas. Sine quo ſi fuiſſet, Teſtamentum ab æterno Deus condere non potuiſſet. Vi autem excellentiſſimi hujus pacti & æternæ hujus ſponſionis Chriſti, cui ut omni ex parte ſatisfieret, Filius *in plenitudine temporis*, *acceptâ ſervi formâ*, *ſe ipſum humiliavit*, *factus obediens ad mortem*, *mortem verò crucis* Phil. 2:8. *dedit Pater Filio omnia*, Joh. 13:3. *poteſtatem omnis carnis* Joh. 17:2. *poſuitque illum hæredem omnium.* Hebr. 1:2. διέθετο αὐτῷ βασιλείαν *diſpoſuit ipſi regnum* Luc. 22:29. dixitque: *Poſtula a me & dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ* Pſalm. 2:8. *Leve eſt ut ſis mihi ſervus ad erigendum tribus Jacobi, & detentos Iſraëlis ad reducendum; imò dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea ad fines uſque terræ* Eſ. 49:6. *Idcirco diſtribuam ipſi in multis, & cum robuſtis dividet ſpolia, pro eo, quod effudit in mortem animam ſuam,*

 & pro-

& pro defectoribus intercedit. Eſ. 53: 12. Inde eſt gloriatio Filii; *Funiculi ceciderunt mihi in amœnis*, etiam *hereditas, decora mihi.*& gratiarum actio. *Benedicam Domino, qui conſuluit mihi.* Pſal. 16: 6. 7. Hæc ipſa autem voluntas Patris, quâ Filio ſpondenti & ſe ipſum offerenti dedit omnia, in ſcripturis etiam *Teſtamentum* appellatur; nimirum διὰ τὸ ἀμετάθετον αὐτῆς, *quòd mutari illa non poteſt.* Unde & cum ὁρκωμοσίᾳ *juramento, juravit Dominus, & non pœnitebit eum* Hebr. 7: 22. comparatur. Ita Apoſtolus loquitur Gal. 3: 17. de *Teſtamento ante ratificato a Deo in Chriſtum* hoc eſt, ut id Chriſto firmum eſſet; & Chriſtus ipſe illuc collimavit in ſupra laudato loco Lucæ, *Pater mihi regnum* διέθετο, quaſi Teſtamento & immutabili voluntate diſpoſuit ac legavit. Igitur probè obſervandum eſt voluntatem divinam & æternam, quæ in ſe una eſt & ſimpliciſſima, duas quaſi partes habere; unam, quâ hominibus legavit omnia bona ſalutaria in Chriſto Jeſu; alteram, quâ Filium hæredem poſuit & Dominum omnium redemtorum, vivorum & mortuorum. Rom. 14: 19.

Conſilium gratiæ non κατὰ πάντα cum Teſtamento humano, convenit, & in quibus ab eo differat.

§. 13. Quamvis autem æternum Dei conſilium convenientiam habeat cum Teſtamento humano, ut demonſtravimus, cavendum tamen eſt, ne putemus conſilium Dei de ſalute & vitâ noſtra κατὰ πάντα cum humano Teſtamento convenire, atque ferè humanum eſſe. μὴ γένοιτο. Quinimò firmiter in mentibus noſtris hæreat limitatio, quam Apoſtolus in hoc negocio adhibet Gal. 3: 15. *Fratres, ſecundùm hominem loquor.* Ut enim Deus non eſt homo, & viæ ejus ſunt altiores viis noſtris, ita etiam Teſtamentum æternum Dei longè aliter ſe habet, quàm Teſtamenta noſtra terreſtria: id utile eſt oſtendere. I. Noſtra Teſtamenta de rebus tantùm agunt fluxis & fragilibus, ſine quibus in mundum intramus,
1. & ſine quibus è mundo eximus. Conſilium autem Dei de bonis diſponit permanentibus, de juſtitia, ſanctitate, pace, omnique benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus. Epheſ.
2. 1: 3. II. Noſtra Teſtamenta paucos tantùm nominant hæredes, eoſque ſæpè degeneres. Quos autem Deus ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ vocavit, etſi naturâ ſint πονηροὶ *mali* Matth. 7: 11. tamen *vivificantur cum Chriſto, & cum illo reſuſcitantur* Epheſ. 2: 5. 6. ut *in novitate vitæ ambulent* Rom. 6: 4. ſuntque illi *ex omni tribu, & lingua & populo &*
3. *gente* Apoc. 5: 9. III. Noſtra Teſtamenta ambiguos ſæpè habent ſenſus, & in alienam torqueri poſſunt mentem; unde fit, ut legitimus hæres nonnunquam hæreditate excidat. Teſtamentum Dei æternum extra omnem eſt controverſiam. *Novit Dominus* τοὺς ὄντας αὐτοῦ 2 Tim. 2: 19. *obſignati ſunt ad diem redemtionis.* Epheſ. 4: 30. *optima illorum pars, ad quam Pater idoneos illos fecit* Col. 1: 12. *non auferetur ab illis.* Luc. 10: 42. *portæ in-*
4. *ferni illis non prævalebunt.* Matth. 16: 18. IV. Noſtra Teſtamenta non aperiuntur, niſi mortuus ſit Teſtator, ut vacua fiat hæreditas, Teſtatorem mori neceſſum eſt, nemo enim in hæreditatem plenam vivo Teſtatore intrare poteſt. Ita Teſtator debet è domo exire, ut hæres poſſit in illam intrare. Teſtator æterni Teſtamenti Jeſus Chriſtus debuit mori; ſed non debuit, ut *nec poſſibile erat, à morte* κρατεῖσθαι *teneri.* Act. 2: 24. debuit è morte reſurgere. Mortem guſtavit, non ut nobis vacuam faceret hæreditatem, ſed ut nobis pleniſſimum jus acquireret, bona Teſtamenti adeundi, & accepta retinendi. qui ſi in morte manſiſſet, *& non ut Præcurſor noſter pro nobis intrâſſet in interius veli* Hebr. 6: 19. 20. neque nos *cum fiducia accedere poſſemus ad thronum gratiæ.* Hebr. 4: 16. Quare ut *traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtram* Rom. 4: 25. ita mortuus eſt, ut æternæ hæreditatis jus plenum nobis acquireret; & reſurrexit, ut nos certos faceret reſurrectione ſuâ, tanquam certiſſimâ arrhâ, illud jus omninò nobis eſſe acquiſitum, neque nos amplius eſſe *peregrinos & advenas*, ſed *domeſticos Dei* Eph. 2: 19. quorum πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. Phil. 3: 20.

§. 14.

§. 14. Non obſtante tamen hâc diſſimilitudine, quæ eſt inter æternum Dei conſilium & propoſitum, & inter Teſtamentum humanum, nihilominus ἡ πρόθεσις θεοῦ in ſacris ſæpiſſimè διαθήκη vocatur. Quinimo Scriptura ſacra præter id *Teſtamentum*, quod *in Chriſtum ante eſt ratificatum*, Gal. 3: 17. & *Teſtamentum*, quod Deus διέθετο πρὸς τοὺς πατέρας, *Patriarchis diſpoſuit* & appropriavit, cujus ſumma eſt in celebri illâ ſententiâ, *in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ* Act. 3: 25. meminit duorum adhuc Teſtamentorum, quæ non cum Patriarchis, ſed in ſpecie *pepigiſſe* dicitur Deus *cum domo Iſraël & domo Juda* Jerem. 31: 30. quæ Paulus docet notata & præſignificata eſſe per Agar ſervam, & Saram Dominam. αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. *hæc enim ſunt duo illa Teſtamenta.* Gal. 4: 22. 28. Horum *unum* dicitur ἡ πρώτη ἐκείνη *primum illud* Hebr. 8: 7. *Teſtamentum Vetus* 2 Cor. 3: 14. quod *non eſt ſine querimonia* Hebr. 8: 7. & *eſt à monte Sina, in ſervitutem generans* Galat. 4: 24. & *non eſt ſine ſanguine initiatum* Hebr. 9: 18. quodque *antiquatur* & *ſeneſcit*, & erat, nim. Paulo illud ſcribente, ἐγγὺς ἀφανισμοῦ *propè* ut *aboleretur* Hebr. 8: 13. Alterum dicitur *ſecundum* Hebr. 8: 7. *novum* ibid. verſ. 8. Hebr. 9: 15. Matth. 26: 28. Hebr. 12: 24. *melius* Hebr. 7: 22. quod *ſuper melioribus promiſſionibus in legis formulam deductum eſt* Hebr. 8: 6. & *eſt in ſanguine Jeſu* 1 Cor. 11: 25. Matth. 26: 28. & *in libertatem gignit* Gal. 4: 26. nec eſt à monte Sina, ſed à monte Zion, cum nempe is *in poſtremo dierum aptatus eſt in capite montium, & elevatus præ collibus omnibus* Eſ. 2: 2. Quis autem horum Teſtamentorum ſit ſenſus, & quidnam proprie ſit Teſtamentum Vetus, item Teſtamentum Novum ſignificet, ſuo dicetur loco. Id tantum monebo, quod græcè dicitur διαθήκη & Latinè *Teſtamentum*, Hebræis dici בְּרִית: quæ vox, quamvis ſignificet *fœdus*, quod fit inter duos, ſuper mutuis ſtipulationibus & aſtipulationibus; & amorem ac commercia inter partes contrahentes ſtabilit & confirmat; tamen de rebus Dei uſurpata, indicat illius πρόθεσιν *propoſitum* & εὐδοκίαν *beneplacitum*, quod propter immutabilitatem, & quòd ἐπὶ θανάτῳ ϗ ἄμαλε *firmum* eſt, Teſtamenti inſtar habere evicimus §. 7. 8. 9. Hinc Paulus, ubi agit de בְּרִית quod Deus pepigit cum Abrahamo Geneſ. 17: 2. &c. & de בְּרִית quod Deus pepigit cum domo Iſraël & Juda Jerem. 31: 31. conſtanter per διαθήκην explicat Gal. 3: 16. 17. Hebr. 8: 8. 10. non tàm ſecutus LXX. interpretes, qui vocem בְּרִית ubique per διαθήκην; excepto uno loco Deut. 9: 15. ubi per μαρτύριον *teſtimonium*, reddiderunt, quàm rei ipſius naturam, & materiæ, de quâ agit, indolem.

Ad hoc gratiæ Teſtamentum acceſſerunt duo Teſtamenta alia V. & N.

§. 15. Hoc autem conſilium & propoſitum Dei, quod ab æterno factum eſt, *variis partibus & variis modis olim* eſt notificatum, promulgatum, & denique *in plenitudine temporis* ſanguine Teſtatoris ratificatum. Quod quomodo ſit factum, quæque illorum temporum fuerit οἰκονομίας *adminiſtratio* ſ. *diſpenſatio*, & qui electorum in Teſtamento ſcriptorum diverſus pro diverſitate temporum in terris ſtatus, Scriptura diligentiſſimè inculcavit, ut ita cognitio noſtra abundaret, fides confirmaretur, ſpes firma ſtabiliſque maneret. de quibus omnibus, haut levis momenti rebus, benedicente Deo T. O. M., hic tractatus aget.

Gratiæ conſilium. ſeu Teſtamentum variis partibus, & modis eſt notificatum.

§. 16. Poſſumus autem omnia Eccleſiæ tempora in tres partiri partes, vel in id tempus, quo fuit ſine Lege; (intelligo jugum legis δυσβάστακτον) & quo fuit ſub Lege; & quo liberata eſt à Lege, *& ab omnibus, quibus in lege Moſis juſtificari non poterat*; Act. 13: 39. vel, ut ſub Patriarchis vixit & Patribus; dein ſub Moſe & legislatoribus; denique ut vivit ſub Chriſto *in carne manifeſtato*, & *propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronato*. Quâ ferè ratione priſci Judæi omne mundi, quem ſex mille annos duraturum fabu-

Omnia Eccleſiæ tempora in tres dividuntur partes.

fabulantur, (ut eſt in libro אבקת רוכל libr. 1.4. שית אלפי שני להוי עלמא) tempus, in tres periodos diſtinguunt, quarum quælibet duos mille annos è mente illorum complectitur. harum primam appellant ימות התהו *dies vacui ſ. inanitatis*, ſecundam ימות התורה *dies Legis*; tertiam ימות המשיח *dies Meßiæ*. Nos in hoc primo Tractatus noſtri libro de Eccleſiâ primævâ deinceps agemus.

CAPUT SECUNDUM.

De primâ Teſtamenti Gratiæ apertione & ſignificatione, ac peccati conſequentiis in muliere & viro. nec non Adami & Evæ fide.

Propter gratiæ conſilium, Deus utitur ἀνοχῇ circa peccatorem.

§. 1. FActo æterno hoc conſilio Dei de ſalute impertienda ſemini electo, neceſſum erat, ut, ubi peccatum per hominem intravit in mundum, Deus erga hominem lapſum uteretur ἀνοχῇ *tolerantiâ*; quæ eſt illa virtus Dei, à qua appellatur אֶרֶךְ אַפַּיִם μακρόθυμος, *longanimis*.

§. 2. Poſtquam homo fœdus eſt transgreſſus, condemnatur, & omnibus diris devovetur à lege fœderis, ſecundùm illam ſententiam: *Maledictus, qui non manet in omnibus*, &c. Deut. 27:6. Gal. 3: 10. Unde potuiſſet Deus, ſi juxta rigorem legis, & jus ſuum cum homine peccatore procedere voluiſſet, eum omnibus ſtatim pœnis multare, & totum è medio tollere, & cum illo agere, ut cum Angelis lapſis egit, de quibus dicitur 2 Pet. 2: 4. *Deus Angelorum, qui peccarunt non pepercit, ſed catenis caliginis in tartarum dejectos, tradidit damnationi ſervatos.* confer. Jud. verſ. 6.

§. 3. Sed, quia Deus habuit hoc conſilium gratiæ, ne illud irritum fieret, quod mutari & irritum fieri non poterat, non debuit *facere & retribuere ſecundùm peccata* Pſal. 103. 10. 11. ſed ἐκδέχεσθαι *exſpectare* inter peccata 2 Petr. 3:9. atque adeò tolerantiâ uti erga peccatorem: hoc eſt, conſervare illi τὸ ζῆν, καὶ τὸ κινεῖσθαι, καὶ τὸ εἶναι. Actor. 17: 28. ἀγαθοποιεῖν *benefacere* Act. 14: 17. nec *tradere in mentem reprobam* ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα Rom. 1: 28. nec ſinere labi in tale peccatum (ſi tale peccatum peccari potuit ante revelatum Mediatorem & Spiritum ejus) quod nunquam *remittitur*, neque *in hoc* neque *in futuro ſeculo*.

Tolerantia gratiæ ſuſpicionem peccatori injicere poteſt.

§. 4. Et hæc quidem tolerantia attendenti poterat oſtendere & teſtari Deum gratiam velle facere. Si enim non eſt apud Deum gratia, tolerantia & indecens eſt, & fruſtra exercetur. Indecens eſt, quia non decet Deum bonum, ſuſpicionem gratiæ facere, quam facit ἀνοχὴ, ſi nulla gratia uti vult; neque alium ſe exhibere, quam eſt; amicum, cum ſit inimicus, atque ita illudere miſero peccatori. Fruſtra eſt; non enim per illam ſolam conciliatur Deus peccatori; neque quia peccati differt pœnam, iram depoſuiſſe peccati putandus eſt, ſed lento gradu procedit ad vindictam, ut tarditatem iræ ſupplicii compenſet gravitate; neque per eam ſolam ducitur peccator ad Deum, ut illum amet, & illo delectetur; ſed quoad peccatorem, eſt plerumque occaſio majoris mali. exemplo ſint gentiles ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς *in præteritis ætatibus*. Act. 14: 16. ſiquidem, *quia non fit ſententia operis mali cito, idcirco impletur cor hominis, ut faciat malum* Eccleſ. 8: 11. &, *quia Deus ſilendo ſilet, putat peccator, Deum ſimilem eſſe peccatori*. Pſal. 50: 21. Quicquid autem eſt contra decentiam & veritatem Dei, imò & contra ſapientiam ejus, quæ nunquam fine ſuo fruſtratur, id Deo minimè attribuendum eſt. Sed, quia Deus conſtituit gratiam facere

facere multis, neutiquam fruſtra exercetur à Deo; imò decentiſſimè exercetur, tum in illos, quibus gratiam vult facere, ne illi pereant & ſecundùm legis ſententiam ſtatim puniantur, & à *morte, in qua nulla eſt Dei recordatio* Pſalm. 6: 6. & ab *inferno* ubi *nemo illum confitetur.* ibid. abſorbeantur; tum occaſione hujus etiam in illos, quibus gratiam non vult facere, quos Scriptura vocat *vaſa iræ, aptata ad interitum* Rom. 9: 22. qui per illam conſtituuntur ἀναπολόγητοι *inexcuſabiles.* Convicti enim de *duritate cordis* ἀμετανοήτου *reſipiſcere & pœnitêre neſcit* Rom. 2: 5. & de bonitate Creatoris, qui *non delectatur morte improbi* Ezech. 18: 23. & ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ *in multa longanimitate illos tulit* Rom. 9: 22. & de malitia ac ingratitudine, qua Dei obliviſcuntur, & benigniſſimum hunc Deum, qui per beneficia multa illos ad ſe invitat, rejiciunt, nulla ſe ratione excuſare poſſunt. Illi enim, qui τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονοῦσιν, quomodo *effugient* τὸ κρίμα τοῦ θεοῦ *judicium Dei?* Rom. 2: 3. 4. 5.

§. 5. Attamen non ſuffecit hæc ἀνοχὴ; debebat inſuper accedere verbum, quo homo miſer certioraretur de gratia, cujus, ſi attenderet, ſuſpicionem poterat movere tolerantia; atque ita *Deus revelare de cœlis*, quod *caro & ſanguis non* poterat *revelare* in terris. Matth. 16: 17. *quis enim novit mentem Domini, aut quis conſiliarius ipſius exſtitit?* Rom. 11: 34.

Non tamen ea ſine revelationis verbo ſatis intelligitur.

§. 6. Et Deus quidem, πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει Epheſ. 2: 4. non diu hominem tenuit anxium & incertum, ſed mox poſt lapſum pronuntiavit *verbum*, in quo revelavit gratiæ conſilium. ita Deus primus gratiæ præco, & pacis factus eſt nuncius.

Quod ſtatim poſt lapſum, ad tolerantiam acceſſit.

§. 7. Verbum illud extat Geneſ. 3: 14. 15. ubi cum *Dominus Deus dixiſſet ad Serpentem, quia feciſti hoc, maledictus tu præ omni pecude, & præ omni beſtia agri; ſuper ventrem tuum ibis, & pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, denique addit, *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius. Hoc tibi conteret caput; tu autem illi conteres calcaneum.*

Teſtamenti gratiæ prima apertio Gen. 3.

§. 8. Hoc verbum eſt omnis Verbi radix, prima ἐπαγγελία *promiſſio*, Teſtamenti divini declaratrix, προευαγγελισμὸς ſ. *præannunciatio Euangelii*, quod *Deus ante promiſit per prophetas in ſcripturis ſacris* Rom. 1: 2. & *in ultimo dierum locutus eſt nobis in filio* Hebr. 1: 1. & ab Apoſtolis nunciatum eſt omni creaturæ, juxta Pſalm. 68: 12. *Dominus dat dictum; Euangeliſantes caterva exercitus magnus.* In hoc verbo continentur omnia, quæ Scriptura de miſeria noſtræ naturæ, de regno Satanæ & peccati, de fœdere Dei gratioſo, de Mediatore fœderis, de ejus manifeſtatione in carne, de ejus paſſione, lucta & victoria, de abolitione peccati & Satanæ, de juſtitia Dei & ſanctificatione vera, de felicitate & reſurrectione mortuorum, ad inſtitutionem & ſolatium electorum ſparſim & abundè tradidit. Quare verbum hoc omni diligentia & animi applicatione perpendendum eſt, quod bono cum Deo facturi, conſiderabimus 1: illum, qui verbum hoc tulit & pronunciavit. 2: ſubjecta, de quibus in verbo hoc agitur. 3: illa, quæ inter ſubjecta hæc eventura erant.

In hoc verbo eſt omnis verbi radix.

Tria in hoc verbo conſiderantur. א Auctor. ב Subjecta. ג Quæ inter ſubjecta eventura erant.

§. 9. Quod attinet latorem & pronuntiatorem Verbi, is Deus eſt. *Et dixit Iehova Deus.* Non Angelus, non homo, ſed Dominus Deus hoc verbum elocutus eſt. Hic Deus eſt ſine dubio Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quorum *Trinitatem* caput primum Geneſeos verſ. 1. & 2. non obſcurè docet: nam dum dicit, *In initio creavit Deus*, ſine dubio intelligit *Patrem*, qui Creator cœli & terræ eſt. Sed & intelligit *Filium:* nam ut eſt Joh. 1: 1. *in initio erat* ὁ λόγος *ſermo*, & Θεὸς *Deus*, qui in initio erat, ἦν ὁ λόγος *erat ſermo ille: omnia per ipſum facta ſunt:* adeoque in initio creavit cœlum & terram. Et tandem

א Auctor Triunus Deus.

dem illis adjungit *Spiritum Sanctum*, verſ. 2. *Et Spiritus Dei incubuit ſuper facies aqua-*
Nominatim tamen Filius. *rum.* Sed ſi rem inſpicimus propius, cogitantes, *Filium* τοῦ λόγου eſſe illum, qui eſt ὁ ἁγιάζων *ſanctificans* Hebr. 2: 11. הַמְדַבֵּר *qui loquitur* Eſ. 52: 6. (confer Joh. 8: 25. *Initio eſt, quod & loquor*) *omnia portaſſe verbo potentiæ* Hebr. 1: 3. eſſe Mediatorem fœderis, *ivisse & prædicaſſe in diebus Noæ* 1 Pet. 3: 19. de monte Sina verba fœderis locutum eſſe, Filio & in hoc ſermone non poſtremas, ſi non primas partes tribuendas eſſe, patebit. Sed & modus prolationis attendendus eſt, *Et ponam inimicitiam* dicit Deus; non dicit, *ponamus*, ut Geneſ. 1: 26. *faciamus hominem.* & Geneſ. 11: 7. *age deſcendamus, confundamus labium illorum.* qualis ſermo eſt κατακελεύοντος & παρακαλοῦντος ſive ἐγκελεύοντος *inhortantis, excitantis, inſtigantis*; ſed dicit, *& ponam*, quia eſt ſermo de eo, quod Deus facere conſtituerat immutabiliter; & quidem converſus ad Serpentem, cui Deus non tectè, ſed apertè & in faciem interitum annuntiat, & excidium minatur; eſtque pronuntiatio ſententiæ in illum.

Subjecta in hoc verbo ſunt quatuor. § 10. Subjecta, quorum hic fit mentio, & quorum res agitur, ſunt. 1: *Serpens.* 2: *Semen Serpentis.* 3: *Mulier.* 4: *Semen Mulieris.*

1. Serpens. Non beſtia nuda, ſed Diabolus, quod probatur. § 11. Primum ſubjectum eſt *Serpens.* Fuit certè haut imaginarius, ſed verus Serpens, qui ad Evam acceſſit. vide Gen. 3: 1. 12. 13. attamen non fuit merus aut nudus Serpens. nam 1: hic Serpens loquebatur voce clarâ & intelligibili. 2: loquebatur de Deo, de verbo & præcepto Dei, de ſimilitudine Dei, de notitia boni & mali, de vita & morte. 3: loquebatur infenſo ore & hoſtili adfectu, quo in Deum ferebatur. Sanè Serpens animal loqui non potuit, nedum ut de rebus potuerit loqui ſublimioribus, multo minus blaſphema & inimica Deo. Ergo ſerpentem oportuit obſeſſum eſſe à Spiritu, & quidem à Spiritu impuro & mendace, at callido, hoſte & blaſphematore Dei, id eſt, Diabolo. Serpens igitur fuit quidem ſeductionis organon; Satanas autem fuit ſeductor. Et quid mirum, Satanam locutum eſſe per Serpentem, animal natura mutum & irrationale, cum & aſina Bileami ſit locuta. Satanas, non impotens Spiritus, τοὺς δαιμονιζομένους καὶ σεληνιαζομένους, *obſeſſos* ſæpe facit loqui linguis variis, peregrinis, antea & poſt etiam illis incognitis. Satanas greges ſuum egit in mare, catenas ferreas rupit, è nubibus fulgura poteſt ciere permittente Deo: num ergo tantum eſt portentum, Satanam emiſiſſe verba & loquelam & ſonos humanos ex ore & lingua Serpentis? Satanas ſine ore & lingua, quamvis & adhibuerit os Virginis, locutus eſt in Oraculis gentilium; quale fuit Jovis Hammonis in Lybia, Dodonæum in Epiro, Apollinis Pythii Delphis, & non potuerit loqui per os Serpentis? Xanthum equum Achilli Domino mortem vaticinatum eſſe, fluvium Cauſum Pythagoram ſalvere juſſiſſe, arborem incantatam ad Apollonium verba feciſſe, Dodoneam quercum humana voce uſam fuiſſe, Cyrillus è profanis ſcriptoribus objecit Juliano Apoſtatæ, ita ludenti cum ſacra hiſtoria, *ſi Serpens locutus eſt, qua lingua & voce locutus eſt?* Hinc Diabolus vocatur ὁ ὄφις *Serpens* 2 Cor. 11: 3. ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος *Serpens antiquus* Apoc. 12: 9. *draco magnus* ibid. *Leviatan, Serpens vectis, Serpens tortuoſus* Eſ. 27: 1. ὁ πειράζων *tentator* Mat. 4: 3. *Homicida ab initio mendax* Joh. 8: 44 *inimicus* Pſ. 8: 3. Matth. 13: 39. *adverſarius* 1 Pet. 5: 8. diciturque ὁ πλανῶν *Seductor* Apoc. 12: 9. & poteſtas infernalis cum ſerpentibus comparatur & aſpidibus Pſ. 91: 13. *ſuper dracone & aſpide ibis.* Quid, quod contextus διαῤῥήδην *explicatè* oſtendit, de Serpente bruto non agi. Agitur enim de Serpente, inter quem & mulierem Deus *ponit inimicitiam.* atqui propriè non eſt homini inimicitia cum Serpente, ſed potius averſio quædam, qua Serpentem propter noxium venenum averſatur; quo demto averſio illa deſinit, ita ut & veneno ipſo & cute utamur Serpentum. Si tamen hæc averſio *inimicitia* dici debet, fatendum eſt,

eſt, non majorem homini cum ſerpente intercedere inimicitiam, quam cum leone furioſo, cane rabido, lupo vorace; atque adeo nihil peculiare aut extraordinarium hic in ſerpentem, animal, ſtatui. quod tamen abſurdum eſt. Porro & hoc conſiderandum, an non dum dicitur, *Semen mulieris conteret caput Serpentis*, id æquivaleat illi, quod legitur Rom. 16: 20. *Deus pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris.* Denique omnia alia, quæ Geneſ. 3. dicuntur in ſerpentem, plene quadrant in Satanam. *Maledictus eſt præ omni beſtia agri.* horribilium omnium eſt horribiliſſimus. maledicimus brutis, quæ nobis nocent: multo magis autem Satanæ maledicimus, qui eſt *ut Leo rugiens*, ζητῶν τινα καταπίῃ 1 Pet. 5: 8. *Super ventrem it.* non erecto vultu ut victor, ſed depreſſo, ut ſubdolus ſeductor. *Pulverem comedit*; *in filiis operatur inobedientiæ* Epheſ. 2: 2. qui ut è pulvere ſunt, ita pulvis tantùm ſunt, & *gramen*, & Spiritu Dei carent. Electos tangere non poteſt, niſi quatenus pulvis in illis ſupereſt; aut qua parte pulvis ſunt. Sane non niſi tenuiſſimè hæc de Serpente animali intelligi poſſunt, qui non eſt maledictus præ omnibus beſtiis, & qui eo ipſo, quod ſuper ventrem it, & pedibus caret, & pulverem comedit, non infelicior eſt piſcibus, qui ab aqua & aëre vivunt, & ſuper ventrem natant, & erecti incedere non poſſunt. Firmiter igitur teneamus, *Serpentis antiqui* hoc eſt Satanæ, Diaboli hanc eſſe ſententiam & condemnationem.

§. 12. Secundum ſubjectum eſt, *Semen Serpentis.* Serpens ſemen habet. Diabolus habet *angelos.* Et *Draco bellum geſſit, & angeli ipſius* Apoc. 12: 7. confer Matth. 25: 41. Non unus tantum eſt Diabolus, qui *non ſtetit in veritate* Joh. 8: 44. ſed turba magna Diabolorum. vid. Judæ verſ. 6. 2. Pet. 2: 4. Hi Angeli Diaboli ſunt antiqui Serpentis ſemen. Sed & omnes illi, qui *ſunt ex patre Diabolo, & concupiſcentias patris ipſorum*, id eſt Diaboli faciunt, Joh. 8: 44. qui *peccatum faciunt* 1 Joh. 3: 8. ſunt τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου *filii Diaboli* 1 Joh. 3: 10. & Serpentis ſemen: inde eſt, quod vocantur γεννήματα ἐχιδνῶν *progenies viperarum* Matth. 3: 7. & ἰὸς ἀσπίδων *venenum aſpidum ſub labiis illorum eſſe* dicitur Rom. 3: 13. Ita Serpens ſemen ſuum partim ſecum habet in inferis, partim adhuc impiè illud agit in terris.

2. Semen Serpentis.

§. 13. Tertium ſubjectum eſt *Mulier.* illa ſine dubio, quæ, quia *non bonum erat hominem eſſe ſolum* Geneſ. 2: 18. *os ex oſſibus & caro è carne illius facta eſt* Geneſ. 2: 23. quam Deus *unam fecit*, quum *ipſi ſupereſſet Spiritus*, quia *quærebat ſemen Dei* Mal. 2: 15. & *ex uno voluit ſanguine fieri* πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων *omne humanum genus.* Act. 17: 26. Hanc Serpens ſeductor aggreſſus eſt Geneſ. 3: 1. & *ſeduxit* Geneſ. 3: 13. confer 2 Cor. 11: 2. *Serpens Evam ſeduxit*, & 1 Timoth. 2: 14. Adam non eſt ſeductus, Mulier autem ſeducta *in transgreſſione exſtitit.* Hâc in re cerni poteſt ſeductoris πανουργία *calliditas.* Voluit illius primùm experiri vires, quæ erat *vas infirmius* 1 Pet. 3: 7. ut ita, illâ in obſequium adactâ, de Viro eò certior eſſet Victoria. Sed quamvis *Mulier* ſeductori ſuccubuerit, turpiter tamen conſiliis ſuis & ſpe ſuâ ſeductor fruſtratus eſt. Amicitiam, quam cum Muliere Serpens inierat, in inimicitiam vertit omnipotens Dei manus. Talis ſolet eſſe exitus eorum, quæ contra Deum capiuntur conſiliorum. Sunt, qui per *Mulierem* intelligunt univerſam Electorum Eccleſiam, ad quam pertinet Eva & omnes Fideles, qui fuerunt & ſunt χθὲς καὶ σήμερον *heri & hodie.* Verum eſt, Eccleſiam comparari cum *Virgine* 2 Corint. 11: 2. Joël. 1: 8. *Sponsâ* Johan. 3: verſ. 29. Apoc. 21: 2. 9. *Muliere* Apocal. 12: 1. 21: 9. Eſaiæ 54: 6. habere *Sponſum* Matth. 9: 15. Johan. 3: 29. *Virum* 2 Cor. 11: 2. Eſa. 54: 5. Hoſ. 2: 18. *Vocabis me, Vir mi*; *eſſe deſponſatam* Hoſ. 2: 21. 22. *nuptias iniviſſe* Apocal. 19: verſ. 7.

3. Mulier.

Quæ non univerſa electorum Eccleſia.

 gravi-

gravidam fuiſſe, peperiſſe Apocal. 12: 2. habere *Filios* Eſa. 54: 1. unde & *mater* appellatur Galat. 4: 26. & Apoſtolus comparationem inſtituit inter conjugium hominum terreſtre, & conjugium Chriſti & Eccleſiæ cæleſte. Epheſ. 5: 23-32. Attamen re diligentius perpensâ, ſimplicitati & literæ adhærentes, non univerſam Eccleſiam, ſed *Evam*, mulierum unam & primam hoc in loco intelligimus. Quia ut per *Serpentem* innuitur unus Satanas, ſeductor; & per *ſemen Serpentis* plures Angeli & Filii maligni; ita per *Mulierem* una Eva, & per *ſemen mulieris plures Filii Evæ*, quos Scriptura vocat כָּל־חָי *omne vivens* Geneſ. 3: 20. omnium commodiſſime intelliguntur. Secus ſi ſit, videbitur quartum ſubjectum, *ſemen mulieris*, in promiſſione abundare; & durior nobis videtur talis explicatio, (neſcio an ruditatis noſtræ vitio) inimicitiam ponam *inter te & Mulierem*, id eſt, inter te & Eccleſiam. Quid juvat quærere parabolas & allegorias, cum litera ipſa claritate ſe explicat ſua?

Sed Eva.

4. Semen mulieris. Semen in Sacris ſæpe notat unum hominem. Sæpe poſteritatem totam. Hic notat plures.

§. 14. Quartum & ultimum ſubjectum eſt *ſemen mulieris.* Vox זֶרַע σπέρμα *ſemen*, ſumta pro *ſemine humano* (dicitur enim & זרע בהמה *ſemen pecudis, ſemen agri*) in ſacris ſæpe notat *unum* hominem, *unum* filium. Sic Geneſ. 4: 25. *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abele.* Geneſ. 15: 3. *Et dixit Abram, ecce mihi non dediſti ſemen.* 1 Samuel. 1: 11. ſi dabis ancillæ tuæ זֶרַע אֲנָשִׁים *ſemen hominis*, ideſt filium, marem. Sæpe etiam *plures*, poſteritatem totam. Geneſ. 17: 6. 7. *Dabo tibi & ſemini tuo poſt te terram. Ero tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* In promiſſione prima non notat unum, ſed plures. Ut enim ſemen ſerpentis, ita & ſemen Mulieris plures complectitur. Et *inimicitia* illa, quam Deus ponit inter ſemen Serpentis & ſemen Mulieris non eſt unius, ſed plurium, nimirum omnium, quos Jehova Deus vocat, *gratia Dei* εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε *in multos abundavit.* Rom. 5: 15. Non quidem notat omnes, quotquot è muliere naſcuntur; nam & ſerpens habet ſemen, quod quoad carnem è muliere eſt, huic autem ſemini benedicto accenſeri non poteſt, & recte vocatur זֶרַע מְרֵעִים *ſemen maleficorum* Eſ. 1: 4. זֶרַע מְנָאֵף *ſemen adulterum* זֶרַע שָׁקֶר *ſemen mendacii* Eſ. 57: 3. 4. Deinde tale hoc ſemen debet haberi, quod inimicum eſt Satanæ, & opera odit Diaboli. Quare omnes qui *faciunt concupiſcentias Satanæ* Joan. 8: 44. porrò à ſemine promiſſo removendi ſunt. Eva nato Setho dicens, *Dedit mihi Deus ſemen aliud, loco Abelis, quem occidit Cain* Geneſ. 4: 25. non obſcurè indicat ſeminis differentiam. Abelem occiſum, & Sethum recens natum pro ſemine habet, Cainum in hoc cenſu ponere οὐ τολμᾷ *non ſuſtinet.* Ergo illi ſoli ad promiſſum *ſemen mulieris* pertinent, qui *non ex ſanguinibus, neque è voluntate carnis, neque è voluntate viri, ſed è Deo geniti ſunt* Joh. 1: 13. *quos præcognovit Deus, & vocavit, & juſtificavit, & glorificavit* Rom. 8: 30. qui quidem *ſunt in mundo*, ſed *non ſunt de mundo*, quemadmodum Dominus illorum ἐκ τοῦ κόσμου *è mundo non eſt.* Joh. 17: 11. 14. 16. quos εἰς τέλος ἠγάπησεν Joh 13: 1. pro quibus ſe ipſum dedit, ut redimeret illos ab omni iniquitate Tit. 2: 14. Hoc ſemen eximiis ornatur elogiis. Vocatur *ſemen Sanctum* Eſ. 6: 13. *ſemen*, quod *prolongat dies, & in cujus manu voluptas Jehovæ proſperatur* Eſ. 53: 10. *ſemen benedictorum Jehovæ* Eſ. 65: 23. *ſemen cui benedicit Jehova*; Eſ. 61: 9. illudque meritò appellari poteſt, *Semen Dei* זֶרַע אֱלֹהִים Mal. 2: 15. quod Deus olim *quærens* non invenit, non habuit; jam verò *videt, ut ſurculum plantationis ſuæ, ut opus manuum ſuarum* לְהִתְפָּאֵר *ut condecoretur* Eſ. 60: 21. & *in eo glorioſus fiat, & admirabilis* 2 Theſſ. 1: 10.

§. 15. Cæterum, quale hoc ſemen mulieris ſit, ulterius è prædicatis agnoſcitur. Semen

men hoc *contriturum* dicitur *caput ſerpentis.* Atqui hoc Dei opus, hæc Dei gloria eſt Rom. 16: 20. *Inimicitiam ponere* eſt opus Dei; ergo & *caput conterere.* Majus enim eſt conterere caput, quod totalem abolitionem Satanæ includit, quàm ponere inimicitiam, quæ non poteſt eſſe niſi capite Satanæ fracto, hoc eſt, jure abolito, & poteſtate ademtâ, quam in peccatorem habet. Qui cum *Dracone* debet *belligerare*, oportet ut ſit ὁ μιχαὴλ, *Deus* incomparabilis Apoc. 12: 7. Nimium quantum differt robur & potentia Satanæ ac infirmitas miſeri hominis. qui caro & ſanguis eſt: neque qui ſemel victus eſt à Satana, Satanam vincere poteſt. Unde ſequitur, illud Semen, quod conterit Serpentis caput, debere eſſe ἴσα θεῷ *æquale Deo*; nec tantùm *accipere* μορφὴν δούλου *formam ſervi*, ſed inſuper ὑπάρχειν ἐν μορφῇ Θεοῦ *exiſtere in forma Dei* Phil. 2: 6. 7. adeoque non tantùm eſſe *ſemen, hominem*, ſed & *Deum, Spiritum*, (Deus enim eſt Spiritus) imò *Deum in carne manifeſtatum* 1 Tim. 3: 16.

Contritio capitis ſerpentis quid.

Ejus qui & Deus eſt.

Ea primo eſt ejus qui Deus eſt.

§. 16. Itaque in hoc ſemine mulieris, quod promittitur, continetur ὁ ἁγιάζων *ſanctificans*, & οἱ ἁγιαζόμενοι *qui ſanctificantur*; גואל *Aſſertor, Redemtor*, & גאולים *aſſerti & redemti*. Qui גואל *Aſſertor, Vindex* debuit eſſe & *homo* & *Deus*. *Homo*, quia *ſemen mulieris* conterit caput Serpentis; quia *calces ipſius* debent conteri. *Deus*, quia divinum robur, divinaque potentia requiritur ad abolitionem Satanæ, peccati, orci. Sine illa *præda auferri a forti, & captivitas juſti evadere* nullâ ratione potuit Eſ. 49: 24. 25.

In hoc ſemine ergo continetur ὁ ἁγιάζων.

§. 17. Porrò dum hic Victor *ſemen Mulieris*, non autem *ſemen Viri* appellatur, & *caput ſerpentis conterere* dicitur, (ex quo ſequitur, illum minimè adſtrictum eſſe debere nexibus peccati & Satanæ; neq; adeò peccatorem, ut omnes omninò ſunt qui geniti ſunt è voluntate viri & fœminæ,) memores nos eſſe decet, *Immanuelem natum è Virgine* Eſ. 7: 14. *Fœminam, mulierem circumdediſſe Virum* Jerm. 31: 22. quod quamvis ſit אות *ſignum, & novum in terra*, tamen οὐκ ἠδυνάτησε παρὰ τῷ Θεῷ *non impoſsibile fuit Deo* Luc. 1: 37. qui enim creavit hominem è nihilo, ſine patre, ſine matre, nonne potuerit Filio aptare corpus in utero virginis, ſine ope patris, genitoris? Ita autem fieri oportuit, ut eſſet ἀπάτωρ *ſine patre*, qui eſt & ἀμήτωρ *ſine matre* Hebr. 7: 3. & ut eſſet ἄκακος *omnis mali expers*, ἀμίαντος *non co-inquinatus* ibid. verſ. 26. Et conveniens erat, ut qui in mundo fecit opus, quod omnem creatam naturam ſuperat, in mundum intraret tali & tam illuſtri modo, qui in natura communi non abundat.

Qui naſceretur ex virgine.

§. 18. Etiam, *quia is qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ſunt ex uno omnes* Hebr. 2: 11. ſunt enim *ſemen mulieris*, h. e. *carne & ſanguine participant* Hebr. 2: 14. ſequitur, victoriam & contritionem Serpentis omni ſemini, tum ſanctificanti, tum ſanctificato, competere. Si *enim uno pro omnibus mortuo, omnes mortui ſunt* 2 Cor. 5: 15. utique uno pro omnibus conterente & vincente, omnes contriverunt, omnes vicerunt. Ita ſalus & Victoria facta eſt omnium, illo tamen cum diſcrimine; ſemini ſanctificanti competit, ut αἰτίῳ *cauſæ*, ἀρχηγῷ σωτηρίας *ſalutis Principi*; ſemini ſanctificato κατὰ κοινωνίαν, σύμφυσιν, συσσωμάτωσιν *per communionem, complantationem, adcorporationem*, quam habet cum ſanctificante, ut *primogenito* ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς Rom. 8: 29.

Secundò ejus victoriæ & contritionis participes ſunt omnes electi.

§. 19. Hiſce conſideratis mirum videri poſſit, nullam in toto hoc verbo Adami fieri mentionem, cum tamen ut à ſalute, ita etiam à promiſſione ſalutis excludi non poſſit, non debeat. Nihil enim poſt lapſum dicitur gravius in Adamum, quod interitum & rejectionem ejus totalem inferat, quam poſt lapſum dictum eſt in Evam, quam non interiiſſe aut rejectam fuiſſe verba promiſſionis clariſſimè pronunciant: vide Gen. 3: 16-20. Certè non ſine divino dictamine hactenus omiſſū nomen Adami; ne in ipſius nomine exſpectaretur ſalus per cujus lapſū paratus nobis eſt interitus; aut ille haberetur cauſa juſtitię & vitę, qui exſtitit cauſa

Quare in hoc verbo Adami nulla fiat mentio.

injuſtitiæ & iræ. Potuit Adamus nos perdere, ut & perdidit; non potuit Adamus in integrum nos reſtituere, ut nec reſtituit. Debuit autem Mulieris fieri mentio, quia illa *ſeducta ἐν παραβάσει γέγονε exſtitit in transgreſſione.* 1 Tim. 2: 14. & ut primam cum Muliere ſerpens pepigerat amicitiam, ita primam cum Muliere inimicitiam eidem denunciari æquum erat. Adamum autem quod attinet, dum ſemen mulieris deſcribitur, quod ſerpentem conterit, & ſalutem parat, an non, quemadmodum in illo ſemine benedictio & ſalus Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, imò omnibus terræ familiabus oblata eſt, & ab illis exſpectata, eadem Adamo in ſemine exſpectanda oblata fuiſſe putandum eſt? Cerne autem inſignem mutationem, is qui caput erat humani generis, naturæ & primitivæ creationis jure, omnis prolis radix, omnium pater, in negocio redemtionis nullam habet prærogativam, mulieri poſtponitur, ſilentio quaſi prætermittitur, & ut unus de ſemine mulieris cenſetur, ipſe in ſemine mulieris benedicendus & juſtificandus. Quâ mutatione ut declaratus eſt eſſe unus è nobis, miſeris & infirmis, qui impio auſu & nefando conatu volebat eſſe & fieri ut unus ex illis, qui ſunt אֱלֹהִים קְדֹשִׁים *Deus ſanctus* Joſ. 24: 19. Geneſ. 3: 22. ita illâ intercedente conſtitutus eſt Dei amicus, juſtitiæ, quæ eſt ſecundùm fi[illegible]n hæres, ſanctorum concivis, & primogeniti noſtri fratris cohæres.

Prædicata de his ſubjectis. §. 20. Jam denique tertio loco conſiderandum eſt id, quod de ſubjectis hiſce prædicatur, ita ſubjecta è prædicatis ſuis adhuc diſtinctiùs cognoſcentur.

Inimicitiæ poſitio. §. 21. Primum eſt inimicitiæ poſitio. *Et inimicitiam ponam*, inquit Deus, inter Mulierem & Serpentem &c. id eſt, dabo, efficiam. Geneſ. 4: 25. *Poſuit mihi ſemen* id eſt, dedit. Eſ. 5: 6. *Et ponam* vineam meam *deſolationem* id eſt, efficiam deſolatam, deſolabo. Deus ergo vult facere, ut mulier ſerpentem, & ſerpens mulierem proſequatur inimicitiâ & odio. Ita inter illos erit bellum implacabile & odium inexſtinguibile.

Diabolus infenſiſſimus electorum hoſtis. §. 22. Quod ad *Serpentem*, Satanam, ille infenſiſſimus mulieris & omnium electorum hoſtis eſt. Sanguinem illorum ſitit, & ut illos *devoret*, *quærit*. 1 Pet. 5: 8. *Satanas quæſivit vos, ut triticum σινιάσαι cribrare.* Luc. 22; 31. Si quando blanda loquitur ore, tamen malum & dolum clauſum habet in pectore; in angelum ſe transfigurat lucis, ut ſi poſſibile eſſet electos ſeducat, & in baratrum æterni ſecum trahat ignis. Hinc vocatur אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם *hoſtis & ultor ſui* Pſalm. 8: 3. ἐχθρὸς *inimicus*. Matth. 13: 19. Juſto Dei judicio in impiam hanc iram, & injuſtam videtur traditus vindictam, atque ita *ſervatus vinculis æternis ὑπὸ ζόφον ſub caligine* Judæ v. 6. & vindictæ cupiditate, & nocendi libidine: id eſt, quod dicitur, Inimicitiam ponam *inter te*.

Mulier & ſemen ejus poſt lapſum prona ad amandum Satanam. §. 23. Quod ad *Mulierem*, illa unà cum ſemine ſuo poſt lapſum prona eſt ad amandum Satanam, ſeductorem. Sunt omnes *naturâ filii iræ*, *peccati ſervi*, *in regno vivunt tenebrarum*, & ſuâ ſponte *faciunt opera Diaboli*. Id igitur, quod in ſemine mulieris & muliere non eſt per naturam, promittit Deus ſe poſiturum & effecturum in illis per gratiam. *Et ponam inimicitiam*; faciam, ut odio habeat & averſetur Satanam & concupiſcentias ipſius; quod ſine verâ converſione, regeneratione, ſanctificatione, cordis circumciſione, novi cordis creatione, fieri non poteſt. Hæc inimicitia non tantùm importat odium & fugam Diaboli, ſed & comitem habet amorem & obedientiam triunius Dei. Ut enim *amicitia mundi* & Diaboli ἔχθρα τοῦ θεοῦ ἐστιν, *inimicitia Dei* eſt Jac. 4: 4. ita inimicitia mundi & Diaboli eſt amicitia Dei. Qui ergo *amicus eſt* Satanæ, eſt *inimicus Dei*; & qui inimicus eſt Satanæ, *amicus Dei καθίσταται conſtituitur*. ibid.

Sed per gratiam oderunt. §. 24. Hanc autem inimicitiam ponit & efficit Deus 1: per Filium & ſanguinem ejus, qui omnis noſtræ ſanctificationis cauſa eſt meritoria. Unde dicimur *pretioſo ipſius ſanguine à*

vana

vana noſtra converſatione redimi, 1 Pet. 1:18.19. *ab omni peccato purgari* 1 Joh. 1:7. *ex aqua regenerari* Joh. 3:5.2. *per Spiritum Filii ſui*, qui ſanctificationis noſtræ cauſa eſt efficiens, hic *miſſus in corda noſtra* Gal. 4:6. *amorem Dei in illa effundit* Rom. 5:5. *legem Dei in illis ſcribit*. Hebr. 8:10. *regenerat* Joh. 3:5. *ſanctificat* 1 Cor. 6:11. odium Dei exſtinguit, amorem mundi & Satanæ abolet, facitque ut corpora noſtra non ſint fana Satanæ, ſed *templa & domus Dei vivi*.

Quomodo Deus inimicitiam ponat inter Diabolum & electos.

§. 25. Sed & hoc perpendendum eſt paucis. Dicit Deus ſe poſiturum hanc inimicitiam inter ſemen Serpentis & *Semen Mulieris*. Cùm in hoc ſemine ſit Chriſtus, ut ante evictum, quæritur, quomodo hoc in Chriſtum quadret? Ille ſanè eſt ſanctus Iſraëlis, ab omnibus peccatoribus ſeparatus, & nunquam fuit amicus Diaboli, & in amicitia Satanæ; quomodo ergo inimicitia inter illum & ſerpentem ponitur? Atqui, quis non videt diverſiſſima hìc de ſemine eſſe prædicata, & κτ̀ μέρ@ ſive congruam partem ſeminis illa eſſe applicanda? Semen, *quod ſanctificat*, ponit inimicitiam; quod *ſanctificatur*, inter illud & Serpentem ponitur inimicitia. Quatenus autem ſuper *hominem Jeſum quievit Spiritus agnitionis & timoris Domini* Eſ. 11:2. & ille profecit σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι Luc. 2:52. etiam *homo Ieſus* poteſt dici ſanctificatus ad perpetuam cum Satana & peccato *inimicitiam*.

Quomodo inimicitiæ poſitio de Chriſto prædicetur.

§. 26. Denique pauca hæc verba, *Ponam inimicitiam*, multiplici abundant doctrinâ ad inſtitutionem & οἰκοδομήν. Docent enim 1: nativam hominis corruptionem, quâ à Deo alienatus, & Diabolo addictus eſt. Inter quos enim ponitur inimicitia, inter illos magnam oportuit interceſſiſſe familiaritatem & amicitiam. 2: Hominis ad ſe convertendum & ſanctificandum impotentiam. Deum enim ponere inimicitiam oportet. Ille ἐνεργεῖ ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν *operatur in nobis & velle & perficere*. Phil. 2:13. noſque non ſumus à nobis idonei λογίσασθαί τι *cogitare aliquid, ut ex nobis ipſis*, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ 2 Cor. 3.5. 3: Dei convertentis & ſanctificantis potentem efficaciam. *Ponit inimicitiam*. Illo ponente amicitia deſinit, inimicitia incipit. Quod Deus *vocat, trahit, dat, id audit, venit, non perit*. Ita Deus, qui eſt *pax noſtra* Eph. 2:14. qui eſt *Deus dilectionis & pacis* 2 Cor. 13:11. qui *in pace nos vocavit* 1 Cor. 7:15. qui *pacem nobis relinquit, & pacem ſuam dedit* Joh. 14:27. ponit inimicitiam; eſtque ita idem Deus *pacis Auctor & inimicitiæ*. Pacem fecit nobis cum lege ſua ab ira & condemnatione: pacem dedit Iſraëli cum gentibus: pacem fraternam vult βραβεύειν in cordibus noſtris. Ad inimicitiam autem nos ſanctificat cum Satanâ, peccato, tenebris, ut ita *erepti è manu hoſtium noſtrorum, ſerviamus ipſi in ſanctitate & juſtitia ſine metu*. Luc. 1:74.75. & *pax Dei*, quæ *omnem cogitationem ſuperat, corda noſtra & intellectum noſtrum cuſtodiat in Chriſto Ieſu*. Phil. 4:7.

Poſitio inimicitiæ quas veritates & doctrinas complectatur.

§. 27. Secundum eſt contritio capitis Serpentis, quæ non mulieri, ſed ſemini attribuitur. *Illud* ſemen *conteret tibi caput*. Vulgata interpretatio habet *Illa*, intelligens mulierem, non Evam, ſed Mariam, quæ Dominum peperit. Ita jam Chriſtus Dominus *divideretur*, μεμέρισται ὁ χριςός 1 Cor. 1:13. neque ſolus erit Satanæ victor, & illa, quæ fatetur τὴν ταπείνωσιν *humilitatem ſuam*, Deumque appellat *Servatorem ſuum* Luc. 1:47.48. quæ ſine peccato non fuit, cujus intempeſtivam garrulitatem Dominus ſeverius reprehendit Joh. 2:4. quæ eminus ſtetit à cruce, non verò affixa eſt cruci, nec maledictio facta eſt pro nobis, Satanæ victrix erit. Sed propius ad rem.

Contritio capitis Serpentis. Ejus auctor non Maria.

§. 28. *Caput* eſt pars principalis corporis, præcipua vitæ facultatumque ſedes. Venenum ſerpentum in capite ſervari traditur, unde naturali inſtinctu caput curant ante omnia, totumque corpus ictibus exponunt percutientium, ut caput maneat illæſum & integrum.

Caput Serpentis quid.

Caput

Caput in ſacris notat imperium, robur & potentiam, Deut. 28: 13. *Et dabit te Dominus in caput, & non in caudam, & eris ſuperius, & non eris inferius. Caput* ergo Serpentis notat τὸ κράτος, imperium & robur ac vires Satanæ; *Contritio* autem capitis notat abolitionem, exſtinctionem, deſtructionem totalem & plenariam omnis illius potentiæ. Capite enim contrito de vita & viribus actum eſt penitus.

Quomodo à Chriſto contritum.

§. 29. Omne κράτος & imperium, quod Satanas habet in mulierem & Semen ejus, à peccato, lapſu & ſeductione eſt. Ante lapſum nihil habebat in hominem; ſed poſtquam homo in obſequium ejus ſe dedidit, imperio & poteſtati illius ſubjectus eſt, ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται *à quo quis victus eſt, ei in ſervitutem addictus eſt* 2 Pet. 2: 19. ipſa lege ita judicante, quæ propterea dicitur *lex peccati & mortis* Rom. 8: 2. *& peccati potentia* 1 Cor. 15: 56. Et *captivitas*, qua miſerum hominem, peccatorem, Satan captivum tenet, vocatur שְׁבִי צַדִּיק *captivitas juſti* Eſ. 49: 24. Injuſtus ſeductor, ſeductos juſte captivitat. Hoc autem κράτος *imperium* Satanæ eſt τὸ κράτος τοῦ θανάτου *imperium* mortis, maledictionis, peccati & reatus, & efficacia ſeductionis. Omne hoc imperium Chriſtus ipſi aufert, ita ut nec ſeducere electos, nec prævalere illis, nec in morte tenere, nec maledictioni & iræ ſubjicere poſſit. *Factus* enim eſt *illis* Chriſtus, contritor capitis, *à Deo ſapientia*, quæ ab omni errore & ignorantia, *juſtitia*, quæ ab omni accuſatione & condemnatione, *ſanctificatio*, quæ ab omni impuritate, peccati dominio & ſeductione, *redemptio*, quæ ab omni captivitate, etiam à morte & pulvere vindicat & liberet, 1 Cor. 1: 30.

§. 30. Hæc contritio capitis Serpentis illuſtribus ſententiis in Scriptura deſcribitur. *Ad hoc manifeſtatus eſt filius Dei, ut ſolvat opera Diaboli* 1 Joh. 3: 8. *Abolevit illum, qui poteſtatem habebat mortis, id eſt, Diabolum* Hebr. 2: 14. *Captivam egit captivitatem* Epheſ. 4: 8. *Princeps hujus mundi judicatus eſt* Joh. 16: 11. *Satanas, ut fulgur, cecidit è cœlo* Luc. 10: 18. *Et ejectus eſt draco magnus, ſerpens antiquus, dejectus eſt in terram* Apoc. 12: 9. *Princeps hujus mundi ejicitur foras* Joh. 12: 31.

§. 31. Ita contrito Serpentis capite, ut Satanas nihil habet in Chriſtum Joh. 14: 30. ita nihil habet in electos & fideles, membra Chriſti; *Malignus non tangit ipſos* 1 Joh. 5: 18. *Ubi, mors, aculeus tuus, ubi, inferne, victoria tua?* 1 Cor. 15: 55. *Nunc facta eſt ſalus & potentia & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ipſius: quia proſtratus eſt accuſator fratrum noſtrorum* Apoc. 12: 10.

§. 32. Cum hac contritione capitis Serpentis intelligitur ſubactio ſeminis Serpentis. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Pſalm. 110: 1. neque enim Serpentis caput eſſet contritum, ſi ſemen ejus efferret caput, & regnaret in perpetuum.

Contritio calcanei ſeminis mulieris, paſſiones Chriſti.

§. 33. Tertium eſt contritio calcanei ſeminis mulieris; *Tu autem illi conteres calcem.* Conteritur quidem Serpentis caput, ſed non ſine opere & labore, non ſine dolore & tormento conterentis. Ad hanc contritionem calcanei referenda ſunt omnia dura, quæ Chriſtus, agnus Dei, tulit, ejus κένωσις *exinanitio*, paupertas, fuga, perſecutiones, convicia & opprobria, vincula, accuſatio, plagæ, vibices, conſputio, angor animæ, triſtitia & lucta cum ſudore ſanguineo, denique mors contumelioſa, nimirum mors crucis. Hæc *debuit pati* Chriſtus Luc. 24: 26. id flagitante juſtitia Dei vindicatrice, qui peccata noſtra ipſi impoſuit, & lege Dei, & æterna ſponſione Chriſti. Illius autem, *quem* Judæi *definito conſilio & præcognitione Dei traditum accipientes, per manus improborum cruci adfigentes occiderunt* Act. 2: 33. illius inquam con-

contritio Serpenti antiquo imputatur; quia ſcilicet Judæi miniſtrarunt Satanæ, qui Judaïca gente uſus eſt ut organo ad conterendum juſtum Dei ſervum, quemadmodum Serpente uſus erat ut inſtrumento ad ſeducendum primum par hominum. Miſeri igitur Judæi, quamvis exſcindendo Jeſum è terra viventium putarint ſe opus Dei facere, fecerunt opus Diaboli. Interfectio enim Chriſti opus eſt Serpentis; *Tu illi conteres calcaneum.* Pariter quod neceſſum erat ut fieret, ſi peccatum expiari debebat, quale eſt paſſio, mors, fuſio ſanguinis, Diabolo attribuitur, quia ille Auctor peccati eſt.

Quæ ad breve tempus duraturæ.

§. 34. Non obſcure autem innuitur, omnes has paſſiones & mortem ad breve tempus מְעַט Pſalm. 8: 6. βραχύ τι Hebr. 2: 7. duraturas; & Semen mulieris à contritione reſurrecturum; quia Serpens ipſi non calces, ſed *calcem, calcaneum* tantum conterit. Calce unâ contritâ facilior eſt reſurrectio. *Non debuit anima Jeſu relinqui in inferno, nec Sanctus Dei videre corruptionem* Pſalm. 16: 10. & *ille, quum parum eſſet minoratus, gloria & honore coronari* Pſalm. 8: 6. debuit. Ita ſpe illuſi ſunt inimici ipſius, cogitantes id quod eſt Pſalm. 41: 9. *ubi jacuerit*, proſtratus fuerit, *non addet ſurgere.*

Et in natura humana perferendæ.

§. 35. Quod autem calcanei mentio fit, non vero alterius partis corporis, id non caret ratione. Ita continuatur parabola Serpentis, qui ſub herbâ latens calcem plantamque pedis ferire & pungere ſolet. Ita oratio ſibi ſcitè reſpondet. Caput ſerpentis dicitur conteri: jam vero caput non manibus, nec genubus, ſed pedibus conteri ſolet. Si autem is, cujus caput læſum & contritum eſt, iterum lædere conterentem debuit, nulla ſane illius pars læſioni fuit propior, quam qua læſit & contrivit; calce contrivit, ergo & quoad calcem conteritur. Denique ita indicatur, non id quod ſummum eſt in Chriſto, paſſurum & lapſurum, ſed id quod inferius eſt, calcem nimirum, id eſt, carnem ſeu humanam ejus naturam.

Electi paſſionum Chriſti participes.

§. 36. Ut autem de Victoria Chriſti mulier & ſemen ejus participant, ita & de clade ac paſſione Chriſti. *mortui ſunt cum Chriſto* 2 Tim. 2: 11. *illo uno enim pro omnibus mortuo omnes mortui ſunt* 2 Cor. 5: 15. Rom. 6: 8. *crucifixi ſunt cum illo*, & σύμφυτοι γεγόνασι τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ Rom. 6: 5. 7. imo *adimplent* τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ *reliquias afflictionum Chriſti in carne ſua.* Col. 1: 24.

§. 37. Hic ſenſus, hoc argumentum eſt promiſſionis primæ, in qua vidimus ſerpenti denunciari pœnam; mulieri autem & ſemini ejus ſalutem & gratiam: quod enim ſeductori in malum, id ſeductis vertitur in bonum.

Verbum ad Mulierem.

§. 38. Finito ad Serpentem ſeductorem, ſermone, convertit Deus Sermonem ad ſeductos: primo ad mulierem; quæ prior lapſa eſt; deinde ad virum, qui peccantis imitator exſtitit fœminæ & comes. Et ad mulierem dixit. *Multiplicabo dolorem tuum & conceptionem tuam; in dolore paries liberos; & ad virum tuum erit appetitus tuus, & is dominabitur in te* verſ. 16. Finis conjugii, qui eſt *fructificate & multiplicamini* Geneſ. 1: 28. non mutatur. Mulieri autem dolor in partu & conceptione, qui ſæpe eo procedit, ut vitam illa amittat & motum, imponitur; quæ, niſi peccaſſet, dolorem & incommodum, nec in conceptione, nec in partu, haut expertura fuiſſet. Deinde Mulieri injungitur *appetitus ad Virum.* miſeræ fœminæ in viro omne ſolatium, robur & refugium ponunt, ſe ipſas nec defendere, nec tueri, nec propagare genus nomenque ſuum valentes. Id teſtantur tempora, quibus *ſeptem mulieres unum apprehenderunt virum, petentes, de nomine ipſius tantum appellari, & ut ignominia aufferretur ab illis*; Eſ. 4: 1. & *dominium viri in illam*, conjunctum cum rigore & ſeveritate quadam, quam mulier æquo animo ferre teneatur, hactenus pronunciata in mulierem.

Verbum ad Adamum.

§. 39. Ad Adamum autem dixit Deus: *Maledicta ſit terra propter te. Sentes & tribulos germinabit tibi.* verſ. 17. non homo, ſed terra propter hominem maledicitur, ita ut vanitati ſubjiciatur, & peccato cogatur inſervire, & in illo ſtatu, qui eſt δουλεία τῆς φθορᾶς *ſervitus corruptionis*, συστενάζειν καὶ συνωδίνειν *una gemere & doloribus inſtar puerperæ cruciari.* Rom. 8: 21. 22. Multas etiam homini excitat moleſtias. ſæpe ſpem ejus illudit; ſæpe laborem fruſtratur; ſæpe bonum ſemen deglutit & abſorbet, & tribulos ac zizania germinat, quum deberet τίκτειν βοτάνην εὔθετον ἐκείνοις δι' οὓς καὶ γεωργεῖται Heb. 6: 7. *In dolore comedes illam omnibus diebus vitæ tuæ.* vita hæc animalis illius indiget nutrimentis, habebis illa, ſed in dolore. *In ſudore vultus tui comedes panem.* Sudor vultus notat non tantum laborem & motum, etiam vehementem, qui corpore fit, & qui ſudorem expellit, ſed omnem ſollicitudinem hujus vitæ, animi angores, curas, triſtitias, quas quærentes & comedentes panem, & accipientes victum ſentimus cottidie. Non tamen hoc durabit in æternum, ſed *uſque dum revertaris in terram* id eſt moriaris, & per mortem diſſolvaris. Mors corporis finem imponit omni dolori & ſudori vitæ; mortui ut pane non indigent, ita nec amplius ob panem deſudant: videmus omnem hanc miſeriam ad dies hujus vitæ tantum adſtrictam eſſe. *nam ex illa ſumtus es. nam pulvis es.* origo tui corporis *pulvis* eſt. poſtquam peccaſti, & ſanctificatione ac rectitudine te ſpoliaſti, φρόνημα mentis tuæ *pulvis* eſt; terram, terrena, caduca, à Spiritu Dei aliena ſpirans & deſiderans. *& in pulverem redibis.* in qua cubabit ſecurè caro tua, uſque in diem, quo terra reddet mortuos ſuos, & Semen mulieris promiſſum, quod *poſtremum ſuper pulverem ſtabit*, ut victor pulveris & mortis, Job. 19: 15. veniet reſuſcitaturum mortuos.

Quæ in mulierem & Adamum à Deo pronuntiata, non ſunt pœna peccati.

§. 40. Hæc quæ in Adamum & Evam dicta ſunt, non ſunt accipienda ut pœna peccati, ad quod delapſi ſunt. Peccatum enim longe aliam, id eſt, graviorem & diriorem pœnam poſtulat; nimirum æternam mortem, iram, maledictionem, tum animæ tum corporis. Ab hac pœna liberavit illos fides in Mediatorem, propoſitum & notificatum in promiſſione prima, & ejuſdem ſponſio æterna. Omnia, quæ poſt lapſum imponuntur primis parentibus, levia ſunt, corpus tangunt præcipue; & cum vita hac deſinunt: ſunt illa quidem pœnæ, quam peccatum meretur, initia; non enim eſſent, ſi peccatum in mundum non introiviſſet: imò ſunt in reprobis & rejectis pars pœnæ, quæ à parvis initiis ad maxima adſurgis tormina. At in electis & fidelibus per gratiam divinam non obtinent locum pœnæ, ſed παιδείας *caſtigationis*, & δοκιμασίας explorationis, qua cœleſtis Pater ſuos caſtigat ἐπὶ τὸ συμφέρον, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ. Hebr. 12:10. à peccato retrahit, & à mundo ſeparat, *ne cum mundo condemnentur* 1 Cor. 11. 32. ac denique ἀναμνήσεως *commemorationis* ac quaſi ὀνειδισμοῦ τοῦ παραπτώματος *exprobrationis lapſus*, quo οἱ πολλοὶ ἀπέθανον *multi mortui ſunt.* Rom. 5: 15.

§. 41. Sed redeamus ad *Verbum* ἐπαγγελίας. *Deorum omnia eſſe plena*, dictum erat Thaletis. *Verbum* hoc *promiſſionis* plenum eſt divinæ tum ſapientiæ, tum cognitionis; quo intentius illud ſcrutamur, eo certiores reddimur, myſteria ejus nulla ingenii vi exhauriri poſſe: itaque non pigebit planam & plenam, quantum poſſumus, illius proponere paraphraſin.

Paraphraſis verbi promiſſionis.

„ Quandoquidem tu, ô Serpens infernalis, blandis mulierem ſeduxiſti verbis, & in obſequium tuum coëgiſti, & illam atque totam illius poſteritatem ream feciſti peccati, iræ, & mortis, unde ſe extricare non poſſunt, Ego Deus gratioſus & miſericors ſuccurram mulieri & ſemini ejus, ponendo inimicitiam inter vos, mulierem & ſemen ejus odio erga te, „ & ſancto ſtudio ac amore erga me implendo, ut ita è caſtris inferni tranſeant in caſtra cœli,

&ab-

& abjectâ ſervitute tenebrarum ſuave lucis jugum tollant. Non id quidem fiet omni mulieris ſemini, nam & tu habebis ſemen, quod quoad carnem è muliere eſt; tamen ſemini illius hæc conferetur gratia. Quia autem tu elato incedis capite, & te effers jure victoris, & legem, quæ peccati eſt potentia, tibi habes patrocinantem; Ego excitabo Heroëm, Vindicem, Aſſertorem, qui & ipſe Semen mulieris, caro factus, caput tuum tibi conteret, & omne tuum jus abolebit, idque bono & vice mulieris & ſeminis ejus. Et ne tu te injuſte conqueri poſſis victum, ille calcaneum tibi dabit conterendum, anguſtias & mortem guſtabit, & ita ipſo jure Victor reſurget, victurus & liberaturus mulierem & ſemen ejus in perpetuum. Hæc certiſſime verbi hujus mens eſt. Ita in illo elucet *ineffabilis Dei gloria*; gloria nimirum *ſummi amoris*, quo *ita dilexit mundum* id eſt mulierem & ſemen ejus, *ut Filium ſuum daret unigenitum.* Joh. 3: 16. gloria *juſtitiæ immutabilis*, qua τοῦ ἰδίου υἱοῦ *proprii Filii non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Rom. 8: 32. gloria *potentiæ & ſufficientiæ incomparabilis*, qua ſolus potuit moliri & perficere opus omnium longe maximum, difficillimum, glorioſiſſimum, opus nimirum gratioſæ noſtræ redemtionis; quæ ita facta eſt, ut & peccatum noſtrum ſit punitum, & tamen remiſſum; ut mors guſtata, & nos à morte liberati; ut juſtitiæ ſatisfactum, & miſericordiæ pleniſſimum fuerit exercitium; ut Deus ſimul fuerit Judex; ſimul Sponſor & Sacerdos; ſimul exigens debiti ſolutionem; ſimul debitum ſolvens, ſimul ſolutionem accipiens & approbans. *Hoc omne à Domino eſt factum, & mirabile eſt in oculis noſtris.* Pſalm. 118. Ex hoc verbo apparet unica liberationis, juſtificationis & ſanctificationis ratio; non per propriam ἱκανότητα, non per noſtra merita, non per opus operatum; ſed per abolitionem Satanæ; (quæ facta morte Filii Dei,) per communionem & unionem cum illo; per poſitionem inimicitiæ, quæ fit manu omnipotentis Dei, ad odium Diaboli & ſanctum obſequium fidei, veritatis, juſtitiæ.

Ex qua ineffabilis Dei elucet gloria.

§. 42. Prolatâ & nunciatâ hac promiſſione, debuere omnino primi parentes fidem illi habere, & ſancta cum reverentia illi aſtipulari; atque ita amicitiæ renunciare Diaboli, opera tenebrarum deponere, viam ſalutis, quam in hoc verbo Deus oſtenderat, ingredi; in ſemine Servatore ſalutem quærere & liberationem; ſponſione ejus & morte exantlanda ſe ſolari: uno verbo, agnitâ injuſtitiâ ſuâ in ſalutare Dei cum fiducia recumbere. Ita quidem debebant; non tamen ex ſe ipſis poterant. Amiſsâ per peccatum integritate, non erant *aliquid cogitare ut ex ſe ipſis apti* 2 Cor. 3: 5; *Animalis homo non recipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei* 1 Cor. 2: 14. *Ut caro & ſanguis non poteſt* myſteria divina *revelare* Matth. 16: 17. ita nec intelligere, nec amare. *Fides, qua corda purificantur* Act. 15: 9. *non eſt ex nobis. Dei autem donum eſt* Epheſ. 2: 8. Neceſſum ergo erat, ut Deus, qui verbum hoc in medio illorum pronuntiaverat, *in corda illorum id inſcriberet* Hebr. 8: 10. ut fide illos donaret, ut, quod promiſerat de inimicitia ponenda, id eſt, de illis ſanctificandis, impleret, & faceret illos κρατεῖν τῆς ὁμολογίας Heb. 4: 14. atque ita faceret, ut vellent & poſſent id quod debebant, & faceret illos facere, quod ex ſe ipſis non poterant facere. Non legitur quidem, Deum oretenus illos monuiſſe, ut verbo promiſſionis auſcultarent, quemadmodum præcepit ſæpius Iſraëlitis, dicendo; *auſcultate voci meæ, & ambulate in omni via, quam præcipiam vobis* Jerem. 7: 23. adeo ut ſcriptura tacente, nec nobis divinare liceat; attamen certum eſt, internam ſanctificationem Spiritus ad obedientiam verbi veritatis & juſtitiæ haut illis defuiſſe, & illa illis ſufficere poterat ad acceptandum promiſſionis verbum. Accedit miſeriæ ſenſus, quem excitat Spiritus in illis, quos ſanctificat, qui primus converſionis gradus eſt. Ut autem qui

Primi parentes verbo promiſſionis tenebantur credere.

Quod tamen ex ſe ipſis non valebant, ſed dono Dei.

» fluctibus agitatus, obviam trabem celeri prehensat manu; & qui siti est confectus, fluen-
» tes aquas avida haurit bucca; quidni miser & lenta quasi morte enectus, omni ope
» destitutus, verbum, in quo liberatio à miseria, & via indicatur ad salutem, promis-
» sum amplectatur plenè? *quomodo effugiet, qui tantam salutem neglexerit?* Hebr. 2: 3.
» Quid quod ipsa conscientia, quæ est illa animi judex, qua verum & falsum, bonum &
» malum, virtutem & vitium dignoscimus, laudamus aut vituperamus; quæ quidem in
» homine lapso valde est obscurata, non tamen penitus exstincta, dictat, id quod Deus
» loquitur, esse verum & bonum; quod promittit esse certum, quod præcipit, esse justum, adeoque omni modo approbandum & acceptandum. *Leo rugit; quis non timebit? Dominus Deus loquitur, quis non prophetabit?* quis non credere tenebitur? Amos 3: 8. Ergo ne dubitemus, primos parentes miseriæ sensu tactos, à conscientiæ dictamine informatos, à Deo autem, quod omnium maximum est & unice necessarium, interna luce sanctificatos, admonitionum satis habuisse ad credendum cum fiducia verbo in Paradiso ipsissima Dei voce nunciato & ad solatium lapsorum revelato.

Adam & Eva crediderunt promissioni.

§. 43. Quod autem Adam & Eva fidem huic promissioni habuerint illico, & ex illa spem vitæ ac salutis conceperint, evidenter ex sacra historia patet. Vocavit Adam, auditâ promissione, uxorem suam חַוָּה *Evam*, quam ante, cum ad ipsum adduceretur, אִשָּׁה *ἀνδρίδα*, vertente Symmacho, *Αὕτη κληθήσεται ἀνδρίς*, *Viraginem*, ut vertit Hieronymus, appellaverat Genes. 2: 23. jam vocari vult חַוָּה *vivam*, *viventem*, atque ita à *vita* nomen habere. Quare autem? *Postquam per unius peccatum, mors intravit in mundum* Rom. 5: 12. Eva à vita excidit, & in mortem tum temporalem, tum æternam delapsa est. Vita animalis, quæ illi mansit, vix *Vita* nominari meretur, estque potius umbra vitæ, quam Vita dicenda; caduca est, ad finem labitur, somno, quæ gelidæ mortis imago, sustentatur, in mortem terminatur, estque adeò mixtura vitæ & mortis. Putabimusne ab umbratili hac vita Mulierem חַוָּה nominatam, mulierem, inquam, moribundam, & citò morituram? quid igitur? Promissio spem faciens certam de positione inimicitiæ, de contritione capitis Serpentis, indicat, mulierem à morte lapsuum resuscitandam, & sanctificandam, *ut in novitate vitæ ambulet* Rom. 6: 4. Hæc vita est verè vita; Vita, quæ semper crescit; Vita, quæ à morte liberat; Vita, quæ ad vitam ducit; Vita, quæ in æterna vita consummatè erit. Ab hac Vita, cujus hæredem factam Mulierem, per Dei gratiam, promissio declarat, Adam illam חַוָּה denominavit. Et non tantùm hæc est nominis hujus ratio, sed insuper additur כִּי הִוא הָיְתָה אֵם כָּל־חָי *quia illa facta est mater omnis viventis* Genes. 3: 20. Quia Mulier facta est *omnis Viventis mater*, ideò חַוָּה *Eva* nominabitur. Sane promissio facta est non tantùm mulieri; sed & *semini illius*. Ergo & *semini mulieris*, illi nempe semini, quod à semine Serpentis discretum est, Vita hæc spiritualis in Testamento Dei æterno, cujus notificatio est in Promissione, legata & disposita est: inde est, quod vocatur כָּל־חָי *omne vivens*. Hujus autem seminis viventis *mater* facta est Eva, nimirum propter promissionem, quæ Evæ ζωὴ *dicta est*, & propter typum benedictionis; quod nempe Eva prima est, quæ vitæ spiritualis è gratia facta est particeps. Eodem igitur modo dicta est *Mater viventis*, ut Abraham deinde dictus est *Pater multitudinis gentium*.

Mulier quare post apertionem testamenti gratiæ vocata sit חַוָּה

Mater omnis viventis quare.

Sed & id animadvertendum: non dicitur simpliciter mater *viventis*, sed *omnis* viventis. In semine Mulieri promisso est, ut superius demonstratum est, is, qui vivificat, qui vitam dat, *qui vitam habet in se* Joh. 5: 26. qui est גֹּאֲלִי חָי *redemtor vivus* Job. 19: 23. *ἐγώ sum ὁ ζῶν* Apoc. 1: 18. Sunt & in illo, qui vitam accipiunt, qui vi-

vifi-

vificantur. *Omnis* hujus ſeminis, tum vivificantis, tum vivificati, *mater facta eſt Chava.* Sunt enim *omnes ex uno* Hebr. 2: 11. & is, qui conterit caput Serpentis, eſt etiam *ſemen mulieris.* Ex hiſce autem apparet, Adamum de vita ſpirituali, quam certo ſequitur vita glorioſa in cœlis, tum Evæ, tum ſeminis illius minime dubitaſſe. Num autem de ſe dubitavit? abſit. Non quidem vocatur *Pater omnis viventis*, quia non ipſi, ſed mulieri & ſemini ejus dicta eſt promiſſio: tamen ad *omne illud vivens*, cujus matrem Evam eſſe factam teſtatus eſt, & ille certe pertinet. Igitur & Eva, quæ omnis viventis mater facta eſt per promiſſionem, ipſius etiam Adami mater facta eſſe cenſenda eſt. Si enim Adam *ad omne illud vivens* pertinet, ut certè pertinet, quia alias de vita & ſalute ipſius parva foret ſpes, & exigua indicia, & Eva *omnis* hujus *viventis* mater facta eſt, ſequitur irrefragabiliter, illam & Adami matrem factam eſſe. Ita ille, qui caput erat & Dominus uxoris, quoad οἰκονομίαν terreſtrem, filius illius, & illa mater ipſius facta eſt per diſpenſationem cœleſtem. Felicem tamen Adamum deprædicemus, qui eo ipſo vitæ ſecundùm gratiam factus eſt compos.

§. 44. Coronidis loco duo adhuc annotemus. Primum eſt Gen. 3: 22. *Et dixit Dominus Deus: Ecce Adam factus eſt ut unus è nobis, ad ſciendum bonum & malum. Et nunc mittet manum ſuam, & ſumet etiam de arbore vitæ, & vivet* לְעֹלָם *in ſeculum.* Ironica eſt hæc oratio & μιμητικὴ; illudit & deridet Deus (confer Pſ. 2: 4.) hominis ineptam ſtultitiam, qui invito Deo voluit fieri ut Deus. *Factus eſt ut unus è nobis*, intentione nimirum ſua & pravo propoſito, *ut unus è nobis*, tres enim *ſunt, qui teſtantur.* 1 Joh. 5: 7. Jam tum myſterium Trinitatis innotuit, ſine illius fide promiſſio non potuit acceptari. Sed quod diximus, Deum hominem quaſi *deridere & ſubſannare*, id non ſatis convenire videtur cum promiſſione gratioſa, qua Deus gratiam, favorem, & beneficia illi obtulit; amico non facile illudimus. Atqui, quid mirum, ſi illi, qui è mera miſeratione in amicitiam receptus eſt, priſtina ſtultitia objicitur; hoc amicitiam non tollit. Ita Deus ſæpè etiam egit cum Iſraële, Dei populo; talis ſtultitiæ anteactæ commemoratio facit cautos & providos, ne ſimili lapſu titubent & errent. Secundum eſt Gen. 3: 23. *Et ejecit Dominus illum ex horto Eden, ad colendum terram.* Quamvis hoc rigoris videatur eſſe cujusdam, ineſt tamen in eo beneficium; præſervatio nimirum labilis hominis à majori & graviori peccato, quale futurum fuiſſet, ſi homo, ulterius forſan à Satana & carne tentatus, ſumeret invito Deo de vitæ arbore, erroneè ſibi perſuadens, ſe invito Deo victurum in Seculum. Ineſt etiam in eo doctrina, hominem deinceps vitam ex operibus propriis habere non poſſe, utpote qui à Sacramento (id erat arbor vitæ) juſtitiæ & vitæ per obedientiam propriam obtinendæ procul removetur. Quod autem *ad colendum terram* emittitur, id conveniens erat verbo, *in ſudore vultus tui comedes panem.*

CAPUT TERTIUM.

Fideles omnes ante Chriſti apparitionem in carne per fidem promiſſionis ſalvati §. 1. ob extantem reatum potuit ſubintrare lex §. 3. quæ poſt Chriſtum manere non poteſt §. 4. quare promiſſioni ſit addita §. 5. quomodo ponat ſub maledictione §. 6. 15. objectiones tres diluuntur §. 15.

Fideles omnes ante adventum Chriſti per fidem primæ promiſſionis ſalvati ſunt.

§. 1. ANtequam autem progrediamur ulterius, in ipſo hoc limine de rebus quibusdam ſcitu neceſſariis monebimus.

§. 2. Igitur ſciendum, omnes fideles anteriorum temporum, inde ab Adamo & Eva uſque ad natum *Mulieris Semen*, fide ἐπαγγελίας *promiſſionis* in Paradiſo promulgatæ, & vi ac fide *æternæ oblationis* Jeſu Chriſti, Seminis promiſſi, ac *præagnitionis* ejuſdem *ut agni immaculati, ante jacta mundi fundamenta* Hebr. 9: 14. 1 Pet. 1: 20. ſalvatos eſſe, hoc eſt, à ſervitute peccati, & morte æterna ac maledictione liberatos, & per Spiritum Sanctum, *fide corda purgantem* Act. 15: 9. ſanctificatos, & fructibus juſtitiæ impletos, ac poſt mortem gloriæ cœleſtis & vitæ æternæ participes factos eſſe. Secus ſi eſſet, non vetaret in illis promiſſio, inimicitiam cum Serpente, & contritionem capitis Serpentis prænuncians. Sunt autem ea de re clariſſima Scripturæ loca. Act. 15: 10. 11. dicuntur *Patres ſalvati per gratiam Jeſu Chriſti.* Hebr. 2: 10. *multi filii in gloriam introducti*, unde *decuit Deum, Principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare.* Hebr. 11: 16. dicit Apoſtolus, *Non erubuit Deus*, Θεὸς ἐπικαλεῖσθαι αὐτῶν *Deus illorum vocari.* Deus autem eſt *Deus vivorum* Matth. 22: 32. *paravit enim illis civitatem*; ibid. quam & *quæſiverunt, & exſpectarunt* Hebr. 11: 10. 14. & ſine dubio ingreſſi ſunt; alias fruſtra Deus illam illis paraviſſet. Hinc eſt, quod Spiritus, id eſt, animæ illorum dicuntur *Spiritus juſtorum conſummatorum.* Hebr. 12: 23. Corpora illorum *viderunt* διαφθορὰν *corruptionem.* Actor. 2: 31. Animæ autem ſunt *conſummatæ*, hoc eſt, vivunt omni beatitudine impletæ in cælis.

Potuit tamen ſubintrare lex.

§. 3. Deinde nec id ignorandum; quamvis fidelibus omnibus certa fuerit ſpes & hæreditas vitæ & ſalutis, tamen, quamdiu Semen mulieris *Puer natus* nondum fuit, & *Princeps ſalutis per paſſiones nondum conſummatus, atque calces ſuas*, juxta promiſſionem, necdum dederat *conterendas*, potuit ad promiſſionem *addi & ſubintrare* ὁ νόμος *lex.* de qua Apoſtolus Rom. 5: 20. Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, & Galat. 3: 19. νόμος προσετέθη. *Lex* inquam, non tam illa, quæ appellatur *moralis* ſive morum, quæ fuit ante promiſſionem, & omnibus ab initio hominibus ſcripta eſt in corde, & ſub Euangelio eſt *lex perfecta libertatis* Jacob. 1: 25. niſi quod illa, quamdiu παράβασις *trangreſſio* Rom. 4: 15. ἁμαρτία *peccatum in mundo erat* Rom. 5: 13. propoſita cum clauſulis ſuis, *maledictus qui non manet* &c, fidelibus aliquo modo terribilior viſa eſt; ſed præcipue illa, quæ jubet *dona & victimas offerre, & ſanguinem* fundere *taurorum & hircorum*, & præcipit de βρώμασι καὶ πόμασι, καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς, καὶ δικαιώμασι σαρκὸς Hebr. 9: 9. 10. 10: 1. 4. hoc eſt, injungit differentias dierum, & diſcrimina ciborum, & lotiones multas legales. Qualis *lex* vocatur *lex præceptorum in placitis* Eph. 2: 15. quia præcepta illius legis ſunt δόγματα *placita*, quæ facere nulla alia ratio cogit quam voluntas & placitum Dei. Item *Lex præcepti carnalis* Heb. 7: 16. quia præcipit oblationes carnium (confer Jerem. 11: 15.

Etiam

Etiam carnes ſanctæ à te tranſibunt) & lotiones carnales, quæ *non ſanctificant niſi ad carnis puritatem* Hebr. 9: 13. Hujus legis diligenter inculcat Apoſtolus τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *infirmitatem & inutilitatem* Hebr. 7: 18. ad juſtificandum & conſummandum aut vivificandum. οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος *nil enim conſummavit lex* Hebr. 7: 19. *non data eſt lex, quæ poſſet vivificare* Galat. 3: 21. aut *accedentes* τελειῶσαι *conſummare* Hebr. 10: 1. Sine dubio imitatus Ezechielem, qui docet Deum Iſraëli inobedienti, transgreſſori *dediſſe* חֻקִּים לֹא טוֹבִים *ſtatuta non bona, & judicia, in quibus vivere non poterant* לֹא יִחְיוּ בָּהֶם: quæ probe diſtinguit à ſtatutis illis & judiciis, pariter Iſraëli datis, *quæ qui facit homo, vivet in illis* Ezech. 20: 11. 25. Hæc lex dicitur *iram operari* Rom. 4: 15. id eſt, jubere agere id, quod rigoris eſt & ſeveritatis cujuſdam. Illa exſtante dicitur *peccatum imputari*, id eſt, commemorari, exprobrari Rom. 5: 13. *lapſus abundare* Rom. 5: 20. in illius δόγμασι *placitis eſt* χειρόγραφον ὑπεναντίον *ſubcontrarium* illis, qui illa obſervant Col. 2: 14. adeo ut placita illa obſervare ſit Chirographum, quo te debitorem fatearis, ſcribere. Imo & ἀνάμνησις ἁμαρτίας *commemoratio peccati* Hebr. 10: 3. quod Athanaſius ſolebat dicere ὀνειδισμὸν τῆς παραβάσεως. Qui enim ſacrificia pro peccato offerre cogitur, quæ tamen peccatum auferre non poſſunt, (talis autem erat illa ἀνάμνησις, nim. commemoratio per προσφορὰς *oblationes* Hebr. 10: 18.) ille monetur, peccata ſua necdum expiata eſſe, ſed adhuc expianda meliori ſacrificio; & qui huic legi λατρεύουσι *inſerviunt*, dicuntur *adhuc habere* συνείδησιν ἁμαρτιῶν *conſcientiam peccatorum* Hebr. 10: 2. quæ nil aliud eſt, quam cognitio & conſcientiæ convictio, quod peccatum nondum expiatum ſit, ſed adhuc actuali ſolutione lytri indigeat. Denique qui ſunt *ex operibus hujus legis*, hoc eſt, qui opera hujus legis carnalis tenentur facere, ὑπὸ κατάραν εἰσὶ *ſub maledictione ſunt* Galat. 3: 10. de cujus loci ſenſu paulo poſt. Præterea hæc lex cum *jugo* comparatur, quod portatu difficile fuit Actor. 15: 10. confer. Eſ. 9: 3. *Jugum oneris ipſius confregiſti, ut die Midian*, quo Chriſtus etiam reſpicit Matth. 11: 29. 30. *Tollite jugum meum. Nam jugum meum eſt manſuetum, & onus meum facile.* Suum jugum priori *jugo*, humeris patrum impoſito, opponere videtur. Non autem dicitur ζυγὸς *jugum*, reſpectu illorum, qui imprudentes illius περὶ τὸ *obſervatione* juſtificari ſtudebant, atque putabant, ſe juſtos eſſe eo ipſo, quod ſanguinem fundebant hirci; ſed reſpectu *patrum* ipſorum, qui erroneam hanc non fovebant opinionem: ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, *quem neque patres noſtri potuerunt* βαστάσαι *ferre* Actor. 15: 10. Omnibus hæc lex fuit jugum, quibus illa data & impoſita eſt.

§. 4. Obſervandum porro, quod talis quidem lex ante natum Chriſtum potuit intrare & addi, ut & deinceps intravit, & *per Moſen data eſt* Joh. 1: 17. ſed quod poſt natum Chriſtum & crucifixum illius debuit ἀθέτησις *abrogatio* fieri Hebr. 7: 18. illaque ceſſare, & *tolli* ἐκ τοῦ μέσου *è medio* Col. 2: 14. Hinc dicitur Chriſtus *legis finis* Rom. 10: 4. *qui factus ſub legem, illos qui ſub illa erant, redemit.* Gal. 4: 4. 5. *Lex fuit pædagogus in Chriſtum*, non ultra. Gal. 3: 24. *addita uſque dum veniret Semen cui promiſſio facta eſt* Gal. 3: 19. *Per Chriſtum annunciatur peccatorum remiſſio, & ab omnibus, quibus non poteratis juſtificari in lege Moſis*, inquit Paulus Actor. 13: 38. 39. Igitur, qui poſtquam Chriſtus venit, *vult circumcidi*, aut *in lege juſtificari*, *illi Chriſtus nihil prodeſt*, *gratia excidit*, *à Chriſto abolitus eſt* Gal. 5: 2. 4. *Mactans bovem*, eſt ut *qui percutit virum, ſacrificans ovem*, ut qui *decervicat canem* &c. Eſ. 66: 3.

Quæ poſt Chriſtum abolet[ur].

§. 5. Addenda denique vera & ſufficiens ratio, cur πάλαι *olim* Hebr. 1: 1. talis lex, *in qua commemoratio erat peccati*, quæque erat inſtar *chirographi*, imponi & ſubintrare potuit.

Quare ante Chriſtum lex præceptorum imponi potuerit.

potuit. Nimirum omnibus Chriſti adventum & mortem præcedentibus temporibus manſit peccati reatus, & ſublatus non fuit: maledictio eatenus vigebat, ut *exigere peccatum* ſeu pœnam pro peccato actualem, jure poſſet, adeoque non prorſus ſuit abolita. Hæc pœna, à Chriſto Sponſore in conſummatione ſeculi exacta, poſtulavit, *ut ſe ſubmitteret* Eſ. 53: 7. hoc eſt, ad mortem uſque ſe humiliaret Phil. 2: 8. *Peccatum* adhuc *erat in mundo*, non tantum *uſque ad legem*, Rom. 5: 13. ſed etiam poſt legem, uſque dum legis finis exſtitit *erat in mundo*, quia actuali adhuc indigebat lytri ſolutione & expiatione ac expunctione. Ut peccatum dicitur *intraſſe in mundum* Rom. 5: 12. quum obtinuit vim dominandi in mundo; ita dicitur *eſſe in mundo*, quamdiu per actualem expiationem non aboletur, & omni jure ſuo exuitur. Abſit igitur luſus, qui nonnullos delectat: *Si peccatum*, inquiunt, *erat in mundo uſque ad legem, ubi erat? num in corporibus Patrum, quæ in pulverem redacta ſunt? num in animabus, quæ beatæ in cœlo erant? ubi igitur latitabat, ubi hærebat?* non enim hæc Pauli phraſis de inhæſione peccati in ſubjectis quibusdam, ut nec de peccati per ſcelera concumulatione, ſed de jure peccati, quo peccatum, tanquam *νόμῳ lege quadam* firmabatur Rom. 8: 2. accipienda eſt. Igitur peccatum erat in mundo, quia adhuc poſtulabat expiationem & obliterationem ſui per כֹּפֶר *lytrum actuale*: erat in mundo, quatenus adhuc vim obtinebat tradendi in necem, tempore ſtatuto, illum, qui *peccata noſtra tulit in corpore ſuo* 1 Pet. 2: 24. Ita judicavit Deus, qui *miſſo Filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato, peccatum in carne illius condemnavit* Rom. 8: 3. Ita judicarunt Angeli, *in* quorum *διαταγὰς diſpoſitiones, lex, χειρόγραφον, accepta eſt* Actor. 7: 53. Ita judicarunt fideles ipſi, præcipue illi, qui *chirographo in placitis, illis ſubcontrario* Col. 2: 14. defungi, & *ζυγὸν jugum portare* Actor. 15: 10. juſſi ſunt, inter quos etiam Moſes ſubiit *τὴν διακονίαν τῆς κατακρίσεως miniſterium condemnationis* 2 Cor. 3: 9. & exſtitit *ἁμαρτίας διάκονος, peccati miniſter* Gal. 2: 17. Cum igitur ita ſe res habeat, clarum eſt, cur fidelibus imponi potuerit, imo etiam poſtmodum impoſita ſit LEX peccatum & reatum *imputans* hoc eſt commemorans, exprobrans, & aliquid facere jubens, quo fideles monerentur, peccatum adhuc actuali lytro expiandum, & meliori hoſtia obliterandum fuiſſe, quod chirographi inſtar habuiſſe Paulus teſtis eſt.

Peccatum ante natum Chriſtum in mundo erat, & quomodo.

§. 6. Scio hæc multis non placere, quibus illa ne quidem dicta eſſe volumus; non enim volumus *ζητήσεις παρέχειν*, ſed *οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει* 1 Tim. 1: 4. Ut autem, temere illa à nobis haut dici & ſtatui, manifeſtum fiat conſcientiæ omni, dilucide rem integram probabimus.

Qui ſub lege, ſub maledictione ſunt, & quomodo.

§. 7. Ita ergo inquit Apoſtolus Gal. 3: 10. *quicunque ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt.* Loquitur de illa lege, quam illi, qui Eccleſiam Galatarum *turbabant*, jubentes fideles *circumcidi* Gal. 5: 2. 11. & *iterum redire ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ, καὶ πτωχὰ στοιχεῖα ad infirma & egena elementa* Gal. 4: 9. 10. humeris fidelium imponere geſtiebant, id eſt, de lege ceremoniarum. Dicit autem eos, qui *ſunt ex operibus illius legis*, ſ. qui tenebantur opera à lege illa præcepta facere & obſervare, *ὑπὸ κατάραν ſub maledictione eſſe*. Ecce maledictionem, ſub qua fuerunt fideles Iſraëlitarum, jugi legalis portatores. Quomodo autem? num Patres, electi Dei, ſancti, vocati, delituerunt & perierunt ſub peccato, ira, execratione? nequaquam. *Angelus faciei, Sponſor, tulit & bajulavit illos verbo potentiæ, omnibus diebus ſeculi* Eſ. 63: 9. Hebr. 1: 3. fides promiſſionis *reputata illis eſt in juſtitiam*. Gen. 15: 6. Quid ergo vult, quid innuit Paulus? nil aliud, quam fideles facientes opera legis, offerentes ſacrificia, fundentes ſanguinem taurorum, & quidem ſub illa comminatione, *Maledictus omnis,*

qui

qui non manet, &c. id eſt, qui ſacrificia & fuſionem ſanguinis pecuini omittit, eo ipſo monitos eſſe, Maledictionem adhuc exigere id, quo actualiter aboletur, nim. mortem & ſanguinem Mediatoris; & interea jus habere imponendi fidelibus talia opera, ſacrificia & *δικαιώματα σαρκὸς*, quæ non ſint tantùm præfiguratio melioris hoſtiæ Sponſoris, ſed fiant quaſi ad expiationem maledictionis, quam tamen nullus ſanguis, niſi ille, qui *meliora loquitur παρὰ τὸν Ἄβελ*, expiare & delere poteſt.

§. 8. Confirmat id Apoſtolus Gal. 3: 13. *Chriſtus emendo liberos nos fecit à maledictione legis, factus maledictio pro nobis. Nos* dicit, intelligens non gentes, de quibus verſ. 14. *ut ad gentes benedictio Abrahami veniret*, ſed *ſe* Hebræum ex Hebræis, & fideles Judæorum. En fideles Judæorum ſunt liberi facti à maledictione legis, dum Chriſtus pro illis factus eſt maledictio. Ergo uſque ad Chriſtum, qui maledictio factus eſt, à legis maledictione non fuerunt liberati. Sanè ab actuali maledictione & execratione fuerunt liberi; ſunt enim ſanctificati, juſtificati, glorificati; ſed à maledictione exigente adhuc lytrum & actualem ſolutionem, & interim imponente & jubente ac cogente facere quædam, quaſi aut tanquam ad ſui expiationem, nondum erant liberi, ſed per Chriſtum demum liberati. Ille enim Meritoria nobis liberationis cauſa factus, etiam id jus maledictionis abolevit & ceſſare fecit; quamdiu autem illud meritum abfuit, ſanè debitum adfuit, & reatus adhuc exſtitit.

§. 9. Porrò nonne Chriſtus in ultima dierum paſſus eſt & luit pœnam, peccato noſtro debitam, eamque luit pro nobis? *quod* enim *non rapuit, id ille reddidit*. Pſalm. 69. Annon ergo eo uſque pœna debita fuit? & quia illa pœna loco noſtri, quod perinde eſt ac ſi à nobis ipſis lata fuiſſet, ſubita eſt, annon eo uſque pœna à fidelibus debita fuit? annon ergo eo uſque fuerunt *rei*, id eſt, debitores; & *ſub reatu*, id eſt, ſub debitione pœnæ?

§. 10. Quid, quod tam longo tempore *δόγματα* illa legalia debuerunt exercere, quæ ſunt *χειρόγραφον debiti ſcriptio, illis ſubcontraria?* Col. 2: 14. Qui non eſt ſub reatu, ſeu debitione, ab illo chirographum, debiti ſcriptio, non poteſt exigi. Quilibet fidelis Iſraëlita ſacrificium pecuinum pro peccatis ſuis offerens, eo ipſo chirographum edidit, peccata ſua vero & meliori ſacrificio expianda adhuc eſſe, & expiari debere.

§. 11. Annon Apoſtolus disertè dicit in victimis illis eſſe *ἀνάμνησιν commemorationem peccatorum?* Hebr. 10: 3. non ſane talem, qualis & eſt in Euangelio, quod jubet peccata confiteri, ſed talem, quæ memorat, peccata adhuc victimâ indigere; imò fideles adhuc *habuiſſe conſcientiam peccatorum*, & *nondum purgatos fuiſſe* Hebr. 10: 12. id eſt, fuiſſe in conſcientia convictos, peccata adhuc deſiderare veram expiationem per ſanguinem Mediatoris; qui quamdiu nondum erat effuſus, nec illi *purgati* erant, id eſt, nondum abſoluti à reatu & debitione, quamvis interea purgatione animæ, id eſt, ſanctificatione & fide verâ non eſſent deſtituti.

§. 12. Unde tandem eſt legalis illa impuritas, quæ tam moleſta erat populo, niſi à reatu adhuc exſtante, & nondum ſublato? ut ut naſcebantur, etiam purificabantur; Cibi in ſe puri, illis erant impuri; ad altare accedere non poterant. in manus ſacerdotum victimas debebant tradere; tabernaculum purgabatur ab illorum fœditatibus; altare aſpergebatur ſanguine; in ſanctum ſanctorum nemo, imò ne ſacerdotes quidem intrabant, præter ſummum Sacerdotem, ſemel quotannis, idque non ſine ſanguine. Qui cadaver attigerant, qui morbis infecti erant, qui cum mulieribus coiverant, cum tamen *nuptiæ ſint honoratæ καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος* Hebr. 13: 4. habebantur impuri. Sanè à reatu legalis hæc impuritas erat; quia cauſa meritoria ſanctificationis, juſtificationis,

reconciliationis illorum nondum actu exiſtebat, idcirco tali impuritatis declaratione de eo moneri poterant, & reipſa commoniti ſunt.

§. 13. Ergo ubi pœna pro peccato adhuc debebatur; ubi frequens peccati eſt commemoratio, eaque gravior & rigidior; ubi conſcientia eſt peccatorum; ubi chirographum edi ſcribique debebat; ubi maledictio victimas exigebat, ibi ſanè reatum ſupereſſe oportet. Si enim reatus non eſt, ſi ſacrificium non debetur, cur chirographum exigitur, cur ſacrificia imponuntur, cur fideles tot modis rei aguntur?

§. 14. Hic autem iterùm obteſtor, non hanc eſſe mentem noſtram, fideles ita ſub reatu fuiſſe, ut ipſi ob peccata puniri & condemnari potuerint, nedum ut puniti & condemnati ſint: id enim cum æterno Dei fœdere; cum æterna Chriſti ſponſione; cum natura fidei, quæ juſtificat & ſalvat; cum Dei promiſſione pugnaret è diametro, & hæc omnia convelleret, quæ tamen convelli non poſſunt; ſed hoc volumus, & præeunte ſcriptura intendimus, Quamdiu Chriſtus Dominus, Sponſor, Mediator, Sacerdos, non venit in mundum, & cum ſacrificio ſuo ad abolitionem peccati non eſt manifeſtatus, & peccata noſtra tulit in crucem, & ut propitiatorium propoſitus eſt publicè, *ad oſtenſionem juſtitiæ Dei*, peccatum non volentis remittere, nec remittentis citra evidentiſſimam demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, & odii, quo in peccatum fertur, fideles præteritorum temporum nondum habuiſſe id, actu & re ipſa, in quo eſt peccatorum piamentum, & debiti ſolutio; adeptos eſſe ſalutem & vitam, ſed cauſa meritoria ſalutis & vitæ, quæ eſt Chriſti obedientia & mors, caruiſſe. habuiſſe illam ſpe, non obtinuiſſe actu; ac propterea fuiſſe in ſe reos & debitores pœnæ, hoc eſt, tales, quorum peccatum adhuc puniendum, & vero ac meliori ſanguine expiandum erat; quamvis tamen ipſi pœnæ peccato debitæ ſubjici haut poterant, propter æternam nimirum Mediatoris ſponſionem, & æternum gratiæ fœdus. debuiſſe autem illos, Deo ita jubente & volente, reatum ſuum teſtari & confiteri oblationibus & ſacrificiis, chirographi inſtar habentibus; habuiſſe apud Deum Sponſorem & Vadem, non autem vidiſſe in terris ſacerdotem per paſſiones conſummatum? juſtificatos eſſe per fidem juſtitiæ adducendæ, nondum autem adductæ; in cœlum poſt hanc vitam intraſſe, ex quo Mediator adhuc debebat exire; habuiſſe conſcientiam lætificantem ſuæ ſanctificationis, & gratiſſimæ Deo ſponſionis Chriſti; non verò actualis ſuæ expiationis, & finalis ac plenariæ Sponſoris oblationis. Hoc eſt, quod hac de re ſentimus & ſtatuimus, quo ipſo nullatenus peccare nos confidimus nec in veritatem, quæ omnium debet eſſe amiciſſima, nec in ſcripturam ſacram, quæ veritatis omnis infallibilis & unica eſt regula, nec in Eccleſiam ſanctam catholicam, quæ mater omnium noſtrum eſt dulciſſima, veritatis ςύλ☉- ϗ ἑδραίωμα. 1 Tim. 3: 15.

§. 15. Si tamen placet objicere.

I. *Sponſionem æternam Chriſti, ut à pœna, ſic etiam à reatu & debitione pœnæ liberaſſe fideles.* Reſpondebimus, ſponſionem & ſatisfactionem futuram Chriſti Domini liberaſſe fideles à pœna, & ut ne intrarent in judicium; exhibitionem autem ejus, quod ſponſione promiſſum erat, obedientiam nimirum uſque ad mortem, liberationem à pœna firmam feciſſe & ratam, & ab omni demum reatu & debitione liberaſſe. Eodem fere modo, ut in humanis ſæpe videmus fieri, ſi humana licet miſcere divinis. Si quis ſpondet pro ære, quod alius contraxit, ille, pro quo ſponſio fit, liberatur à carcere & vinculis, quibus, ſponſore non interveniente, ligandus erat. Sed ſi inſuper ſponſor æs illud ſolvit, tunc liberatur ab omni debito & ab omni obligatione. Si autem ſponſio ſuffecit ad liberationem & à

pœna

pœna & à reatu, quid paſſione opus fuit & morte? dices, ut Chriſtus ſolveret, quod ſpondendo in ſe ſuſceperat. Ita mortem videbitur tuliſſe non propter nos, quos ſponſio jam conſummaverat, ſed propter ſe ipſum, ut ſponſione ſuâ & promiſſo ſe exſolveret, quod tamen dicere non omninò integrum eſt, ſcripturâ ubique docente, *Corpus* Chriſti Domini *fractum* ὑπὲρ *pro nobis* 1 Cor. 11: 24. *ſanguinem effuſum pro multis* εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν Matth. 26: 28. *traditum* eſſe Chriſtum *propter lapſus noſtros* Rom. 4: 25. *factum eſſe peccatum* ὑπὲρ ἡμῶν 2 Cor. 5: 21. & eſſe ἱλασμὸν *pro toto mundo* 1 Joh. 2: 2. adeoque etiam pro priſcis patribus; *mortemque* illius *obitam* fuiſſe, *ad redemtionem transgreſſionum* τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ, *quæ fuerunt ſub priori Teſtamento* Hebr. 9: 15. quarum itaque actualis & omni ex parte conſummata ἀπολύτρωσις non exſtitit ante mortem Mediatoris.

II. *Si ante Chriſtum reatus manſit, fideles ſub reatu mortuos eſſe; in cœlum intraſſe ut reos; illiſque in cœlis potuiſſe imponi chirographum.* Reſp. 1. In cœlum caro non intravit, ergo & in cœlo chirographum præcepti carnalis imponi non potuit. *Servitus* legalis, cui fideles fuerunt *obnoxii*, fuit tantum διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, *durante vitâ* in terris. cum vitâ illâ deſiit. Hebr. 2: 15. 2. Quo propius fideles acceſſerunt ad Sponſorem, eo majori libertate & gratiâ debuerunt gaudere, inde vocantur ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *Hieroſolyma cœleſtis*, quæ ἐλευθέρα ἐστὶν *libera eſt* Gal. 4: 26. & animæ illorum dicuntur πνεύματα δικαίων τετελειωμένων *ſpiritus juſtorum conſummatorum.* Hebr. 12: 23. 3. Non pugnabat cum gloria cœleſti reatus, ſponſione Chriſti cohibitus, & oblatione Chriſti plane auferendus; quemadmodum cum *gloria*, quam *Chriſtus habuit antequam mundus fuit* Joh. 17: 5. non pugnabat, illum fuiſſe debitorem patiendi. *Nonne debuit pati Chriſtus?* Luc. 24: 26. & juſtitiam omnem implendi. *Ita decet nos implere omnem juſtitiam*, Matth. 3: 15.

III. *Chriſtum Sponſorem peccata fidelium, à Deo judice ex tabula illorum deleta, in tabulam ſcripſiſſe ſuam, Domino injiciente in illum peccata electorum. Ita Chriſtum factum debitorem, ſeu obligatum ad ferendum pœnas; Fideles autem reatu ſolutos eſſe.* ℞. Verum eſt, Chriſtum noſtra peccata feciſſe *ſua*; confer Pſ. 40: 13. quæ portaret, *Peccata noſtra portavit* 1 Petr. 2: 24. & *pro quibus ſe ipſum traderet* Gal. 1: 4. tamen quamdiu id non fecit actualiter, illa fidelibus per oblationes pecudum, quarum *ſanguini impoſſibile erat peccatum auferre* Hebr. 10: 4. commemorari & exprobrari & eatenus imputari potuerunt. Ita peccata fecit *ſua*, ut tamen manſerint *noſtra*. *Remitte nobis debita noſtra.* Matth. 6: 12. *Si confitemur peccata noſtra* 1 Joh. 1: 9. Eâdem ratione, quamvis priorum fidelium peccata Chriſto fuerint impoſita, tamen manſerunt *peccata illorum*, quorum ἀνάμνησις *commemoratio* ab illis potuit exigi.

IV. *Fideles fuiſſe amicos Dei* Jacob. 2: 23. *teſtimonium habuiſſe quod placerent Deo*, ſ. *grata facere ipſi ſtuduerint* Hebr. 11: 6. *hæredes factos eſſe juſtitiæ* Hebr. 11: 7. *non ergo fuiſſe reos aut ſub reatu.* Reſp. *Amicitia fidelium cum Deo, hæreditas juſtitiæ* reatui non obſtat: hæredes fuerunt juſtitiæ adhuc adducendæ, non autem adductæ. Dan. 9: 24. quare etiam exhibitio chirographi ab illis potuit requiri: hæredes in Chriſto ſalutis principe, per paſſiones adhuc conſummando, necdum autem conſummato. Hebr. 2: 10.

Caput Quartum.

De ſtatu Eccleſiæ ſtatim à promiſſione in familia Adami & Evæ.

§. 1. Sed miſſis his, quæ ſæpius deinceps occurrent, ad priora redimus, & ne extra oleas vagemur, ſacræ hiſtoriæ filum, quod omni Ariadnæo tutius eſt, diligenter tenebimus & ſequemur.

 §. 2. Prin-

Eva in fide promiſſionis primum filium קַיִן nominavit.

§. 2 Principiò igitur narrat hiſtoria, Evam ab Adamo marito cognitam concepiſſe & peperiſſe filium, quem nominavit קַיִן Κάϊν *Cain.* Quamvis alii hoc nomen deducant à קנא *invidit*, alii à קין (unde קינה) *lamentatus eſt*, tamen id originem habere à קָנָה *acquiſivit*, oſtendit ratio, quam Eva addit קָנִיתִי אִישׁ אֶת יְהוָה *acquiſivi Virum, Dominum* Geneſ. 4: 1. Utut alii aliter hæc verba vertant, hæc, quam dedimus verſionem, & verbis convenit, & commodum parit ſenſum. Lætitiâ elatâ Eva καυχᾶται *gloriatur*, dicens, *Acquiſivi Virum Dominum.* Non oblita erat Eva promiſſionis, quæ ſeminis, quod conteret Serpentis caput; quodque *Deus* eſt, quia *capitis contritor*; *homo* quia *ſemen*, quia *calces* habet, ſpem fecerat. Putaverit Eva, ſe hoc ſemen, hunc *Virum Dominum* obtinuiſſe; aut ſi turpe illam in re tam evidenti ſic enormiter erraſſe, putaverit hunc Cain eſſe argumentum, prænuntium & præcurſorem hujus *Viri, Domini.* Quicquid ſit, eximium & pergratum quid ſe accepiſſe, abunde teſtatur. Poſt Cainum *addidit parere fratrem ipſius,* הֶבֶל *Habel* Geneſ. 4: 2. à vanitate illi nomen dedit, memor *vanitati ſubjecta omnia* Rom. 8: 20. vanitatem eſſe omnem hominem.

Et alterum הֶבֶל agnoſcens omnia ob peccatum vanitati ſubjecta eſſe.

§. 3. Hi filii à peccatoribus geniti, naturâ peccatores & filii iræ fuerunt. Utut autem origine pares, ita ſortem Deo utriuſque dirigente, & ut Eſavum & Jacobum, ita & horum alterutrum iræ, alterum amoris exemplum ponente, moribus, & vitæ, agendique ratione evaſere maximè impares. Cain Deo exoſus, Abel gratus fuiſſe inventus eſt.

§. 4. Cerne autem quam ſæpè filii parentum fruſtrentur ſpem. Ille Cain, ſuper cujus nativitate Eva adeò exſultaverat, amaritudo factus eſt animæ illius. Cerne etiam, ut ex eadem vite ſtolones & frugiferi progerminent ſæpè palmites. Id piorum domibus longo quaſi uſu familiare eſt. Adamus Cainum habuit profugum; Noachus Chamum irriſorem; Abrahamus Iſmaëlem perſecutorem; Iſaacus Eſavum profanum; Jacobus verò Rubenem, *eam quæ patris lectum aſcendebat, violantem*; Simeonem & Levi ingenti cum perfidiâ multam cædem facientes; omnes denique uni fratri inſidias ſtruentes. David denique Filiam luxurioſam; Abſolonem hoſtem & regni æmulum; Ammonem ſororis procum habuit. Sed hæc obiter.

Adam & Eva promiſſionem fideliter tradiderunt poſteris.

§. 5. Parentes Adam & Eva ſine dubio ſedulam natorum educationi impenderunt curam, imprimis, ut timorem Domini mature amplecterentur: tradiderunt ergo indubiè illis id verbum, quod tradiderat illis Dominus. & ita præcones facti ſunt filiis ſuis illius verbi, quod Dominus ipſe ad illos elocutus erat. Ita *eruditio Patris* מוסר אב, & *traditio matris* לקח אם medium fuit, per quod revelatio verbi promiſſionis pervenit ad poſteros, & exivit in omnem terram.

Quæ omnes ad ſui obſequium & fidem obligabat.

§. 6. Hoc verbum promiſſionis, cujus ſenſum capite ſecundo prolixius expoſuimus, obligat omnes ad ſui obſequium & fidem: divinitas illius omni ſe approbat conſcientiæ, quam πίςις *fides* fecit *attendere.* Aſſeritur enim in illo ſanctitas Dei, quâ omne peccatum odit; juſtitia, qua peccatum punit; miſericordia, qua peccatum remittit; potentia, qua ſemen vocat & ſanctificat; ratio & modus, quo mundum ſecum reconciliat; quæ omnia talia ſunt, ut omnem cogitationem noſtram & captum longè excedant. Tolerantia ac clementia Dei, quâ peccatorem tulit, propoſiti & conſilii gratioſi, in verbo hoc revelati, manifeſtiſſimum ſignum eſt. Et quia hoc Verbum id docet, quod quilibet, qui ſe tantum noſſe poteſt, in ſe experitur, nimirum hominem eſſe miſerum, corruptum, auxilio egere potenti, veritas ejus indubitata eſt. Et quia contra primos homines hoc verbum teſtatur, & de ipſis dicit, quod corrupta caro negat & diffitetur, nemo illos id finxiſſe ulla cum veriſimilitudine prætendere auſit.

§. 7. Ita-

§. 7. Itaque & poſteri primorum hominum, Adami & Evæ, hoc verbum omni cum ὑποταγῇ *ſubjectione* accipere debuerunt, debuerunt inquam; quanquam ii ſoli tantum potuerunt, quibus id datum eſt à Domino. *Fides Dei donum eſt* Eph. 2. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, aliis non datum eſt* Matth. 13:11.

§. 8. Præter hoc verbum autem ἐπαγγελίας, & id verbum, quod de ærumnis vitæ humanæ, & hominis morte ac reverſione in pulverem loquitur, non legimus injunctum fuiſſe Adamo & filiis illius præceptum de circumciſione, quæ Abrahamo injuncta eſt; ut nec injunctam molem ſacrificiorum, diſcrimina dierum & ciborum, diſcrimina lotionum, qualia per Moſen data ſunt; adeo ut ſecure concludere liceat, nec Adamo & Evæ, neque filiis illorum τὸ βάρος φορτίον *jugum onusque legis* impoſitum fuiſſe; promiſſionem habuerunt, & quicunque ſalvati ſunt, in fide Seminis promiſſi, hoc eſt, Jeſu Chriſti ſalvati ſunt. *Salus enim non eſt in ullo alio, & non eſt aliud nomen ſub cœlo datum, in quo oporteat nos ſalvari.* Actor. 4:12.

Promiſſioni lex præceptorum, qualis per Moſen, non ſtatim addita.

§. 9. Verum quidem eſt, à primo ſtatim tempore ſacrificia cœpiſſe offerri. Nam *Kain obtulit munus Jehovæ ex fructibus terræ, Habel verò de primogenitis gregis ſui & adipe eorum* Gen. 4:3.4. Sunt qui & Adamum obtuliſſe, adeoque primum omnium ſacerdotem fuiſſe ſtatuunt; putantque pelles, unde tunicæ primorum parentum paratæ, detractas mactatis ad ſacrificium animantibus, & inde legem illam Lev. 7:8. *Sacerdos, qui offert holocauſti victimam, habebit ejus pellem*, originem ſuam duxiſſe. Noachum, Abramum, Iſaacum, Jacobum imo & Melchiſedechum ſacrificia Deo obtuliſſe, nemo eſt, qui ignoret. Gentes etiam, omnibus retro ſeculis, quibus erant *hoſpites teſtamentorum promiſſionis* Eph. 2:12. ad imitationem populi Dei, inſtinctu & impulſu Diaboli, qui in illis *efficaciter agebat* Epheſ. 2: v. 2. ſacrificaſſe Diis ſuis, & ſuos habuiſſe ſacerdotes, flamines, patres filioſque ſacros, ex hiſtoriis notum eſt. Ita Diabolus amat Dei eſſe ſimius & æmulus.

Tamen à primo tempore cœperunt offerri ſacrificia.

§. 10. Sacrificia fidelium fuerunt ſine dubio divinæ inſtitutionis, id eſt, à Deo inſtituta; nemo enim putet, illos motu proprio & *è conſilio carnis* ſacrificia obtuliſſe. Id & vidit Euſebius, qui demonſtration. Evangel. 1: 10. diſerte docet, λογισμὸν ſacrificiorum non fuiſſe τυχόντα, vel ἀνθρωπίνως κεκινημένον, ſed κατὰ θείαν ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον. Multis id evinci poteſt rationibus. Deus odio habet omnem ἐθελοθρησκείαν, id eſt, talem cultum, qui priva hominis voluntate ſuſcipitur; non vult *timorem noſtrum* eſſe *præceptum hominum condocefactum* Eſ. 29: 13. Viæ divinæ plurimùm differunt à noſtris. Ut unicus gratiæ autor eſt, ita & ſigna ac ſigilla gratiæ ſolus ponere & conſtituere vult. *Quis novit mentem Dei? quis conſiliarius ipſius fuit?* Rom. 11:34. *Aharon non ſumſit ſibi honorem ſacerdotii, niſi vocatus a Deo* Hebr. 5:4. Ergo nec priſci fideles ſine divinâ vocatione illum ſibi arrogârunt. Certum eſt illos obtuliſſe *in fide*; ita dicitur Abel πίστει πλείονα θυσίαν *obtuliſſe* Hebr. 11:4. atqui fides nititur verbo, mandato, & revelatione Dei. Et quum alia, quæ Patriarchæ egerunt, notentur egiſſe χρηματισθέντες, εὐλαβηθέντες, καλούμενοι, Hebr. 11:7.8. num putabimus illos Sacrificia obtuliſſe μὴ χρηματισθέντας ἢ καλουμένους? Denique, ſi Deus diſcrimen animalium, ut quædam pura, quædam impura haberentur, inſtituit ante diluvium, quod factum propter ſacrificia, ſine dubio ipſa etiam ſacrificia inſtituit Deus. Ergo certo certius eſt, Deum Sacrificiorum fuiſſe inſtitutorem, & fideles accepiſſe à Domino id quod ipſi fecerunt, & poſteris ſuis tradiderunt.

Quæ & divinæ erant inſtitutionis.

§. 11. Id tantum ſupereſt inquirendum; quâ ratione ſacrificia Dominus inſtituerit; num per verbum & mandatum expreſſum? tale quidem, quia in ſacris literis non exſtat, haut

Quæ, quomodo ſint primitus inſtituta, explicatur.

 poteſt

poteſt omni cum certitudine affirmari; non tamen etiam poteſt ſumma cum certitudine negari, num per inſtinctum & impulſum Spiritûs ſancti internum? Sane quis negabit? Is, qui in omnibus ſanctis ἐστιν ὁ ἐνεργῶν *eſt efficaciter efficiens* καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν *& velle & perficere* Phil. 2: 13. num & hoc velle in illis non ſit operatus? *Fidem* dedit; (eſt enim *Spiritus fidei*) in quâ obtulerunt, & voluntatem offerendi non dederit? Hic internus Spiritûs ſancti inſtinctus, hæc interna ejus illuminatio vocis & loquelæ inſtar fuit ad animum fidelium. Ita ut *dixit Spiritus Philippo* Apoſtolo, *i & accede ad currum*, Eunuchi ſcilicet, Actor. 8: 29. & ut dixit Petro, *Ecce tres viri quærunt te* Actor. 10: 19. confer. Actor. 11: 12. non ſane externè ad aurem, ſed internè ad animam; ita etiam fidelibus dixit, ſanctoſque juſſit *ire & in fide ſacrificia offerre.* Ad hunc internum Spiritûs ſancti inſtinctum acceſſit externum de cœlis ſignum, συνεπιμαρτυροῦντος ita τοῦ θεοῦ σημείοις *conteſtificante Deo ſignis* Heb. 2: 4. quod innuitur Geneſ. 4: 4. & non obſcurè indicatur his verbis, *Et reſpexit Jehova ad Abel & ad munus ipſius.* Duo hîc dicuntur. 1. *Reſpexit Dominus ad Abel*, hoc eſt, palpabili argumento illi declaravit, illum grata Deo facere. 2. *Et ad munus ejus*; idque viſibiliter teſtatus eſt, eſſe ſibi odorem fragrantiæ; hoc *reſpicere ad munus* ſumunt multi de ἐμπυρισμῷ *inflammatione*, quâ Deus illud ἐνεπύρισε *inflammavit*, & flammâ cælitus demiſsâ conſumpſit. Ita Theodotio; ita & R. Solomon. ירדה אש ולהט מנחתו *deſcendit ignis & inflammavit munus illius*, idque non omninò improbabiliter, uſitatum enim illo tempore, quo ſacrificia viguerunt, ut Deus *igne reſponderit de cœlo* illis, qui ſacrificia πίστει *in fide* offerebant in terra. Levit. 9: 24. 1 Chron. 21: 26. 1 Reg. 18: 24. 37. 38. confer Pſ. 20: 4. *Recordetur Dominus omnium munerum tuorum, & holocauſtum tuum incineret*, emittat ignem è cœlo, quod holocauſtum tuum redigat in cineres. Nec ſine ratione & ſapientia fuit divinus hic agendi modus, habuit enim πνευματικὴν δήλωσιν. Flamma & ignis cæleſtis conſumſit pecus. Flamma notat charitatem Dei, omnipotentiorem igne, omnibuſque validiorem aquis; charitatem, inquam, tum Dei Patris, qui *dilexit mundum*; tum Dei Filii, quem amor *& zelus domûs comedit Dei.* Hæc flamma, hic amor, hæc charitas in mortem & ignem afflictionum tradidit Filium, qui ut pecus pura, *agnus pretioſus, & maculæ omnis expers, ad mactationem ductus eſt.*

Quo modo & inſtinctu patres obtulerint Sacrificia?

§. 12. Hæc itaque divinæ ſacrificiorum à patribus oblatorum inſtitutionis ratio eſt & modus. Spiritus ſanctus internè illos egit, ut offerrent. Deus igne de cœlo oblatum conſumſit, & teſtatum fecit, ſe tali fidelium actione delectari. Igitur ut *acti à Spiritu ſancto locuti ſunt olim* οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι *ſancti Dei homines* 2 Petr. 1: 21. ita acti à Spiritu ſancto θυσίας προσήνεγκαν *victimas obtulerunt* ſancti primitivæ Eccleſiæ filii & hæredes.

§. 13. Legitur autem & Cain obtuliſſe, qui tamen Spiritum Dei non accepit. Obtulit ſanè, at non actus à Spiritu Dei bono, ſed à Spiritu Dei malo (confer. 1 Sam. 16: 14. 15.) à carnis ſenſu, & à mentis concupiſcentiâ, igitur obtulit tantùm, mentem autem in cœlum non extulit; terreſtria captans, cæleſtia nec intelligens, nec anhelans, nec accipiens.

Sacrificia primis his temporibus figuræ fuerunt non jugum.

§. 14. Sacrificia primis his temporibus oblata non obtulit Sacerdos ſecundum ordinem Aharon, nondum enim intraverat *Leviticum Sacerdotium* Hebr. 7: 11. ſed fidelium quilibet, ita omnes erant ἱερεῖς τῷ θεῷ *ſacerdotes Deo.* Et quamvis illa ſacrificia fuerint totidem figuræ ſacrificii Jeſu Chriſti adhuc offerendi, atque ita & in illis fuerit commemoratio quædam peccati, actualiter adhuc expiandi; & ſacrificia intermittere

aut

aut contemnere, fuerit fidem & ſpem in promiſſum ſemen abjicere & neglectim habere, tamen longè adhuc abfuerunt, ut efficerent illud jugum, quod deinceps ſubintravit, ſub quo Iſraël gemuit, quod portare non potuit, quod Moſes populo impoſuit. Erant quod ſano ſenſu velim accipi, aliquo modo liberi ritus, & libera exercitia; nec cum tot præceptionibus & inſtitutionibus legalibus, quot per Moſen additæ ſunt, copulata; nec cum hâc clauſulâ, *Maledictus qui non manet*, &c. præcepta & injuncta: denique determinatio *modi*, quo; *temporis*, quando; *loci*, ubi debebant offerri, hominum judicio & diſpoſitioni quadantenus erat relicta.

§. 15. Ita fideles ſacrificare juſſi, ab initio edocti ſunt, fœdus Dei non aliâ pangi ratione quàm עֲלֵי־זָבַח *ſuper ſacrificio.* Pſal. 50: 5. Sacrificio opus eſſe, ut cum peccatore reconcilietur Deus per peccatum offenſus. *Cœleſtia* debere καθαρίζεσθαι κρείττοσι θυσίαις παρὰ ταύτας, *purgari melioribus victimis*, quam erant illæ, quæ de primogenitis gregum offerebantur. Hebr. 9: 23. Semen promiſſum *ad abolitionem peccati* διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ *cum victima ſua* adhuc *manifeſtandum* eſſe. Hebr. 9: 26. & *unâ* illâ illius *oblatione* aliquando *conſummandos in perpetuum* τοὺς ἁγιαζομένους *illos qui ſanctificantur* Hebr. 10: 14. Hæc qui negat fideles ſacrificia offerentes reſpexiſſe, intellexiſſe, credidiſſe, expectâſſe, faciet è cultu illorum cultum plane carnalem, brutalem & inutilem. Impoſſibile enim fuit, ut ſanguis pecudum, quas mactantes offerebant, peccata illorum auferret Hebr. 10: 4. aut conſcientiam purgaret. Hebr. 9: 14. & fideles priſcos omni ſalutari notitiâ, luce, fide & ſpe caruiſſe ſimul perſuadebit. Sacrificia ab initio quid docuerint?

§. 16. Non igitur hic omittendum id, quod de primis offerentibus Abele & Caino, ſcriptura perſpicue notavit. Gen. 4: 4. 5. *Et reſpexit Dominus ad Abel & ad munus ejus. Ad Cain autem & ad munus ejus non reſpexit.* Hujus diſcriminis cauſa inveſtiganda eſt. Certe Cain primogenitus videtur prior obtuliſſe, & dediſſe de fructibus terræ cujus erat cultor; nil quoad externa cedens Abeli offerenti de primogenitis gregis, cujus erat paſtor. Gen. 4: 3. 4. Non autem dicemus cum Philone Judæo cauſam rejecti muneris Cainitici eſſe. 1. Quod Cain μεθ' ἡμέρας *poſt aliquot dies*, non vero εὐθὺς *ſtatim*, munus adduxit. quod colligere ſibi videtur è verbis Geneſ. 4: 3. *Et fuit in fine dierum, & adduxit Cain* &c. 2. Quod obtulit ἀπὸ τῶν καρπῶν, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ τῶν πρώτων καρπῶν *a fructibus, ſed non a primis fructibus*, id quod colligit è verbis, *& adduxit de fructu terræ* Geneſ. 4: 3. neque cum aliis avaritiam Caini, & quod avarâ manu, & ſpicas tenues obtulit, culpabimus: neque cum Joſepho nugabimur, Deum nolle coli τοῖς κατ' ἐπίνοιαν ἀνθρώπου πλεονέκτου κατὰ βίαν πεφυκόσιν, *quæ curâ & induſtriâ hominis avari violenter naſcuntur*, ut fruges & fructus è terra, quam homo colit, & quæ niſi acceperit ſemina, meſſem reſpuit: neque cum aliis ſtatuemus, ideo munus Caini Deo diſplicuiſſe, quia fratri rixas moverat. Rixæ enim poſt oblata munera demum ortæ ſunt: ſed ſimpliciter reſpondebimus cum Johanne Apoſtolo ex 1 Ep. 3: 12. ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρὰ ἦν, τὰ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, δίκαια. *Mala erant opera* Caini; Abelis *autem juſta.* Ergò quamvis oblatio Caini ſpeciem habuerit boni, tamen in ſe fuit mala, diſplicens Deo. Nimirum, ſine fide impoſſibile eſt, Deo εὐαρεστῆσαι *grata facere.* Hebr. 11: 6. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Rom. 14: 23. Fides Abelis offerentis laudatur. Hebr. 11: 4. Caini tacetur. Ergo non in fide Cain obtulit, putavit externum illud opus Deo placere; paucas illas fruges ſufficere, ut debitum ſuum, quo Deo tenebatur, exſolveret; ſatis eſſe, ſi proventus terræ acceptos referret Deo; de cætero non cogitans, aut parum ſollicitus de Mediatore Dei & hominum, de ejus morte & lytro, de juſtitia Dei, de reconciliatione & peccatorum remiſſione. Hâc fide quia caruit & Quare Deus ad Abelis & non ad Caini munus reſpexerit?

dele-

delectatus non fuit, neque Deus, qui parum curat fructuum acervum, mundanas opes, externa bona, cum illis non indigeat, & terra tota ſit ipſius & plenitudo ejus, oblatione & dono ejus delectari, aut ad illam reſpicere potuit, (*Pietate delector, non ſacrificio; & agnitione Dei præ holocauſtis* Hoſ. 6:6.) & ut reſpicere non potuit, ita nec reſpexit. Gen. 4:5. *Et ad Cain & munus* ejus לֹא שָׁעָה *non reſpexit.* Similis huic phraſi eſt illa, qua Moſes utitur Num. 16:15. *Ne reſpicias ad munus illorum*, Datan, Core, Abiram; & Amos. 5:22. *Pacificum pinguium veſtrorum non aſpiciam.* Rem autem ipſam explicare licet ex Hebr. 11:4. ubi de oblatione Abelis, ad quam Dominus dicitur reſpexiſſe Gen. 4:4. dicitur, quod Deus *ſuper donis illius teſtatus ſit.* Ergo *ad munus Abelis reſpicere*, eſt *ſuper id teſtari*, hoc eſt, teſtimonio externo & in ſenſus incurrente, quale potuit eſſe ignis οὐρανοπετὴς, gratum id & Deo acceptum eſſe, indicare. Ex oppoſito liquet, quid ſit, *Non reſpexit ad munus Cain*: nimirum, non eſt *teſtatus ſuper illo*, nec teſtimonio externo & viſibili illud approbavit, & quaſi ſuum fecit, adeoque ignem è cœlo non in id immiſit. Hæc etiam ſententia eſt Abenesræ, וכן שירדה אש ושרפה מנחת הבל ולא מנחת קין *Verum eſt, quod deſcendit ignis, & incineravit munus Abel, at non munus Cain.*

Quid Cain poſt rejectum munus egerit, quidque ei evenerit?

§. 17. Non debemus autem ſilere id, quod Cain poſt rejectum munus egit. Miſer ille, qui ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν *è malo erat* 1 Joh. 3:12. *pravitatem protraxit funibus iniquitatis, & ut rudente plauſtri peccatum* Eſ. 5:18. & malum cumulavit malo. Narrat ſcriptura illum magna ira incitatum & accenſum à Deo monitum eſſe: *Quare efferveſcis, & cur concidit vultus tuus?* הֲלוֹא אִם תֵּיטִיב שְׂאֵת *Annon ſi benè egeris, acceptatio erit?* ſi eâ mente & integritate, quâ par eſt, munus offeres, acceptatio illius erit. Iraſcebatur Cain, munus illius non fuiſſe acceptatum, docet illum Deus cauſam illius non acceptationis ſive rejectionis, quia non benè egit, non in fide obtulit. Addit porrò, quantum periculi ſubſit in non recta oblatione: *& ſi non bene ages*, hoc eſt, ſi non in fide offeres, ut hactenus feciſti, *peccatum ad fores cubat*, ut te abſorbeat, & in te, ut mancipium ſuum & ſervum aperta quaſi janua plenè intret, & totum occupet cum omnibus ſuis concupiſcentiis. Docemur, *Qui non rectè agit*, hoc eſt, qui fidem & bonam repellit conſcientiam, ante ejus fores peccatum cubat, ut totum illum rapiat. Ea autem peccati aſtuta indoles eſt, ut non ſtatim appareat ut hoſtis & peſtis, ſed abblanditur peccatori, & ſub ſpecie ſuavitatis ſe illi inſinuat, & ita initio ſævitiam dulcedine fictà temperat, id intelligitur ſub hoc verbo, *Et ad te accurſatio ejus.* Peccatum & omnis generis concupiſcentia magna cum comitate tibi occurret, & ſe tibi de optima, qua poteſt nota commendabit, ita ut ad tempus ſe tibi quaſi ſubjiciat, & tibi ſerviat & præſto ſit, ubi & quando volueris, id eſt in hoc verbo, *Et tu dominaberis illi.* Impii peccato & concupiſcentiæ dominantur, quando illa utuntur ad quævis horribilia tentandum & agendum. In regenitis peccatum non debet dominari Rom. 6:12. In irregenitis autem id non tantum dominatur, ſed illi in illud dominantur; peccatum ſervit illis; illi viciſſim peccato; peccatum ſe illis inſinuat, illiſque præſto eſt ubique. Hæc nobis videtur ſimpliciſſima hujus loci interpretatio, quem aliter LXX. aliter Targum Onkeloſi, aliter Vulgata, aliter alii interpretantur.

§. 18. Sed parum valuit hæc Dei monela apud Cainum. *Dixit* enim, hoc eſt, locutus eſt *Cain ad Habel fratrem ſuum: deinde inſurrexit in illum, & occidit illum* Geneſ. 4:8. fundendo ſanguinem illius. Unde Dominus ita inquit, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra* Geneſ. 4:9. & Chriſtus Matth. 23:35. mentionem facit αἵματος Ἄβελ τοῦ δικαίου *ſanguinis Abelis illius juſti* confer Hebr. 12:24. De hac cæde ita loquitur Johannes 1 ep. 3:12. ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ *jugulavit fratrem ſuum.* Sine dubio in rabiem

actus

actus Cain, quod munus ſuum à Deo rejectum erat, verba fecit cum Abele, jurgium ipſi movit, Deum blaſphemavit, injuſtitiam Dei criminatus eſt, & ab Abele juſto reprehenſus & meliora monitus, quia vindictam in Deum non poterat, in hunc innocentem, juſtum, Dei ſervum effundere voluit. Ita odium Dei, invidia, φιλαυτία, amor vindictæ, cupido deſtruendi regnum Dei, furor adverſus veritatem, falſa ſapientiæ propriæ & juſtitiæ perſuaſio illum ad patrandum atrociſſimum hoc facinus impulerunt.

§. 19. Mittamus autem Cainum, quem à ſe Deus dimiſit, exeatque ille è cogitatione noſtra, qui exivit מִלִּפְנֵי יְהֹוָה *inde à facie, & à conſpectu Domini* Geneſ. 4: 16. id eſt, inde ubi Dominus cum ipſo locutus erat, atque adeo vocem & communionem Dei deſeruit, & Deo ipſi repudium remiſit.

§. 20. Id tantum addimus, eſſe hoc noſtro tempore multos Caini ſectatores, de quibus Caini ſectatores qui?
Judas verſ. 11. *Væ illis, quia viâ Cain ambulant.* Tales ſunt illi, qui conſilium & actiones Caini ſequuntur, & miſsâ juſtitiâ Dei, Deum acervo frugum, & per opus operatum, & falſo ſacrificio cottidie placare volunt; parati omnium illorum, qui cum Habele ſtudent & quærunt juſtitiam ex fide ſola, & redemtionem ac remiſſionem peccatorum in ſanguine Chriſti ſolo, & bona eripere, & ſanguinem fundere, niſi divinitus injuſtitia illorum coërcita eſſet.

CAPUT QUINTUM.

De Statu Eccleſiæ & præcipuorum fidelium ab Adamo ad diluvium, & inde ad mortem Noachi.

§. 1. POſtquam capite præcedente ſtatum Eccleſiæ, cujus Adam & Eva fuere membra, quæque poſt illos in terra militavit, obiter enarravimus, nunc de στύλοις *columnis, concivibus & domeſticis* illius quædam è ſacris literis monebimus. Hic præeuntem nobis habemus Apoſtolum Paulum cap. 11. epiſtolæ ad Hebræos.

§. 2. Is igitur ante omnes Abelem inſigni ornat encomio verſ. 4. *Fide potiorem*, inquit, *victimam Abel præ Caino obtulit Deo, per quam teſtimonium aſſecutus eſt, quod juſtus eſſet, teſtante ſuper donis ejus Deo, & per illam de mortuo etiam ſermo habetur.* Fide clarus fuit Abel, fide, inquam, quæ mundum vincit, quæ juſtificat, quæ Chriſto inſerit, quæ per charitatem operoſa eſt. Fide illâ obtulit victimam; fide, quæ credidit peccata eſſe expianda victimâ boni odoris, quæ omni pecuino ſanguine & adipe infinitis modis præſtantior eſt; victimas ſacrificavit melioris hujus victimæ umbras, figuras, ſacramenta; per illam fidem, quod *juſtus* eſſet, teſtimonium accepit, eſt enim illa illi imputata ad juſtitiam, ergo juſtus fuit, non ex operibus, ſed ex fide. Fides potiorem fecit victimam Abelis præ Caini victimâ, quæ ſine dubio ponderis mole & pretii exterioris dignitate illi non ceſſit; ita fides cultui noſtro pondus addit. Quia fide obtulit, *teſtatus eſt Deus ſuper donis ejus*, & illa ut ſua, grata & accepta ſibi, publicè acceptavit, *reſpexit* enim ad illa; per fidem hanc & propter illam ſermo de illo habetur, etiam ubi diu mortuus eſt, ita exſtitit ἀείμνηστος. Deus ipſe ſermonem fecit de illo Geneſ. 4: 9. Chriſtum Dominum non puduit illius meminiſſe Matth. 23: 35. Paulus non ſemel illius renovavit memoriam, ut hic, & Hebr. 12: 24. *Mortuus* eſt tamen: nam *omnibus ſemel incumbit mori* Hebr. 9: 27. At mortuus eſt juvenis, & morte non ſuâ, occiſus enim eſt, & quidem à fratre. Quod juvenis mortuus eſt, non in damnum ipſi ceſſit, eo citiùs enim *liberatus fuit à morte corporis* Rom. 7: 24. & lucri factus

particeps. *mori enim lucrum* eſt. Phil. 1:21. ὃν φιλεῖ Θεὸς, θνήσκει νέος. *quem amat Deus, moritur adoleſcens.* quòd occiſus eſt, & quidem à fratre, & quidem ob fidem, quâ θυσίαν πλείονα obtulerat, & Dei teſtimonium aſſecutus erat, nonne & eo ipſo ad eminentiſſimam martyrii gloriam evectus eſt? *morte ſuâ glorificavit Deum.* Joh. 21:19. ſanguine ſuo obſignavit fidem ſanctiſſimam, pretioſiſſimam, propter juſtitiam Dei, imò *propter conſcientiam hac tulit triſtitias* πάσχων ἀδίκως, & hoc ipſi χάρις παρὰ Θεῷ 1 Pet. 2:19. 20. Ita antequam Chriſtus Dominus paſſus eſt pro illo, ille jam paſſus eſt propter Dominum; typus factus Domini ſui, qui etiam juvenis, à cognatis ſuis & fratribus, innocens, ob veritatem & juſtitiam prædicatam, neci datus eſt; at neci multo ignominioſiori, & majores cruciatus inferenti, quam Abel expertus, qui ſubito enectus, mortuus eſt, antequam mori ſe ſenſit, hinc & mors Chriſti, & ſanguis Chriſti *meliora clamat* præ ſanguine Abelis. Hebr. 12:24. Occiſus eſt Abel, ſed eâ tantùm parte, quæ occidi potuit, id eſt, carne. ſpiritus vitam & beatitudinem obtinuit διὰ δικαιοσύνην, *propter juſtitiam.* Rom. 8:10. eodem die, eâdem horâ, eodem momento, quo mortuus eſt propter Jeſum Dominum, fuit in Paradiſo cum Jeſu Domino; ita qui primus omnium è mundo ſublatus eſt, primus omnium in cœlum receptus eſt, qui primus omnium vitâ exutus eſt animali, primus omnium vitâ & gaudio coronatus eſt cæleſti & permanente. Cainus enecando fratrem, magis ſe ipſum quàm fratrem enecuit. Sanguinis enim reus factus innoxii, necem ſibi arceſſivit æternam; quique fratrem exſtinxit, ne amplius eſſet in terris, ipſe brevi poſt exſtinctus eſt, & cum omni proſapia in diluvio periit, & ut locum tunc non amplius habuit in terris, ita nec locum invenit in cœlis. Sed modum teneat oratio.

Occiſo Abele aliud ſemen Evæ ponitur.

§ 3. Occiſo Abele actum videbatur de ſemine ſancto, cujus primis parentibus facta erat promiſſio. At Deus memor æterni ſui Teſtamenti, cum Abelem, qui fuerat verè τέκνον τῆς ἐπαγγελίας *filius promiſſionis* Rom. 9:8. è mortuis reſuſcitare poſſet, (quâ fide *Abraham* paratus erat, immolare *unigenitum, qui promiſſiones acceperat* Hebr. 11:19.) non id fecit, ſed in locum Abelis poſuit & reddidit illis Filium quem Eva reputavit εἰς σπέρμα *in ſemen* Rom. 9:8. & vocavit nomen ejus שֵׁת *Set*, additâ ratione nominis, *Nam poſuit mihi Deus ſemen aliud, in locum Abel, quem interfecit Cain.* Geneſ. 4:25. Filium hunc à Deo poſitum, & divinâ benignitate donatum fatetur, non gloriatur illum *natum è ſanguinibus, aut voluntate carnis* Joh. 1:13. ſed Dei donum in illo miratur. Filium hunc *ſemen* זֶרַע nominat, habito reſpectu non ad generationem naturalem, ſed ad promiſſionem divinam, & regenerationem ſpiritualem, *ſemen* enim *mulieris* ſanctificatur ad *inimicitiam* cum *ſemine Serpentis.* Vocat illum *ſemen aliud* זֶרַע אַחֵר. ſuccedit enim in locum Abelis

Set ſemen benedictum.

crudeliter interfecti, ut quod promiſſo ſemini in cæde hujus deceſſerat, id illi in donatione illius rurſum accederet. Cum Cainum peperiſſet Eva, & illum reputavit in ſemen, putabat enim ſe *acquiſiviſſe Virum, Dominum*, ſed eventus docuit, illum ad ſemen ſanctum haut pertinere, adeoque falſo in ſemen reputatum fuiſſe, hinc in modò citatis verbis, Cainum à ſemine videtur excludere, certè ſemini non audet apertè annumerare. Nunc autem Setum reputat in ſemen, *Poſuit mihi ſemen.* & docuit eventus, illum benè in ſemen reputatum eſſe. Set enim factus eſt nova ſanctæque ſtirpis propago; & revixit quaſi in illo Eccleſia, quæ in Abele videbatur internecione deleta. Fides Seti non quidem dilertis verbis in Scriptura prædicatur, neque Set ab Apoſtolo poſitus eſt in catalogo Heroum, qui eximiâ claruerunt fide. Hebr. 11. non tamen propterea ex illorum numero excluſus fuiſſe cenſendus eſt; ut nec Adam, cujus Apoſtolus in citato capite etiam non meminit. & omnes circumſtantiæ docent, Setum ut Abelo ſucceſſit, ita etiam ejus fidem, mores, probitatem integerrimè ſectatum

ctatum eſſe; qui ſi viâ Cain ambulaſſet, ſine dubio in grege Cainitarum annumeratus fuiſſet. Si autem de Seto quædam extra Moſen narrare licet, addamus quæ Suidas Lexicographus nemini non notus de illo in voce Σὴθ *Set* annotavit. Θεὸν γὰρ τὸν Σὴθ οἱ τότε ἄνθρωποι προσηγόρευον, διὰ τὸ ἐξευρηκέναι τότε ἑβραϊκὰ γράμματα, τάς τε τῶν ἀστέρων ὀνομασίας, καὶ πρὸς τούτοις πολλὴν εὐσέβειαν αὐτοῦ θαυμάσαντες, ὃς γε καὶ πρῶτος ἐπικαλεῖσθαι θεὸς, καὶ ὀνομάζεσθαι. Senſus eſt, *Setum* ab hominibus ſui temporis *Deum* appellatum eſſe, ob inſignem pietatem, & quod Hebræas literas inveniſſet, & Aſtrologiam primus commendaſſet. De morte Seti Hiſtorici Arabes, Patricides & Elmacinus, tradiderunt, illum in vitæ exodo liberos & nepotes adjuraſſe ברכם הבל *per ſanguinem Abel*, ne ullam cum Cainitis communionem haberent; illumque ſepultum à filiis *in ſpelunca ſecreta*. ſed redeamus ab incertis ad certa.

§. 4. Hic Setus genuit Filium, cui nomen dedit אֱנוֹשׁ *Enos*. natus hic putatur Anno 235 à mundo condito. Significat autem *Enos* non τὸ ἐπιλήσμονα *obliviosum*, ut putat Euſebius de Præparat. Euang. 11: 6. ſed eum, qui incurabiliter æger eſt. Ita hoc nomine Set revocare voluit in memoriam incurabilem illam miſeriam, in quam per peccatum cecidit homo. Sanè niſi Deus ſanaret noſtras infirmitates, nullum in Gilead pro nobis inveniretur balſamum. Hoc autem nomen Enos, quod primo uſu nomen fuit proprium, factum eſt nomen omnium hæredum corruptionis Pſalm. 8: 5. *Quid eſt* אֱנוֹשׁ *homo miſer, ut recorderis ejus?* Job. 15: 4. *quid eſt* אֱנוֹשׁ *miſer homo, ut mereatur?* vel, *ut mundus ſit?* Pſalm. 9: 20. *Surge ne invaleſcat* אֱנוֹשׁ *homo malus & miſer*. confer. verſ. 21. Pſ. 103: 15. אֱנוֹשׁ *miſer homo, ut gramen dies ejus.*

Set quare filium vocaverit Enos?

§. 5. Circa nativitatem aut etiam tempora hujus Enos ſingulare quid actum Scriptura notavit, nimirum, ut eſt Geneſ. 4: 26. אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה: quæ ſententia duobus modis verti poteſt, *Tunc cœptum eſt invocari nomen Jehovæ*, & tunc ſignificabit, illo tempore nomen Dei cultum publicè in cœtu & congregatione plurium, quod antea non niſi inter privatos uniuſcujuſque parietes fuerat celebratum; & Religionem quaſi poſtliminiò reſtitutam, quam Cain cum ſequacibus ſuis multis involverat tenebris & corruptionibus, vel, *Tunc cœptum eſt denominari à Jehovâ*, & ſenſus erit, aliquos incepiſſe ſe denominare à Jehova, voluiſſeque nominari בְּנֵי הָאֱלֹהִים *filios Dei*, ut diſtinguerentur à ψυχικοῖς *animalibus* illis, qui tantum vocabantur בְּנֵי אָדָם *filii hominum*. Geneſ. 6: 2. In hunc ſenſum hæc verba vertit Aquila, τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου, *tunc cœptum eſt vocari ex nomine Domini*. Ita notabitur diſſidium, quod cœperat eſſe inter filios Adami & nepotes, ſine dubio de religione, de cultu & juſtitia Dei, de modo & via ſalutis; quibuſdam ad exemplum Caini in carne ſua & dignitate operum propriorum confidentibus; quibuſdam fidem Abelis, id eſt, fidem in Jeſum Chriſtum imitantibus; & juſtitiam, quæ eſt ex fide, quærentibus. Quoad phraſin confer Eſ. 43: 7. 44: 5. 65: 1.

Circa hujus nativitatem cœptum eſt invocari nomen Domini.

§. 6. Sed tempus eſt ut agamus de Enocho, filio Jered. qui tantum trecentos & ſexaginta quinque annos in terra tranſegit, aliis ad ſenectutem longè altiorem viventibus, imò ejus filius Metuſalach omnium longiſſimè vixit. De hoc Enocho ita Moſes, *& ambulavit* חֲנוֹךְ *Enoch cum Deo, & non erat, quia aſſumſit illum Deus* Geneſ. 5: 24. in quem locum ita commentatus eſt Apoſtolus. Hebr. 11: 5. *Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem*, & non inveniebatur; *quia tranſpoſuerat eum Deus, nam ante translationem tum teſtimonium accepit grata feciſſe Deo*, εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ.

Enoch ambulavit cum Deo.

§. 7. Elogium, quo Enoch ornatur, eſt, *& ambulavit cum Deo*, non inconſtanter, ſed pio ſtudio, & firmo propoſito, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ. Luc. 1: 75. Id liquet

Ambulare cum Deo quid?

ex Geneſ. 5: 11. *Et ambulavit Enoch cum Deo, poſtquam genuiſſet Metuſalach, trecentis annis*, fuit igitur non unius diei, aut anni juſtus, πρόσκαιρος *temporarius*, ſed verè *juſtus, qui judicium fecit & juſtitiam, & veritatem ſervavit* qualis deſcribitur Ezech. 18:5. Ergo non ſine injuria de ſancto Viro ſcribit Jarchius צדיק היה וקל בדעתו לשוב אל הרשעים *juſtus quidem fuit, ſed levi ſententiâ ad redeundum ad improbos. Ambulavit* autem Enoch *cum Deo*. Id totum eſt, quod Deus à fidelibus & ſuis exigit: ita dixit Abrahamo Geneſ. 17:1. *Ambula coram me, & praeſta te integrum*. Mich. 6: 8. *Indicavi tibi quid bonum ... humiliter ambulare cum Deo tuo*. Paulus ante omnia monet, *dignè ambulare vocatione, quâ vocati ſumus* Epheſ. 4:1. Ambulatores ſumus & viatores, & non habemus hic manentem civitatem, patriam meliorem quaerimus. In hac ambulatione autem ambulandum eſt cum Deo; *ut filii lucis ambulate* Eph. 5:8. Includit hoc *ambulare* πίστιν *fidem*, ἐλπίδα *ſpem*, ἀγάπην *charitatem*, τὰ τρία ταῦτα *tria hæc*, quæ νυνὶ *nunc*, id eſt, in hac vitâ, *manent* 1 Cor. 13: 13. *Fidem* inquam, quæ fiducia eſt in Deum & Servatorem Dei, & redemptionem ac juſtitiam ejus; *Charitatem*, quæ implet fructibus juſtitiæ, & obſequioſos facit Deo, & arcte unit cum proximo; *Spem*, quæ eſt *animæ anchora ſecura & firma* Hebr. 6:19. Ita & Enoch ambulavit cum Deo; fide amplexus ſalutem & juſtitiam Dei; charitate ſincera adfectus in Deum & proximum, in pietatem & doctrinam veritatis, zeloque impletus gloriæ Dei; ſpe exſpectans meliora, animæ ſalutem, corporis reſurrectionem, & adventum Domini ad judicium. Id *ambulare* Enochi explicat Apoſtolus 1. Per εὐαρεστῆσαι τῷ θεῷ, quod propriè ſignificat *grata facere Deo, colere Deum*. Ita εὐαρεστεῖσθαι eſt *coli* Hebr. 13: 16. confer Syracidem 44: 18. Autorem Sapientiæ 4: 1. 2. Per προσέρχεσθαι τῷ θεῷ, *accedere ad Deum*. 3. per ἐκζητῆσαι τὸν Θεὸν, *quærere Deum*. *Fidei* eſt προσέρχεσθαι, per fidem enim ad Deum accedimus. *Charitatis* eſt εὐαρεστῆσαι, charitas enim omnis boni & laudis genetrix eſt, 1 Cor. 13: 4-7. *Spei* ἐκζητῆσαι, quod enim quærimus, id ſperamus nos inventuros; ut *non ſperamus, quod videmus* Rom. 8: 24. ita non quærimus, quod non ſperamus. Apoſtolus autem expreſſe facit mentionem fidei Enochi. *Fide Enoch translatus eſt, fide* nimirum Seminis promiſſi, Salvatoris & Domini, quæ fides eſt efficaciſſimum incentivum, ut peccator amare Deum incipiat. Unicum objectum fidei eſt Chriſtus Dominus, heri & hodie idem & in ſecula.

Locus ad Hebr. 11: 6. vindicatur.

§. 8. Neque huic noſtræ fidei expoſitioni contrariatur, quod Apoſtolus addit, *illam fidem quâ accedimus ad Deum*, & in qua Enoch ambulavit cum Deo, conſiſtere in eo, ut credamus 1. *Quod Deus eſt*. 2. Quod μισθαποδότης γίνεται *mercedis retributorem ſe exhibet illis, qui illum quærunt* Hebr. 11:6. Nam hæc eſt ipſiſſima illa fides, qua credimus remiſſionem peccatorum, ſalutem, juſtitiam & vitam æternam.

§. 9. Fidelis, & qui accedit ad Deum, debet credere 1. *Quod Deus eſt*. Ergo credere *Deum eſſe*, unicum motivum eſt ad amandum Deum & ad accedendum ad illum. Sane Deum eſſe æternum, omnipotentem, juſtum, peccati vindicem, non propriè credimus, ſed naturaliter cognovimus, pertinet id ad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod manifeſtum eſt in omnibus hominibus. Rom. 1: 19. Hæc autem notitia tum æternæ Dei potentiæ, tum inalienabilis juſtitiæ, quâ iram infert, non facit per ſe, ut peccator Deum amet, aut quærat; potius terret, ut Deum fugiat tanquam Vindicem, Ultorem, Iratum. Ergo in fide, qua credimus *Deum eſſe*, quaque movemur ad accedendum ad illum, continetur fides, qua credimus Deum eſſe, & ſufficientem, ut peccata poſſit remittere, & improbum juſtificare; & miſericordem, ut velit remittere; & bonum, ut actu remittat. Qui ita credit, quod *Deus eſt*, hoc eſt, quod non tantum eſt æternus, potens, juſtus, ſed gratioſus, miſericors,

dives

dives miſeratione, qui non delectatur morte improbi, qui vult Deus peccatoris fieri, certe illi Deus non erit terribilis, & accedere ad illum non verebitur. Hæc autem fides neceſſariò importat fidem & agnitionem Jeſu Salvatoris, peccata in ſe ſuſcipientis, Deumque mundo reconciliantis; ſine quo Deus gratiam & miſericordiam, citra abnegationem juſtitiæ exercere minime poteſt. Hanc fidem, Deum eſſe; & poſſe eſſe, & velle eſſe Deum peccatoris habuit Enoch: ergo habuit fidem Jeſu, Domini, Seminis promiſſi. 2: quod eſt *mercedis retributor illis, qui illum quærunt.* Sane omnibus, qui Deum quærunt, merces retribuitur. Deus enim non vult, non poteſt, fruſtra amari, fruſtra quæri; ſed credentibus, Deum eſſe juſtificantem improbos, remittere peccata, & illa fide accedentibus omnis illa *merces imputatur* κτ̀ χάριν *ſecundùm gratiam*, non verò κατ' ὀφείλημα *ſecundùm debitum*, ut fit τῷ ἐργαζομένῳ *ei, qui operatur* Rom. 4: 4. Certe fides in Deum & Chriſtum non caret mercede: reputatur enim in juſtitiam. *Ne time Abram, merces tua magna valdè* Gen. 15: 1. *Qui quærunt boni operis* (id eſt, fidei Joh. 6: 29.) *gloriam & honorem & incorruptionem, illis retribuet Deus* ζωὴν αἰώνιον *vitam æternam* Rom. 2: 7. ſed ut dictum, omnis hæc merces datur è gratia; gratiæ merces eſt. Hinc & illa fides, quam Enoch habuit, non fuit fruſtra, ſed imputata ipſi eſt, & merces retributa è gratia.

§. 10. Videamus nunc, qualem Enoch mercedem reportarit. De eo ita Moſes: ambulavit cum Deo וְאֵינֶנּוּ *& non erat.* Paulus: καὶ ὐχ ηὑρίσκετο *& non inveniebatur.* Cùm fidem tenuiſſet & bonam conſcientiam, & in terra cum Deo ambulaſſet, tandem non erat, deſiit eſſe, ἄφαντος γέγονε *non comparuit amplius*; non inveniebatur neque in domo ſua, neque in conventibus & cœtu piorum, neque in ambulacris publicis. Quo ergo abiit? לָקַח אוֹתוֹ אֱלֹהִים *tulit illum Dominus*, aſſumpſit illum Dominus. In illa aſſumptione animadverti debet terminus à quo, & terminus ad quem. Terminus à quo eſt העלם הזה *mundus hic, terra hæc*; à terra, è medio hominum illum abſtulit. Terminus ad quem, non eſt mors, non ſepulchrum, ſed Deus ipſe, cælum, Dei habitaculum. Sumpſit eum Deus ad ſe, è terra tranſtulit in cœlum, mortem non guſtavit. Tranſlatus eſt Enoch τ̃ μὴ ἰδεῖν θάνατον *ut mortem non videret*; ergo vivum tulit & aſſumſit illum Deus. Ita ſentit & Targum Onkeloſi ולא אמית יתיה יהוה *& non ſivit illum mori Dominus.* Item Flavius Joſephus ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον. ὅθεν ὐδὲ τελευτὴν αὐτοῦ ἀναγεγράφασι. *ſeceßit ad numen*, id eſt Deum. *Unde neque mors ejus literis relata eſt.* Quod attinet verbum לָקַח id ordinariè notat aſſumtionem. Ita de Chriſti ἀναλήψει uſurpatur Eſ. 53: 8. *E judicio & anguſtia* לֻקָּח *aſſumptus eſt*, nempe *ad Deum & thronum illius* Apoc. 12: 5. & de Eliæ in cœlum evectione 2 Reg. 2: 3. 5. 9. *Dic quid faciam*, antequam אֶלָּקַח *auferar, aſſumar de te.* & de fidelium aſſumptione Pſalm. 49: 16. *Deus redimet animam meam*, כִּי יִקָּחֵנִי *nam aſſumet me.*

§. 11. Ergo hæc eſt gratia ambulanti cum Deo Enocho facta; mortem non vidit, quam & Adam & Eva guſtarunt, & omnes fideles guſtare tenentur. *Vivus*, nullâ morte præcedente, mutatione tamen tali mediante, quali in noviſſimo die mutabuntur illi, qui tum non dormient, ſed in vivis ſupererunt 1 Cor. 15: 51. in cœlum evectus eſt, locum gloriæ & beatitudinis, in ipſum inquam cœlum tertium, in quod Paulus raptus fuit; quamvis is neſciverit an in corpore, aut an extra corpus fuerit 2 Cor. 12: 2. 3. Ita non anima exuta ſuo domicilio, ſed induta ſuo corpore ingreſſa eſt τὴν οἰκοδομὴν, quam è *Deo habemus*, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον ἐν τοῖς ὐρανοῖς 2 Cor. 5: 1. & *acceßit ad Sion montem, civitatem Dei vivi, ad myriades Angelorum, ad Eccleſiam primogenitorum, & judicem Deum omnium* Hebr. 12: 23. Igitur illos, qui contendunt Enochum in paradiſum tantùm terreſtrem, in quo Adam integer collocatus fuit, aſſumptum, inque eo ſervari uſque ad pugnam

Qualem mercedem reportarit Enoch.

cum Antichriſto, mutuis vulneribus decertandam, quamvis autoritate vetuſtæ traditionis id probare ſibi videantur, ire & ſibi plaudere jubemus.

Pauci cum Enocho vivi in cœlum evecti.

§. 12. Inſigne autem & ingens hoc eſt beneficium, quo perpaucos divina dignata eſt gratia, nimirum ante œconomiam legalem *Enochum*; ſub œconomia legali *Eliam*; in fine œconomiæ legalis *Dominum Ieſum, parum infra angelos minoratum* Pſ. 8. & forſan etiam illos ſanctos, quorum corpora è monumentis poſt reſurrectionem Domini Jeſu exierunt, & in civitate ſancta multis apparuerunt Matth. 27:52. nam ut illos mortem ſecundâ vice obiiſſe ſtatuamus, propter rationes non paucas non poſſumus. Benè Juſtinus Martyr Reſponſ. LXXXV. ad orthodoxos, de iis, qui cum Chriſto reſurrexerunt. Δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ ἐπιλαβέτωσαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθάπερ ὁ Ἐνὼχ, καὶ ὁ Ἠλίας, καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ. Verba hæc intellectu facilia verſione non indigent.

§. 13. Eſt tamen in hac evectione & aſſumtione *Enochi*, *Eliæ*, *Ieſu Chriſti*, ut ſimilitudo ita & diſſimilitudo, Jeſus aſſumtus eſt morte obitâ. Elias & Enoch morte præventâ, ut ita loquar. Jeſus *nube* ablatus eſt Actor. 1:9. Elias *curru igneo & equis igneis*, etiam cum בַּסְּעָרָה *turbine, procellâ* 2 Reg. 2:11. De Enocho, ſeu modo, quo aſſumtus eſt, ſcriptura ſilet. Jeſus in præſentia diſcipulorum, videntibus illis, ἐπήρθη. Elias vidente Eliſa & clamante, *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël & equites ejus!* Quinam fuerint αὐτόπται τῆς ἀναλήψεως Enochi pariter ſcriptura præteriit; fuiſſe tamen ſpectatores & teſtes, inde conjicere facile eſt, quia Moſes de illa loquitur, ut de re omnibus notâ, nemini ignotâ: *Non erat, nam aſſumſit illum Deus.* Attamen ſi quæ eſt inter hos tres in hoc paſſu convenientia, multo major tamen eſt diſconvenientia. Jeſus ut victor mortis, in cœlum, ut ſuum, quod in initio creaverat, jam vero per ſanguinem ſuum electis, *quaſi viâ novâ & recenti initiaverat* Hebr. 10:20. ſuâ vi & potentiâ, ſuopte merito intravit. Elias & Enoch, merito alieno, nimirum vi meriti & lytri Chriſti, præagniti antequam mundus eſſet; potentiâ etiam alienâ, nimirum potentiâ Dei; non ut victores in ſe, ſed in & per Victorem victores ex gratia; non ut in ſuum jure naturæ, ſed ſuum jure donatæ gratiæ intrarunt & aſſumti ſunt. Jeſus evectus eſt, ut dextra Dei exaltaretur, ut ſederet & pro nobis intercederet, rediturus ultimo die ad judicium: Enoch & Elias, ut communione Sponſoris & vi ac efficacia æternæ oblationis, & celebratione Dei juſtificantis peccatores, in cœtu angelorum & ſpirituum juſtorum conſummatorum gaudere ac beari poſſent.

Enochi aſſumtio docet finem eorum qui cum Deo ambulant.

§. 14. Exhibet autem hæc aſſumtio Enochi, quem venuſte Tertullianus vocavit *Candidatum immortalitatis*, abundantiſſimam doctrinam ad validam παράκλησιν: nimirum docemur illâ, finem fidei & ambulationis cum Deo eſſe *ſalutem*, *reportantes finem fidei, ſalutem animarum* 1 Petr. 1:9. qua ſe ſolantur pii Pſalm. 73:25. *In conſilio tuo ducis me, & poſtea in gloriam aſſumes me.* Docemur, ſalutem eſſe non tantum animæ, ſed & corporis: Enoch totus, & quoad animam & quoad corpus aſſumtus eſt. Docemur, mercedem noſtram eſſe repoſitam in cœlis, apud Deum: Enochum Deus beatitudine coronaturus aſſumſit ad ſe. Docemur, hanc eſſe victoriam ſeminis mulieris de Serpente & condemnatione, ut electos Dei ab amore & communione Dei & vita æterna non poſſint ſeparare. Docemur, mortem corporis non eſſe iram, ſed benedictionem: nam ſi eſſet ira, etiam illa Enocho fuiſſet ferenda. Docemur, fideles ante Chriſti apparitionem & mortem hæredes factos vitæ æternæ: Enoch primi mundi incola, à Deo aſſumtus eſt in gloriam. Hæc & ſimilia animum advertentibus facile occurrunt.

Enochus Propheta fuit.

§. 15. Enochus propheta fuit, unde Judas verſ. 14. *Prophetavit ſeptimus ab Adam, Enoch.* Judæi garrire aſſueti dicunt, Enochū fuiſſe prophetam בסדרגה יותר גדולה ממשה ומאליהו

in gradu excellentiori, quam *Moſen & Eliam.* Propheta ſane fuit, qui *vir fuit Dei, & ambulavit cum Deo ſuo.* Ejus ſine dubio cauſam egit. Ejus ſanctitatem contra impios defendit. Ejus judicia nunciavit; nec minor hac in parte habendus Noacho, qui *præco juſtitiæ fuit* 2 Petr. 2: 5. & futura prædixit; & pâr cenſendus Eliæ, qui propheta fuit & ſecundus ab Enocho vivus in cælum aſſumtus eſt, & quid magis conſentaneum vero, quàm illum, quem præ multis myriadibus fidelium gratia divina extulit, & primum omnium juſtorum & quoad Spiritum & quoad corpus conſummavit, etiam in hâc vita inter omnes eminuiſſe non tantùm in ſanctitate vitæ, ſed & in ſancti zeli conſtantiâ & in donorum Spiritus ſancti, quæ inter προφητεία *prophetiæ donum* omninò cenſeri debet, abundantia, & in doctrinæ & ſapientiæ cœlitus deſcendentis puritate & notitia?

§. 16. Ut autem Judas Apoſtolus Enochum prophetaſſe docet, ita & quid Enoch prophetavit, & de qua re prophetia illius agat, opportunè & in rem noſtram tradidit. Ita ergo Enochum dixiſſe ſcribit: *Ecce, venit Dominus cum myriadibus ſanctis ſuis, ad faciendum judicium de omnibus, & ad redarguendum impios eorum de omnibus operibus impietatis ſuæ, quæ impie commiſerunt; & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra ipſum peccatores impii.* Primarium ſubjectum, cujus in hac prophetia mentio fit, eſt κύριος *Dominus, ſemen mulieris, contritor capitis Serpentis*, in paradiſo promiſſus, quem *omnis lingua confiteri* debet *Dominum ad gloriam Dei patris* Phil. 2: 11. Non eſt is tantum *Dominus*, quia ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα Col. 1: 16. Joh. 1: 3. ſ. jure creationis, ſed præcipue quia Eccleſiam περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος Actor. 20: 28. *ſibique purgavit & emit* λαὸν περιούσιον Tim. 2: 14. Apoc. 5: 9. hoc eſt, jure redemtionis. Hujus Domini adventum prævidit & προεπηγγείλατο Enochus: Ἰδοὺ *Ecce*, inquit, particula prophetis non inuſitata, confer. Eſ. 7: 14. *Ecce virgo gravida eſt.* Eſ. 40: 10. *Ecce Dominus Deus cum robore venit. Ecce merces ejus cum ipſo*, rem futuram quaſi digito præmonſtrant. Ecce *Venit.* Venturus adhuc erat Dominus, igitur dicendum fuiſſet *Veniet*, ſed loquitur Enoch de re futura, ut jam exſtante. *Ecce* ἦλθε *Venit*, in ſpiritu & fide ea, quæ futura erant, ut jam præſentia ſibi ſiſtens. Ita fides eſt ἐλπιζομένων ὑπόστασις, *pollicitatio ſ. repræſentatio rerum, quæ adhuc ſperantur.* Hebr. 11: 1. Et talis loquendi ratio familiaris eſt prophetis. vid. Eſ. 9: 5. *Filius datus eſt nobis, puer natus eſt nobis*; *natus* inquit, qui in plenitudine temporis demum naſcendus erat. Gal. 4: 4. Adventum autem Domini quod attinet, *ecce venit*, is in ſacris notatur varius. Unus è monte Sina. Deut. 33: 2. *Iehova è Sina venit.* Unus è Betlehem. *Ex te exibit Dominator* Mich. 5: 1. ἐξελεύσεται ἡγούμενος. Matth. 2: 6. ad Zion. *Gaude filia Zion*, Rex *tuus veniet ad te* Zach. 9: 9. Unus cum nubibus, die noviſſimo. Apoc. 1: 7. *Ecce, venit cum nubibus, & videbit illum omnis oculus*, qui adventus vocatur παρουσία τοῦ θεοῦ 2 Petr. 3: 12. παρουσία τοῦ κυρίου. Jacob. 5: 8. ἐπιφάνεια τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος Tit. 2: 13. confer 2 Theſſ. 2: 8. 2 Tim. 4: 8. ἀποκάλυψις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ 2 Theſſ. 1: 7. Enochus generaliter de omni hoc adventu, præcipue tamen de noviſſimo ſeu poſtremo prophetizat. Veniet autem Dominus non ſolus, ſed *cum ſanctis myriadibus*, intelliguntur *Angeli*, qui in ſanctitate conditi, *initium ſuum ſervarunt* Jud. verſ. 6. quique ob multitudinem, & quod numerus illorum penè innumerabilis eſt, cum myriadibus comparantur, confer Hebr. 12: 22. Dan. 7: 10. Ita in *Sina* venit cum Angelis. Deut. 33: 2. *Dominus venit è myriadibus ſanctis ſuis.* imò & *in mundum* ſ. terram 1 Tim. 1: 15. quod Johanni eſt εἰς τὰ ἴδια *ad propria.* Joh. 1: 11. Tunc enim cecinit *multitudo cœleſtis exercitus* Luc. 2: 13. *Angelique Dei aſcenderunt & deſcenderunt ſuper filium hominis.*

minis. In ultimo Domini adventu *venient omnes ſancti Angeli cum illo* Matth. 25: 31. confer 2 Theſſ. 1: 7. Annunciato Domini adventu etiam quid Dominus acturus ſit annunciat Enoch. Ecce venit 1. *ad faciendum judicium de omnibus. Omne judicium dedit Pater Filio* Joh. 5: 22. *Judicium gentibus annunciabit* Matth. 12: 18. è Eſ. 42: 1. *uſque dum veniat cujus eſt judicium, & dabo illud* Ezech. 21: 32. *definitus eſt à Deo* Dominus Jeſus *judex vivorum & mortuorum* Act. 10: 42. Ita *in Sina* judicavit *omnes*: & Iſraelitas, quibus legem, jugum impoſuit, à quibus chirographum exegit; & Gentes, quibus poſuit μεσότοιχον, quaſque ſub inobedientiam concluſit. *In Zion*: ubi ipſe *judicio* ſubjectus *& dominationi* fuit Eſ. 53. *& peccatum in carne illius condemnatum* Rom. 8: 3. per *Spiritum* ſuum *redarguit mundum de judicio, quodque Princeps hujus mundi judicatus eſſet* Joh. 16: 1. *Judicavit inter populos* Eſ. 2: 4. confer Eſ. 11: 4. *In noviſſimo* denique *die* ubi judicabit τὰ κρυπτὰ *abſcondita omnia hominum* Rom. 2: 16. 2. *ad redarguendum impios omnes.* Ita redarguit mundum primum 1 Pet. 3: 19. & in mundo ſecundo, Judæorum impios, gentiumque feroces & hypocritas, & publicè tandem in ultimo judicio illos confundet; imo etiam *de omnibus duris* redarguet verbis. Ergo omnes blaſphemiæ, convicia, & falſa de Chriſto, ejus perſona, ejusque merito & ſatisfactione dogmata in judicium venient, & homines aliquando rationem reddent de omni inutili verbo, quod exivit ex ore illorum. Ex hiſce autem liquet, quanta impietas vivente Enocho impleverit mundum. Fuerunt, qui negarunt adventum Domini; quemadmodum etiam poſterioribus hiſce diebus venerunt ἐμπαῖκται, dicentes, πῦ ἐςιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτῦ 2 Pet. 3: 4. Illis dixit Enoch: *Ecce venit Dominus.* Fuerunt, qui ſcelera impune fieri falsò ſibi perſuaſerunt. Iis dixit, *Faciet judicium Deus, & redarguet.* Fuerunt, qui dura in Dominum dicta oblivione ſepelienda cenſuerunt. Iis dixit, redarguet Dominus *de omnibus duris.*

§. 17. Talia autem peccata ultimis etiam noſtris temporibus exſtitura, talesque improbos ſurrecturos, Spiritu prophetico Judas prævidit, unde etiam illis applicat Prophetiam Enochi; atque dicit, eum & his improbis illa prophetaſſe, & illos hæc ſibi etiam dicta eſſe, debere omnino putare. *Prophetavit autem & illis ſeptimus ab Adam Enoch*: qui enim in ſimilem impietatem ruunt præcipites, iisdem eadem mala, eadem judicia, easdem pœnas imminere & incumbere perſuaſiſſimum eſto.

§. 18. Non immerito autem quæritur, unde Judas Apoſtolus hanc Enochi prophetiam hauſerit. Moſes illam literis non conſignavit; nec ullibi in ſacrò codice iisdem verbis illa invenitur deſcripta. Multi hic fingunt, ſcriptum eſſe ab Enocho librum, qui tempore Judæ adhuc exſtiterit. Atqui ſi talis ab Enocho liber ſcriptus eſſet, utique Canonicis Veteris Teſtamenti libris adjunctus, & una cum illis ſervatus fuiſſet: quod quia non factum, habemus pro incertiſſimis, quæ de libro Enochi narrantur. Ut autem quæſtioni propoſitæ ſatisfiat, ita dicimus. Non poteſt dubitari, quin Enoch, *Propheta, Vir Dei, ambulans coram Deo, & grata illi facere ſtudens*, videns ſeculi ſui & coætaneorum ſuorum flagrantiſſima ſcelera, & ſancta impletus diſplicentia tam depravatorum morum talia in illos dixerit & publicè declamarit. Neque enim ad illa crimina connivere aut tacere potuit fidelis Dei ſervus, niſi in communionem eorundem ſcelerum, intrare vellet. Qui enim peccata tacendo præterit, ea approbare videtur. Deinde nil efficacius improbis, ut in curſu nequitiæ coërceantur, aut quo terreantur, ſuggeri poteſt quam adventus Domini, juſtum ejus judicium, & quod impii in examen ſcelerum, & impietatum, & blaſphemiarum certo vocandi ſunt. Ita Felix audiens diſſerentem Paulum *de juſtitia, & continentia, & futuro judicio, fiebat* ἔμφοβ𝈀 *terroris plenus* Actor. 24: 25. Judam autem Apoſtolum quod

atti-

attinet, ille ab eodem Spiritu, qui in Enocho fuit, actus, per *σύνεσιν πνευματικὴν intelligentiam ſpiritualem* talia ab Enocho dicta firmiſſimè concludere potuit. Ideo etiam optimè & patethice tales Enocho ſermones in proſopopœja attribuit, *ecce venit Dominus.* Addamus: idem ille Spiritus Dei, qui per Enochum talia locutus eſt, per Judam illa voluit conſignari, etiam longo tempore poſt pronunciatam illam prophetiam, quemadmodum & per Moſen curavit ſcribi creationem mundi, ſermones Dei, res geſtas & vaticinia Patrum; per Moſen, inquam, qui tot ſeculis effluxis demum natus eſt, atque adeo ipſe illa nec audiverat, nec viderat, nec in codicibus ullis ſcripta invenerat. Facile autem fuit Spiritui æterno & omniſcio, in quem ut mutatio nulla, ita nec oblivio cadit ulla, quique quæ per os locutus erat Enochi, tempore Judæ adhuc optime ſciebat, illa Judæ ſecundâ quaſi vice & de novo inſpirare, ut per illius miniſterium mundo revocarentur in memoriam. Et quamvis illa prophetia Enochi, quoad rerum ſubſtantiam, in aliis prophetiis, quas Eccleſia Veteris Teſtamenti accepit, nobiſque tradidit, abunde contineatur, *ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι, viſum* tamen *eſt Spiritui ſancto*, illam cum expreſſa notatione nominis Enochi, per Judam ſervum Jeſu Chriſti, altius repetere, &, ut dixi, clariſſimè in perpetuum monumentum proponere.

§. 19. Poſt Enochum memorabilis eſt Noach, tertius ab Enocho, adeoque decimus ab Adamo, *à quo ſeptimus* Enoch fuit Judæ verſ. 14. confer 1 Chron. 1: 1. 2. 3. 4. Hic genitus à *Lamech* ab eodem accipit nomen נֹחַ *Noach.* Quam autem Lamechus de filio hoc ſpem concepiſſet, ſtatim indicavit, *dicendo, hic conſolabitur nos ab operibus noſtris, & à dolore manuum noſtrarum de terra, cui maledixit Dominus.* Geneſ. cap. 5: 29. Eva nato Kaino putabat, *ſe acquiſiviſſe Virum Dominum*; eadem nato Seto gloriabatur; *poſitum ſibi Semen à Deo*; Lamechus nato Noacho *Conſolatorem* ſe accepiſſe ſibi perſuadet. Ut *τὸ δωδεκάφυλον duodecim tribus* Iſraëlis anxie *exſpectarunt παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ conſolationem Iſraëlis* Luc. 2: 25. ita ſine dubio fideles ante diluvium *ſperarunt καταντῆσαι pervenire ad promiſſionem* in Paradiſo *à Deo factam* Adamo & Evæ: confer Actor. 26: 6. 7. Spes fideles facit prægnantes deſideriis, votis, exſpectatione. Quæ autem ſperamus, expectamus, deſideramus, ad ea nos quaſi ſuperextendimus, eaque ſingulis fere momentis nobis præſentia ſiſtimus, & quavis occaſione allucente nobis promittimus, & deſideriis noſtris quaſi præoccupamus. Igitur & fideles antediluviani pleni ſpei & exſpectationis promiſſi Seminis, cum hora & dies adventus illius non præciſe illis determinatus eſſet, facile eo proceſſerunt, ut in filiis ſuis natis Semen promiſſum blande ſibi pollicerentur. Quare Lamechus, nato Filio Noacho, aut ſe accepiſſe in perſona illius *Conſolatorem* promiſſum, ſibi perſuaſit: quod ſi fecit, certe non parum erravit. Conſolator enim & Redemtor peccatorum non potuit *naſci è ſanguinibus, & voluntate Viri* Joh. 1: 13. aut accepto illo in ſpe maturantis adventum ſuum Seminis ſeſe erexit, & Noachum ut anteambulonem, & præcurſorem, ac pignus certo ſubſecuturi Conſolatoris ſua mente conſideravit. Beneficium, quod Lamech ab illo ſibi promittit, eſt *Conſolatio. Conſolabitur nos.* Ita & Eſ. 61: 1. 2. dicitur is, ſuper quem *eſt Spiritus Domini Dei, miſſus ad conſolandum omnes lugentes*: confer Matth. 5: 4. & Eſ. 40: 1. *Conſolamini, conſolamini populum meum.* Et Deus ipſe ſe Conſolatorem populi ſui vocat Eſ. 51: 12. *Ego ego ipſe Conſolator veſter.* Cum *παρακλήσει conſolatione* autem *efficaci* inſeparabiliter conjuncta eſt *κατάπαυσις requies*, de qua Matth. 11: 28. 29. Heb. 4: 10. 11. Quos enim conſolatio vere afficit, illos requies & tranquillitas occupat, neque conſolatio locum habet, ubi requies exulat. Conſola-

Poſt Enochum memorabilis Noach.

Ratio nominis Noachi.

tionem autem & tranquillitatem deſiderat Lamech. 1. *Ab operibus. Conſolabitur nos ab operibus noſtris,* qualia opera imprimis ſunt opera peccati & luctæ. Hæc conſolatio perficitur in ſanctis per illorum ſanctificationem, liberationem & redemtionem à peccato, & peccati ſequelis, morte & condemnatione. Deinde ut *fides* dicitur ἔργον *opus* Rom. 2: 7. Joh. 6: 29. ita & *ſpes* ac exſpectatio *opus* animæ dici poteſt. Igitur & à ſpe & deſideriis rerum ſperatarum ad pleniorem illarum fruitionem aſpiravit Lamech, & ſatietatem ac impletionem omnis ſpei & deſideriorum exſpectavit. 2 *A dolore manuum. Conſolabitur nos à dolore manuum noſtrarum:* Huc pertinet omnis labor, miſeria, & ærumna vitæ hujus, quæ pane ſuſtentatur in ſudore vultus. Ab his omnibus liberari ſperavit Lamech. Et quandoquidem à miſeriis hiſce terreſtribus, & à malis diebus vitæ noſtræ caducæ & fragilis plena requies non datur, niſi in beata morte corporis, deprehendimus Lamechum aſpiraſſe & anhelaſſe ad *liberationem è corpore mortis*, quam Paulus ῥῦσιν vocat, & ἀνάλυσιν *ſolutionem* Rom. 7: 24. Phil. 3: 23. imo *ad liberationem ob omni ſervitute corruptionis, ad plenam libertatem gloriæ;* aſſervatæ, *filiis Dei* Rom. 8: 21. Hæc autem omnia in Semine Conſolatore ſibi pollicetur; quia cauſa meritoria & pleniſſimus effectus & τελείωσις *conſummatio* horum beneficiorum in Seminis promiſſi adventum erant quaſi protogata & πεπληρωμένα, & quamdiu id nondum advenerat, etiam illæ promiſſiones omnes accipi, & quoad τελείωσιν *aſportari nondum* poterant; confer Hebr. 11: 39. In hanc etiam mentem prophetiam hanc accepit Epiphanius lib. 1. tom. 2. *Noah a peccatis nos quietos non fecit, ſed prophetavit Lamech in Chriſtum, qui per Noam ſignificatur in veritate.* Notandum autem, Epiphanium LXX. interpretum verſionem ſecutum eſſe, quæ quod in Hebræo eſt, *Hic conſolabitur nos,* ita tranſtulit, οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς, *hic nobis quietem dabit*, ac ſi in Hebræo codice legeretur זה יניחנו, quod ſonat, *hic faciet nos quieſcere*, cum tamen in Hebræo ſit זה ינחמנו, quod eſt, ut vertimus, *hic conſolabitur nos.* Res tamen eodem redit, qui enim ſolatia dat & affert, is quietem animæ conciliat, & mentem tranquillat: & quid aliud eſt conſolatio quam quies & tranquillatio à dolore & triſtitia, ut vulgo Hebræi fatentur, נחמה כנוחה מעצבון הלב:

Noach invenit gratiam in oculis Dei.

§. 20. De hoc autem Noacho ſacræ literæ multa & præclara narrant. Geneſ. 6: 8. *Et Noah invenit gratiam in oculis Domini.* In eundem fere ſenſum hortatur Paulus Hebr. 4: 16. *Accedamus ad thronum gratiæ, ut accipiamus miſericordiam & χάριν εὕρωμεν gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Gratia Dei *æterna* eſt, *data* enim *eſt ante tempora ſecularia* 2 Tim. 1: 19. *manet; Montes recedent, gratia autem mea à te non recedet* Eſ. 54: 10. hinc vocatur *gratia fidelis* Eſ. 55: 3. Gratia hæc *ſalvat*, Epheſ. 2: 5. *gratiâ eſtis ſalvati*, eſtque ἡ χάρις ἡ σωτήριος Tit. 2: 11. *juſtificat*; Rom. 3: 24. *juſtificati gratis, gratiâ illius* Tit. 3: 7. *juſtificati illius gratiâ: vivificat*; eſt enim χάρις ζωῆς *gratia vitæ* 1 Petr. 3: 7. *ut juſtificati per gratiam illius heredes fiamus* ζωῆς αἰωνίου *vitæ æternæ* Tit. 3: 7. Gratia *cor confirmat*; Hebr. 13: 9. καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν. Gratia *ſufficiens eſt*; 2 Cor. 12: 9. ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου. Gratia idoneos facit ad fungendum munere divino; Act. 14: 26. *Gratiæ Dei tradebantur* Paulus & Barnabas, *ad opus quod implebant.* Denique omnis boni fons gratia eſt; 1 Cor. 15: 10. *Gratiâ Dei ſum, quod ſum.* Noah invenit gratiam in oculis Dei; gratis à Deo electus ante tempora, gratis juſtificatus & ſanctificatus dum viveret in terra, gratis glorificandus, imo jam ex parte glorificatus in ſecula omnia. In ſpecie ad hanc gratiam pertinet, quod Deus illi propoſitum ſuum de abolenda carne detexit, quod illum reſipiſcentiæ dedit annunciatorem, quod illum arcam condere juſſit ad domus ſuæ ſalutem, quod illum conſtituit ſecundi novique mundi caput, radicem & reſtauratorem.

§. 21. Nec

§. 21. Nec tantum gratiam divinam illi collatam Scriptura teſtatur, ſed & gratiæ *περισσείαν abundantiam* & effectus gratiæ in illo notavit. Geneſ. 6: 9. Noach *vir juſtus, integer erat in generationibus ſuis; cum Deo ambulavit Noah.* Igitur fuit Noachus 1. צַדִּיק *juſtus*: confer Geneſ. 7: 1. nimirum per fidem, quæ ut Abrahamo, ita & Noæ *imputata eſt in juſtitiam* Geneſ. 15: 6. qui *in Deo inveniuntur*, ut Noah inveniens gratiam apud Deum, ſine dubio inventus eſt *non habens juſtitiam, quæ eſt è lege ſed quæ eſt per fidem Chriſti, juſtitiam, quæ eſt è Deo ad fidem* Phil. 3: 9. confer Hebr. 11: 7. 2. תָּמִים *Integer, ἄμεμπτος καὶ ἀκέραιος inculpatus & ſimplex, filius Dei invituperabilis in medio generationis contortæ & perverſæ, in illis lucens ut luminare, ſermonem vitæ recipiens* Phil. 2: 15. 16. idque בְּדֹרֹתָיו *in generationibus ſuis*, quod non additur, ut Judæi multi explicant, לגנאי *in dedecus* Noachi, ac ſi tantum juſtus & integer fuiſſet לפי דורו reſpectu corruptæ ſuæ generationis, in qua parva etiam juſtitia & umbra integritatis celebre nomen accepit; quodque cum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, aliiſque *ἐν τούτῳ τῷ μέρει in hac parte* comparari non poſſit; ſed notatur, Noachum diverſas generationes & differentias ætatum humanarum vidiſſe: juvenis vidit ſenes; ſenex vidit juvenes. Sive ergo juvenis à ſenibus, ſive ſenex à juvenibus viſus, ſemper deprehenſus fuit eſſe juſtus & integer, in diverſis his generationibus. Integer fuit inter majores & minores, cum quibus vixit, & cum juvenis eſſet, integer fuit, & ſenex factus, integer eſſe neutiquam deſiit. 3. *Cum Deo ambulavit*, id quod ſupra vidimus etiam de Enocho dictum §. 6. 7. & magnæ emphaſeos eſt. Non ſuam, ſed Dei viam ſecutus eſt Noë; *ambulavit enim cum Deo*: non mundi ſectatus impietates & concupiſcentias, ſed Dei præcepta timens & obſervans. Filius cum Patre, ſervus cum Domino ambulare ſolet. Ergo & Noah Deum ut patrem electorum, & Dominum vivorum & mortuorum honore & reverentia proſecutus eſt. Quicquid cogitavit, egit, dixit, cum Deo & in Deo fecit omne, ita mens, cor, corpuſque Noachi, & τὸ ὁλόκληρον illius ſanctum fuit Domino. Deum ſibi habuit comitem, ductorem, & conſiliarium: cum quo enim ambulamus, is aut comes, aut ductor, aut à conſiliis noſtris eſt. Deum ut ultimum finem, & ſummum bonum ſanctorum conſideravit; omnis enim ambulatio ad finem quendam tendit. Quando mens ea, quæ Dei ſunt, interdiu & noctu meditatur; & os laudes Dei jugiter enarrat; & membra ſe ſiſtunt Deo ſerva juſtitiæ; tum demum ſancti cum Deo ſuo ambulant. Id omne de Noacho cogitandum, quando cum Deo ambulaſſe laudatur. Ad cumulum horum encomiorum facit, quod pluries de Noacho Scriptura inculcat: *Et fecit Noah ſecundum omne, quod præcepit illi Deus, ſic fecit.* Geneſ. 6: 21. 7: 5. Certe *obedire melius eſt ſacrificio, & auſcultare præ adipe arietum* 1 Sam. 15: 22.

Fuit juſtus, integer in generat. ſuis & cum Deo ambulavit.

§. 22. Sed nec Scriptura Novi Teſtamenti viri hujus laudes & officium ſilet. 2 Pet. 2: 5. dicitur Noachum fuiſſe *δικαιοσύνης κήρυκα juſtitiæ præconem*, non tantum omne juſtum, rectum, æquumque docuit; ſed *juſtitiam*, qua *juſtificatur ὁ ἀσεβὴς impius*, ita ut Deus ſit maneatque *δίκαιος juſtus*, quæ *in lege & prophetis teſtimonium habet* Rom. 3: 21. 26. 4: 5. quæ heri & hodie & in ſeculum una & eadem eſt, nimirum illa Paulo dicta *juſtitia Dei ex fide in fidem* Rom. 1: 17. 9: 30. cui juſtitiæ mundus ſe ægrè ſubjicit Rom. 10: 3. magno zelo propugnavit contra omnes, qui illam *ignorantes propriam ſtatuere juſtitiam quærebant* Rom. 10: 3. Denique de juſtitia Dei vindicatrice, tempuſque eſſe *τοῦ ἄρξασθαι τὸ κρίμα ut incipiat judicium*, & de judicio futuro, de quo & Enoch prophetavit, ſine dubio diſſeruit. Igitur quod dicitur 1 Pet. 4: 6. *Ad hoc etiam mortuis εὐηγγελίσθη evangelizatum eſt* (intelliguntur autem, qui Petro illa ſcribente dudum mortui erant; tunc au-

Noachus juſtitiæ præco.

tem cum illis euangelizaretur, adhuc in terrâ vivebant) id per Noachum factum eſſe, illumque fuiſſe primi mundi *εὐαγγελιστὴν* indubium eſt. Quinimo quod Chriſtus *in diebus Noë in Spiritu ſuo* dicitur *iviſſe* & *prædicaſſe* 1 Pet. 3: 19. id per Noachum, à Spiritu Chriſti actum, ut præco juſtitiæ eſſet, magna ſui parte factum exiſtimamus.

Noachus fide paravit arcam.

§. 23. Omnia autem, quæ de Noacho dici poſſunt, unâ quaſi ſententiâ complexus eſt Paulus Hebr. 11: 7. *Fide divinitus monitus Noë de iis, quæ nondum videntur, metuens paravit arcam, ad ſalutem domus ſuæ; per quam damnavit mundum, & juſtitiæ, quæ eſt ſecundùm fidem factus eſt hæres.* Notat Paulus in Noacho 1. *fidem, ſine qua impoſſibile eſt grata facere Deo* Hebr. 11: 6. quæ unicè in Abrahamo laudatur, *& credidit in Dominum* Geneſ. 15: 6. per quam Eccleſia *Deo deſponſatur* Hoſ. 2: 22. *quæque eſt victoria quæ vincit mundum* 1 Joh. 5: 4. 2. *χρηματισμὸν divinas monitiones* & *revelationes.* Ita fuit Deo cum Noacho סוד *familiare commercium* Pſalm. 25: 15. Monuit illum Deus, & revelavit illi, ea, quæ *nondum videntur, quæ oculus non vidit, auris non audivit* 1 Cor. 2: 9. quæque ſint *αἰώνια æterna* 2 Cor. 4: 18. Minimum hic eſt, quod Deus illum monuit de fine omnis carnis, & ut arcam exſtrueret. Majora illa, quæ de Deo Creatore, de Filio Redemptore, de Spiritu ſancto Sanctificatore, de regno Dei & juſtitia ejus, de reſurrectione & vita æterna ad ſalutem credi & ſperari neceſſum eſt, Deus illi revelavit. *Caro & ſanguis illa revelare non poſſunt*, ſed accedere oportet *χρηματισμὸν Patris, qui in cœlis eſt* Matth. 16: 17. confer 1 Cor. 2: 10. *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum ſuum.* 3. *εὐλάβειαν pium metum*, qui & in Chriſto fuit Hebr. 5: 7. *καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας*, & qui in ſanctis eſſe debet Hebr. 12: 28. *habeamus gratiam Deo μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας.* Pius in Noacho metus fuit divinæ tum Majeſtatis & juſtitiæ; tum divinorum judiciorum, quæ primo mundo imminebant: & ut cum Chryſoſtomo loquar *ὅσιος φόβος περὶ τῆς ἀπωλείας ſanctus timor de interitu tot hominum.* Hæc fides autem & *εὐλάβεια* efficaciter in Noacho egit. 1. *Paravit arcam.* navium forſan tum nullus, aut rarus fuit uſus, & exigua illarum notitia. Igitur & operæ fuit & laboris, arcam parare. Sine dubio etiam ab improbis & carnalibus, qui ſecurè ſibi confidentes nil minus quàm aquas diluvii venturas credebant, irriſus, deluſus, & omnibus modis impeditus. Sed tulit hæc omnia Noë, & timens ad verbum Dei inceptum abſolvit opus, nil metuens mundi inſultus & ludibria, laboris molem & diuturnitatem. Ita timor Dei timorem mundi expellit. 2. *Per fidem condemnavit mundum.* Ut fides mundum vincit, ita & condemnat. Fides enim docet, non mundum per ſe tantum eſſe condemnabilem, ſed multo fieri condemnabiliorem per inobedientiam & incredulitatem; *quomodo enim effugient, qui tantam ſalutem neglexerunt?* Hebr. cap. 2: verſ. 3. *qui non credit, ἤδη κέκριται, jam condemnatus eſt* Joh. 3: 18. Fides ſanctos facit *παῤῥησιάζεσθαι*, ut publicè mundo injuſtitias exprobrent. Igitur & Noë *παῤῥησιαζόμενος ἀρχαίῳ κόσμῳ primo mundo* locutus eſt; & ut Petrus Simoni dicebat, *Non eſt tibi pars & hæreditas in hoc verbo, cor tuum non eſt rectum coram Deo. Reſipiſce à malitia, ora Deum*; video *te in bile amaritudinis & vinculis injuſtitiæ eſſe* Actor. cap. 8: verſ. 21. 22. 23. ita ſinè dubio Noachus & publicè & ſæpè, *εὐκαίρως, ἀκαίρως, tempeſtivè, intempeſtivè inſtitit, & verbum præconiatus eſt, & reprehendit & increpuit, imò & in omni longanimitate & doctrina admonuit* 2 Tim. 4: 2. Denique docet Paulus, Noachum *factum eſſe hæredem juſtitiæ, quæ eſt ſecundùm fidem.* Fides vera juſtitiam affert, & *finis illius eſt σωτηρία ψυχῶν ſalus animarum* 1 Pet. 1: 9. *Qui enim credit in Deum, juſtificantem improbum, illi fides reputatur in juſtitiam*

Rom.

Rom. 4: 5. Ergo hæc conjuncta ſunt inſeparabiliter, *Crede & juſtificaberis.* Fides quidem juſtitiæ cauſa aut concauſa non eſt, eſt tamen unicum & ſolum organum & medium, quo ſimus participes illius ſacrificii, victimæ, lytri, obedientiæ, quæ nobis parit *juſtitiam*, hoc eſt, pleniſſimum jus, quo freti nixique vitam æternam, Dei gratiam, & omnem cæleſtium communionem petimus. Eſt enim obedientia juſti Dei ſervi δικαίωμα ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων Rom. 5: 16. 18. Dicimur autem *hæredes fieri hujus juſtitiæ*, quia illam jure *filiationis*, quam *in Chriſto accipimus* Gal. 4: 5. hæreditamus: quia in Teſtamento æterno, quod in ſanguine Jeſu firmum eſt, illa ſanctis legata & diſpoſita eſt. Eadem ratione, qua dicimur κληρονομεῖν σωτηρίαν *ſalutem hæreditate aſſequi* Hebr. 1: 14. *eſſe hæredes Dei, cohæredes Chriſti* Rom. 8: 17. Gal. 4: 7. confer Eſ. 54: 17. 1 Pet. 1: 4.

§. 24. Agamus autem ordine 1. de univerſali hominum primi mundi corruptione, de peccatis illorum & ſceleribus 2. de Arca, quam Noë juſſu Dei condidit, & in quam cum ſuis intravit. 3. de diluvio, quod totum terrarum Orbem inundavit, & omnem carnem extinxit. 4. de iis, quæ poſt diluvium circa Noachum evenerunt.

§. 25. De primo ita Scriptura Gen. 6: 11. 12. *Et corrupta erat terra coram Domino, & impleta erat terra injuria* ſeu *violentia. Et vidit Dominus terram, & ecce corrupta erat; nam corruperat omnis caro viam ſuam. Omnis caro* dicitur ita ut Eſ. 40: 6. *Omnis caro gramen*, & ✠. 5. *Videbit omnis caro*, notantur homines, qui in corpore, quod è carne & oſſibus conſtat, habitant. *Homo* ſæpè denominatur ab una ſui parte, nonnunquam *caro*, ut hic; nonnunquam *anima* Rom. 11: 1. *Omnis anima poteſtatibus ſubjecta eſto.* Per *viam* hominis notantur cogitationes, ſtudia, conſilia, actiones illius, quæ omnes ad certum ſcopum finemque tendunt, ut omnis via metam ſibi præfixam habet. Dum omnis caro dicitur viam *corrupiſſe*, notantur malæ cogitationes, perverſa ſtudia, impia conſilia, ſceleratæ actiones, plurimum diverſæ à *viis Dei bonis & rectis, in quibus juſti ambulant & impii offendunt* Hos. 14: 10. Dum dicitur, Omnis caro corrupit viam *ſuam*, idem innuitur quod Eſ. 53: 6. *Omnes ut oves aberravimus; unuſquiſque ad viam ſuam reſpeximus*; & notatur diverſitas conſiliorum & ſtudiorum: unuſquiſque propriam ſibi elegit viam. Sed corruptio labes fuit omnium. Corruptio illa eſt & doctrinæ & morum. Omnem ſanam doctrinam adulterarunt ac religionem, & corruptiſſimis ac ſceleratiſſimis operam dederunt moribus. Corrupta doctrina nec mores boni aut ſancti eſſe poſſunt; & corruptis moribus, ut omnis religio, lex & doctrina ſileat, neceſſum eſt. Ita corruptis viis omnis carnis, etiam *terra corrupta eſt.* Terra corrumpitur, quando *in ſervitutem* φθορᾶς corruptionis cogitur, idque *coram Domino*, Domino ita judicante, & illam unà cum incolis abominante, imò omni *violentia*, rapinis, cædibus, dolis *impleta*, ita ut facta ſit univerſa terra σπήλαιον λῃστῶν.

§. 26. *Omnis terræ facies* (Act. 17: 26.) tunc habitabatur à Caini & Sethi poſteris. Duo enim hi filii Adami radix & propago exſtiterunt totius generis humani. Cainitæ ſine dubio τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν *via Cain ambularunt* Judæ ✠. 11. Ut enim Corruptio in familia Caini.

Regis ad exemplum totus componitur orbis;

ita ad parentum filii. Cainum falſo ſacrificio oblato, injuſtiſſima fratris cæde patrata, à Domino exiviſſe, & Deo repudium quaſi miſiſſe Scriptura docet. De Caini poſteris quid aliud judicabimus, quàm illos neglecta & repulſa fide ac bona conſcientia, inflatos opinione operum & juſtitiæ propriæ falſo confiſos ſacrificio, *ſine Deo, Chriſto, Spe in mundo* vixiſſe, & omni ex parte, quoad vivendi agendique modum & rationem ſimiles ſeſe exhibuiſſe corruptiſſimis gentilibus, quorum peccata & abominationes Paulus quaſi e catalogo recenſet Rom. 1: 29.–32. Exemplo ſit temerarius & profanus Lamechus, Caini ſoboles Gen. 4: 23. 24.

Corruptio in familia Seti.

§. 27. Seti poſteros autem quod attinet, & illos à ſana doctrina, cujus compendium eſt ὁ τῆς ἐπαγγελίας λόγος, in Paradiſo pronunciatus, & ſanctitate vitæ ac morum integritate longè lateque diſceſſiſſe certum eſt, meruerunt ſanè illi iiſdem aquis ultricibus mergi. Dicitur Geneſ. 6: 5. *Omne figmentum cogitationum cordis eorum tantùm malum fuiſſe omni die.* Ergo mala cor illorum finxit, quæſiverunt חִשְּׁבֹנוֹת רַבִּים *ratiocinia multa* Eccleſ. 7: 29. Dicitur porrò, *Deum pœnituiſſe*, quod *feciſſet hominem.* Ergo maxima commiſerunt ſcelera, quæ dolorem divinæ menti intulerunt. Imò, *Spiritum Dei* fruſtra quaſi *diſceptaſſe cum homine.* Ergo Spiritui Sancto inobedientes fuerunt, *& illi rebellarunt, & dolore affecerunt Spiritum Sanctum Dei* Eſ. 63: 10. Denique dicitur illos eſſe בָּשָׂר *carnem*; *carnis* autem *ſenſus, inimicitia eſt in Deum, & caro legi Dei non ſubjicitur* Rom. 8: 7. illaque *concupiſcit contra ſpiritum* Gal. 5: 17. Ergo caro primatum & ducatum in illis habuit.

Filii Dei videbant filios hominum.

§. 28. In ſpecie meminit Scriptura בְּנֵי הָאֱלֹהִים *filios Dei vidiſſe filias hominum*, & pulchritudine illarum captos mulieres ſibi ſumſiſſe מכל אשר בחרו *ex omni, quod elegerunt* Geneſ. 6: 2. Per *Filios Dei* in Sacris ſæpè notantur *Angeli*; Job. 1: 6. 38: 7. *& jubilarunt omnes Filii Dei*, cum fundaretur terra. Sæpè *ſancti* & *vocati*; 1 Joh. 3: 10. *in hoc manifeſta ſunt* τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, καὶ τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου *Filii Dei, & filii Diaboli.* Phil. 2: 15. *ut exhibeatis vos* τέκνα θεοῦ ἀμώμητα *filios Dei irreprehenſibiles*: confer Rom. 8: 16. Joh. 1: 12. Sed in loco citato Geneſ. 6: 2. non eſt ſermo de *Angelis*, illi enim ſunt *Spiritus* omnis materiæ expertes, & in ſanctitate perſtiterunt, & nec γαμοῦσιν *nec* ἐκγαμίζονται Matth. 22: 30. Deinde hi *Filii Dei* dicti ſtatim vocantur בָּשָׂר *caro*; *non diſceptabit Spiritus meus cum carne*, & אָדָם *homo*; *pœnitet me, quod feci hominem.* Denique aquæ diluvii extinxerunt homines, illi ergo hæc peccata fecerunt. Peccatum ipſum quod attinet, dicuntur *Filii Dei*, hoc eſt, *Sancti*, qui verbo promiſſionis hactenus crediderant, *vidiſſe filias hominum.* Oculorum abuſus notatur, non fecerunt quod Iob 31: 1. *Fœdus feci oculis* meis, &c. Scandalum oculorum non cohibuerunt. *Si oculus tuus te ſcandalizat, erue illum.* Imò, quod filiæ hominum *bonæ*, hoc eſt, pulchræ & formoſæ eſſent, id illis placuit. Pulchritudo & forma in ſe non ſpernenda eſt, non tamen in illâ ſuperbiendum, formæ enim gloria fluxa & fragilis eſt. Filii Dei magis in filiabus hominum formam admirati ſunt, quàm virtutem & pietatem, immemores ejus quod eſt Prov. 31: 30. Ita pulchritudo & forma idolum illis exſtitit, quod adorarunt. Ex his filiabus ſumſerunt ſibi נָשִׁים *mulieres*, plures unâ. Igitur fuerunt πολύγαμοι, nec fuerunt μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες 1 Tim. 3: 2. obliti Deum feciſſe *unam*, ut doceret, unum cum una cohabitare decorum & ſanctum eſſe, & ita *quæri ſemen Dei* Mal. 2. Denique *ſumſerunt ſibi ex omni quod elegerunt*, promiſcue & confuſe, nulla habita ratione decori, ordinis & εὐπρεπείας. Πορνεία & omnis impuritas concupiſcentiæ carnalis turpiſſimum malum eſt, quæ ne quidem inter *Sanctos nominari* debet Epheſ. 5: 3. confer 1 Cor. 6: 19.

Erant נְפִלִים in terra.

§. 29. Porrò notat Scriptura, fuiſſe נְפִלִים βιαίους, *violentos in terra*, qui robore membrorum & corporis proceritate elati, juſtum & æquum violantes, rapinis cædibuſque miſcuerunt omnia. Igitur verè dicitur, *Impleta erat terra* חָמָס *violentia.* Tales fuerunt non tantùm antequam filii Dei ſumerent filias hominum, ſed & אַחֲרֵי־כֵן *poſteaquam venerant filii Dei ad filias hominum.* Docemur, quinam exitus ſit ſcortationum, & illicitorum matrimoniorum. Ut ſemen Dei in illis non quæritur, ita nec invenitur. Violenti, latrones, injuſti, mali creantur malis & injuſtis, è toro maculato maculæ humani generis prodeunt. Hi נְפִלִים dicuntur extitiſſe גִּבֹּרִים πολεμισταί, heroës, & fortes ad cogendum alios ad obſe-

quium;

quium; imò voluerunt haberi אַנְשֵׁי הַשֵּׁם *viri nominis*, nomen ſuum voluerunt coli in terra, deque eo alios denominari, confer. Pſ. 49: 13. קָרְאוּ בִשְׁמוֹתָם עֲלֵי אֲדָמוֹת Quare quod fecerunt Poſtdiluviani, dicentes, *Faciamus nobis nomen* Geneſ. 11. id jam inter Antediluvianos fieri cœpit.

§. 30. Servator docet maximam ſecuritatem, & voluptatis carnalis ſectationem, imò & ignorantiam, *in diebus* Noë obtinuiſſe. *Erant in diebus ante diluvium epulantes & bibentes, nubentes & nuptum dantes, uſque ad diem, quo intravit Noë in arcam, & ignorarunt, uſque dum venit diluvium, & abſtulit omnes* Matth. 24: 38. 39. — Securitas, voluptas carnalis, & ignorantia in diebus Noë obtinuerunt.

§. 31. Denique è prophetia Enochi, à quo Noë fuit tertius, ſatis liquet, illius temporis homines negaſſe adventum Domini, commiſiſſe multa ἔργα ἀσεβείας, & locutos eſſe multa σκληρὰ *contra Dominum* Jud. ꝟ. 14. 15. Et dum Noë dicitur fuiſſe *præco juſtitiæ*, notatur, *juſtitiam Dei* illis temporibus nec quæſitam, nec cognitam, nec cum ſubjectione & obedientia creditam; & ſtudium τῆς ἰδίας δικαιοσύνης quæ meritò inter σκύβαλα numeratur Phil. 3: 8. perverſo zelo viguiſſe. Hæc fuerunt peccata, hæc fuit corruptio primi mundi, quæ aquis ſuffocantibus piari è juſtiſſimo Dei judicio debuit. In id tempus pleniſſimè convenit id, quod dicitur Pſalm. 14: 1. 2. 3. — Negarunt diem Domini.

§. 32. Tanta autem ſe diffundente corruptione ita Deus, *qui non delectatur improbitate, cui non cohabitabit malus* Pſalm. 5: 5. dixiſſe fertur, *Non diſceptabit*, ſ. *deliberabit Spiritus meus de homine in ſeculum* Geneſ. 6: 3. Ecce teſtimonium de Spiritu ſancto, cujus etiam mentio facta Geneſ. 1: 1. Hic Spiritus *diſceptavit & deliberavit de homine*, hoc eſt, litem fecit omni carni immorigeræ, convincendo mundum de peccato, quo ſe polluebat; de juſtitia, quam rejiciebat aut falſam conſtituere ſatagebat; de judicio, quod illi imminebat; per præconium Noë. Docemur autem 1 Pet. 3: 18. 19. Filium Dei, *Spiritu vivificatum, in illo Spiritu iviſſe & prædicaſſe inobedientibus illis, in diebus Noë.* Indè docemur: 1. Illum Dominum, de quo Moſes, *& dixit Jehova, non deliberabit Spiritus meus*, fuiſſe τὸν λόγον, *Filium*; Filius enim *in Spiritu ſuo ivit.* Ergo Filius eſt יְהוָה *Dominus.* 2. Spiritum non eſſe tantùm ſpiritum Patris, ſed & *Spiritum Filii*; dicit enim, *Spiritus meus*: confer Gal. 4: 6. 3. Filio *omne judicium datum a Patre* Joh. 5: 22. Is in Spiritu ſuo de hominibus primi mundi deliberavit, deinde ſuſpenſa deliberatione aquis illos ultus eſt. 4. Filium verè *ab initio locutum* Eſ. 48: 16. Joh. 8: 25. Is enim Spiritus, qui de homine deliberavit, quo Noë actus eſt, qui Noam docuit juſtitiam præconiari, Spiritus Filii eſt. 5. Illis, qui deliberanti & diſceptanti Spiritui obſiſtunt, & illi non obediunt, imminere κρῖμα *judicium*, illudque *incipere* etiam ἀπὸ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ 1 Pet. 4: 17. Nam & *filii Dei* ab aquis enecti ſunt: confer Eſ. 63: 9. *Dolore affecerunt Spiritum S. & verſus illis eſt in inimicum.* 6. Spiritum Sanctum diſceptare cum homine peccante quidem, non tamen *in ſeculum.* Igitur ubi nullus reſipiſcentiæ locus, quaſi auferri & recedere. Illud deprecabatur David, *ne auferas Spiritum tuum.* ſ. *a me* Pſalm. 51. hoc Saulo factum, *& receſſit à Saulo Spiritus Domini bonus* 1 Sam. 16: 14. Si Spiritus S. deſinit diſceptare cum homine ſi non amplius mittit prophetas, ſi liberè aliquamdiu ſinit peccare, id ſignum eſt imminentis judicii. — Diſceptavit Dei Spiritus cum hominibus illius temporis.

§. 33. Igitur non quidem deliberavit Spiritus Domini Jeſu de hominibus primi mundi in ſeculum, non tamen ſtatim & è veſtigio ſecutum eſt judicium, ſed ἐξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε 1 Pet. 3: 24. *Et erunt*, inquit, *dies hominis centum & viginti anni* Geneſ. 6: 3. Ninive quadraginta dies Jon. 3: 4. Hieroſolymæ poſt mortem Chriſti quadraginta annos; primo autem mundo 120 annos divina indulgentia conceſſit. Sanè is — Dei longanimitas diebus Noë.

Deus,

Deus, qui adhuc *μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι* 2 Pet. 3: 9. eodem ſemper fuit animo.

Pœnitere Dei quid? §. 34. Sed & hoc conſiderandum, quod additur Gen. 6: 6. *Et pœnituit Dominum quod fecerat hominem in terra, & indoluit apud cor ſuum.* Non propriè pœnitet Deum cujuſquam facti ſui; *eſt enim ejus de omnibus omninò rebus tam fixa ſententia, quam certa præſcientia*, ut pulchrè Auguſtinus lib. 15: 25. de Civit. Dei. *Non vir eſt Deus, qui mentiatur, nec filius hominis, quem pœniteat* Num. 23: 23. Sed cùm Deus ſecundùm æternum & immutabile voluntatis ſuæ conſilium, rem mutare, abolere, deſtruere aggreditur, dicitur *pœnitere*, pœnitentia affici, כלשוב בני אדם *ἀνθρωποπαθῶς* & per ſapientiſſimam *συγκατάβασιν*. Solent enim homines pœnitentia duci operis aut facti illius, quod nollent eſſe, aut factum eſſe, & quod è medio tollunt. Ergo divina hæc pœnitentia, quæ Deum ob factum hominem cepiſſe dicitur, notat *τὸ ἀμεταμέλητον pœnitere neſcium propoſitum Dei* de abolenda carne. Et ut nulla pœnitentia, ita nec ullus dolor in Deum cadit. Dolor mutat & turbat mentem. Deus autem non mutatur, non turbatur: eſt enim *ὁ μακάριος beatus ille* 1 Tim. 6: 15. Notatur autem immanis & horribilis hominum corruptio: ea tanta fuit, ut neceſſario cordi doloris capaci, dolorem inureret. Si dolore affici Deus poſſet; utique ob tantam corruptionem indoluiſſet.

Noachus jubetur condere arcam. §. 35. Sed nunc de ſecundo dicamus. תֵּבָה *κιβωτὸν Arcam* condere Noachus jubetur. Arca hæc fieri debuit, è *lignis Gopher*, quod eſt ligni genus nobis non omninò cognitum; *plena nidorum*, hoc eſt, diſtincta cellis & manſiunculis; *ſolidata bitumine*, cujus incorrupta vis, aquiſque contumax; *cubita trecenta habens in longitudine, quinquaginta in latitudine, triginta in altitudine* ſeu *profunditate*. Sunt qui putant cubita ſignificari geometrica, quorum unum quantum ſex noſtra valet. Sed de his cubitis nullibi Scriptura loquitur, neque ulli unquam artifices in condendis molibus hac cubitorum menſurâ uſi ſunt. Sunt qui cubitos ſacros, qui digitis conſtant quadraginta duobus, cùm vulgares tantùm ſint digitorum viginti quatuor, à Noë adhibitos conjiciunt. At vix ſacri cubiti Noacho noti fuerunt, quos Deus poſt legem latam in exſtruendis ſacris demum adhiberi juſſit. Igitur plurimi de cubitis communibus ſermonem eſſe judicant, à quorum ſententia non poſſumus abire. Porrò צֹהַר *lumen factum arcæ*, hoc eſt, ut luminoſa eſſet, & lux liberè in illam penetraret, & radios immitteret: *ſupernè* verò, hoc eſt in ſupremo faſtigio, *ad ulnam conſummata* eſt, hoc eſt, ad latitudinem unius educta cubiti. *Oſtium illius ad latus illius poſitum*: quod eum factum in finem Hebræi docent שלא יפלו הגשמים בה *ne pluviæ in illam caderent* Gen. 6: 14. 15. 16.

ad σωτηρίαν τ̃ οἴκου. §. 36. Arca hæc *præparata* eſt *εἰς σωτηρίαν τ̃ οἴκου ad ſervationem domus Noë* Hebr. 11: 7. *Paucæ* autem, hoc eſt, *octo animæ in illa διεσώθησαν ſervatæ ſunt* 1 Pet. 3: 20. Noë cum uxore, & tres filii Noë cum uxoribus tribus: qui plures in illa ſervatas fingunt, *filias Noë*, & *filiarum ſponſos*, Scripturæ contradicunt. Sed præter *octo animas*, hoc eſt, octo homines omnis generis animalia, tum pura tum impura in arcam intrarunt, & ciborum ac pabuli tantum, quantum ſatis fuit. vid. Gen. 6: 18. 19.

§. 37. Quæ Marcio, Valentinus, Gnoſtici, Apelles, Celſus de hac arca cavillati ſunt, illam vix parem fuiſſe capiendis quatuor elephantis; unde illam ut *ἀλλόκοτον, ἅπαντα ἔνδον ἔχουσαν abſurdam, omnia intus continentem*, ineptè & indecenter irriſerunt; ab aliis fuſius narrata, & optimè refutata ſunt.

Arca ſymbolum Chriſti. §. 38. Magis autem è re eſt ut annotemus, Arcam hanc fuiſſe ſymbolum Chriſti Domini, quemadmodum & אֲרוֹן הַבְּרִית *arca fœderis*, parata per Moſen. Arca è ligno facta eſt;

Chri-

Chriſtus eſt lignum vitæ, terræ fructus & germen. Arca juſtam ſuam habuit longitudinem, latitudinem, profunditatem. In Chriſto *ſancti omnes* habent καταλαβέσϑαι τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος, καὶ βάθος καὶ ὕψος Epheſ. 3:18. Arca à fluctibus aquarum & procellis agitata, jactata, non tamen rupta & ſubmerſa eſt. Chriſtus Dominus à fluctibus mortis & inferni hauſtus, non tamen exhauſtus eſt, mortem guſtavit, at à morte teneri non potuit. Extra arcam nemo quoad carnem διεσώϑη. Extra Chriſtum non eſt σωτηρία. In arca ſecure egit Noë, à periculo & morte tutus. Iis qui ſunt in Chriſto eſt pax, ἀνάπαυσις, & nulla amplius condemnatio. In arcam intrarunt Viri & Fœminæ. In Chriſto Jeſu οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ ϑῆλυ, *omnes unum ſunt in illo* Gal. 3:18. In arcam etiam intravit Chamus, & multæ pecudes impuræ. Chriſtum ore confitentur multi hypocritæ, quibus Dominus dicet, *Nunquam novi vos.* Arca deduxit Noam ad montes, ubi ſecurus fuit egreſſus, & ubi ſicco pede potuit egredi. Chriſtus ſuos ducit ad montem Zion. Facit illos ingredi in quietem Dei.

§.39. Sed arca ſpiritualis, Chriſtus Jeſus, infinitis excellentior modis eſt arca Noë. Hæc manibus facta hominum. Chriſtus לא בידין *non fertur manibus* Dan. 2:34. Hæc è ligno corruptibili. Chriſtus eſt lignum vitæ, manens in æternum, nullam ſentiens corruptionem. Arca octo tantum ſervavit animas. Chriſtus ſervat ὅλον τὸν κόσμον 1 Joh. 2:2. Arca corporis tantum ſalutem procuravit. Chriſtus totius hominis. Arca paucorum dierum fuit refugium. Chriſtus eſt צור עלמים *Petra & habitaculum æternitatis.* Ex arca ſunt egreſſi, qui in illam erant ingreſſi. Qui ſemel vere induit Chriſtum, nunquam illo exuetur, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8:35. Arca ſalutem temporariam attulit. Chriſtus σωτηρίαν αἰώνιον. Extra arcam etiam fuit ſalus. Multorum enim in aquis ſuffocatorum πνεύματα ζῶσι θεῷ *ſpiritus vivunt Deo.* Extra Chriſtum nulli ulla unquam ſalus. Ergo ad Chriſtum veram & meliorem Arcam accedamus, ut ſervemur à die malo, & ſalus nobis donetur ſine fine. **Chriſtus arca excellentior.**

§.40. Poſtquam de arca quantum ſatis eſt monuimus, etiam de aquis diluvii aliquid addemus. Diluvii initium in ſecundum menſem, & in diem decimum ſeptimum ejuſdem menſis Anni mundi 1657. incidiſſe, & in autumno cœpiſſe à doctis putatur. Sed non eſt opus, ut ea de re ſimus ſolliciti. Audiamus potius ſcripturam. Illa ergo ita inquit Gen. 7:11.12. *Et fiſſi ſunt omnes fontes abyſſi magnæ.* Aquæ ex intima terra ebullierunt, & aquæ Oceani ubique cœperunt creſcere, *& cataractæ cælorum apertæ.* Omnes nubes ruptæ. *Et imber fuit in terram quadraginta dies, & quadraginta noctes.* Ita *aquæ texerunt montes altiſſimos, qui ſub cœlo ſunt* Geneſ. 17:19. & fecerunt exſpirare non tantum *volucres, beſtias, reptilia,* ſed & כל האדם *omnem hominem* Geneſ. 7:22. Ita facta eſt omnium rerum horribilis πανολεθρία, & nulla anima διεσώϑη *evaſit*, præter Noachum cum ſuis Geneſ. 7:23. **De diluvii aquis.**

§.41. Igitur omnes quidem illius temporis homines perierunt quoad carnem, non tamen omnes quoad ſpiritum. Quare nimis durum eſt id quod dicitur in Codice Sanhedrin cap. 11. לעלם הבא דור המבול אין להם חלק *generatio diluvii non habet partem in ſeculo futuro.* Contrarium enim Apoſtolus Petrus non obſcure docet 1 ep. c. 4:6. *Ad hoc etiam mortuis* (Petro hæc ſcribente, mortui erant) *Euangelium nunciatum eſt, ut judicarentur quidem ſecundum hominem carne, viverent autem ſecundum Deum ſpiritu.* Ergo multi illorum, qui in aquis mortui ſunt, carne judicati ſunt, & illorum caro interiit; ſpiritu autem vixerunt, & beatitudinis, cujus præcipua pars vita eſt, facti compotes. Igitur illorum *ſpiritus*, h.e. animæ *ſalvatæ ſunt in diem Domini* 1 Cor. 5:5. Ita ſæpe ὄλεϑρος σαρκὸς eſt σωτηρία πνεύματος. Sane aquæ ſenſim invaleſcentes reſipiſcentiæ locum reliquerunt. In cruce ipſa maleficus ille cui Dominus dicebat, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, reſipuit. **Non omnes qui quoad carnem etiam quoad Spiritus interierunt per diluvium.**

ſipuit. Eadem ratione multi ex his miſeris in ipſis undis reſipiſcere, & divinæ ſe commendare gratiæ potuerunt. Attamen illorum, qui non reſipuerunt, longè major fuit numerus. Voluptatibus enim & ingentibus abrepti peccatis, rejecto ſpretoque Noachi præconio, aquis diluvii accelerantibus, in peccatis ſuis & ignorantiis mortui ſunt. Sera quidem pœnitentia poteſt eſſe vera, rara tamen eſt; & non omnibus datur tempus inveniendi illam. Ut autem Petrus de reſipiſcentibus teſtatur, illos *vitam ſecundum Deum* adeptos eſſe, ita de non reſipiſcentibus ait, illorum πνεύματα *ſpiritus* animas eſſe ἐν φυλακῇ *in carcere* 1 Petr. 3:18. nimirum in carcere infernali, qui eſt damnatorum: confer Apoc. 20: 7. 2 Pet. 2: 4. 5. Unde concludere eſt, ſpiritus illorum in carcerem hunc ſtatim intraſſe, prout aquæ mergentes illos è corporibus exire coëgerunt. Et quamvis illi ſpiritus non ceſſarint εἶναι καὶ ζῆν καὶ κινεῖσθαι, *eſſe, & vivere, & moveri*, non enim ſunt annihilati, & in carcere infernali eſt ſenſus horribilis miſeriæ, ut è parabola Divitis conſtat, tamen illorum tantum, qui ſalvati ſunt, *ſpiritus vivere Deo* ab Apoſtolo Petro dicuntur. Quia vita in beatitudine & gloria agenda, vere vita eſt: vita autem, quæ in inferno agitur, inter dolores & multiplices maximarum miſeriarum ſenſus, non meretur vita nominari, ſed potius viva & æterna mors dici. Qui extra Deum vivit, non vivit, quamvis vivat; imo mortuus eſt, quamvis quoad ſenſum & perceptionem, minime mortuus ſit.

Corruptio primi mundi univerſalis.

§. 42. Miremur autem univerſalem hanc totius generis humani corruptionem. In Sodoma & Gomorra non erant quinque juſti. Hic in toto terrarum orbe ne unus quidem, excepto Noacho, inventus eſt, qui dignus habitus, ut aquas effugeret, aut cui parceretur. Ita verum, quod Scriptura dicit, *& corruperat omnis caro viam ſuam* Gen. 6: 11. Imo inter octo illas animas, quæ in arcam intrarant, erat *Chamus* irriſor, Parentis opprobrium, maledictionis exemplum. Adeo corruptum eſt omne, quod ex ſanguinibus humanis naſcitur.

§. 43. Aquæ diluvii univerſales fuerunt totius terrarum Orbis, non vero particulares Judææ alias Canaan dictæ, ut nonnulli ſomniant. Ut enim tunc *finis omnis carnis venerat* Geneſ. 6: 13. ita etiam aquæ, quæ omnem carnem extinxerunt, in omnia loca, ubi *caro* erat, hoc eſt, ubi homines vivebant, exundarunt 2 Pet. 2: 5. docemur diluvium immiſſum fuiſſe κόσμῳ ἀσεβῶν *mundo improborum* 2 Pet. 3: 5. 6. ὁ τότε κόσμος, *mundus, qui tunc erat, aquis inundatus interiit*. Quemadmodum *cœli & terra, qui nunc ſunt*, in totum & univerſum, *igni ſervantur* Ibid. verſ. 7.

Aquæ diluvii Dei iram manifeſtant.

§. 44. Hoc aquarum diluvium manifeſtam facit 1. Dei iram, qui eos, qui contemnunt divitias bonitatis & tolerantiæ divinæ, judicium non ſinit effugere Rom. 2: 3. 4. καὶ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο *Veteris mundi non pepercit* 2 Pet. 2: 4. 2. Dei potentiam. *Ligavit omnes aquas ut in veſtimento, collegit ventos in pugno* Prov. 30: 4. Cum fundaret terram, *fugerunt aquæ ab increpatione ejus* Pſalm. 104: 6. Hic, ubi carnem vult delere, redeunt ad increpationem & imperium ejus. *Miſit aquas, & everterunt terram* Job. 12: 14.

Baptiſma noſtrum diluvii antitypus.

§. 45. Petrus Apoſtolus docet 1 ep. c. 3: 20. 21. *baptiſma*, quo baptizamur in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti, eſſe ἀντίτυπον τοῦ ὕδατος τοῦ κατακλυσμοῦ. Ergo aqua diluvii fuit ἀντίτυπος baptiſmo noſtro, & ſacræ, qua tingimur, undæ. Non dicit Petrus, aquam diluvii eſſe typum noſtri baptiſmatis. Aquæ enim, quæ in vindictam iræ effuſæ ſunt, non poſſunt eſſe figura illius aquæ, quæ melioris Teſtamenti, & reconciliati cum Deo mundi Sacramentum eſt. Et cum baptiſmus ſit typicus, non poteſt unus typus alterius typi typus eſſe. Sed dicit Petrus, aquam diluvii & baptiſmi eſſe ἀντίτυπα, id eſt, eandem fere habere ſignifi-

ſignificationem, eodem tendere, eadem loqui, eadem repræſentare. Quas res baptiſmus, eaſdem etiam κατακλυσμὸς ob oculos ponit. Sunt ergo aquæ diluvii & baptiſmi ejuſdem rei & πράγματος umbræ & imagines. Si diluvium baptiſmi typus eſſet, debuiſſet ſæpius iterari; non autem ſemel tantum ſub finem primi mundi in pœnam rupti fœderis emitti & effundi. Sic videmus factum in aliis typis. Circumciſio ſignum & typus περιτομῆς ἀχειροποιήτου, in omnes Iſraëlitarum generationes manſit. Manna, typus panis è cœlo deſcendentis, multos annos pluit. Agnus paſchalis, typus agni Dei, ſingulis annis mactabatur. Victimæ pecuinæ, typi Victimæ melioris, ſæpius offerebantur. Aut ſi hæc ratio non firma videtur, id certe ſciendum & in typis animadvertendum eſt, illos non eſſe id, ſeu ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ, quod & cujus ſunt res, quarum ſunt typi. Si enim typus id ipſum eſt, quod res typo præſentata, jam typus non erit typus, ſed res ipſa. Atqui in diluvio & baptiſmo eadem eſt materia, idem elementum, *aqua*. Igitur poſſunt quidem eſſe ἀντίτυπα; unum vero non poteſt eſſe typus alterius.

§.46. Conferamus nunc inter ſe hæc antitypa. Aquæ diluvii mortificabant carnem. In baptiſmo obſignatur veteris mortificatio hominis. Aqua diluvii erat tot hominum quaſi ſepultura, qua peccata & ſcelera illorum ſepeliebantur. Nos in baptiſmate etiam ſepelimur: *conſepulti ipſi in baptiſmate* Coloſſ. 2:12. Aqua diluvii in multis operata eſt μετάνοιαν. Illis enim aquis ingruentibus & inevitabilem minantibus mortem, ſine dubio multi à peccatis ad Deum per veram pœnitentiam converſi ſunt. Baptiſmus eſt βάπτισμα μετανοίας. Aquæ diluvii, interveniente verâ μετανοίᾳ, multorum ſalvarunt ſpiritus & animas. *Noſtrum* etiam *nunc nos* σώζει *ſalvat Baptiſma*, *non* ac ſi eſſet σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, *depoſitio carnis ſqualidæ*, quæ vis aquæ baptiſmi per ſe non ineſt; ſed quia eſt συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν 1 Pet. 3:21. Aquæ diluvii mortificantes elevarunt Arcam, & eos, qui in ea erant. Mors Chriſti, quâ caro ejus mortificata eſt, & *in quam baptizati ſumus* Rom. 6:3. extollit eum ad vitam, ita *ut mors non amplius illi dominetur* Rom. 6:10. & vitam dat eis, qui ipſi dati ſunt. *Si enim ſunt mortui cum Chriſto, etiam cum illo vivent* Rom. 6:8. confer Galat. 2:20. *Chriſto ſum concrucifixus*, ζῶ δὲ *vivo autem*. Aquæ diluvii fecerunt Noachum intrare in arcam. Baptiſmus eſt quaſi primus in Chriſtum introitus: eſt enim Sacramentum initiationis noſtræ, qua Chriſto nomen damus. Ex hiſce ad oculum apparet, quomodo & aqua diluvii, & aqua baptiſmatis noſtri, junctis quaſi ſtudiis, repræſentent & figurent ac delineent carnis mortificationem; peccati ſepulturam; reſipiſcentiam & converſionem; denique communionem cum vita, & vitæ Principe, per paſſionem & mortem.

Diluvii aquæ cum baptiſmate conferuntur.

§.47. Ut autem *ſanguis Chriſti meliora loquitur ſanguine Abelis* Hebr. 12:24. ita & aqua baptiſmi multo meliora & jucundiora loquitur præ aquis diluvii. Aquæ diluvii loquuntur & enarrant immania hominum peccata & concumulata ſcelera, Dei iram, juſtitiam & vindictam, fœderis divini transgreſſionem & rupturam, carnis finem & interitum. Aqua autem baptiſmi loquitur & enarrat remiſſionem peccatorum, Dei cum mundo reconciliationem, Fœdus gratiæ ratificatum, victoriam de morte, fidem in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Quæ omnia talia ſunt, ut credentes exultent χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ 1 Pet. 1:8.

§.48. Reſtat, ut paucis delibemus illa, quæ ceſſantibus diluvii aquis acta ſunt. Igitur ut Deus Noachum juſſerat in arcam intrare Geneſ. 7:1. ita eundem juſſit ex arca exire Geneſ. 8:16. ita nihil Noë fecit injuſſus, nihil tentavit non-autore Deo. Ut egreſſus eſt ex arca, *ædificavit altare Domino* Geneſ. 8:20. Chryſoſtomus id vocat θυσιαστήριον ἐσχεδιασμένον

Noachus ceſſantibus diluvii aquis obtulit.

altare tumultuaria opera exſtructum. Hic prima in ſacris *altaris* mentio, non tamen primus altaris uſus. Nam ut ante diluvium fuere oblationes & offerentes, ita ſine dubio etiam altaria, in quibus oblationes oblatæ. Altare autem *ἁγιάζει τὸ δῶρον ſanctificat donum* Matth. 23: 19. & fuit umbra illius in Chriſto naturæ, quæ crucem & ſanguinem ejus infiniti facit valoris & pretii, nimirum divinæ & æternæ. Vocatur & Chriſtus *θυσιαστήριον* Hebr. 13: 10. *habemus altare, è quo non habent poteſtatem comedendi illi, qui tabernaculo inſerviunt.* confer verſ. 12. Noachus *obtulit holocauſta in altari.* Ut autem omnia quæ fecit, *fide* fecit, Hebr. 11: 7. ita etiam indubiè *fide* obtulit, & ut Abel, *πίστει πλείονα θυσίαν προσήνεγκε.* Igitur fide Mediatoris, Seminis promiſſi, præagniti ante fundamenta mundi, manifeſtandi adhuc cum ſacrificio obtulit, illi acceptum referens, quod è morte præſentiſſima aquarum & ab illa ira ſervatus eſſet. Angelus enim ille, qui Iſraëlem *bajulavit omnibus diebus ſeculi* Eſ. 63. quemque & Elihu ut מֵלִיץ *interceſſorem* introducit gratioſe pro homine intercedentem, *Redime illum, ne deſcendat in foveam* Job. 33: 22. 23. Noachum *tulit verbo potentiæ ſuæ*, & ab undis ſuffocantibus liberavit. Sacrificium Noë Deo placuit, & fuit illi *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας* Epheſ. 5: 2. Ita fides ſacrificia grata fecit, quæ adhuc nos juſtificat, & ſalutem animarum conciliat. Id dicitur, *& odoratus eſt Dominus odorem acquieſcentiæ* Geneſ. 8: 21.

Deus cum Noacho fœdus pepigit. §. 49. Sed quia non poſſumus omnia & ſingula exſequi, omnia alia mittentes, verbum unum addemus. 1. De fœdere, quod Deus pepigit cum Noacho. 2. De ultimis Noachi verbis, quæ à Spiritu prophetico actus, enunciavit, & in quibus filiis ſuis, quæ in fine dierum eventura erant, judicavit. Id quod & à Jacobo Patriarcha factum eſt Geneſ. 49. 1.

§. 50. De fœdere ita eſt Geneſ. 9: 10. 11. *Ecce erigo fœdus meum tecum & cum ſemine tuo, & cum omni anima vivente, & non exſcindetur omnis caro adhuc ab aquis diluvii, & non erit amplius diluvium.* Hoc fœdus dicitur datum לְדֹרֹת עוֹלָם *in generationes ſeculi*, & fœdus ipſum בְּרִית עוֹלָם *fœdus ſeculi.* Et *iris*, quæ in nubibus cernitur, conſtituitur לְאוֹת בְּרִית *in ſignum fœderis inter Deum & terram* Geneſ. 9: 14. 15. 18. Hoc fœdus Deus *juramento* firmavit, quo notatur *τὸ ἀμετάθετον* illius Hebr. 6: 17. vide Eſ. 54: 10. *Juravi non tranſituras amplius aquas Noachi per terram.* Obſignatur hoc fœdere non tantum toti mundo ſecuritas ab aquis, ſed imprimis Eccleſiæ, quæ in mundo aliquamdiu agit, cui ſubjiciuntur omnia, & propter quam terra fundata eſt, & mundus tantiſper ſubſiſtit, communio gratiarum Dei, pacis, juſtitiæ; & hæreditas gentium, & ſubjectio omnium. vide Eſ. 54: 10. *Nam aquæ Noachi hoc mihi, ut juravi, ne tranſeant aquæ Noë, ſic juravi, quod non efferveſcam in te, nec increpabo te. Montes recedent, & colles nutabunt, gratia autem mea à te non recedet & fœdus pacis meæ non vacillabit.* Iris in cælo ſymbolum eſt Angeli illius fortis, qui *è cælo, περιβεβλημένος νεφέλην, deſcendit, καὶ ἶρις ἐπὶ τῆς κεφαλῆς & iris ſuper caput* Apoc. 10: 1. Hic medius inter Deum & mundum aquas iræ divinæ averruncat; & interceſſione ſua mundum in ſe cum Deo reconciliatum ſervat.

Prophetia Noachi. §. 51. Ultima Noachi verba deſcribuntur Geneſ. 9: 25. 26. 27. in illis maledictio & ſervitus Chamo; benedictio & beatitudo Semo; allectio & habitatio Japheto denunciatur. Hæc autem non in tribus illis filiis, ſed in trium filiorum plenè adimpleta ſunt poſteris; hinc non meminiſſe videtur Chami, dicendo *Maledictus Cham*, ſed Canaani, qui filius fuit Chami, *Maledictus Canaan.* Quamvis quod ad Chamum ipſum attinet, ille ut exemplum maledictionis, & ut alter mundi ſecundi Cain à Deo rejectus, & in inobedientiam

& *κατὰ ῥῆσιν* traditus conſiderari poteſt. De Canaan autem, hoc eſt, Chami poſteris ita prophetavit Noë: *Maledictus Canaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Maledictio hæc importat excluſionem à fœdere Dei, & à communione gratiæ, hoc eſt, juſtitia & ſalute. Et ſervitus indigitatur non tantùm corporalis, ſed & ſpiritualis, qualis & Eſavo incubuit Geneſ. 25:23. Rom. 9:12. Id autem omne & totum impletum eſt 1. In poſteris Canaan, Amorrhæis habitatoribus terræ ſanctæ, qui exciſi ſunt. 2. In Gibeonitis, aliiſque, qui Iſraëli ſubjecti, & ei ſervire coacti ſunt. 3. In Judæis infidelibus, qui Noachi benedictionem rejecerunt, & illam non adepti ſunt: & quantum ad pleraſque matres ex Amorrhæis erant. Filii enim Jacobi ex indigenis uxores duxerunt, (Ezech. 16:3.4.) & optimè ſub hoc titulo *Canaan* intelliguntur, utpote qui terræ Canaan habitatores facti ſunt. De Semo autem dixit Noachus: *Benedictus Iehova, Deus Sem. & erit Canaan ſervus illis.* Magnum hoc elogium, *eſſe Deum Semi. Beata gens, cujus Iehova, Deus* Pſalm. 33:11. Impletum id in Abrahamo, Iſraële, Semi filiis, illis ſæpius Deus dixit, *Ego Iehova, Deus veſter*: ut de monte Sina, in die comitii. Proprium autem id eſt illius Iſraëlis, qui in Sacris vocatur Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ *Iſraël Dei* Galat. 6:16. De Japheto autem, *Alliciet Deus Iaphetum, ut habitet in tentoriis Sem.* Indicatur, Deum ad Japeti poſteros, gentes, *labium purum*, clarum, ſelectum verſurum, eâ vi & efficacia, ut *aſcendant ad montem domus Dei, ad domum Dei Iacob*, Iſraëli jungant dextras, & in communione ſpiritus, ſpei, fidei, charitatis illi cohabitent. Ita prædicta eſt converſio gentium. Sunt qui poſteriorem hujus ſententiæ partem, ita vertunt, *& habitabit in tentoriis Sem*; idque de Deo, qui Japhetum alliciet, prædicari putant; ut ita ſenſus ſit, *Alliciet Deus Iaphetum, & habitabit Deus in tentoriis Sem*; non tantùm jubendo, ut in Sion domus ædificetur nomini divino, ſed veniendo ad Sionem in carne aſſumta, qui adventus vocatur שְׁכִינָה *habitatio*, non in Prophetis tantùm Zach. 2:14. *Ecce venio, & habitabo in medio tui, dictum Domini*; ſed & in Euangelio Joh. 1:14. *Et ſermo cœpit eſſe caro, & habitavit in nobis, plenus gratia & veritatis.* Quam explicationem hujus ſententiæ non poſſumus omninò improbare, quia fidei ſanctiſſimæ & veritati eſt *ἀνάλογα*; quamvis nec priorem cenſeamus rejiciendam, utpote verbis aptam, ſenſu commodam.

§. 52. His omnibus actis venit tandem Noë ad vitæ terminum וַיָּמֹת *& mortuus eſt*: omnibus laboribus, curis, ſollicitudinibus defunctus corpus peccati depoſuit, & ſpiritum in manus Jehovæ commendavit. Ita ille, qui totum vidit mundum mori, mortuus eſt ipſe; ſed mortuus eſt morte juſtorum, & morte ſua, quod in veteri epigrammate dicitur, *die ſua mori.*

CAPUT SEXTUM.

De Noachi nepotibus, conſilio Babylonis, ejuſque conſilii eventu & effectis.

§. 1. NOacho mortuo diſperſit ſe tota terra à filiis ejus, à Semo, Chamo, Japheto. Si ab uno ſanguine Adami tota facies terræ fuit habitata, ſanè tres hi filii non potuerunt non ſemine & hominibus terram implere, id deſcribitur integro decimo capite Geneſeos.

Japheti poſteri ſedes quærunt in inſulis.

§. 2. Obiter autem ex hoc capite notamus, filios poſteroſque Japheti habitationem ſedeſque ſuas fixiſſe in inſulis, aut in locis inſulanis, quæ inſulæ terræ Canaan ſunt ad Occidentem: id liquet è verſu quinto. *Ex illis*, nempè Japheti filiis, *diffuſa ſunt inſulæ gentium*, id eſt inſulæ Gen. 10: 5. gentium habitationes ab illis diffuſam ſuam nactæ ſunt copiam; quamvis etiam multi è Japeti poſteris, præcipuè illi, qui ſunt è *Madai*, unde Medi dicti, in Aſia ſedem collocarint. Ergo quum in Prophetiis de inſulis ſermo eſt Eſ. 41: 1. *Silete ad me inſulæ.* Eſ. 42: 4. *Ad legem ejus inſulæ præſtolabuntur.* Eſ. 49: 1. Pſal. 72: 10. *Inſulæ munus adferent.* adde Pſal. 97: 1. intelligendi ſunt poſteri Japheti, gentes, inſulas inhabitantes, quas Deus per verbum Euangelii allexit, ut in tentoriis Semi habitarent.

Noachi Nepotes de ædificanda urbe, & faciendo nomine conſilium capiunt.

§. 3. Sed miſſis hiſce videamus, quid novus mundus, Noachi nepotes egerint. Hic initio occurrit, quod Geneſ. 11. cap. de ædificanda urbe & faciendo Nomine narratur. Non notavit Scriptura ſuis nominibus eos, qui conſilii illius autores fuerunt. Indefinitè dicit, urbem illam ædificaſſe בְּנֵי הָאָדָם *filios hominis* Gen. 11: 5. quod forſan oppoſitè dicitur ad illos, qui vocantur בְּנֵי הָאֱלֹהִים *filii Dei* Gen. 6: 2. Noachum, ſi eouſque vixit, juſtitiæ præconem, Virum, qui cum Deo ambulavit; Semum, cui promiſſio facta eſt, cujuſque Deum ſe Deus appellavit; Eberum auctorem & propagatorem Hebraicæ gentis, cujus labium non confuſum eſt, cum urbem turrimque ſtruentibus commune nihil habuiſſe, plurimi doctorum cenſent. Chamum verò, Japhetum, Nimrodum, qui incepit eſſe גִּבּוֹר בָּאָרֶץ *prævalens & ſuperior in terra, fortis venando coram Domino* Gen. 10: 8. eorumque aſſeclas & filios, & quotquot magni fuerunt in mundo, ſecundùm carnem ſapientes, junctis viribus, in illud conſilium conveniſſe, dubitari non poteſt. Joſephus Nimrodum nominat operis hujus ἀρχηγέτην, & Auguſtinus de civitate Dei 16: 4. *Unde colligitur, Gigantem Nimrod fuiſſe illius civitatis conditorem.*

Fortis hic Venator ſine dubio laudem excellentis ſapientiæ & inſignis Zeli in univerſali hoc tot hominum conſilio venatus eſt, & quandoquidem רֵאשִׁית מַמְלַכְתּוֹ *principium regni ſui* Babylonem fecit, cæteris inde diſcedentibus, quidni tenaciſſimus omnium conſilii illius in infelici urbe, quæ à pœna in autores conſilii hujus ſtatuta nomen *Babel* adepta eſt, cœpti habebitur?

§. 4. Fuit hoc conſilium maximi momenti à parte hominum, at impium & injuſtum à parte Dei; nam omnes, qui fuerunt è filiis hominum conſilia contuliſſe videntur. Deus verò maximas propterea concepit iras: dicitur enim *deſcendiſſe ad videndum urbem & turrim*, & dixiſſe, *Age confundamus ibi labium illorum*, & tandem confudiſſe, & ſtructores hos diſperſiſſe Geneſ. 11: 5. 6. 7. Ita conſilium hoc hominum prima ſpecie lætum, eventu triſte fuit. Modus loquendi, *Age deſcendamus & confundamus*, in Scripturis non inuſitatus eſt. confer Geneſ. 1: 1. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Eſ. 66: 5. Ezech. 21: 15. Qui *Patrem* credit, *Filium*, & *Spiritum ſanctum*, & unam in illis eſſentiam adorat, eandemque voluntatem, eadem conſilia, eadem opera confitetur, facilè agnoſcit, mutuum eſſe hic colloquium omnium Sanctiſſimæ Triados perſonarum, ſe invicem ad executionem facti conſilii excitantium.

Quid moliti ſint Noachi poſteri in extructione Babylonis.

§. 5. Inquirendum autem eſt, quidnam propriè illud ſit, quod moliti ſunt homines, quodque Deum adeò offendit: num quod exſtruere voluerunt urbem & turrim præaltam? at non videtur in eo tantæ offenſionis ratio ineſſe. Obeliſcos, ſoli ſacratos, Pyramides Ægyptias, quarum unam trecenta ſexaginta hominum millia conſtruxiſſe, erogatis in ra-

phanos

phanos & cæpas octingentis talentis, proditum eſt, ædificari permiſit Deus; & hæc urbs lateritia, quæ & ipſa non ita multo poſt reædificari cœpta eſt, tantopere ipſum offenderit? num, quod ſtructores urbis illo opere potentiam vireſque ſuas ſuperbè jactare voluerunt? atqui non fuit unicum hoc opus tantæ, tamque deprædicandæ potentiæ inſigne: num mirum, maximam hominum multitudinem, coadunata manu, unam urbem & turrim è lateribus exſtruere? num, quod turrim altiſſimis voluerunt æquare nubibus, ut cælo propinqui, illud invito Deo invadere poſſent? atqui Viri fuerunt, ſapientes ſeculi; non pueri, non fatui. num, quod turrim illam in remedium aquarum parare cogitarunt? atqui habebant iidem, viſibile in cœlo ſignum, mundum aquis non amplius interiturum: ſi id intendiſſent, non debuiſſet vallis, ſed mons, cui urbs & turris ſuperimponerentur, eligi. Num quod ſibi ſtructura illa providere voluerunt adverſus diſperſionem poſſibilem? dicunt enim: *Ne diſpergamur ſuper faciem totius terræ.* Hæc quidem ſententia propius accedit ad veritatem. Res tamen tota penitius examinanda eſt.

§. 6. In hoc autem negocio Moſes ita agit, ut deſcribat 1. ſtatum & conditionem hominum illius temporis. 2. inſtitutum & conſilium ipſum, quod ceperunt. 3. irritum conſilii ſucceſſum, & modum mediante quo conſilium ſucceſſu caruit, & irritum factum eſt.

Unitas labii & ſermonis poſterorum Nochi in quibus conſtiterit?

§. 7. De Primo ita eſt Gen. 11:1. *Et erat tota terra labium unum, & ſermones uni.* Diſtincta hæc ſunt, & benè diſtinguenda. Per *unum labium* indigitatur unitas linguæ & dialecti. Una dialecto utebantur omnes, non loquebatur quilibet τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ *propria dialecto*, ſed omnes loquebantur una & eadem dialecto. Ita שְׂפַת כְּנַעַן *labium Canaan*, notat dialectum & linguam illam, quæ inter Cananitas recepta erat. Per *ſermones unos* indigitatur unitas ſermonis & ſententiarum de fide & doctrina fidei. Apoſtolus adhortaturus Corinthios ad unitatem in fide & doctrina ita loquitur 1 Cor. 1:10. *Rogo autem vos, fratres, per nomen Domini Jeſu Chriſti,* ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες, *ut idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Τὸ αὐτὸ λέγειν *idem dicere, eſt unos ſermones* habere. Ergo primi illi homines in doctrina & religione erant concordes, idem ſenſus erat in omnibus; μία γνώμη *una ſententia.* Non erant inter illos σχίσματα *diviſiones* publicæ, quæ divortium animorum & ſententiarum inter illos facerent, quæque propter dici non poſſet, illis fuiſſe *ſermones unos.* Sanè ut omnes illi erant nepotes & poſteri Noæ, ita ſine dubio ab illo acceperant ejuſdem juſtitiæ præconium, ejuſdem doctrinæ & ſalutis fundamentum. Hæc adhuc erant integra quoad maximam partem, nec deleta oblivione, nec corrupta humanâ fraude, nec everſa ſtrophis, nec mutata in mendacium: adhuc dico, quoad maximam ſui partem. Ergo non mirum, illis unos fuiſſe ſermones, illos idem locutos, illos de fundamento nondum inter ſe concertaſſe. Pro eo quod hic eſt, *ſermones uni*, dicitur ℣. 6. *Ecce populus unus, & labium unum omnibus illis.* Nimirum illi verè ſunt *populus unus*, iiſdem legibus & inſtitutis vivens, eademque imbutus religione, quibus ſunt *ſermones uni*, qui idem *dicunt & ſentiunt*, idem corde credunt, & ore confitentur.

§. 8. Unitas hæc labii & unitas ſermonum occaſionem anſamque & facilitatem præbuit turpi inſtituto; ipſo id fatente Domino Gen. 11:6. *Et hoc eſt incipere illorum ad faciendum*, hoc eſt, propterea cœperunt hoc facere, *& nunc non difficile erit illis, omne quod cogitarunt facere.* Inſtitutum ipſum quod attinet, de quo ſecundo loco dicere promiſimus, id his expreſſum eſt verbis Gen. 11:4. *Et dixerunt, age, ædificemus nobis civitatem, & turrim, cujus caput ſit in cœlo, & faciamus nobis Nomen, ne diſpergamur ſuper facie terræ.* Apparet homines illos mutuis conſiliis excitatos cœpiſſe ædificare עִיר *civitatem, urbem.*

urbem. Illa civitas ab eventu ſortita eſt nomen *Babel* Geneſ. 11:9. Ergo primi Babylonis conditores ſunt Noachi nepotes; non verò, ut Juſtinus tradit, Semiramis, quæ annis penè mille ſerius exſtitit. Nec civitatem tantùm, ſed & turrim. Ædificemus *civitatem & turrim.* Turres inſerviunt munitionibus civitatum: hæc illorum civitas etiam habere debuit *turrim*, hoc eſt, omni meliori ratione debuit muniri & cuſtodiri. Ita ſumitur vox מִגְדָּל *turris* pro eo, quod ad munitionem & ſecuritatem facit Eſ. 5:2. Hujus autem *turris caput in cælum* uſque evehere voluerunt; quod eodem ferè ſenſu dicitur, quo urbes Canaan dicuntur *arduæ in cælo* Deut. 1:28. & notatur utrobique robur & inſuperabilis illarum vis. Quia tamen totus penè mundus ſtatuit, homines illos turrim, propriè dictam, voluiſſe exſtruere; de qua & Herodotus fabulatur, dicens, fuiſſe turrim ſolidam ſtadii longitudine & latitudine, & illi ſeptem ordine alias turres fuiſſe ſuperimpoſitas, *Clione* cap. 181. nec nos præfractè repugnabimus. Voluerint ergo ſane ædificare turrim, altitudinis eximiæ & portentoſæ, in teſtimonium publicum & ſolemne congregationis hujus univerſalis & conſenſus omnium illius temporis hominum, quemadmodum Iſraëlitæ juſſi ſunt duodecim lapides tollere è Jordane, & collocare illos in ſicco, ac ponere in ſignum & memoriale perpetuum aquarum ſiſſarum, & ſicco pede perambulati Jordanis Joſ. 2:47.48.

Sibi facere nomen quid?

§. 9. Sed imprimis conſiderationem meretur, nec difficultate caret, quod primi urbis & turris hujus ſtructores dicuntur voluiſſe etiam, abſoluta ſeu perfecta civitate, facere nomen. וְנַעֲשֶׂה לָּנוּ שֵׁם *Et faciamus Nobis Nomen.* Judæi intelligunt *Idolum*, & voluiſſe illos templum Idolo, *Belo*, qui poſteà adoratus fuit à Babyloniis, ædificare. Sed Belus tunc nondum cognitus erat, nedum ut in veneratione eſſet; neque etiam hi architecti erant idololatræ, nondum enim tunc eò defecerant. Ut igitur rem acu tangamus, eamque benè divinemus nihil aberrantes, ſciendum vocem שֵׁם *Nomen* in ſacris literis ſæpè ſignificare *autoritatem & poteſtatem.* Ita Davidi dicit Deus 2 Sam. 7:9. *Faciam tibi nomen magnum, ut nomen magnorum, qui ſunt in terra*: hoc eſt, faciam, ut eadem auctoritate polleas & majeſtate, qua maximi, qui in terra ſunt, ita ut nomine ſolo formidabilis & reverendus videaris. Phil. 2:9. *Propterea largitus eſt ipſi Deus nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu ſe flectat*: hoc eſt, autoritate maxima, imò majore, quam in ullum alium cadere poteſt, inſtruxit illum Deus. Act. 4:12. *Non eſt nomen aliud ſub cælo datum in hominibus, in quo oportet nos ſalvari*: hoc eſt, non aliam ſub cœlo Deus poſuit autoritatem, per quam ſalvari poſſimus: hoc nomen nominantes ſalvamur. Ita & hæc Phraſis, *Faciamus nobis Nomen*, ſignificabit ſimpliciſſimè, *Faciamus nobis auctoritatem & poteſtatem*, quæ nominetur & timeatur. Quia autem omnis autoritas requirit ſubjectum, in quo reſideat, & à quo exerceatur, optima ratione videmur poſſe concludere, hos urbis hujus exſtructores voluiſſe conſtituere certum quoddam collegium, ſynedrium & ſenatum, & illi concedere & attribuere autoritatem ſummam, illumque armare poteſtate maxima, loquendi & docendi, ordinem ſervandi, unitatem doctrinæ, quæ hucuſque inter illos obtinebat, propagandi, diſſidia excludendi, inordinatos puniendi, populumque ſeu genus humanum in concordia religionis & fidei retinendi, non tantùm nominis autoritate, & loci majeſtate, ſed & pœnæ metu ac ſeveritate. Hujus ſynedrii nomen debebant omnes venerari, & in illius nomine, quæ loqui volebant, eloqui. Ita optimè convenit, quod additur, *ne diſpergamur ſuper facie terræ*, hoc eſt, ne unitas noſtra diſſolvatur, & nos ab invicem, non corpore tantùm, ſed imprimis animis & mente ſeparemur, & quilibet ad ſuam

ſuam reſpiciat viam, & nos non maneamus עַם אֶחָד *populus unus*, ſed diverſi fiamus populi. Hoc *nomen* autem, quod volebant facere, & cui *urbem*, quam ædificabant, ut locum habitationis & reſidentiæ videbantur velle attribuere, videbatur illis idoneum eſſe & aptum, ad impediendum ne diſpergerentur, ne diſunirentur, ſed manerent populus unus, unos ſermones habens, & in unius ſenatus nomine loquens.

§. 10. Hoc conſilium ſpeciem habebat ſapientiæ; & plauſibile videbatur carni, quæ externa aſpicit, externa conſiderat, vi & coactione obſequium exigere amat, & tantum amat ac timet, quantum oculis videt, & in cute ſua ſentit.

§. 11. Ut autem *ſenſus carnis eſt inimicitia in Deum* Rom. 8: 7. ita hac de re longè alius fuit Dei ſenſus, quod carni placuit, Deo diſplicuit, quod caro in effectum deducere voluit, id Deus permittere noluit, imò omni vi impedire maluit. Sanè unitas in rebus fidei, & in doctrina ſana Deo non eſt odioſa, illam deſiderat, illam à nobis exigit. Sed ut homines conſtituantur *Domini fidei, ex alto loquentes*, vi & metu ac pœnis ad confeſſionem nominis divini cogentes, religionem è ſuo arbitrio metientes, populum Dei pro lubitu gravantes, id Deus odit, id re ipſa improbavit. Non vult Deus *timorem noſtrum eſſe præceptum hominum condocefactum*, vult nos eſſe *voluntarias oblationes.* Spiritus Dei eſt רוּחַ נְדִיבָה *Spiritus ſpontaneus.* Vult nos credere in timore & fiducia filiali, non ex metu ſeveritatis humanæ. *Obedientia noſtra* debet *eſſe ex vocante nos* Galat. 5: 8. Ille ſolus vult dominari conſcientiæ, non vult nomen hominum nominari, ſed ſuum, quod eſt *Admirabile*, vult ſolus eſſe Eccleſiæ autor dicendorum & faciendorum. *Conſilium Babylonis Deo diſplicuit, & quare?*

§. 12. Hoc hominum priorum inſtitutum renovare voluerunt temporibus Novi Teſtamenti illi, qui ſeſe Dominos fecerunt Eccleſiæ, illamque ſibi ſubjecerunt, qui ſe dicunt habere traditionem & depoſitum Verbi; qui dominatum ſibi vindicant in fidem hominum; qui audent dicere, Eccleſiam in unitate non poſſe contineri ſola fide; debere accedere anctoritatem & coactionem humanam; qui in iis, quæ impiè decernunt, *facientes ærumnam* עַל־חֹק *ultra quod ſcriptum eſt*, ſe Deo æquiparare non verentur & dicere, *Viſum eſt Spiritui Sancto & Nobis*; qui ſe dicunt eſſe infallibiles verbi divini interpretes; imò eſſe ſupra Scripturam; qui inane ſuum nomen, quod *eſt nomen blaſphemiæ*, magis crepant & in ore habent, quàm nomen Dei ſanctiſſimum. Hi, deteriores ſanè primæ Babylonis conditoribus, idem nomen in Sacris acceperunt & Babylon vocantur. Apoc. 17: 5. *Babylon magna, mater ſcortatorum & abominationum terræ.* In illis, ut dictum, hoc inſtitutum faciendi nomen & autoritatem humanam, ad dominandum in Eccleſia, revixit, quod cum prioribus illis videbatur emortuum. Sunt ergo illi tradux & æmuli Babylonis primæ, quamvis & illos imitentur, qui Babylonem illam poſterioribus inhabitarunt temporibus, ut Nebucadnezar, quem imitantur in eo quod cogunt adorare idola; quòd tyrannidem adfectant in conſcientias; quòd deſtruunt urbem ſanctam & templum Dei; quòd captivant populum Dei; quòd ſuperbè agunt & ferociter. Sed de hac Babylone needum tempus eſt, ut agamus. *Sub Novo Teſtamento idem conſilium renovatum.*

§. 13. Conſilii autem hujus, quamvis haut ſine matura deliberatione initi, nec ſine magna pompa, & accurſu applauſuque omnis generis hominum incepti, irritus fuit ſucceſſus, ut §. 4. jam monuimus, & pœnas temeritati debitas miſeri luerunt. Modus, quem divina potentia hic obſervavit, tertio nunc loco conſiderandus eſt propius. Igitur poſtquam Deus dixiſſet, *deſcendamus & confundamus ibi labium illorum, ut non intelligant unus labium alterius*, ſtatim additur, *ibi confudit Dominus labium totius terræ, & ab inde diſperſit illos ſuper facies totius terræ* Geneſ. 11: 7. 8. 9. Eventus fuit, *& deſtiterunt ædificare civita-* *Succeſſus conſilii Babylonis irritus.*

tem וַיַּחְדְּלוּ לִבְנֹת הָעִיר 4. 8. Itaque confuſio labii, & illam confuſionem ſecuta diſperſio, finem temerariis cœptis impoſuit.

Labii confuſio qualis fuerit in Babylone?

§. 14. Labii confuſionem quod attinet, ea talis fuit, ut ſe invicem non intelligere, & mentem unus alterius percipere amplius non poſſent. An vero linguæ toto genere diverſæ ab antiqua Hebraica, quæ exſtructoribus urbis vernacula erat, repente in Babel exſtiterint, ita ut totalis priſtinæ linguæ oblivio inducta ſit, & aliarum linguarum habitus mentibus humanis infuſi ſint: aut an veteris linguæ ἄφνω *ſubito* ortæ tantum ſint aliæ plane ἐγκλίσεις & παρεγκλίσεις, *inclinationes & declinationes*, Deo turbante mentes & labium ædificantium, ita ut eadem verba diverſo ſono & diverſa dialecto repentè pronunciare inciperent, aliis examinata ſunt prolixius. Nobis videtur vero magis conſentaneum, quia dicitur *labium illorum confuſum*, labium, hoc eſt, linguam, quam loquebantur, ſubito quidem immutatam fuiſſe, non autem omnimodam illius intraſſe oblivionem. Illa autem immutatio includit differentiam pronunciationis, varias vocum flexiones, & dialectorum diſcrepantias; quæ ſemel introductæ ſemper latius ſe effuderunt, imo & multas alias voces ac peregrina vocabula progenuerunt. Maxime huc facit, quod gentes illæ, quarum labium confuſum fuit, quæque diſperſæ ab invicem viciniores ſine dubio primum occuparunt regiones, unde auctæ paulatim in alias proruperunt, donec tandem ὅλην τὴν οἰκουμένην, *totum orbem habitabilem*, implerent, tales linguas locutæ ſunt, quæ ab antiqua Hebraica tantum quoad maximam partem differunt flexione, & ſyllabarum additione & detractione, literarumque metatheſi ſeu tranſpoſitione, quales ſunt, Syriaca, Chaldaïca, Arabica, Æthiopica, Scytica, Ægyptiaca; quæ ſine dubio ἀλλοχέτας, *aligenas* illas linguas inde ab initio retinuiſſent, & in novas ſedes ſuas tranſtuliſſent, ſi ſtatim linguas toto genere diverſas loqui incepiſſent. Quamvis nec hoc impoſſibile fuit Deo. Ut enim in feſto Pentecoſtes Apoſtolos fecit loqui aliis linguis quam plurimis, ita potuit idem in hiſce primis conditoribus efficere.

§. 15. Cum autem Deo multa alia ſuppeterent media, quorum ope homines miſeri in opere incepto fuiſſent impediti; potuiſſet enim illos vibrato fulmine percellere; potuiſſet illos cœcitate percutere, ut Sodomitas; aut plagas multas in illos immittere, ut in Ægyptios; aut magnam in illis ſtragem facere, ut in exercitu Sennacherib; aut terræ devorandos tradere, ut Coram, Datam, Abiram, tamen viſum eſt Deo linguam illorum confundere, ut ſe invicem percipere non poſſent. Ita illi, qui linguæ unitate ad conſilia hæc fabricanda moti erant, linguæ confuſione & immutatione coguntur conſilia inita diſſolvere, opuſque imperfectum omittere. Labium unum anſam præbuit ſtultitiæ. Labium confuſum coëgit illos à ſtultitia deſiſtere.

Deus per confuſionem linguarum diſperſit gentes, & per earum donum demum collegit.

§. 16. Non poſſumus autem non mirari imperſcrutabiles Dei vias. Hic introducta varietate labii homines ſeparat, diſpergit, à ſe alienat; quos in poſtremo dierum, per donum multarum linguarum, quas Spiritus S. Apoſtolis dedit ἀποφθέγγεσθαι *eloqui* Act. 2: 4. iterum collegit, univit & ſecum conjunxit. Ita quod in initio pœna fuit, & in maledictionem ceſſit, ſecunda vice donum cœli factum eſt, & medium annunciandi *benedictionem*, qua omnes gentes in ſemine promiſſo benedicuntur.

§. 17. Sed non ſola fuit labii confuſio; immediatè ſecuta eſt diſperſio. *Ab inde diſperſit illos Dominus ſuper faciem totius terræ.* Non poteſt commode ſocietas coli inter illos, qui ſibi invicem ſunt Barbari, & non intelliguntur ulli. Sine dubio etiam novitas rei perculit animos illorum, & magno metu implevit. Forſan etiam variæ rixæ & contentiones inter illos exortæ ſunt, non potentes amplius mentem ſibi invicem explicare. Igitur non

potuit

potuit non ſequi *diſperſio*, hoc eſt, mutua ſeparatio, & repentinus abitus; divina illos fortiter cogente manu, ſecundum id, quod dicitur, *Et diſperſit illos.*

§. 18. Exceperunt autem hanc diſperſionem funeſtiſſimi eventus, confuſo labio etiam paulatim confuſi ſunt *ſermones*, hoc eſt, doctrina & fides de Deo confuſa eſt, ſeparati homines ab invicem, pedetentim à Deo ſeparari cœperunt, defecit fides, refrixit charitas, lux eclypſes paſſa eſt. Ἀγνωσία θεῶ, ἀθεότης, πολυθεότης, *ignorantia Dei*, *abnegatio Dei*, *mutorum Deorum fictio* עבודה זרה *idololatria*, aperta quaſi janua intrarunt, πόλεμοι καὶ μάχαι *bella & prælia*, ſcelera atrociſſima, inaudita facinora, rapinæ, latrocinia, furta, & ſi quid turpe ac inhoneſtum, non fuerunt infrequentia. *Ita deſiit pius, & imminuti ſunt fideles ex filiis hominum* Pſalm. 12: 2.

Diſperſionem per linguarum confuſionem excepit doctrinæ & fidei confuſio.

§. 19. Ut autem Deum dereliquerunt homines, ita & Deus dereliquit illos, & rejecit illos, & abſcondit faciem ſuam ab illis, *ſivitque* tandem *omnes gentes viis ſuis incedere* Act. 14: 16. quæ viæ ſunt viæ carnis, concupiſcentiæ, interitus, mortis; ſivit illas cultum & religionem pro arbitrio & vanitate cordis fingere, alloquio ſuo illas dignatus non eſt; neque enim, quod ſciamus, prophetas ad illos miſit, quinimò *abalienavit illas à politia Iſraëlis, & à Teſtamentis promiſſionis. Lex, per Moſen data, fuit paries intergerinus*, genteſque coëgit eſſe μακρὰν *procul*, ξένυς & *advenas*. Ita *ſine ſpe, & ſine Deo fuerunt in mundo* Epheſ. 2: 14. 18.

§. 20. Non tamen ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν *inteſtatum ſe reliquit Deus illis.* Præterquam enim, quod *illis benè fecit, calitus dans pluvias & tempora frugifera* Act. 14: 7. reliquit illis ſpectacula cœli & terræ, ſolis, lunæ, aliorumque ſiderum, *in quibus*, *ſi conſiderantur*, *inviſibilia Dei*, *æterna ejus potentia & divinitas*, *inde à condito mundo* clare & ad oculum καθορᾶται *conſpiciuntur* Rom. 1: 21. Conceſſit illis mentem, ratione præditam, *opuſque legis cordibus illorum inſcripſit*, *atteſtante illorum conſcientia, & cogitationibus invicem ſe accuſantibus & defendentibus* Rom. 2: 15.

Deus tamen ſe non inteſtatum reliquit.

§. 21. Nihilominus *in* omni hac *ſapientia Dei mundus per ſapientiam Deum non cognovit* 1 Cor. 1: 21. *Cognoſcentes Deum*, *non ut Deum glorificarunt*, *aut gratias egerunt*; *& non æſtimarunt*, *habere Deum in agnitione* Rom. 1: 21. 28. Multa de Deo locuti, *Deos omnia cernere*, *Deorum omnia eſſe plena*; *ejus ſedem eſſe*, *ubi terra & pontus & aër & cœlum & virtus*; *Deum eſſe*, *quodcunque vides*, *quocunque moveris*, eſſe *Deum mentem æternam*, *cauſam omnis boni in natura*, & plura alia falſi, tamen non potuerunt non publica in altari inſcriptione, Ἀγνώστῳ θεῷ *ignoto Deo* Actor. 17: 23. toti mundo teſtatum facere, ſe Deum necdum noviſſe; & coluiſſe eum, quem ignorabant, adeoque nec vere coluiſſe. Quæ Dei ſit natura, quæ æterna ejus juſtitia, quæ vera reconciliationis divinæ ratio, quæ certa ſalutis ſpes, omninò non habuerunt perſpectum.

Nihilominus Mundus Deum non cognovit.

§. 22. Ita longo ſeculorum tractu evidentiſſima experientia manifeſtatum eſt; carnem eſſe impotentem ad cognoſcendum & amandum Deum; cognitionem, quæ è natura habetur non eſſe potentem ad convertendum cor hominis durum, nedum ſufficientem ad ſalutem, gratiam in Chriſto, redemtionem & expiationem, quæ eſt in ſanguine Jeſu Chriſti juſti, ejuſque annunciationem, & efficacem ex aqua & Spiritu regenerationem abſolute eſſe neceſſariam, ut homo ſervetur & non pereat, καὶ μὴ ἀπόληται.

§. 23. Habuit tamen Deus *ſemper ſemen ſanctum*, *reliquias ſecundum electionem gratia*, λαὸν περιούσιον *populum peculii*, filios cum Deo ambulantes, ut ne putemus, labio confuſo, populiſque diſperſis, de Eccleſia penitus actum fuiſſe; quamdiu mundus fuit, & erit, Eccleſia in mundo fuit & in mundo erit. Imò propter Eccleſiam mundus hucuſque

Habuit tamen Deus ſemper ſemen ſanctum.

eſt, qui diu fuiſſet abolitus, niſi ab Eccleſia militante hactenus debuiſſet habitari. Semi familia ſine dubio, benedictione Semo promiſſa, gaviſa eſt; & experta, quænam ſit felicitas populi cujus *Deus* eſt Omnipotens. Quamvis & in illa jam erant degeneres non ambulantes cum Deo integrè, de quibus Joſ. 24: 2. *Trans fluvium*, Euphratem, *habitarunt patres veſtri à ſeculo, & ſerviverunt diis peregrinis.* Ex hac familia fuit Abram, filius Terachi, frater Nachori, & Harani, qui *mortuus eſt in Ur Chaldæorum in conſpectu Terachi Patris ſui* Geneſ. 11: 26. 27. De hoc Abrahamo multa Moſes ſcripſit, quæ integro proximo capite pertractare animus eſt.

Caput Septimum.

De Abrahamo & iis quæ de ipſo ſacra narrat hiſtoria. 1. De ejus vocatione. 2. De apparitionibus, promiſſionibus & præceptionibus divinis ipſi factis. 3. De illius fide, ſpe & obedientia. 4. De Abrahami morte.

§. 1. Abraam filius Terach exſtitit ille φίλος θεοῦ *amicus Dei* Jacob. 2: 23. cum quo Deus toties eſt locutus, cuique tot promiſſiones dixit; cujus etiam Chriſtus Dominus mentionem facere non eſt dedignatus, dicens *Abraham Pater veſter vidit diem meum, & gaviſus eſt* Joh. 8: 56. cujus ſe *τέκνα filios* fatetur omnis cœtus Iſrael.

Abraham exemplar omnium fidelium.

§. 2. Apoſtoli, Paulus & Jacobus, volentes exponere doctrinam de fide & juſtitia ex fide; de operibus & de juſtificatione ex operibus; de benedictione & libertate Novi Teſtamenti; de certitudine divinorum promiſſorum, in teſtimonium & exemplum adducunt *fidem* Abrahami, quæ *reputata illi eſt in juſtitiam*; *opera* Abrahami, *ex quibus fides* ἐτελειώθη *conſummata eſt*; *benedictionem* Abrahami, qua *benedictus* eſt; *promiſſa*, quæ promiſit illi Deus, *jurans per ſemetipſum*, ἐπεὶ κατ' οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, *quandoquidem per neminem habebat majorem jurare* Rom. 4: 1-5. Jacob. 2: 21-24. Gal. 3: 6-20. 4: 22-31. Hebr. 6: 13-20. Ita in iis, quæ de Abrahamo tradita ſunt, eſt omnis Theologiæ & doctrinæ, quæ ad ſalutem credenda eſt, pleniſſima demonſtratio, & evidentiſſima explicatio.

Quæ de Abrahamo habet Moſes quatuor comprehenduntur titulis.

§. 3. Videmur autem nobis omnia, quæ in Moſe de Abrahamo ſcripta ſunt, ad quatuor primarias claſſes referre, ſeu ſub quatuor comprehendere titulis & capitibus poſſe non incommodè. Harum claſſium *prima* aget de vocatione Abrahami, qua vocavit illum Deus. *Secunda*, de apparitionibus, promiſſionibus, & præceptionibus divinis ipſi factis. *Tertia*, de fide, obedientia, ſpe, qua ambulavit cum Deo; & de exemplis in vita illius memorabilioribus. *Quarta* de morte & obitu Abrahami.

Vocatio Abrahami.

§. 4. Prius quod attinet, certè vocatus eſt Abraam, πίστει καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν *fide vocatus Abraam obedivit* Hebr. 11: 8. ita non ſuo inſtinctu egit Abraam, quod egit, ſed jubente & vocante Deo. Vocatio concepta eſt his verbis: *Et dixit Dominus ad Abraam. Exi è terra tua, & è cognatione tua, & è domo Patris tui ad terram, quam monſtrabo tibi* Geneſ. 12: 1. Factum eſt hoc verbum, cum Abraam adhuc eſſet in Meſopotamia, in terra Chaldæorum, *antequam habitaret in Charan* Actor. 7: 2. videturque adeò illa expeditio, quam Terachus Abrahami Pater in terram Canaan ſuſcepit, fuiſſe effectus divinæ hujus juſſionis Geneſ. 11: 31. quamvis tunc in Charan ſubſtiterint, ubi Terach mortuus eſt Ibid. ꝟ. 32. qua morte obita Abraam exivit ad

locum

locum, quem debebat λαμβάνειν εἰς κληρονομίαν *accipere in hæreditatem* Heb. 11:8 & hæreditario jure poſſidere, qui locus vocatur *terra promiſſionis*; in qua, quamvis in hæreditatem accipienda, nimirum à ſemine illius, (confer Act. 7:4. *μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε.* & ✠. 5. *promiſit ipſi dare illam terram εἰς κατάσχεσιν in poſſeſſionem, & ſemini illius poſt illum*) *παρῴκησε peregrinatus eſt, ut aliena.* Hebr. 11:9. *nec accepit in illa κληρονομίαν hæredium, neque βῆμα ποδὸς veſtigium pedis* Act. 7:5. ſuo exemplo docens, *exſpectandam eſſe civitatem, quæ fundamenta habet* Hebr. 11:10.

§. 5. Durior hæc vocatio videri poterat, utpote quæ jubebat relinquere domum patriam & natale ſolum, quod dulcedine cunctos ducit, & ire in loca incognita, *Exiit, neſciens* ποῦ ἔρχεται *quò venturus eſſet* Hebr. 11:8. Sed idem ille veritatis Spiritus, qui in Euangelio dicit, *Qui amat patrem aut matrem ὑπὲρ ἐμὲ plus quam me, non eſt mei dignus: & qui amat filium aut filiam plus quam me, non eſt mei dignus* Mat. 10:37. Abraamum ſpontè fecit divinæ obedire vocationi.

§. 6. Terachum, Abrahami Patrem, cum habitaret בְּעֵבֶר הַנָּהָר *trans fluvium ſerviiſſe Dîs alienis*, Jehoſua teſtatur Joſ. 24:2. Poſſibile eſt, ut ſolent liberi ad parentum ſe componere exemplum, etiam Abraamum, antequam à Deo vocaretur, mala Patris veſtigia calcaſſe. Ita gratia Dei liberatus, vas factus eſt electionis, id & Paulo accidit 1 Tim. 1:13.

§. 7. At nunc de apparitionibus, promiſſionibus, & præceptionibus divinis Abrahamo factis, dicere ordiamur. Apparitiones Abrahamo factæ.

§. 8. Apparuit Jehova Abrahamo ſæpius, cum diceret, *Exi è terra tua, ipſi* apparuit, teſtante Stephano Actor. 7:2. *Deus gloriæ ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν, viſus eſt, apparuit patri noſtro Abraam, cum eſſet in Meſopotamia.* Gen. 12:7. dicitur, *Et apparuit.* וַיֵּרָא *Dominus Abramo, & ædificavit Abram altare Domino* הַנִּרְאֶה אֵלָיו *qui viſus erat illi.* Gen. 15:1. *Factum eſt verbum Domini ad Abramum* בַּמַּחֲזֶה *in viſione.* Gen. 17:1. *Et apparuit Iehova Abraamo* & ✠. 22. *Et abſolvit loqui cum* illo, וַיַּעַל אֱלֹהִים מֵעַל אַבְרָהָם *& aſcendit Dominus inde ab Abraham. Qua μορφῇ forma* Deus ſe Abrahamo exhibuerit videndum, Scriptura tacet, nec noſtrum eſt inquirere.

§. 9. Illud autem notatu digniſſimum eſt, quod narratur Gen. 18. & 19. verſu primo dicitur, *Et apparuit ipſi* יְהוָה *Dominus ſub quercubus Mamre.* ✠. 2. *Et extulit oculos ſuos, & vidit, & ecce tres viri ſtabant ante illum.* Inquirendum an tres illi Viri ſint aut fuerint idem ille *Dominus, Iehova*, qui apparuit Abrahamo. Sanè in illis tribus viris agnovit Abraham *Dominum.* ✠. 3. Et dixit אֲדֹנָי (cum ◦ Cametz nomen ſoli Deo proprium) *ſi inveni gratiam in oculis tuis.* Vides, unum ſaltem ex illis tribus fuiſſe אֲדֹנָי *Dominum.* Ita & appellatur ✠. 13. *Et dixit* יְהוָה *Dominus quare ridet Sara?* Saram nec videre, nec audire poterat; riſerat enim בְּקִרְבָּהּ *in medio ſui, in ſe*, tacitè, ſine ſtrepitu aut clamore: tamen riſiſſe illam ſciebat Dominus; eſt enim ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας Rom. 8:27. & ✠. 14. dicit de ſe ipſa, *Num mirabile erit* מֵיְהוָה *præ Domino quicquam?* confer ✠. 17. 19. 20. Imprimis ✠. 22. *Et deflexerunt inde Viri, & iverunt Sodomam. Sed Abraham adhuc ſtabat* לִפְנֵי יְהוָה *coram Iehova*, & diſcurſus ſeu colloquium, inter *Iehovam Dominum*, & Abrahamum habitum deſcribitur uſque ad finem capitis. Capite autem decimo nono, ✠. 1. vocantur illi duo Viri, qui Jehova adhuc cum Abrahamo loquente, deflexerant inde, petituri Sodomam *duo Angeli*, שְׁנֵי הַמַּלְאָכִים. *Et venerunt duo illi Angeli Sodomam*, בָּעֶרֶב *flexo in veſperam die*, & ✠. 13. dicunt illi de ſe ipſis: *Miſit nos Iehova ad perdendum* Sodomam. Hactenus ergo proclive fuit putare, *unum* è tribus Viris, qui Abrahamo apparuerunt ſub quercubus Mamre, fuiſſe *Dominum*; reliquos verò *duos*, Apparitio Gen. 18. & 19.

Angelos, creaturas, ſpiritus miniſtratorios. Sed quia Gen. 19: 18. etiam duos illos Lotus alloquitur ut unum, illoſque compellat nomine proprio Dei, dicens: אַל נָא אֲדֹנָי *Ne quæſo Domine*, & ℣. 24. additur, *Et Jehova, Dominus fecit pluere ſulphur & ignem, à Jehova, è cœlis*, apparet etiam hos duos eſſe יְהוָה *Dominum*. Unde concludere nos veritas cogit ipſa, Deum τρισυπόστατον, unum & trinum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, Abrahamo ſe manifeſtaſſe in forma & ſpecie viſibili. Quemadmodum etiam apud baptiſmum Chriſti, Pater humana voce, Filius in humana carne, Spiritus inſtar columbæ videndum & audiendum ſe exhibuit Matth. 3: 16. 17. Ita Abraham in fide ſanctiſſima, Deum in Filio, ſemine, benedicere; & Spiritu ſancto ad diem redemptionis obſignare, viſione hac excellentiſſima confirmatus haut parum fuit. Auguſtinus libr. 2. de Trinitate, cap. 11. ita pulchrè de hac viſione ait: *Cùm verò tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel forma vel ætate vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus perſonis unam eandemque ſubſtantiam?*

Promiſſiones Abrahamo factæ. §. 10. De promiſſionibus autem Abrahamo factis longè plura occurrunt dicenda: de illis Paulus Hebr. 7: 6. *Melchiſedec illi, qui promiſſiones habebat, benedixit*; intelligit Abramum: confer cap. 6: 13. *Abraamo enim promittens Deus.* Gal. 3: 16. *Abraamo autem dictæ ſunt promiſſiones*, & ℣. 18. *Abrahamo autem* δι' ἐπαγγελίας *per promiſſionem largitus eſt Deus.* Rom. 4: 20. In *promiſſionem autem Dei non hæſitavit incredulitate.*

Prima promiſſio Abrahamo facta Gen. 12: 2. 3. §. 11. Prima promiſſio Abraamo facta eſt Gen. 12: 2. 3. *Faciam te in gentem magnam; & benedicam tibi, & magnum faciam nomen tuum, & eris benedictio. Et benedicam benedicentibus te; & qui te execrantur, execrabor; & benedicentur in te omnes familiæ terræ. Maxima* ſanè & τίμια ἐπαγγέλματα *pretioſa promiſſa* 2 Pet. 1: 4. 1. *Faciam te in gentem magnam*: confer Gen. 17: 5. *Dabo te in gentes, & reges ex te exibunt.* Quod & de *Sara* dicitur ibid. ℣. 16. & de *Iſmaele* ibid. ℣. 20. *Et dabo illum in gentem magnam*: confer Gen. 18: 18. Per gentes has intelliguntur gentes Judæorum, Iſraelitarum, Hagarenorum, Idumæorum, quæ numeroſiſſimæ & potentiſſimæ evaſerunt gentes. 2. *Et benedicam tibi* Gen. 22: 17. *Benedicendo benedicam tibi.* quod ita exprimit Apoſtolus Hebr. 6: 14. εὐλογῶν εὐλογήσω σε. Benedictiones aliæ ſunt corporales & terrenæ; aliæ ſpirituales & cœleſtes. Terrenæ & corporales ſunt, divitiæ, honores, ſanitas, corporis robur: habuit & tales benedictiones Abraam; fuit enim dives Gen. 13: 2. honoratus, Gen. 23: 6. victorioſus & potens Gen. 14: 14. 15. Attamen non in hiſce fuit ſuperior gentibus, inter quas fuit hoſpes & advena, quas timere debuit & colere: non habuit βῆμα ποδὸς *veſtigium pedis* Actor. 7: 5. *in tentoriis habitavit* Hebr. 11: 9. taceo, non poſſe illas dici aut haberi, ut benedictiones veras, quas impii & maledicti cum piis habent communes. Ergo non hæ ſunt proprie benedictiones illæ, quas gratioſe promittit Abrahamo Dominus. Benedictiones ſpirituales ſunt in hac vita, fides, ſanctitas, juſtitia. Poſt hanc vitam, ſalus animæ, introitus in cœlum, reſurrectio corporis. Hæc autem debere intelligi, cum benedictio Abraamo promittitur, autor eſt Paulus Gal. 3: 8. 9. *Prævidens Scriptura, quod ex fide juſtificat gentes Deus, dixit Abraamo in te benedicentur gentes, Et, qui ſunt ex fide, benedicuntur.* Igitur dum benedicturum ſe Abraamo dicit Deus, dicit ſe ipſi fidem, juſtitiam, ſalutem æternam è gratia donaturum; adeò ut in hoc uno verbo ſit promiſſio fidei, juſtitiæ, & vitæ æternæ. Hujus autem benedictionis modus & amplitudo explicatur in ſequentibus: *Et magnum faciam nomen tuum.* Auguſtiſſimo & hone-

honeſtiſſimo nomine nominaberis; audies fidelis, pater multarum gentium, amicus & hæres Dei. *Eris benedictio* : tam larga perfunderis benedictione, ut illa tibi quaſi ſola collata videatur; & ut omnis Dei benedictio in te, ut in cumulo conſpiciatur, tuque ipſiſſima videatis benedictio, typus & exemplar omnis benedictionis ſperandæ, petendæ, hæreditandæ. *Et benedicentur in te omnes familiæ terræ* Geneſ. 18: 18. *Et benedicentur in illo omnes gentes terræ* Gal. 3: 8. πάντα τὰ ἔθνη. Hoc ſimpliciter cum Paulo explicamus, *Cum fideli Abrahamo benedicentur, & ex fide juſtificabuntur gentes* Gal. 3: 8. 9. Eſt itaque hic προευαγγελισμός converſionis & vocationis gentium, & repetitio illius verbi, quod Noah de Japeto pronunciaverat, *Alliciat Deus Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi.* Tandem additur; *Et benedicam benedicentibus tibi.* Abrahamo benedicere, eſt, fidem, juſtitiam, ſpem ſalutis, quæ Abrahamo donata eſt, in pretio habere, illamque ſitire & eſurire. Qui ita Abrahamo benedicunt, non poſſunt non benedici: Deo enim dant gloriam. Qui Abrahamo benedicunt, illi ſtudent *ambulare in veſtigiis fidei Abraam* Rom. 4: 12. *& inveniri in Semine Servatore*, habentes juſtitiam, quæ eſt *per fidem, è Deo, ad fidem* Phil. 3: 9. *Et qui te execrantur, execrabor.* Abrahamo maledicere, eſt, fidem & juſtitiam Abrahami blaſphemare, & aliam viam ſalutis quærere, quæ tamen non eſt, nec poteſt eſſe alia, quam in Dei filio, Jehova, in quem credidit Abrahamus. Qui ita maledicunt Abrahamo, ſuo merito maledicti ſunt. ὁ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται. *qui non credit, jam judicatus eſt* Joh. 3: 18.

§. 12. Deinde promiſit Deus Abrahamo *ſemen.* Eſt ſanè & Iſmael, natus ex Hagar, adeoque *ex ſanguinibus & voluntate carnis* Joh. 1: 13. ſemen Abrahami Gen. 21: 12. *Et etiam filium ancillæ in gentem ponam: quia ſemen tuum eſt*; quem & Abrahamus appellat filium ſuum, cujusque vitam & ſalutem exoptat Geneſ. 17: 18. *Utinam Iſmael vivat coram te; quem & circumcidit* Gen. 17: 25. de quo etiam promiſſiones factæ ſunt, primo Hagaræ matri Geneſ. 16: 10. *Multiplicando multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ copia*, ℣. 12. *Et ille erit homo ferus: manus ejus in omnes, & manus omnium in ipſum, & coram facie omnium fratrum ſuorum habitabit*: deinde Abrahamo Patri Geneſ. 17: 20. *Et de Iſmael exaudivi te; ecce benedicam illi, & fœcundabo illum; & multiplicabo illum valde admodum: duodecim principes gignet, & dabo illum in gentem magnam.* Habuit etiam Abraham ſemen & filios ex Ketura; imo & filios concubinarum, quibus dona dedit, & ablegavit orientem verſus, & ita ſeparavit ab Iſaaco filio ſuo Gen. 25: 1.—6. Semen Abrahami ex ſanguine & voluntate carnis.

§. 13. Imprimis autem in conſiderationem venire debet 1. Illud Abrahami ſemen, de quo eſt Gal. 3: 16. *Abraamo dictæ ſunt promiſſiones*, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, ὅς ἐστι Χριστός *& ſemini illius, quod eſt Chriſtus* & ℣. 19. uſque dum venerit τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται *ſemen, cui promiſſum eſt*, quod ſemen etiam vocatur *filius Abraami* Matth. 1: 1. quamvis & de ſe dicere poſſit, *Amen, Amen dico vobis, antequam Abraam cœpit eſſe, Ego ſum* Joh. 8: 58. 2. Illud, de quo eſt Geneſ. 21: 12. *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen*: confer Rom. 9: 7. Ad hoc ſemen pertinent ii, qui ſecundum carnem ex Iſaaco & Jacobo nati ſunt; non tamen *omnes*, nec *ſoli*. Non omnes, ut enim *non omnes, qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël* Rom. 9: 6. ita non omnes, qui ſunt κατὰ σάρκα ex Iſaaco, ſunt ſemen hoc, quod in Iſaaco vocari debebat Abrahamo. *Non enim filii carnis, ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen* Rom. 9: 8. Non ſoli, *eſt* enim *firma* hæc promiſſio παντὶ τῷ σπέρματι *omni ſemini, non illi ſolum, quod eſt ex lege*, ut Iſraël, cui lex per Moſen data eſt Joh. 1: 17. *ſed & illi, quod eſt ex fide Abraam*, hoc eſt, & *gentibus, quarum Pater poſitus* Semen Abrahami ex promiſſione duplex.

ſitus eſt Abraham quæque ambulant in veſtigiis fidei Abrahami Rom. 4: 12.--16. 17. Ut ita verus verbi hujus, ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα, ſenſus hic ſit: Semen, quod vere ſemen eſt: vitæ, ſalutis, juſtitiæ hæres; quod eſt non è circumciſione ſolum, ſed & è præputio: imo & ſemen, quod eſt cauſa & Autor omnis benedictionis & ſalutis, ex Iſaaco orietur; in fide, promiſſione, & fœdere autem Iſaaci id omne vocabitur, id eſt, colligetur, adducetur.

Promiſſiones ſemini Abrahami factæ.

§. 14. Nunc autem videamus, quidnam Deus de omni promiſcue ſemine locutus ſit & promiſerit. Ea hoc ordine è Scriptura depromſimus.

Promiſſio terræ Canaan,

§. 15. Primò promiſit Deus, *Semini tuo dabo terram hanc*, nim. terram Canaan Gen. 12: 7. *Totam terram, quam tu vides, tibi dabo, & ſemini tuo in ſeculum* Gen. 13: 15. *Semini tuo dabo terram hanc, a fluvio Ægypti, uſque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem* Gen. 15: 17. *Dabo tibi & ſemini tuo poſt te, terram peregrinationum tuarum, totam terram Canaan, in poſſeſſionem ſeculi* Gen. 17: 7. Id impletum in duodecim tribubus Iſraelis; præcipuè verò in ultimo tempore, ſtante templo ſecundo, ubi tota Palæſtina & Idumæa domita & Iſraëli ſubjecta eſt, convenienter Prophetiæ Bileami Num. 24: 19. *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seir, inimicis ſuis, & Iſraël faciet robur*, hoc eſt, aget feliciter & ſtrenuè. Dum autem terra promittitur danda עַד עוֹלָם *in ſeculum* Gen. 13: 15. לַאֲחֻזַּת עוֹלָם *in poſſeſſionem ſeculi* Gen. 17: 7. non ſimpliciter id intelligendum eſt de æternitate, quæ nunquam deſinit, nunquam interrumpitur, ſed donec duraret ſtatus Reipublicæ & politiæ Judaicæ, & Iſraëlitæ ſeparati eſſent à gentibus. Ita & de die aut feſto Paſchatis dicitur Exod. 12: 14.– 17. *Et obſervabitis diem hunc in ætates veſtras* חֻקַּת עוֹלָם *ſtatuto ſeculi.* confer Exod. 31: 16. Debuit autem hæreditatem terræ Canaan antecedere peregrinatio & dura ſervitus in Ægypto: de qua Gen. 15: 13. 14.– 16. *& generatione quarta revertentur huc*, hoc eſt, hominibus quartæ generationis nondum planè emortuis, ſed viventibus adhuc quibuſdam pronepotibus eorum, qui in Ægyptum deſcenderunt. confer Act. 7: 6. 7.

2. Multiplicationis ſeminis, quæ duplici modo impleta.

§. 16. Secundo promiſit Deus: *Ponam ſemen tuum ut pulverem terræ, quod ſi quis poſſit numerare pulverem terræ, etiam ſemen tuum numerabitur* Gen. 13: 16. *Aſpice cælum verſus, & numera ſtellas; ſi illas numerare potes, & dixit illi: ſic erit ſemen tuum* Geneſ. 15: 5. *Multiplicabo ſemen tuum, ut ſtellas cœli, & ut arenam, quæ eſt in littore maris* Gen. 22: 16. confer Hebr. 11: 12. Hæc ſecundum literam ſunt verificata in duodecim Iſraëlis tribubus, præcipuè ſecundo ſtante templo, de quo tempore eſt Hoſ. 2: 1. *Et erit numerus filiorum Iſraël, ut ſabuli maris, quod non menſuratur, nedum ut numeretur.* Jerem. 3: 16. *Et erit, cum amplificati, multiplicati fueritis in terra.* Eſ. 26: 15. *Addidiſti ad gentem Jehova, addidiſti ad gentem.* Illo tempore *pagis habitata eſt Hieroſolyma, præ multitudine hominum, & animalium in medio ejus* Zach. 2: 8. Attamen in ſenſu pleniori verificantur *in multitudine & turba gentium*, cujus Pater factus eſt Abraam: hæc turba eſt ex omni gente, lingua, populo, in omni loco & plaga mundi: Rom. 4: 18. *qui præter ſpem in ſpe credidit, fore illum Patrem multarum gentium, juxta id quod dictum erat,* οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου.

3. Erectionis fœderis.

§. 17. Tertio, *Et erigam fœdus meum inter me & te, & ſemen tuum poſt te, ut ſim tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te* Gen. 17: 6. Hæc omnium maxima eſt promiſſio, totum fœdus gratiæ in ſua amplitudine continens. Includitur in illa immortalitas animæ, reſurrectio corporis, præparatio cœleſtis civitatis Matth. 22: 31. 32. Luc. 20: 38. Hebr. 11: 16. omniſque adeò ſalus, gloria & juſtitia. Verſu 7. idem repetit Deus, וְהָיִיתִי לָאלֹהִים לָהֶם *Et ero illis in Deum*, nempe data illis tota terra Canaan in poſſeſſionem,

cum

cum integram illam poſſidebunt, tunc *ero* ſeu *fiam*, id eſt, exhibebo me re ipſa & pleniſſime Deum illorum; convenienter promiſſioni Novi Teſtamenti, Jerem. 31:33. de qua ſuo loco.

§. 18. Quarto; *Et benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ* Geneſ. 22: 18. Apoſtolus hujus ſententiæ commentarium reliquit pereximium Galat. 3: 16. Notat autem. 1. Non dici, τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, *in ſeminibus, ut de multis*, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός, καὶ τῷ σπέρματί σου. *Sed ut de uno. Et in ſemine tuo.* Hunc unum autem dicit eſſe Chriſtum, ὅς ἐστι Χριστός *qui eſt Chriſtus*. Ergo *in Semine tuo* eſt idem ac ſi dictum eſſet, *in Chriſto benedicent ſibi*. Non autem ſic benedicuntur in Chriſto, ut in Abrahamo, *cum quo* benedicuntur, ſed ut in capite, Domino, radice, omnis benedictionis autore, cauſa & adductore. Eodem modo *in Chriſto* benedicuntur, quo *in Domino ſalvatur Iſraël* Eſ. 45: 16. *in Domino juſtificatur, & gloriatur omne ſemen Iſraël* Eſ. 45: 24. Etiamſi Apoſtolus non dixiſſet, *Semen*, in quo benedicimur, eſſe Chriſtum, non tamen id ignoratum fuiſſet, nec minus certum & planum. Ut enim ſalus in nullo alio, ſic nec benedictio in ullo eſt alio. Reſpicitur ſine dubio ad promiſſionem primam, *Semen mulieris conteret caput*, qui enim benedictionis nobis eſt cauſa & autor, ille etiam victoriæ & liberationis noſtræ autor eſt. Idem, qui Semen mulieris, eſt & ſemen Abrahæ, ut & filius Davidis. Ut autem in promiſſione prima per *ſemen mulieris* intelligendum eſt omne ſemen, tum quod vivificat, tum quod vivificatur, quod ſanctificat & quod ſanctificatur: ita etiam in hac promiſſione, Abrahamo dicta, poſſumus intelligere Chriſtum, qui omnis benedictionis cauſa eſt; deinde etiam Iſraëlem, qui omnis benedictionis typus & exemplar eſt. Ut ita *in Semine Chriſto*, ut cauſa; *in ſemine Iſraël*, ut typo, gentes omnes benedicantur.

4. Benedictionis gentium in aliquo ex ſemine.

2. *Benedictionem* ipſam dicit eſſe δικαίωσιν ἐκ πίστεως *juſtificationem ex fide* Gal. 3: 8. *redemtionem à legis maledictione*, imo & *à lege ipſa, ex cujus operibus, qui ſunt*, nondum ſub benedictione omnimoda, ſed ὑπὸ κατάραν *maledictione ſunt*. Galat. 3: 10. 13. adeo ut ſemen Abrahæ *Chriſtus* debuerit *fieri maledictio*, ut *in gentes benedictio Abrahami veniret* Gal. 3: 14. Illam autem benedictionem dicit eſſe *omnem benedictionem ſpiritualem in ſupercœleſtibus* Epheſ. 1: 3. Includit ergo omne bonum, omnem libertatem, gloriam, ſalutem, quam Deus paravit & ſervavit in cœlis. Illa adducta caſſari debet lex & chirographum.

Benedictio gentium promiſſa quid?

3. Hæredes benedictionis vocat πάντα τὰ ἔθνη *omnes gentes* Gal. 3: 8. alibi κόσμον *mundum* Rom. 4: 13. & *omnes familias terræ* Gen. 12: 3. intelliguntur illi, qui *olim ſine Deo, ſine Chriſto, ſine ſpe* fuerunt Eph. 2: 12. In Scripturis per גּוֹיִם *gentes* notantur illi populi; & illæ familiæ, quæ non habent Deum Regem; & non ſunt Dei populus. vide Num. 23: 13. *Populus, qui ſeorſim habitabit, & in gentibus non cenſebitur*. Ecce Iſraël, à gentibus diſtinctus & ſeparatus, vocatur *Populus*. Ergo gentes non ſunt *populus*. Gentium proprietas eſt εἶναι ἁμαρτωλοὺς *peccatores eſſe*, ſive tantum *peccare* Rom. 3: 7. Gal. 2: 15. Mat. 26: 45. Dum gentibus benedictio in Semine promittitur, docemur Chriſtum debuiſſe fieri לְאוֹר גּוֹיִם *in lucem gentium* Eſ. 49: 6. φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν Luc. 2: 32. Et *ſalutem Iehovæ* debuiſſe venire עַד קְצֵה הָאָרֶץ *uſque ad finem terræ* Eſ. 49: 6. Unde etiam illis dicitur, quod eſt Eſ. 45: 21. *Reſpicite ad me & ſalvamini omnes fines terræ.*

Hæredes benedictionis gentium quinam?

§. 19. Ex omni hoc verbo apparet quidem, gentibus cauſam gloriandi & benedictionem paratam eſſe in Chriſto, dicitur enim; in ſemine tuo benedicentur *omnes gentes*. Num igitur nulla hic prærogativa Iſraëlis, & rogare liceat cum Paulo Rom. 3: 1. τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς? Reſpondeo: πολὺ κατὰ πάντα τρόπον. Iſraël enim comprehenditur *in ſemine*, in quo promittitur benedictio, ut paulo ante dictum. Ergo oportuit

In Chriſto gentibus parata benedictio.

Iſraëlem ab omni maledictione legis liberari, redimi, & omni benedictione perfundi, antequam benedictio hæc ad gentes potuit venire Gal. 3: 13. 14. Quare Iſraëli ſunt primæ partes in hac promiſſione. Actor. 3: 25. 26. *Vos eſtis filii prophetarum, & Teſtamenti, quod Deus diſpoſuit patribus veſtris, dicens ad Abraam, & in ſemine tuo benedicentur* πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς, *omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus excitans puerum ſuum Jeſum,* ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ὑμᾶς, *miſit illum ut benediceret vobis.*

§. 20. Senſus ergo hujus promiſſionis ampliſſimus eſt: *Miſſurum Deum filium ſuum, naſcendum ex muliere, ſubjiciendum legi, ut illos, qui ſub lege fuerunt, à lege liberaret, & nos,* tum Judæi, tum gentes, *jus filiorum acciperemus* plene & plane Gal. 4: 5.

Quæ quouſque ſeſe extendat?

§. 21. Facit etiam hæc promiſſio ſpem, vi benedictionis hujus promiſſæ incredulos, & omnes hucuſque in inobedientiam concluſos, ab impietate ſua convertendos, & è miſericordia vivificandos eſſe aliquando: dicitur enim: benedicentur *omnes gentes terræ.* Adeo ut ſpes ſit, totum adhuc Iſraëlem iri ſalvatum, & plenitudinem gentium intraturam Rom. 11: 25. 26. 32.

Abraham pater multarum gentium.

§. 22. Ad hanc promiſſionem referenda eſt alia illa, quæ Arahamo facta eſt Gen. 17: 4. 5. *Et eris in patrem multitudinis gentium. Patrem multitudinis gentium dedi te.* Unde nomen ejus non debuit amplius nominari *Abram*, ſed eſſe *Abraham*, quod notat πατέρα πολλῶν ἐθνῶν Rom. 4: 17. Omnes autem illæ gentes terræ, quæ in ſemine Abrahami benedicuntur, ſunt *illa gentium turba* הֲמוֹן גּוֹיִם, cujus Abraham *poſitus eſt Pater*; eodem nimirum modo, ut Eva *mater facta eſt* כָּל־חַי *omnis viventis.* Eſt autem certe Abrahamus *poſitus Pater multarum gentium*, quia. 1. Gentes in ſemen & τέκνα illi ſunt promiſſæ. 2. Quia exemplo fidei illos quaſi genuit filios Domino Jeſu. 3. Quia gentes per fidem hæredes fiunt benedictionum Abrahami: ſolent autem Filii patrum ſuorum hæredes eſſe.

In promiſſionibus Abrahamo factis eſt notificatio Teſtamenti.

§. 23. In hiſce promiſſionibus, de quibus hactenus loquimur, eſt notificatio fœderis & Teſtamenti divini, διαθήκης ἁγίας Luc. 1: 72. Hinc Geneſ. 15: 18. ubi Deus promittit dationem terræ Canaan, in fronte ponitur, *In illo die pepigit Iehovah cum Abrahamo* בְּרִית *fœdus; teſtamentum, dicendo, ſemini tuo dabo terram hanc:* & Geneſ. 17: 4. *Ecce hoc fœdus meum tecum, & eris in patrem multarum gentium:* & verſ. 6. *Erigam Teſtamentum meum inter me & te, ut ſiam tibi in Deum:* & verſ. 19. *erigam Teſtamentum meum cum Iſaaco in Teſtamentum ſeculi, ſemini illius, poſt illum.* Galat. 3: 17. docet Paulus in illa ſententia, *in ſemine tuo benedicentur,* &c. eſſe *Teſtamentum ante ratificatum à Deo in Chriſtum.* Sane enim voluntas illa Dei, qua Chriſtum poſuit hæredem ſeminis redimendi, quæ notificatur in his verbis, *in ſemine tuo benedicentur*; imo qua fidelibus Abrahami filiis vitam addixit & juſtitiam, quæ exponitur hac ſententia, *ut ſim in Deum ſemini tuo poſt te*; imo qua Iſraëli in hæreditatem dedit terram Canaan, quam indicant hæc verba, *ſemini tuo dabo terram hanc*; denique, qua gentes ad communionem benedictionum populi ſancti vocare & adducere decrevit ab æterno, quæ revelatur hac periodo, in ſemine *benedicentur omnes gentes*; omnis inquam illa voluntas, in ſe una & ſimpliciſſima, reſpectu autem diverſorum objectorum variis partibus conſtans, eſt Dei liberrima voluntas, eaque immutabilis, & ſanguine tum typico pecudum, tum vero Chriſti initiata & ratificata, habetque aliquam cum Teſtamento humano convenientiam, unde etiam *ſecundum hominem Teſtamentum* appellari poteſt: confer cap. 1. §. 7. 8. 9. — 15.

Promiſſiones juramento confirmatæ.

§. 24. Addidit autem Deus his promiſſionibus ὅρκον *juramentum.* ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν Luc. 1: 73. *Abrahamo promittens Deus, quia in nemine majore habebat jurare, juravit per ſe ipſum* Hebr. 6: 13. Geneſ. 22: 16. *Per me juravi, dicit*

Domi-

Dominus. Cur autem juravit Deus? *In quo abundantius volens Deus demonſtrare heredibus promiſsionis immutabilitatem voluntatis ſuæ* ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ *juramento medius intervenit:* ita optime reſpondet Paulus Hebr. 6: 17.

Deus & Abrahamo quæ ad ſolatium & inſtitutionem faciebant locutus eſt.

§. 25. Præter has promiſſiones locutus eſt Deus ad Abrahamum multa ad ſolatium & inſtitutionem ejus facientia, qualia ex Zach. 1:13. vocare poſſumus דְּבָרִים טוֹבִים דְּבָרִים נִחֻמִים *verba bona, verba conſolationum.* Ad illa pertinet quod eſt Geneſ. 15: 1. *Ne time Abram, Ego ſum clypeus tuus, merces tua ampla valde.* Hæc vox eſt vere Euangelica, eadem cum illa Matth. 9: 2. *Confide fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Quæ horrori poterant eſſe, peccatum, ira, maledictio, mors, Satanas, ea jubet Abrahamum non timere: ſed θαῤῥεῖν *confidere*, & tranquillo animo eſſe. Addit rationem: *Ego ſum clypeus tuus*, qui te protego, ſum pro te, cauſam tuam contra inimicos ago, ſum juſtitia tua, imo ſanctificatio, imo redemtio. *Merces tua magna admodum.* Ego, qui clypeus tuus, ſum merces tua, hæreditas tua, ſummum bonum tuum, *ferculum portionis tuæ, calix tuus, tenens ſortem tuam* Pſalm. 16: 5.

§. 26. Item quod eſt Geneſ. 17: 1. *Ego ſum Deus ſufficiens* אֵל שַׁדַּי *: ambula coram me, & eſto integer.* Hoc unum exegit ab Abrahamo, ut coram ipſo ambularet, & integer eſſet, in quo omnia, quæ ad fidem & pietatem faciunt, contineri, ſupra, cum de Enocho agebamus, monuimus. Nomen autem divinum, quo Deus ſe nominat, eſt ſignificationis peramplæ. אֵל notat τὸν δυνάστην, τὸν δυνατόν, *Deum potentem, omnipotentem, cui nihil eſt impoſsibile* Luc. 1: 37. שַׁדַּי notat eum אֲשֶׁר הוּא דַּי *qui ſufficit*, qui αὐτάρκης eſt, & οὐδενὸς προσδεῆ, μακάριος, qui ſufficit creaturæ, ut eam exſatiet; peccatori, ut eum juſtificet, redimat & ſecum reconciliet. Eſt vere Deus שַׁדַּי, *quia omnibus præbet uber* (ita שַׁדַּי derivabitur à שַׁד *ubere, mamma*) *dat omnibus vitam, halitum, & omnia* Act. 17: 25. facitque *electos ſuos ſugere & ſatiari ex ubere conſolationum Hieroſolymæ* Eſ. 66: 11. Eſt vere Deus שַׁדַּי quia vaſtatio improborum ab ipſo eſt: (ita שַׁדַּי derivabitur à שׁד *deſtructione, calamitate*) *propinquus eſt dies Iehovæ, ut vaſtitas ab omnipotente veniat.* כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי יָבוֹא:

Promiſſionibus addidit circumciſionis præceptum.

§. 27. Dedit etiam Deus Abrahamo præceptum de circumciſione Geneſ. 17:10. *Omnis maſculus vobis circumcidetur, circumcidetis carnem præputii veſtri. Filius octo dierum circumcidetur vobis. Et præputiatus* ἀκρόβυστος, *qui non circumcidetur carne præputii ſui, illa anima exſcindetur è populo ſuo.* Hæc circumciſio vocatur *fœdus Dei* Geneſ. 17:11. qui circumcidebatur, dicebatur habere *fœdus Dei in carne ſua* Geneſ. 17: 13. qui circumciſionem negligebat, irriti facti fœderis divini habebatur reus Geneſ. 17: 13. אֶת־בְּרִיתִי הֵפַר: Hæc circumciſio Abrahamo & ſemini illius injungitur peragenda לְדֹרֹתָם *per ætates illorum* Geneſ. 17: 9. Maſculorum erat circumciſio, non puellarum. *Circumcidetur vobis* כָּל־זָכָר *omnis maſculus* Geneſ. 17: 12.

§. 28. Circumciſionem Abrahamo injunctam, etiam Stephanus teſtis eſt Act. 7: 8. *Et dedit ipſi* διαθήκην περιτομῆς *teſtamentum circumciſionis*, hoc eſt, cujus ſignum, ſigillum, & Sacramentum circumciſio exſtitit: confer Geneſ. 17: 11. *Et ſic genuit Iſaacum, & circumcidit illum octavo die.* Ita verum eſt, quod dicit Chriſtus Joh. 7: 22. *Moſes dedit vobis circumciſionem,* οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωσέως ἐστὶν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων, *non quod è Moſe eſt, ſed è Patribus.* Abraham enim Pater noſter primus illam accepit, & poſteritati tradidit.

Moſes quomodo dicatur Iſraëli dediſſe circumciſionem?

§. 29. At quomodo poteſt Moſes dici dediſſe Iſraëli circumciſionem, cum inveniatur rarius de circumciſione locutus; imo illam neglexiſſe, ut apparet in filio Exod. 4: 25. 26. & in illis Iſraëlitarum, qui *nati ſunt in deſerto, in via cum exirent ex Ægypto, qui* לֹא־מָלוּ *non circumciſi fuerunt* Joſ. 5: 5. Reſpondemus. 1. *Lex per Moſen data eſt* Joh. 1: 17. ὅλος ὁ

νόμος tota lex: ergo & circumciſio. 2. Moſes ſatis habuit id prima inſtitutione circumciſionis clariſſimis aſſeruiſſe verbis *circumciſionem*, *fœdus*, imo *fœderis ſignum* debuiſſe *obſervari à ſemine* Abrahami *in omnes generationes illorum* Geneſ. 17:9. Repetiit tamen etiam id præceptum Levit. 12:3. *Et die octavo circumcidetur caro præputii illius.* 3. Quod filii circumciſionem neglexit, eo videtur voluiſſe gratificari Zipporæ uxori, quæ cum eſſet è gente Midian parum æſtimavit, & forſan contemſit ac improbavit circumciſionem. Caſtigatus autem à Domino, errorem illum correxit. De eo ita ſacra hiſtoria: *Et fuit Moſes in via, in diverſorio, & obviam factus eſt ipſi Iehova, & quæſivit interficere illum*, hoc eſt, mortem ipſi comminatus eſt præſentiſſimam; aut etiam in lethalem illum conjecit ægritudinem. Tunc *accepit Zipporah* צר *cultrum lapideum, & præcidit præputium filii ſui.* Id fecit indubiè juſſa à Moſe marito, qui ipſe ob infirmitatem actionem illam exercere haut potuiſſe videtur; aut ſi id non ita eſt, videntur inopinato metu perculſi, præ nimia feſtinatione non attendiſſe, à cujus manu ſacer hic actus peragi deberet. Ita ut in vanum laborent, qui ex hoc exemplo, planè extraordinario, inferre volunt, licere mulieribus baptiſmum peragere, quibus opponimus illud Pauli 1 Cor. 14:34. *Mulieres taceant in Eccleſiis*, & 1 Tim. 2:12. *Mulieri docere non permitto.* Sed redeamus ad Zipporam. Poſtquam circumcidiſſet filium, *fecit attingere* ſeu *projecit*, præputium filii ſui, *ad pedes illius*, nimirum Moſis, *& dixit, ſponſus ſanguinum tu mihi*, quaſi dicat, ego te vitamque tuam ſanguine filii mei redimere coacta fui: videtur actu illo ad iram aut indignationem fuiſſe commota. 4. Quod in deſerto natos non curavit circumcidi, factum ſine dubio propter rationes graves; propter itinerum viarumque incommoda, & incertas dubiaſque ſedes, & frequentia prælia, quæ cum hoſtibus cottidie ferè miſcere neceſſum habebant.

Circumciſionis tempus.

§. 30. Circumciſio fiebat octavo die, περιτομὴ ὀκταήμερος Phil. 3:5. confer Luc. 2:21. ita flagitante prudentia: debebat enim in maribus eſſe robur quoddam ad perferendum dolores, qui ex abſciſſione particulæ carnis oriebantur. *Doctrina* etiam in illo ineſt; juſtitiam & ſalutem non conſiſtere in circumciſione, ut in opere operato. Si enim ſalus unicè circumciſioni fuiſſet alligata, circumciſio ne ad momentum debuit differri; quia alias de infantum ante octavum diem, atque adeò ante circumciſionem morientium ſalute deſperandum fuiſſet. Jam Deus poſito hoc intervallo docuit, non in ſigno externo ſalutem eſſe fixam, quanquam ſignum hoc negligi ſtrictè & ſub pœna exciſionis vetuit. Hinc Apoſtolus expreſſe ait Rom. 4:10. *Fides Abrahamo in juſtitiam reputata eſt, non* ἐν περιτομῇ ὄντι, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστίᾳ antequam circumciſionem accepit, juſtitiæ ex fide jam eſt factus hæres, & *deinde accepit ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei*, illius nimirum, quæ jam ipſi exſtiterat *cum adhuc eſſet in præputio* Rom. 4:11. Unde liquet, juſtitiam & ſalutem ex fide eſſe: circumciſionem autem ſigillum illius eſſe. Ex quo refellitur error illorum, qui juſtificationem in ſacramentis ac opere operato contineri contendunt. Etiam typus non inutiliter hic animadvertitur. Circumciſio non ſtatim fiebat, ſed interjectis aliquot diebus. Reſurrectio Chriſti Domini, quæ eſt ſpiritualis ejus circumciſio, non eodem, quo mortuus eſt momento, obtigit, ſed tertio demum die. Etiam noſtra ſpiritualis circumciſio qua à *morte lapſuum vivificamur*, & regeneramur, non ſtatim, nec in omnibus fit ab utero; ſed in pleriſque tardius incipit. Præter exemplum Johannis Baptiſtæ, qui in utero materno ſanctificatus fuit Luc. 1:41. vix unum exſtat maturæ illius regenerationis. Octavo die fiebat circumciſio. Octavo die, id eſt, ſerius incipit noſtra regeneratio.

Corporis pars circumcidenda.

§. 31. Circumciſio in illa corporis fiebat parte, quæ occultior & ſecretior eſt, & non ſine

vere-

verecundia & pudore tangitur ac aſpicitur: quo ipſo fideles moniti ſunt 1. Veram circumciſionem non eſſe ἐν φανερῷ, ἐν σαρκὶ· ἀλλ᾽ ἐν τῷ κρυπτῷ *in aperto, in carne; ſed in abſcondito, in ſpiritu, non litera* Rom. 2: 28. 29. 2. illos, qui ſunt Domini, non externè, ſed internè eſſe notatos. Vera regeneratio interna eſt, non in hypocriſi, non in verbis, ſed in corde. 3. Fideles nuditatis ſuæ non pudere amplius ut propter eam ad Deum & thronum gratiæ accedere non auſint. Adam poſt peccatum vidit ſe eſſe nudum, & pudore ſuffuſus eſt, quamobrem Deus tunicas illi fecit. Qui in Chriſto ſunt, non nudi ſunt, nec nuditatis ſuæ pudore confunduntur, ita ut debeant dicere cum Adamo, *vocem tuam audivi, & timui, & abſcondi me, quia nudus ego ſum* Geneſ. 4.

§. 32. Fœminæ non circumcidebantur, quamvis promiſſio & fœdus ad illas etiam pertinerent: voluit Deus illis parcere, & ita diſpenſare de ſacramēto, quod abrogari debebat aliquādo.

§. 33. Circumciſio autem non unam rem denotavit. Abſciſſio carnis notabat carnem eſſe abſcindendam, veterem hominem deponendum & exuendum eſſe. Illa abſciſſio dolorem excitabat. Circumciſi erant כֹּאֲבִים & חֲלָלִים: *dolebat ipſis, & erant ſaucii* Gen. 24: 25. 27. confer Joſ. 5: 8. Qui ſpiritualiter circumciduntur, in illis *caro crucifigenda eſt cum paſſionibus & concupiſcentiis* Gal. 5: 24. *vetuſque homo una crucifigendus eſt* Rom. 6: 5. quod ſine lucta & multiplici tentatione, & Satanæ inſultibus, & ſine dolore fieri non poteſt. Denique ut abſciſsâ particulâ carnis fœdus Dei erat circumciſis obſignatum, ita non obſcurè indicatum eſt, Teſtamentum gratiæ non ratificari aut confirmari, niſi in morte & exciſione ejus qui carnis & ſanguinis noſtræ μετέσχε *cœpit eſſe particeps*, noſque carnem ſuam & fratres ſuos nominare non erubuit Hebr. 2: 11. 14. Apoſtolus emphaticè vocat circumciſionem σφραγῖδα *ſigillum juſtitiæ fidei* Rom. 4: 11. docens, illam juſtitiam, qua peccatores juſti ſunt coram Deo, quamque per fidem obtinent, circumciſione, ut ſigillo firmiſſimo, fidelibus obſignatam fuiſſe. Fuit etiam illa typus circumciſionis, quæ non fit manu. Ita ἡ λεγομένη περιτομὴ ἐν σαρκὶ χειροποίητος Epheſ. 2: 11. repræſentavit τὴν περιτομὴν τὴν ἀχειροποίητον Col. 2: 11. Hæc autem ſpiritualis Eccleſiæ circumciſio in vita hac incipit, & in morte, & poſt mortem perficitur conſiſtitque illa, ut eum, quem Paulus præſcripſit, ordinem ſervemus. 1. In exutione corporis peccatorum carnis. 2. In reſuſcitatione è mortuis. 3. In vivificatione à morte lapſuum. 4. In condonatione omnium transgreſſionum. 5. In expunctione & ablatione chirographi, & exutione principum prioris ſeculi, h. e. legiſlatorum & ſacerdotum ex ordine Levitico, qui fuerunt & non receſſerunt, niſi poſtquam Siloh venit Gen. 49. adeoque in pleniſſima & conſummatiſſima juſtificatione & abſolutione conſcientiæ, ejuſque purgatione ab operibus mortuis Hebr. 9: 14. 10: 22. vid. Col. 2: 11 -- 16.

Circumciſio quid denotavent?

§. 34. Chriſtus Dominus etiam circumcidi voluit, quemadmodum etiam baptizari. Ita circumciſionem abrogavit, & baptiſmum initiavit. Rom. 15: 8. *Dico autem Ieſum Chriſtum miniſtrum factum* περιτομῆς *circumciſionis, propter veritatem Dei, ut confirmaret promiſſiones Patrum. In* hac Chriſti circumciſione *circumciſi* ſunt fideles *circumciſione, quæ non fit manu* Col. 2: 11.

§. 35. Circumciſio data eſt, ut maneret per omnes ætates & generationes filiorum Iſraël, quamdiu ſecreti & ſeparati viverent à gentibus. In fuſione ſanguinis, quæ fiebat in circumciſione, erat ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν *commemoratio peccatorum*, pretioſo adhuc ſanguine Chriſti expiandorum. Uſque ad Chriſtum manſit circumciſio: poſt Chriſtum autem paulatim deſiit, & tandem planè abrogata eſt: *hinc Titus non fuit coactus ut circumcideretur* Gal. 2: 3. neque enim cum beneficiis & benedictionibus, quas Chriſtus morte ſua paravit, circūciſio conſiſtere potuit. *Ecce ego Paulus, dico vobis, quod ſi circumcida-*

cidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Teſtor autem iterum omni homini, qui circumciditur, quod debitor eſt totius legis ſervandæ Gal. 5: 2. 3. Quamvis igitur fideles nunc non ſint περιτομῇ ὀκταήμεροι, manet illos tamen gloriatio Pauli, *Nos ſumus circumciſio, qui Spiritu Deo ſervimus & gloriamur in Chriſto Jeſu, & in carne non confidimus* Phil. 3: 3. *In Chriſto Ieſu enim nec circumciſio quicquam valet, nec præputium, ſed fides per charitatem operoſa, & nova creatura* Gal. 5: 6. 6: 15.

De fide & ſpe Abrahami. §. 36. Poſtquam de hiſce, quantum ſatis eſt, diximus, ſequitur, ut ex ordine præſcripto de fide & ſpe Abrahami, deque iis, quæ circa illum ſunt memorabiliora agamus.

Fidei Abrahami objectum promiſſiones. §. 37. Fides Abrahami verſatur circa promiſſiones Dei: de illa ita Paulus Rom. 4: 20. 21. *In promiſſionem Dei non diſceptavit incredulitate, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo; & certiſſimum habens, quod id, quod promiſerat, etiam potens eſſet facere.* In memoriam redeant promiſſiones Abrahamo factæ, de quibus ſupra. *Tu eris benedictio. Benedicam iis, qui tibi benedicunt. Dabo ſemini tuo terram hanc. Ponam ſemen tuum, ut pulverem terræ. Numera ſtellas, ſic erit ſemen tuum. Eris in patrem multitudinis gentium. Ero tibi & ſemini tuo in Deum. In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Et benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Ex quibus promiſſionibus, rectè conſideratis apparet, Abrahamo promiſſam eſſe benedictionem omnimodam, quæ præcipuè conſiſtit in ſpiritualibus & cæleſtibus; item vocationem & converſionem gentium; item manifeſtationem Dei in carne, ad adducendum juſtitiam, & liberandum ab execratione; denique ipſam animæ immortalitatem & ſalutem, & corporis reſurrectionem. Qui enim benedicuntur, ab omni malo & ab omni corruptione liberari debent: quorumque Deus eſt Deus, illi mori non poſſunt, & anima illorum vivere debet Deo, corpore moriente; imò ipſum denique corpus reſurgere, ut ita verè Deus, ſit Deus vivorum. Omnes has promiſſiones amplexus eſt Abrahamus fide promta, fiducia firmiſſima, & conſtantia inſuperabili; & quanquam inveniret rationes dubitandi, tamen gloriam dedit Deo, & πιστὸν ἡγήσατο τὸν ἐπαγγειλάμενον, *fidelem duxit eum, qui promiſerat* Hebr. 11: 11. *& minimè languens fide, non conſideravit corpus ſuum jam emortuum*, centum *circiter annos habens, nec emortuum uterum Saræ* Rom. 4: 19.

Fides Abrahami quæ? §. 38. Igitur hæc fuit fides Abrahami. Credidit, Deum condonare peccata, ſanctificare, juſtificare, glorificare; Filium Dei hominem futurum, & in mundum venturum, ut ſalvos faceret peccatores; illumque fore Iſraëlis gloriam & gentium lucem; Gentes convertendas & ad obedientiam fidei adducendas per potentiam Dei, qui vocat ea, quæ non ſunt, ac ſi eſſent, & propter meritum ſeminis; vitam æternam, ſalutem, corporis reſurrectionem paratam iis, quorum Deus eſt Deus, & quibus Deus benedicit; peccatum, diabolum, mortem non poſſe tenere, nec prævalere iis, qui ſunt in ſemine Jeſu. Hac fide vixit & ambulavit Abraham cum Deo: hac fide promiſſa divina fecit irrevocabilia. Ut enim Deus non vult fruſtra quæri, ita credentem nec vult nec poteſt fruſtrari. Id dicit Paulus Hebr. 11: 12. *Ideò & propterea etiam ab uno geniti ſunt, eoque mortificato, velut ſidera cæli multitudine*, &c. Veritas promiſſionis divinæ exſtitit ipſi fructus & remuneratio fidei. In hac fide mortuus eſt Abraham. *Secundum fidem*, id eſt, in fide & cum fide *mortui ſunt illi omnes.* Ergo & Abraham Hebr. 11: 13.

§. 39. Promiſſiones, quas accepit, non vidit impletas omnes: *non ſunt adepti promiſſiones, ſed eminus eas viderunt & ſalutarunt* Hebr. 11: 13. Non vidit in carne Chriſtum; non vidit Iſraëlem in Canaan habitantem; non vidit gentes populoſque Silo obedientes; non vidit Spiritum ſine menſura effuſum. Tamen *exultavit, ut videret diem Domini*

Joh. 8:

Joh. 8: 56. magno cum gaudio ad videndum illum anhelavit. *Imò & vidit & lætatus eſt.* Vidit ſanè Abrahamus illum, non tantùm in Spiritu, ut David illum in Spiritu Dominum vocavit Mat. 22: 45. ſed revera, poſt mortem, jam in cœleſtem ingreſſus patriam, naſcentis Chriſti diem vidit Eſ. 29: 22. 23.

§. 40. Nec fuit fides Abrahami mortua, ut fides, *ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν nisi opera habeat, mortua eſt* Jacob. 2: 17. Sed fuit *per charitatem operoſa* Galat. 5: 6. fuitque Abrahamus *in Chriſto Ieſu conditus in bonis operibus, quæ ante paravit Deus, ut in illis ambularet* Epheſ. 2: 10. Ita eximiis experimentis apparuit pietas ipſius in Deum, quem toties invocavit, cuique tot altaria exſtruxit Geneſ. 12: 7. 8. 13. 17. ad cujus juſſum *ſignum circumciſionis accepit*, etiam in ætate provecta Geneſ. 17: 24. cujus faciem magna cum reverentia ſalutavit, *ecce ego induxi animum loqui cum Domino, & ego ſum pulvis & cinis* Geneſ. 18: 27. *à quo* denique *non comparſit filium unigenitum* Iſaac Geneſ. 22: 12. quare jure *φίλος θεοῦ ἐκλήθη amicus Dei vocatus eſt* Jacob. 2: 23. Nec minor fuit ipſius charitas in proximum. Loto conſanguineo ceſſit Geneſ. 13. eumque captivum liberavit Geneſ. 14. Saram fœminam tenerè amavit, ancillamque immorigeram poteſtati ipſius ſubdidit Geneſ. 16. illamque mortuam honeſtiſſimè ſepelivit Geneſ. 25. Pro vita & ſalute Iſmaëlis preces fudit Geneſ. 17: 18. & non ſine amarore animæ è domo illum expulit Geneſ. 21: 11. Iſaacum filium cum infidelibus copulari vetuit Geneſ. 24: 2. Filios concubinarum dimiſit, ut ita in hæreditatem intraret Filius Iſaacus ſolus, quod Sara enixè petierat, *Non hereditabit filius ancillæ hujus cum filio meo, cum Iſaac* Geneſ. 21: 10. Pro Sodomitis interceſſit ſerio & ſedulo Geneſ. 18. Ita omnibus modis manifeſtatum eſt, timorem Dei fuiſſe ſuper illum.

Non fuit mortua.

§. 41. Habuit tamen ſuos nævos, fuitque adeò *ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν* Jac. 5: 17. *Riſit* tanquam dubitans Geneſ. 17: 17. Si riſus Saræ fuit illicitus, & talis ut illam illius puduerit: *Negavit enim Sara, dicens, non riſi* Geneſ. 18: 14. certe nec riſus Abrahæ laudari poteſt: riſit enim ob eandem rem, ob quam Sara. Conſilium carnale Saræ, *Intra ad ancillam meam* Geneſ. 16: 2. ſponte ſecutus eſt. An etiam ſatis fortiter & prudenter egerit, dicendo in aula Pharaonis & Abimelechi, *Sara ſoror mea eſt* Geneſ. 12: 13. 20: 2. dubitari poteſt. Sanè Abimelech illum ſatis ſeverè reprehendit, dicens, *Quid feciſti nobis? adduxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum magnum, facta, quæ fieri non debent, feciſti mecum* Geneſ. 20: 19. Hac imperfecta relatione effecit, ut Sara in aulam reciperetur regiam, & deinde miſeri Reges magnis propter illam percuterentur plagis Geneſ. 12: 15. 16. Geneſ. 20: 17. 18. Sed non decet ætati noſtræ, in tantum tamque laudatum Virum cenſuram ſtringere, qui dicendo אֲחֹתִי הִוא *ſoror mea eſt*, veritatem dixit, quam dici ſemper expedit, quamvis non omnem veritatem, quam in illo rerum ſtatu fateri omnem, non expediviſſet imò nocuiſſet.

§. 42. Omnis autem *ἱκανότης aptitudo*, omnis fides & pietas, quæ in Abrahamo fuit, fuit *ἐκ τοῦ θεοῦ è Deo* 2 Cor. 3: 5. *Dei donum* Epheſ. 2: 8. fuit inquam *κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς ſecundum præagnitionem Dei Patris* 1 Petr. 1: 2. quæ nil aliud eſt, quàm omnia ſecula præveniens intuitus & miſericordia & amor gratuitus. Id teſtatur ipſe Deus Gen. 18: 19. *Novi eum*, hoc eſt, rationem ejus habui, & dilexi illum: qua autem vi & efficacia? *ut præcipiat filiis ſuis & domui ſuæ, ut ſervent viam Iehovæ, ad faciendum juſtitiam & judicium.* Hæc *πρόγνωσις* conjunctum habet *προορισμὸν prædeſinitionem.* *οὓς προέγνω καὶ προώρισε* Rom. 8: 29.

Fides Abrahami ex Deo.

§. 43. Ut autem *finis fidei noſtræ eſt ſalus animarum* 1 Petr. 1: 9. ita etiam de Abrahamo ſcri-

Reputata illi eſt ad juſtitiam.

ſcriptum eſt, *Et credidit in Dominum, & reputavit id illi in juſtitiam* Geneſ. 15: 6. Verſu primo hujus capitis narratur verbum Dei ad illum: *Ne time Abram. Ego clypeus tibi, merces tua multa valde:* quibus verbis indicat Deus, ſe juſtitiam, ſanctificationem ac redemtionem Abrahami eſſe. In hunc Dominum, ut clypeum ſuum, credidit, & ſe illi portandum dedit (ea eſt vis Hebrææ vocis) & toto corde in illum recubuit. Hæc fides juſtiſſimo judicio Dei reputata eſt *juſtitia ipſi,* illeque propter illam habitus *juſtus,* hoc eſt, expiatus & reconciliatus, & jus habens ſperandæ vitæ æternæ.

§. 44. In hujus dicti explicatione & ſæpius iterata repetitione vix ſatisfacere ſibi videtur divinus Paulus: quem proinde de fide Abrahami diſſerentem audiamus attentius. In epiſtola ad Romanos capite quarto proponit tria in Abrahamo conſideranda *σάρκα, ἔργα, πίστιν, carnem, opera, fidem.*

§. 45. De *fide* agit verſu tertio. *Quid enim ſcriptura dicit?* Paulus Scripturam allegat, nihil volens *loqui extra Moſen & Prophetas* Act. 26: 22. Rom. 3: 21. Reſpondet Paulus citando locum Geneſ. 15: 1. *Credidit Abraam Deo, & reputatum eſt ipſi in juſtitiam;* ita & Galat. 3: 6. Jacob. 2: 23. In Hebræo verba paulò aliter ſe habent: *Credidit in Deum, & reputavit id ipſi juſtitiam.* Senſus idem. Duo autem conſideranda ſunt. 1. Quid intelligat Paulus per *credere Deo.* 2. Per *imputare in juſtitiam.*

Et quomodo? §. 46. *Credidit Deo* explicat ℣. 5. *Ei autem qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, fides ſua reputatur ad juſtitiam.* Ergo *credere Deo eſt μὴ ἐργάζεσθαι non operari,* non collocare aut quærere in propriis factis & operibus ſalutem; ſed *credere in Deum,* qui *τὸν ἀσεβῆ impium,* natura damnatum, iræ filium *juſtificat,* hoc eſt, ab omni noxa & pœna abſolvit, & hæredem vitæ æternæ pronunciat. Talis autem juſtificatio peccatoris omnino debet fieri ſalva & integra Dei juſtitia ac lege, quæ ſatisfactionem & pœnam exigit peccati: alias ne quidem juſtificatio eſſet. Non poteſt autem integra manere juſtitia Dei, improbum juſtificantis, niſi interveniat *hoſtia pro peccato, pretium ſatisfactionis, lytrum; ἱλασμός piamentum,* adeoque *Sacerdos* & *Sponſor, ferens peccata, Deum in juſtitia exaltans* Eſ. 5. Hæc ergo fuit fides Abrahami, quæ ipſi imputata eſt, nimirum ea, qua credidit, Deum propter Sponſorem & Sacerdotem, ejuſque victimam & lytrum, peccata remittere, & peccatorem ab omni noxa liberum pronunciare: quæ non tantum fides eſt in Deum, ſed fides & fiducia in Semen promiſſum, & Sponſorem ac Sacerdotem ipſum.

§. 47. *Hæc fides reputata* eſt Abraamo *in juſtitiam* ℣. 5. hoc eſt, Deus judicavit, fidem hanc eſſe illud, propter quod *juſtus* debuit haberi Abraam, hoc eſt, liber ab omni condemnatione, jus habens petendi hæreditatem & vitam æternam. Parallela eſt phraſis verſ. 4. *merces reputatur ſecundum gratiam.* Cui fides in juſtitiam reputatur, ei merces ſecundum gratiam imputatur. Conſentit Scriptura, dicens, è fide nos juſtificari Eſ. 53: 11. *In cognitione ſui* צַדִּיק לָרַבִּים *juſtificationem faciet multis.* Habac. 2: 4. *Juſtus in fide vivet.* Galat. 3: 8. *δικαιοῖ juſtificat gentes è fide.* Juſtificat autem fides, non ut cauſa, aut concauſa, aut meritum, aut opus, ſed ut medium unionis & communionis cum illo, cujus *obedientia* eſt *χάρισμα donum,* quod nobis donatur, & quidem tale donum, quod eſt *ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα ad cauſam vitæ è multis lapſibus* Rom. 5: 16.

Chriſti obedientia & mors unica cauſa ſalutis. §. 48. Firmiſſime teneatur, unicam vitæ, ſalutis, juſtitiæ, remiſſionis peccatorum, reconciliationis cum Deo cauſam eſſe Chriſti obedientiam & mortem. Unde Deus dicitur *juſtitia noſtra,* nimirum *Deus,* qui *ſanguine ſuo Eccleſiam περιεποιήσατο acquiſivit ſibi* Actor. 20: 28. Hinc & *ſalus eſt in nullo alio* Act. 4: 12. Fidei autem, quæ nos Chriſto

Do-

Domino inſerit, qua illum *induimus*, qua illi *deſponſamur*; qua *participes* ſimus illius, imo *unum* cum ipſo, *membra* ipſius, *ſponſa* illius, juſtitia, ſalus & vita adſcribitur, ut organo & inſtrumento, per quod in Chriſto ſumus. Si illis, qui ſunt in Chriſto, nulla eſt condemnatio, ſane nec illis, qui in fide ſtant: per fidem enim ſumus in Chriſto. Si quos Chriſtus redemit, liberi ſunt à morte, & non pereunt, ſane & illi ab interitu ſunt liberi, qui fidem habent: per fidem enim redemtio Chriſti noſtra fit. *Cum Chriſto ſum crucifixus, vivo autem, at non ego, ſed vivit in me Chriſtus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei* Gal. 2:20. *Qui credit in illum, non perit, ſed habet vitam æternam* Joh. 3:16.

§. 49. Igitur Abraham propter fidem in Chriſtum, qui venturus erat, & ſe oblaturus victimam & hoſtiam ſatisfactionis, juſtus reputatus eſt. Hæc reputatio non eſt imaginaria; neque adeo hæc juſtitia putativa, ſed vera, in lege fundata, eſtque hoc judicium Dei κατ' ἀλήθειαν *ſecundum veritatem* Rom. 2:2.

§. 50. Evincamus autem nullam aliam fidem, præter illam, quæ in Chriſti Jeſu victimam & ſatisfactionem eſt, *juſtitiam* eſſe poſſe, aut in juſtitiam reputari poſſe. Non fides, qua credimus *Deum eſſe*, aut *unum eſſe*: nam & *Diaboli credunt, qui* tamen φρίσσουσι *horrent* Jacob. 2:19. Non fides, qua credimus, illum, qui facit opera legis, victurum in illis: nam *feciſſe* demum juſtificat; qui non fecit, debet credere, ſe non victurum in illis, adeoque debet credere condemnationem & mortem ſuam. Taceo, quod hæc non ſit proprie fides, ſed cognitio, quæ habetur φύσει naturaliter, & pertinet ad τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ Rom. 1:19. Non fides fœta aut gravida operibus novæ obedientiæ: nam Apoſtolus expreſſè *opera* à *fide*, quæ juſtificat, ſeparat & diſtinguit, dicens τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ *ei autem qui non operatur* Rom. 4:5. Ergo ſupereſt, ut illa ſola fides, qua in Deum, propter lytrum & ſacrificium ſatisfactorium Chriſti, per fidem *noſtrum* factum, peccatorem & improbum juſtificantem credimus, in juſtitiam reputetur, & nulla alia. Fides in illam ſola juſtificat.

§. 51. Phraſis autem hæc *reputare in juſtitiam* videtur eſſe ad imitationem illorum, qui mercaturam exercent, qui ſolent rationes expenſi & accepti ſcribere. Ita Deus quid nobis expenderit, beneficia in Adamo oblata & cottidianam μακροθυμίαν ac χρηστότητα, quâ nos fert; noſtra autem peccata & delicta, tum quæ in Adamo contraximus, tum quæ ipſi committimus in una tabula conſcripſit: ita multipliciter deprehendimur debitores. In altera autem tabula, non noſtra merita, quæ nulla plane ſunt; ſed Chriſti meritum & δικαίωμα; deinde fidem noſtram, quæ tamen merum & gratuitum Dei donum eſt, qua meriti Chriſti è gratia ſimus participes, conſignavit; & hanc fidem in juſtitiam nobis reputat. Ita calculis ſubductis apparet, nos Deo debita ſolviſſe, non è plenitudine noſtra, quæ nulla eſt, ſed è plenitudine & abundantia Domini Jeſu, qui peccata noſtra in corpore ſuo in lignum portavit, ut *peccatis mortui juſtitiæ viveremus, cujus vibice ſanati ſumus* 1 Pet. 2:24. Reputare in juſtitiam per ſimile illuſtratur.

§. 52. De *operibus* autem Abrahami ita loquitur Paulus Rom. 4: verſ. 2. *Si enim Abraam ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriationem, ſed non ad Deum.* Εἰ γὰρ; poteſt vocula εἰ accipi pro *etſi*. ſic Rom. 3: verſ. 3. *Quid enim*, εἰ ἠπίστησάν τινες *ſi infideles extiterunt quidam*, hoc eſt, etſi, quamvis: confer εἰ δὲ Rom. 11:17. ἐὰν 1 Cor. 4:15. Igitur mens Apoſtoli hæc eſt: etſi Abraam ex operibus juſtificatus eſt, illum gloriationem habere, non tamen ad Deum. Non negat, Abraamum juſtificatum ex operibus, & gloriationem habere, ſed ita negat juſtificatum, ut *ad Deum* καύχημα habeat, & in judicio divino arroganter & jactabunde dicere poſſit, omnia, quæ debui, feci; meo merito & proprio jure ſto; mercedem poſtulo κατὰ τὸ ὀφείλημα Rom. 4:4. Talis juſtificatio ex Abraham juſtificatus ex operibus.

 operi-

operibus nullatenus datur: quæ ſi daretur, *fruſtra Chriſtus fuiſſet mortuus* Galat. 2: 21.

Et quomodo? §. 53. Quomodo ergo dicitur Abraam juſtificatus ex operibus? id explicatur Jac. 2: 21–24. *Abraam Pater noſter annon ex operibus juſtificatus eſt, cum offerret Iſaac?* Quomodo autem juſtificatus ex operibus? Reſpondet Jacob. verſ. 22. *ex operibus fides ipſius ἐτελειώθη conſummata eſt*, hoc eſt, demonſtrata, quod eſſet vera vivaque: pergit, *Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit, credidit Abraam Deo* verſ. 23. Ergo non ita ex operibus juſtificatus eſt, ac ſi opera eſſent cauſa juſtitiæ, & meritum vitæ, ſed quia in illis eſt *conſummatio fidei*, hoc eſt, declaratio & comprobatio, fidem veram in illo eſſe, imo evidens *implementum* imputationis gratuitæ fidei ad juſtitiam. Ita igitur opera juſtificant, in quantum nos vere ex fide juſtificatos eſſe declarant ac comprobant. Sequuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtificandum: & ut ex fide eſt juſtificatio perſonarum, ita ex operibus eſt quaſi juſtificatio ipſius fidei, hoc eſt, manifeſtatio & argumentum veritatis, & vitæ; & perfectionis fidei. Ita *qui juſtus jam eſt, juſtificatur adhuc* Apoc. 22: 11. Quatenus in operibus eſt argumentum infallibile, nos juſtitiæ per fidem factos eſſe participes. *Opera non ſunt cauſa, quod aliquis ſit juſtus apud Deum, ſed potius ſunt executiones & manifeſtationes juſtitiæ*: ita fatetur Thomas in Gal 3: 4.

§. 54. Hæc juſtificatio ex operibus fit in animo & conſcientia uniuſcujuſque fidelis, & facit, ut fidelis habeat καύχημα *gloriationem*, non quidem ad Deum, (in quo ſolum datur fidelibus gloriari, *Qui gloriatur, in Domino glorietur* 1 Cor. 1: 31.) ſed ad ſe & in ſe. Operibus enim *fructibuſque juſtitiæ* per gratiam ſe *impletum* videns (Phil. 1: 11.) gloriatur & gaudet & exultat in ſe & apud ſe ipſum; quod in ſe habet tot teſtimonia juſtificationis ſuæ per fidem, illaque in ſe invenit. *Juſtificati ex fide, habemus pacem ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* Rom. 5: 1. Igitur vocabulum δικαιοῦν *juſtificare* non ſemper ſumitur ſenſu *imputandi juſtitiam*, ſed ſæpe etiam ſenſu *certiorandi* de juſtitia imputata, ut Apoc. 22: 11. Et vox δικαίωσις *juſtificatio* in pleno & integro ſuo ſenſu non tantum notat amorem Dei, quo nos amat ut Chriſti membra per fidem, & ab omni pœna ac condemnatione abſolvit & liberos pronunciat; ſed notat etiam abſolutionem conſcientiæ, & pacationem cordis, ut illud πληροφορηθὲν, omnique modo in ſe certum de communione juſtitiæ, quæ per fidem Chriſti eſt, & eſt è Deo, ἐπὶ τῇ πίστει *ad fidem* Phil. 3: 9. exultet in Domino, & gratias agat Deo ſalutis ſuo.

§. 55. De σαρκὶ *carne* autem ita Apoſtolus inquit: *Quid igitur dicemus Abraam patrem noſtrum inveniſſe* κατὰ σάρκα *ſecundum carnem?* Apoſtolus per *carnem* intelligit idem quod Phil. 3: 3. *non in carne confidentes*: & 2 Cor. 5: 16. *A nunc neminem novimus ſecundum carnem; ſi vero & Chriſtum cognovimus ſecundum carnem*: in quibus locis loquitur de νόμῳ ἐντολῆς σαρκικῆς *lege præcepti carnalis* Hebr. 7: 16. & de δικαιώμασι σαρκικοῖς *ſtatutis carnalibus* Hebr. 9: 10. Igitur hic hunc in ſenſum rogat, quid Abraam ſecundum illam legem præcepti carnalis repererit & aſſecutus ſit, quam prærogativam, quam gloriationem, quam anſam gloriationis? Silendo autem oſtendit, (nihil enim ad hanc quæſtionem reſpondet) Abrahamum ſecundum legem nihil, in quo gloriari poſſit, conſecutum eſſe. Illa enim lex illi non eſt impoſita: circumciſionem quidem accepit; etiam ſacrificia è divina inſtitutione obtulit; non autem præcepta ipſi impoſita ſunt de tot ſacrificiis, de dierum diſcrimine, de purificatione legali, de cibis, de tabernaculo & locis ſacris, quæ poſtmodum ſubintrarunt addita per Moſen.

§. 56. Ex omnibus hiſce, quæ ſatis fuſe proſecuti ſumus, concludere facile eſt, quinam fuerit ſtatus, quænam conditio Abrahami in ſpiritualibus, & iis, quæ ſalutem illius concernunt.

cernunt. Promiſſionem habuit Jeſu Salvatoris; promiſſionem benedictionis, tum pro ſe, tum pro ſemine ſuo; in illa fide ambulavit; circumciſionem, externum & viſibile ſignum ſpiritualis beneficii, accepit in carne; ſacrificia in fide obtulit. Lege autem illa, quæ in Scripturis vocatur *ζυγός jugum*, φορτίον vel *βάρος ἐπιτεθειμένον onus impoſitum* non fuit oneratus. In timore Domini, plenus donorum Spiritus ſancti, vitam egit, & de certa divinarum promiſsionum impletione minime dubitans, tandem diem ſuum obiit: de quo mox. Ita Abraam typus & exemplar factus eſt fidelium Novi Teſtamenti, qui *libertate, qua Chriſtus illos liberavit, ſtant, & jugo ſervitutis non rurſum innodantur* Gal. 5:1. ſed *benedicti à Deo Patre omni benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus* Epheſ. 1:3. *ſine metu, è manu hoſtium liberati, ſerviunt Deo in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ* Luc. 1:74.75. Hinc vocatur Abraam *πατὴρ πάντων ἡμῶν Pater omnium noſtrum* Rom. 4:16. Jac. 2:21.

§. 57. Poſtulat nunc ordo, ut dicamus de iis, quæ maxime memorabilia ſunt in vita & rebus geſtis Abrahami: è multis depromemus pauca; admonet enim nos promiſſæ brevitatis fides, quanto tranſcurſu omnia dicenda ſint.

§. 58. Initio occurrit, quod Abrahamo redeunti à cæde regum, obviam venit Melchiſedek; de quo Gen. 14:18.19. ubi notatur. 1. Quis fuerit: *Rex Salem; & ſacerdos Dei altiſſimi.* 2. Quid fecerit: *protulit panem & vinum, & benedixit illi*, nimirum Abrahamo. 3. Quibus verbis benedictio concepta fuerit: partim directa ad Abrahamum, *Et dixit, Benedictus es Abram Deo ſupremo, qui poſſidet cœlum & terram.* Partim ad Deum ipſum, *& benedictus Deus ſupremus, qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam.* 4. Quid Abram cum illo egerit: *& dedit illi decimas ab omni.* Melchiſedek Abrahamo obviam venit.

§. 59. Melchiſedecum quidam putant fuiſſe Semum, quidam ipſum Dei Filium, alii Angelum, alii Spiritum ſanctum: hujus ultimæ ſententiæ autores olim dicti ſunt *Melchiſedeciani.* At nulla harum opinionum vera eſt. Non fuit *Semus:* vix enim ille tunc adhuc in vivis fuit: cur nomen illius mutatum? non ille poteſt dici *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ*, ut de Melchiſedeco Paulus dicit Heb. 7:3. nec videtur ille in Canaan habitaſſe, quæ Chamo ceſsit in hæredium. Non *Filius Dei:* illius enim fuit Melchiſedec *τύπος & εἰκὼν, aſſimilatus Filio Dei* Heb. 7:3. nemo autem eſt typus & imago ſui ipſius. Non *Angelus*, non *Spiritus ſanctus*: Fuit enim homo, Rex, & ſacerdos, humana, à quibus homo vivit, vinũ & panem tractans. Igitur ita ſe rei veritas habet: Melchiſedec Cananæus inter Cananæos habitavit, veriq; Dei cultor exſtitit. Fuit autem *rex*, ſceptrum & diadema geſtans: metropolis illius fuit *Salem*, quæ poſtea dicta eſt Jeruſalem Pſ. 76:3. *In Salem tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Zion.* Fuit etiam *ſacerdos Dei altiſſimi*, à Deo vocatus: *non enim ſumit ſibi quis hunc honorem, ſed qui vocatus eſt a Deo* Heb. 5:4. cultui divino in fide juſtificante vacans. Ita Deus etiam habuit reliquias inter gentes. *Protulit vinum & panem:* id regia fecit munificentia & liberalite, ut Abrahamo ſuam teſtaretur benevolentiam, & milites ejus reficeret cibo & potu. *Benedixit* etiam *Abrahamo*; benedictione ſacerdotali. *Benedixit Deo*; benedictione euchariſtica & gratiarum actoria. *Dedit illi Abraam decimas*, in teſtimonium gratitudinis, & gaudii ob victoriam partam. Levitis Iſraël decimas dare juſſus fuit: qui enim hæreditatem non habebant, præter Deum & altare Dei, è decimis debebant ſuſtentari; in ſignum, ſacerdoti illi ſummo, cujus typi erant Levitæ, Chriſto Domino deberi non tantum decimas, ſed omnia. Decimas has ſumſit Abraam, non è facultatibus ſuis, ſed *ἐκ τῶν ἀκροθινίων è ſpoliis, è manubiis* Heb. 7:4. Melchiſedek quis?

§. 60. Melchiſedec hic *aſſimilatus* eſt *Filio Deo:* ejus fuit typus, ejus figura, ejus imago.

1. Ratione nominis. *Melchiſedec* vertitur *Rex juſtitiæ* Hebr. 7:2. Chriſtus eſt *juſtus ille* Eſ. 53:11. 1 Joh. 2:1. eſt *Deus juſtitia noſtra* Jer. 23:6. *factus eſt nobis a Deo juſtitia* 1 Cor. 1:30. Melchiſedek typus Chriſti.

2. Ratione perſonæ. Melchiſedec à Paulo vocatur *ἀπάτωρ ſine patre*, *ἀμήτωρ ſine matre*, *ἀγενεαλόγητος ſine genealogia, aut ſucceſſione filiorum, neque initium dierum, neque finem vitæ habens* Hebr. 7:3. Non quod *ἀληθῶς revera* Melchiſedec fuerit ſine patre & matre, aut quod natura illa habeat: tunc enim non eſſet homo, neque *εἰκὼν imago* Chriſti, ſed *ἀλήθεια veritas ipſa*, Chriſtus ipſe; ſed *κατὰ τὴν τῆς θείας γραφῆς οἰκονομίαν ſecundum ſcripturæ divinæ diſpenſationem*, quæ nec parentes ipſius, nec diem nativitatis aut mortis nominavit, ſed ſilentio præteriit, ut fieret Melchiſedec typus ejus, qui vere eſt ſine matre & patre. Chriſtus autem *τὸ ἀρχέτυπον exemplar* omnia hæc habet *φύσει* & *ἀληθείᾳ naturâ & veritate*. Eſt *ἀπάτωρ ſine patre*: natus enim è virgine Eſ. 7:14. *ἀμήτωρ ſine matre*: quia Deus, à Deo genitus. *Ego hodie te genui* Pſalm. 2:7. *egreſſiones ejus ſunt ab ante, à diebus ſeculi* Mich. 5:1. *ἀγενεαλόγητος ſine genealogia*, eſt *ὁ πρωτότοκος primogenitus* Col. 1:15. *ὁ μονογενὴς υἱὸς unigenitus filius* Joh. 1:18. nec ante illum, nec poſt illum eſt, cui unquam dici potuerit, aut dictum ſit *υἱός μου εἶ σύ* Hebr. 1:5. *Quis generationem ejus enarrabit?* Eſ. 53:8. *neque principium habet, neque finem: eſt primus & ultimus: erat in initio: permanens eſt dierum: anni ejus non finiuntur* Apoc. 1:8. 11. Joh. 1:1. Eſ. 41:4. Dan. 7:9. Pſal. 102:28.

3. Ratione officii. Melchiſedec erat *Rex*. Chriſtus etiam. *Unxi Regem meum* Pſ. 2:6. *Regnum meum non eſt de hoc mundo* Joh. 18:36. Rex *Salem*. *Exulta filia Jeruſalem, Rex tuus venit tibi* Zach. 9:9. Rex *pacis*. Salem enim eſt pax. Nomen ejus eſt Princeps Pacis Eſa. 9:5. Pacis non eſt *finis in regno ipſius* Ibid. verſ. 6. *Ille* eſt *Pax noſtra* Epheſ. 2:14. Erat Melchiſedec etiam *Sacerdos*. Chriſtus *Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec* Pſ. 110:4. Hebr. 5:6. 6:20. 7:21. Initium nec finis ſacerdotii Melchiſedeciani non notatur. Chriſti Sacerdotium æternum eſt. *Spiritu æterno ſe obtulit* Hebr. 9:14. *Tu es Sacerdos in Seculum* Hebr. 7:21. Melchiſedec in ſacerdotio non habuit collegas, nec ſucceſſores. Chriſtus habet *ἱερωσύνην ἀπαράβατον Sacerdotium non digrediens*, nimirum in aliam perſonam, adeoque *ἀδιάδοχον*, ſine ſucceſſore & vicario Hebr. 7:24. Melchiſedec ſacrificavit, quia ſacerdos: num plus, quam ſemel ſacrificarit, non conſtat. Chriſtus *uno ſacrificio, una hoſtia conſummavit in perpetuum qui ſanctificantur* Hebr. 10:12. Melchiſedec fuit ſacerdos inter gentes. Chriſtus ſacerdos eſt *φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν* Luc. 2:32. Etiam Aharon & Sacerdotes Levitici fuerunt אַנְשֵׁי מוֹפֵת *viri ſigni* Zach. 3:7. *umbra & figura Chriſti*, quare, ut illi erant conſtituti *εἰς τὸ προσφέρειν δῶρά τε καὶ θυσίας ad offerendum dona & victimas, ita neceſſum fuit ἔχειν τι καὶ τοῦτον ὃ προσενέγκῃ, ut & Chriſtus haberet, quod offerret* Hebr. 8:3. quod fuit *corpus* illius Hebr. 10:10. Tamen non eſt ſacerdos *ſecundum ordinem Aharonis* Hebr. 7:11. Talis enim ſi eſſet, habere deberet collegas & vicarios; deberet *ſæpius offerre*; deberet *eſſe ſecundum legem præcepti carnalis* Hebr. 7:16. 17, 24. Sed *eſt ſecundum potentiam vitæ indiſſolubilis, ſacerdos ſecundum τάξιν ordinem Melchiſedec, ſemper vivens, ut pro nobis intercedat* Heb. 7:16. 17, 25.

4. Ratione beneficiorum. Melchiſedec *attulit panem & vinum*, ad reficiendum corpora. Chriſtus dat panem verum, & potum verum, ad ſatiandum & conſolandum ſpiritum. Melchiſedec *benedixit*. Chriſtus eſt *ſemen, in quo benedicuntur omnes familiæ terræ*; illius eſt factum, ut *ἡ εὐλογία τοῦ Ἀβραὰμ ad gentes pervenerit* Gal. 3:14. Epheſ. 1:3. Act. 2:26.

5. Ratione magnitudinis. *Videte quantus hic, cui decimas dedit Abraam Patriarcha* Heb. 7:4. *illi, qui benedictiones habuit benedixit. τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται* Heb. 7:7. Chriſtus major omnibus eſt, *nomen habet ſuper omne nomen* Act. 4:12 *collocavit illum*

bum ſuper omne nomen, quod nominatur in hoc & futuro ſeculo Eph. 1: 21. *in nomine Jeſu ſe flectat omne genu* Phil. 2: 9.

6. Ratione officii, quod illi exhibendum erat. *Dedit Abraam illi decimas.* Nos debemus Domino Jeſu nos totos tradere, & *corpora noſtra ſiſtere victimam vivam, ſanctam, conplacentem* Rom. 12: 1. & τὸ ὁλόκληρον ἡμῶν *totum quod in nobis eſt, ſpiritus, anima, corpus, irreprehenſibiliter ſervare in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1 Theſſ. 5: 23.

§. 61. Pontificii, qui ex his verbis, *Protulit panem & vinum*, inferunt, Chriſtum in Miſſa ſub ſpeciebus panis & vini debere offerri; & ex eo, quod dicitur *Sacerdos in ſeculum*, concludunt, Chriſtum ad finem uſque mundi à Sacerdote, in omni loco, modo incruento & inviſibili debere ſacrificari, haut leviter errant. Neque enim הוציא abſolutè poſitum, ut hic fit, unquam ſignificat *offerre in ſacrificium.* Et ſi maxime ſignificet, ex eo quod Melchiſedec fecit, & ſemel tantum legitur feciſſe, minime ſequitur, Chriſtum cottidie, & ſæpius, pluribus in locis eſſe offerendum. Denique ſacerdotii æternitas conſiſtit, non in iteratione ejuſdem ſacrificii, quæ arguit illius τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *infirmitatem & inutilitatem* Hebr. 7: 18. confer Hebr 10: 1. 2. 4. ſed in perpetuo ejus valore, vi, & efficacia. Neque id ſacrificium aut ſacerdotium æternum dici poteſt, quod tantum ad finem mundi, aut ad tempora Antichriſti, *qui abolevit hoc juge ſacrificium*, ut ipſi loquuntur, durabit. Sed hac de re modo agere haut è re erit. Error Pontificiorum.

§. 62. Habuit ergo Abraam in perſona Melchiſedeci typum Jeſu Chriſti, ſeminis promiſſi, cujus ita perſonam induit Melchiſedec, ut poſſit ipſe Chriſtus videri, & Filius bis natus, ſi poſſibile eſſet eum bis naſci.

§. 63. Illuſtris etiam typus eſt in duobus filiis Abrahami Iſmaele & Iſaaco: quorum ille ἐκ τῆς παιδίσκης *è ſerva*, Hagar, κατὰ σάρκα *ſecundùm carnem*, hoc eſt conſilium carnis, & è fœcunditate naturali; hic ἐκ τῆς ἐλευθέρας *è libera* Sara, διὰ τῆς ἐπαγγελίας *per promiſſionem* divinam de illius nativitate Abrahamo & Saræ factam Geneſ. 17: 16. 18: 10. adeoque κατὰ πνεῦμα *ſecundum ſpiritum*, hoc eſt, Spiritus Sancti ἐνέργειαν, quæ Abrahami σῶμα ἤδη νενεκρωμένον revificavit, & emortuum Saræ uterum recluſit, *natus eſt.* Docet enim Apoſtolus, illa eſſe ἀλληγορούμενα, hoc eſt, ita dicta & facta, ut aliud quid ſignificent, & ut typum exhibeant alterius rei ſublimioris. αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, *Hæc enim ſunt duo illa teſtamenta*, inquit Paulus: ergo duo illa Teſtamenta, quæ Deus pepigit cum domo Iſraël & domo Juda, in illis ſunt præfigurata & repræſentata. Duo Filii Abrahami Iſmaël & Iſaac illuſtris typus.

§. 64. Hagar enim ſerva, cum filio ſervo, ante Iſaacum nato, fratris perſecutore & irriſore, ejecto cum matre è domo patris Abraami, typus eſt illius Teſtamenti, quod eſt à monte Sina, & in ſervitutem legalem & carnalem generat, & in Hieruſalem terreſtri, cum filiis ſuis ſerviente, plenè viguit, & quoad executionem priùs exſtitit ſecundo & meliori: cujus hæredes magna ex parte fuere perſecutores, fidelium libertatem quam in Chriſto habent, turpiter prodentes, & denique ejecti ac ſeparati ab omnibus tribubus Iſraël: cujus ſeveritatis exemplum adhuc hodie in Judæis conſpicitur.

§. 65. Sara autem libera, initio ſterilis, cum filio libero, ſecundum ſpiritum nato, & manente in domo, & hæreditante omnia, εἰκὼν & figura illius fuit Teſtamenti, quod propter parcam olim bonorum in illo legatorum & diſpoſitorum exhibitionem, *ſterili, non parienti fœminæ* ſimile videbatur; cujus autem filii ſunt liberi, per Chriſtum à jugo ſervitutis, quam carnalis lex imponebat, liberati, *Spiritu promiſſionis ſancto obſignati* Eph. 1: 13. & *ad hæreditatem æternam vocati* Hebr. 9: 15. In quo Teſtamento, quia

eſt ἀνακεφαλαίωσις *redactio omnium, qui ſunt in cœlo, & in terra*, ad conformitatem unius ſtatus & libertatis Epheſ. 1: 10. inde eſt, quod ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, omnium illorum* qui ſub hoc Teſtamento vivunt, *mater* dicitur. ἥτις ἐςὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Igitur ut illa Hieruſalem, quæ νῦν *nunc*, Paulo id ſcribente, erat, συςοιχεῖ *æquali paſſu procedit* cum priori Teſtamento, eique quaſi ſubſervit; ita συςοιχεῖ *ſuperna Hieruſalem* poſteriori & κρείττονι διαθήκῃ; imò dicitur tota *a cœlo deſcendere a Deo* Apoc. 21: 2. De hiſce Paulus fuſe agit Gal. 4: 22.—31. Horum Teſtamentorum unum ſolet vocari *Vetus*, alterum *Novum*.

§. *66*. Poſſemus etiam hic agere de mirabili illa viſione, quæ Abrahamo facta eſt, cùm vidit *fornacem fumi, & tædam ignis*, ambulantem inter fruſta animalium, juſſu Dei ab Abraamo diſſectorum; ſed vitanda eſt nimia prolixitas Gen. 15: 7.—17.

Tentatio Abrahami. §. *67*. Ultimo loco attingamus tentamen fidei & obedientiæ Abrahami; ubi juſſus eſt *filium unicum, dilectum, Iſaacum, qui promiſſiones acceperat, in ſacrificium offerre* Gen. 22: 1. 2. Hebr. 11: 17. Mandatum hoc fuit δοκιμαςικὸν, in ſpeciem promiſſioni contrarium: dictum enim erat, *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen*. Omnes autem vicit difficultates Abraam, quas amor in filium, crudelitas cædis, metuenda matris Saræ, ſanguinem filii ſui lugentis, ira & commotio; gentiumque naturaliter à tali facto abhorrentium ſiniſtra futura judicia, & ipſa promiſſorum divinorum per illud facinus apparens retardatio, ſi non plenaria impeditio, movere poterant; vicit, inquam, & quantum ad defunctionem cordis pertinuit, τὸ μονογενῆ προσέφερεν *unigenitum obtulit*, λογισάμενος *reputans*, ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ θεός, *quòd etiam ex mortuis excitare Deus potens eſſet*, in quem etiam, *ut vivificantem mortuos, & vocantem* τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα *credidit. Unde & illum*, Iſaacum filium, ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο *in ſimilitudine, parabola recepit*, tanquam è morte vivum, exemplar ex mortuis reſurgentium Hebr. 11: 17.—20. Ita teſtatus eſt Abraam fidem, quam habebat de mortuorum reſurrectione, & de potentia & veritate Dei Rom. 4: 17. Exſtitit etiam Abraam typus Dei Patris, qui *Filii ſui, unigeniti, primogeniti, non pepercit*, ſed *illum pro nobis in mortem tradidit* Rom. 8: 32.

Abrahami mors. §. 68. Concludamus autem hoc caput, & ut promiſimus §. 3. verbum de morte Abrahami addamus. Moriturum illum, *ſed in pace, & in ſenectute bona*, Dominus diu ante illi prædixerat Geneſ. 15: 11. *Sed tu venies ad patres tuos in pace, ſepelieris in ſenecta bona*. Mortuum illum Scriptura narrat Gen. 25: 8. *Et exſpiravit & mortuus eſt Abraham, ſenex & ſatur, in canitie bona, & collectus eſt ad populos ſuos*. Sunt autem *dies annorum vitæ Abraami, quos vixit, centum & ſeptuaginta quinque anni* Ibid. ℣. 7. Ut autem in fide vixit, ita etiam κατὰ πίςιν ἀπέθανε *in fide mortuus eſt* Hebr. 11: 13. Ergo *reportavit finem fidei, animæ ſalutem* 1 Pet. 1: 9. Ita *quam in tentoriis habitans exſpectaverat civitatem*, τὴν θεμελίους ἔχουσαν *fundamenta habentem* Hebr. 11: 9. 10. moriens ingreſſus eſt quoad animam ſeu ſpiritum: neque enim cum corpore obiit & annihilata eſt anima, ſed vitam hæreditavit *propter juſtitiam* Rom. 8: 10. *Pulvis*, hoc eſt, corpus pulvereum Abrahami *redit ad terram, quemadmodum fuerat*, reſpectu primæ originis. *Spiritus autem reverſus eſt ad Deum, qui dederat illum* Eccleſ. 12: 7. Certè *Deus Abrahami* eſt *Deus vivorum* Matth. 22: 32. Oportet ergo ut Abraham *Deo vivat*: certè ſecundùm animam; quia non ſecundùm corpus, quod ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη Gen. 25: 9. In hunc ſenſum videtur intelligendum, quod dicitur, *collectus eſt ad populos ſuos*: non ſanè ratione corporis; nam *populi*, majores, parentes Abrahami, non ſunt mortui, nedum

nedum ſepulti in Canaan. Terachus in Charan ultimum diem vidit Geneſ. 11: 32. ſed ratione animæ: omnium enim fidelium patria & civitas fuit cœlum, in quod ſpiritus illorum aſſumptus eſt, *depoſito peccati corpore* Rom. 6: 6. Quamvis & id certum, quia *Deus vivorum* eſt *Deus Abrahami*, fore, ut corpus Abrahami, quod hunc uſque in diem in Terra pulveris dormit, aliquando *incorruptibile* ad vitam reſurgat, agendam in cœlis coram Domino πάντοτε *ſemper* 1 Theſſ. 4: 12.

Caput Octavum.

De Iſaaco & duobus filiis Eſavo & Jacobo §. 1-11. de benedictione utriuſque, odio Eſavi & fuga Jacobi §. 11-17. Jacobi reditu in patriam & quæ in via illi evenerint §. 18-20. Benedictione filiorum Jacobi §. 20...40.

§. 1. Moriens Abrahamus reliquit Iſaacum filium, de quo Deus Geneſ. 21: 11. *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen.* Propter illum ancilla Hagar cum filio expulſa & ejecta. Illum Abraham hæredem ex aſſe nuncupavit & ſcripſit; quamvis verum ſit, quod vulgò dicitur: *Hæres verus magis naſcitur quam ſcribitur:* confer Gen. 25: 5. *Et dedit Abraam omne, quod ipſi, Iſaaco.* De hoc Iſaaco nunc pauca dicemus.

§. 2. *Generationes Iſaaci* תּוֹלְדוֹת יִצְחָק hoc eſt, omnia illa, quæ Iſaaco evenerunt, quæque tempus ei peperit, deſcribuntur Gen. 25. à verſ. 20.

§. 3. Initio narratur, Rebeccam *ſterilem*, poſtquam Iſaac *Dominum oraſſet* לְנֹכַח *intuitu illius*, vel propter illam, בַּעֲבוּרָה; vel, præſente ac ſimul orante illa, *concepiſſe*; cumque *filii*, quos conceperat, *in utero ejus ſe invicem truderent*, unde dolorem & tormina ſenſit, à Domino hoc verbum accepiſſe, *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duæ nationes è viſceribus tuis ſeparabuntur & populus præ populo invaleſcet: & major ſerviet minori* Geneſ. 25: 23.

§. 4. Oraculi hujus ſenſus minime obſcurus eſt. Patres & capita duorum populorum in ventre geris: ex illis *nationes duæ*, diverſis nominibus nominandæ, & diſtinctis ſedibus habitaturæ emergent: ita ex Eſau, poſteà *Edom* dicto Gen. 25: 30. Edomitæ ſive Idumæi, in monte Seir habitantes; ex Jacobo, poſteà *Iſraël* dicto, Iſraëlitæ, Canaan hæreditantes orti ſunt. Unus autem populus alterum robore & viribus ſuperabit. Quamvis Idumæi ſæpè vexarint Iſraëlem, & ſæpè vicerint, vide Amos 1: 11. *perſecutus eſt Edom gladio fratrem ſuum, & corrupit miſerationes ſuas, & laniavit in perpetuum ira ejus, & excandeſcentia ejus obſervat etiam atque etiam*: confer Num. 20: 18.—29. 2 Sam. 8 13. 14. Pſalm. 60: 2.-- 11. 1 Chron. 18: 12. tamen tandem victi, & ſub ſecundo templo Iſraëli plene ſubjecti ſunt: circumcidi enim ſe paſſi ſunt, & ad templum Hieroſolymæ, ut locum cultus venerunt, in eoque adorarunt; & Romanis urbem obſidione cingentibus, maximis id viribus propugnarunt. Ita impletum, quod eſt Num. 24: 18. *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seir, inimici ſui, Et Iſraël aget ſtrenue.* Denique additur, *& major*, natu maximus, *ſerviet minori*, hoc eſt, juniori. Hæc verata ſunt primo in Eſavo & Jacobo: deinde in poſteris illorum. Intelligenda autem eſt non tam ſervitus corporalis; ita enim Eſau non ſerviit Jacobo; ſed ſervitus ſpiritualis. Eſau ſpiritualiter Jacobi ſervus factus eſt,

Oraculum Gen. 25: 23. explicatur.

quate-

quatenus 1. primogenituram ejus Jacobus acquiſivit 2. Benedictionem ejus anteverrit & præoccupavit. 3. promiſſiones etiam Jacobo, non Eſavo dictæ ſunt. Poſteri Eſavi etiam ſerviverunt Iſraëli ſervitute ſpirituali, quatenus excluſi ſunt à fraternitate & adoptione Dei, & rejecti cum cæteris gentibus, & in ætatibus præteritis viis ſuis inceſſerunt, ſine Deo, Chriſto, ſpe. Ut autem gentium populorumque, ita & Idumæorum *obedientia* erga *Siloh* promiſſum, in plenitudine temporis per præconium verbi & operationem Spiritus Sancti effecta eſt. Hanc ſervitutem, qua Eſau Jacobo ſervivit, vocat Deus apud Malachiam cap. 1. odium Eſavi, *Eſavum odi*; & hanc gratiam, qua ſupra Eſavum, & præ Eſavo Jacobus benedictus eſt, dilectionem Jacobi, *Jacobum dilexi.*

Jacob & Eſau electionem & reprobationem eſſe docent.

§. 5. Apoſtolus Paulus conſiderans hæc de gemellis hiſce eſſe dicta, *cum nondum nati eſſent, neque feciſſent boni aut mali quid*, concludit eſſe πρόθεσιν κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ, *propoſitum ſecundum electionem Dei, quod* μένει *manet*, & non mutatur, & *non* eſt ἐξ ἔργων *ex operibus*, ex prævisa fide, dignitate, & ſanctitate, *ſed* ἐκ τοῦ καλοῦντος *è vocante*, è gratia & εὐδοκίᾳ ſeu beneplacito vocantis, *qui miſeretur cujus vult, & indurat quem vult* Rom. 9: 11. 12. 13.

Eſavus ſpernit & vendit primogenituram.

§. 6. Obſervandum autem eſt id, quod inter pueros hos accidit. Eſavus primogenitus erat & natu major; Jacobus natu minor; tamen mirabili caſu factum, ut Eſau ſpreta primogenitura, *Ecce ego eo ad moriendum, & ad quid mihi primogenitura?* illam pro pulte è lentibus *vendiderit* Jacobo, & venditionem illam juramento confirmarit, *Et juravit illi, & vendidit primogenituram ſuam Jacobo* Geneſ. 25: 32. 33. Paulus Eſavi profanitatem ex hac recolligit, *Ne ſit quis* βέβηλος *profanus ut Eſau*, ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ Hebr. 12: 16. Primogeniti ut ſunt *principium virium* patris Geneſ. 49: 3. ita ſunt primi in hæreditate & domo, & olim typi ejus, *qui eſt primogenitus omnis creaturæ* Col. 1: 15. deinde etiam in Iſraële poſtulati ſunt a Deo primogeniti pro portione ipſius Exod. 13: 2. 12. Eſavus hac re oſtendit profanam ſuam mentem, corporis voluptatem & carnis deſideria ac recreationem unicè ſectantem, quæque nec honeſtas terræ prærogativas, nec ſpirituales gratiæ præcellentias æſtimabat, ſed præ exigua pulte floccipendebat. Quantum autem illa in re peccarit, ſatis docet Paulus Hebr. 12: 17. *Scitis enim, quod etiam poſtea volens hæreditare benedictionem,* ἀπεδοκιμάσθη *reprobatus eſt*: quia primogenituram turpiter rejecerat, nec benedictionis, quæ illam ſequitur, compos fieri potuit aut debuit. Quàm male hac in re ſecum actum ſit, deinde ſed ſerò agnoſcit & deplorat Geneſ. 27: 36. *Bis ſupplantavit me* Jacob; *primogenituram meam abſtulit, & ecce nunc etiam benedictionem meam abſtulit.* Ita à teneris cœptum impleri, *Major ſerviet minori.*

Iſaacus hæres benedictionum Abrahami.

§. 7. Iſaacum autem ipſum quod attinet, ut Deus Abrahamo promiſerat Geneſ. 17: 19. 21. *Fœdus meum conſtabiliam cum Iſaaco*, ita & fecit. Eædem promiſſiones, quæ Abrahamo ἐῤῥήθησαν, Iſaaco ſunt repetitæ Geneſ. 26: 3. 4. *Et ero tecum, & benedicam tibi, & conſtabiliam juramentum quod juravi Abrahamo Patri tuo: & multiplicabo ſemen tuum ut ſtellas cœli: & dabo ſemini tuo omnes terras has: & benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ.* & ℣. 24. *Ne time: nam tecum ego. Ego ſum Deus Abrahami patris tui, benedicam tibi, multiplicabo ſemen tuum, propter Abrahamum ſervum meum.*

Pro meritis operum nihil facit quod dictum Abrahamo Gen. 26: 26.

§. 8. De hiſce, quæ in capite præcedente §. 10-25. ſatis explicata videntur, nihil occurrit quod moneamus, niſi ut leviter perſtringamus illos, qui ex eo, quod, poſtquam dictum erat, *Benedicent ſibi,* &c. additur, *propterea quia obedivit Abraham voci meæ, & obſer-*

obſervavit obſervationem meam, præcepta mea, ſtatuta mea & leges meas Gen. 26:5. confer Gen. 22:16. *quia feciſti hoc, & non comparſiſti filium, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ... eo quod obedivisti voci meæ*, errorem de meritis operum defendere nituntur.

§. 9. Quos ſcire cupimus. 1. Promiſſiones de benedictione & multiplicatione Abrahamo longè ante obedientiam, in immolatione Iſaaci demonſtratam, factas eſſe: adeoque obedientiam & opera Abrahami non eſſe cauſas meritorias promiſſionum. 2. Fidei etiam aſſignari mercedem. *Ne time, merces tua magna valde*: imò illis, qui accedunt ad Deum credendum eſſe, Deum eſſe *μισθαποδότην retributorem mercedis*; illoſque exſpectare *μισθαποδοσίαν*; tamen illam mercedem non imputari κατὰ τὸ ὀφείλημα, *ut debitum*, ut mercedem debito acquiſitam, ſed κατὰ χάριν, *ſecundum gratiam*, miſericordiam & benevolentiam: ut igitur fides eſt donum, ſic & mercès fidei eſt χάρισμα. 3. Illis, qui credunt & Deo obediunt, fidem & obedientiam ſuam eſſe arrham, obſidem, & argumentum ac pignus certo implendæ promiſſionis & benedictionis divinæ. Quod enim bonum proponitur fidei, cum fide acceptatur, æquè neceſſariò datur, ut debita merces: & eadem *παῤῥησίᾳ fiducia* & libertate à Deo peti & exigi poteſt non propter fidei dignitatem & meritum; quid enim nuda fides mereri poteſt? ſed propter Dei bonitatem & veritatem: non enim poteſt mentiri nec fallere. Ita ergo dicitur fideli Abrahamo, obedientiam opere præſtare volenti: *Quia feciſti hoc, benedicam tibi*; ac ſi dicatur, hoc tuum facere, hanc tuam fidem & obedientiam habe tibi pro arrha & pignore inalienabili, promiſſiones meas gratuitas implementum ſuum certò adepturas.

§. 10. Cogitent præterea hi bonorum operum, & meritorum ex illis patroni, hominem coram Deo nil mereri poſſe: *quale meritum mihi rependetis?* Joël. 3. *quis prior dedit ei, ut ei retribuat?* Rom. 11. *cum omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus: quod debuimus fecimus* Luc. 7. Debitum autem nullatenus meritum eſt; & quod quis facit ex debito, illo non meretur, nec mereri poteſt. Meritum enim eſt officium indebitum, trahitque poſt ſe præmii indebiti debitum. Adde, quod Creator ut cauſa prima & liberrima, creaturæ non poteſt fieri obnoxia. Sed hæc obiter.

§. 11. Redimus nunc ad Iſaacum, de quo Paulus Hebr. 11:20. *Fide de futuris benedixit Iſaac Jacobum & Eſavum.* Ita & fide, & prophetico ſpiritu polluit Iſaacus. Primus benedictionem accepit Jacob, quamvis neſcio Patre, providentia divina rem totam ita dirigente. Hinc non reclamavit Iſaacus Deo, nec benedictionem retractavit, quum ſe cerneret in applicatione erraſſe. Iſaacus fide benedixit Jacobum & Eſavum.

§. 12. Jacobo ita benedixit: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguibus terræ, & multitudinem frumenti & muſti: ſervient tibi populi, & incurabunt ſe tibi nationes: eſto Dominus fratribus tuis, & incurvabunt ſe tibi filii matris tuæ: qui maledicit tibi, ſit maledictus; qui benedicit, benedictus* Gen. 27:27. 28. Repetit hæc Iſaacus verſ. 37. In his verbis ſermo eſt *de futuris*, περὶ μελλόντων εὐλόγησεν: & promittitur poſteris Jacobi, inter quos & Chriſtus Dominus, qui *è Iuda ἀνατέταλκεν exortus eſt* Hebr. 7:14. omnimoda benedictio in cœleſtibus & terreſtribus, boni omnis generis, tum ſpiritualis, tum corporalis abundantia, regnum in populos multos, ſubjectio Idumæorum, obedientia gentium. Jacobi benedictio.

§. 13. Eſavo autem ita dixit: *Ecce pinguia terræ habitatio tua, & de rore cœli deſuper. Super gladio tuo vives, & fratri tuo ſervies: & erit cum obſtinaveris, tunc rumpes jugum ejus à collo tuo* Gen. 27:40. Quæ impleta in Edomitis, Eſavi poſteris, ex hiſtoria conſtat, qui in terra pingui habitantes, bello ſtrenui, ſervi tamen Iſraelitarum facti, non nunquam etiam rebellarunt. Eſavi benedictio.

An Jacob jure benedictionem patris rapuerit.

§. 14. Id unum autem in mentem venire poteſt, an jure Jacob benedictionem Eſavo à patre decretam ad ſe rapuerit. Metuebat ſanè, ne ſi fraus à patre detegeretur, auferret maledictionem loco benedictionis Gen. 27: 11. Certè ſi Jacob non cum injuſtitia jus primogenituræ ſibi oblatum quaſi pretio acquiſivit, etiam benedictionem, primogenito deſtinatam, in cujus locum nunc venerat, non potuit non ambire. Quod autem fraude uſus eſt Jacobus, & ut piloſus videretur, induit ſuper manus & partem colli cutes hædorum, id ſuaſu blandæ matris fecit, cui obedire volens à norma rectitudinis tantiſper deflexit. Item, quod rogatus à Patre, *An tu es filius meus Eſau, aut non?* reſpondit, *ſum* Geneſ. 27: 20. 23. non verum fuit omni ex parte. Jure acquiſitæ primogenituræ ſucceſſerat in locum & omne jus Eſavi; non tamen erat ipſe Eſavus, nec nomine, nec corpore, nec qualitatibus & proprietatibus aliis perſonalibus. Quid autem dicemus de Iſaaco: benedicere volens Eſavum, benedicit Jacobum. *Venit frater tuus* בְּמִרְמָה *doloſe, & abſtulit* בִּרְכָתֶךָ *benedictionem tuam*, tibi à me deſtinatam, tibi decretam Geneſ. 27: 35. Certe divinus ſenex, plenus gratiæ divinæ, pronunciavit benedictionem, quæ omni ex parte ſequentibus temporibus impleta eſt, quamque divina ſapientia deſtinaverat Jacobo & illius poſteris, quàmvis Iſaac prima fronte ignoraret, quod Jacobo benediceret. Digitum Dei hac in re ſtatim animadvertens Iſaac, poſtquam antea magno metu perculſus fuiſſet ſtatim ſe colligit, dicens, *Benedixi ipſum, etiam benedictus erit* גַּם בָּרוּךְ יִהְיֶה Gen. 27: 33.

Eſavus ob ablatam benedictionem fratri infenſiſſimus quare & Iacob fugere fuit coactus.

§. 15. Benedictus hic Jacob Eſavum fratrem ob ablatam benedictionem iratiſſimum habuit, ideò fugere debuit. *Et fugit Jacob in agrum Syriæ* Hoſ. 12: 13. In hac fuga cum eſſet, *ſomniavit, & ecce ſcala in terra poſita, in cœlum uſque pertingens, & Angeli Dei aſcendebant & deſcendebant in illa. Et Jehova ſtabat ipſe in ſcala*. Geneſ. 28: 12. 13. Hæc ſcala pulchre curſum vitæ fidelium repræſentat, & depingit. In terra incipit, ad cœlum, ut patriam, in quo eſt πολίτευμα ἡμῶν, votis & deſideriis & omni actionum genere, tanquam per gradus tendit. Angeli miniſtrant, & in omni ſtatu ac conditione nobis adſunt, ſive aſcendamus, ſive deſcendamus. Jehova ductor noſter eſt & moderator, omnia noſtra videt & intuetur. De hac ſcala verba facit Dominus ad Jacobum, & eaſdem promiſſiones, quas Abrahamo & Iſaaco dixerat, repetit, ut Jacobus ſciret, & fœdus Dei & promiſſiones Patrum ad ſe pertinere. *Ego Jehova Deus Patris tui. Terram, in qua cubas, tibi dabo & ſemini tuo. Erit ſemen tuum, ut pulvis terræ. Et benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in ſemine tuo* Geneſ. 28: 13. 14. 15. Ita omnia, quæ Abrahamo ſparſim promiſit, & diverſis ſententiis complexus eſt, hic in unam compingit Deus, & in unam quaſi ſummam contrahit. Jacobus è ſomnio, in quo hæc vidit & audivit, excitatus, & ſancta reverentia impletus, in hæc verba erumpit: *Certè eſt Dominus in loco hoc, & ego non id noveram: quam timendus eſt locus hic. Nil hic niſi domus Dei & porta cœlorum* Geneſ. 28: 18. Locum hunc vocavit בֵּית־אֵל *Betel: quia ibi manifeſtatus* eſt *ipſi Deus*, כִּי שָׁם נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים *cum fugeret à facie fratris ſui.* Videtur autem Deus in Betel ipſi ſe manifeſtaſſe in pluribus perſonis, quemadmodum & Abrahamo Geneſ. 18: 1. 2. 3. nam & verba Hebræa de pluribus loquuntur, שָׁם נִגְלוּ *ibi manifeſtati ſunt:* & apud Hoſeam 12: 5. ita de hac apparitione Deus loquitur: *Betele invenit illum*, nimirum Jacobus Deum, *& ibi loquebatur* עִמָּנוּ *nobiſcum.* Ergo in Betel locutus eſt Iacob cum pluribus; *nobiſcum.*

In exilio multa paſſus eſt.

§. 16. In hoc autem agro Syriæ, quo fugit Iacob, multa tulit, fecit, ſudavit & alſit. *Ibi ſervivit Iſraël pro muliere, & pro muliere excubias egit* Hoſ. 12: 13. confer Gen. 29: 18.

Poſt

Poſt ſervitutem viginti annorum ægre dimiſſus, cœpit remeare ad ſuos, ad Iſaacum patrem, qui habitabat in Hebron, ubi & mortuus & ſepultus eſt Gen. 35:26.27.

§. 17. In hoc itinere cum eſſet, nocte quadam *luctatus eſt cum illo Vir uſque ad auroræ ortum.* Lucta hæc fuit vehemens, & magnas in illa vires exercuit Jacob. Vir enim luctator *videns*, quod non poſſet ſuperior illo evadere, *percuſſit acetabulum femoris* Jacobi: inde cœpit *claudicare*. Ab hoc viro petiit Jacob benedici; agnovit enim, illum eſſe *Semen*, in quo benedicuntur omnes familiæ terræ; *Non mitto te*, inquit, *niſi mihi benedixeris.* Eundem agnovit Jacob eſſe *Deum*: vocavit enim locum luctæ *Peniel*, addita ratione nominis; *Nam aſpexi Deum facie ad faciem*; & idem Vir dicit Jacobo, *Tu certaſti cum Deo, & cum hominibus, & ſuperior evaſiſti* Geneſ. 32:24–30. De hac re ita Hoſ. 12: 4.5. *In viribus ſuis tanquam Dux exercitus certavit cum Deo: & certavit cum Angelo, & obtinuit: ploravit & ſupplicavit ei*, nimirum illa verba, quibus petiit benedici, videtur Jacobus cum lachrymis & vehementi ſupplicatione pronunciaſſe. Ex his apparet, illum, cum quo luctatus eſt Jacob, vocari *Virum, hominem, Deum, Angelum.* Fuit is Chriſtus Dominus, qui *Deus* eſt ſuper omnes in ſecula benedictus; *Angelus* nimirum *fœderis & faciei:* qui etiam *homo* fieri debuit, & in plenitudine temporis factus eſt. *Lucta* notat, illos, qui ſunt illius, debere pati miſerias, & per multas θλίψεις intrare in quietem. Lucta hæc non ſemper eſt levis, ſed ſæpè exit in claudicationem; manet tamen omnis πειρασμὸς ἀνθρώπινος, nec eſt ὑπὲρ ὃ δυνάμεθα 1 Cor. 10:13. In media lucta aſpirandum eſt ad *benedictionem*, neque illa χρονιεῖ *tardabit:* de Jacobo luctante eſt, *Et benedixit illum ibi.* Qui ſunt in lucta, *plorent & ſupplicent:* hæc ſunt arma, quibus impetratur victoria. Lucta irrogatur fidelibus à Domino. *Angelus* enim, & *Deus* cum Jacobo luctatus eſt. Accommodat autem ſe Dominus in media lucta noſtræ infirmitati, & robur nobis largitur ac ſuppeditat. Inſuperabilis hic à Jacobo debili & infirmo ſuperari ſe ſinit.

Autore Deo in patriam redit, & in via luctatur cum Deo.

§. 18. Omnis autem divini hujus viri vita perpetuum fuit exercitium tribulationum & patientiæ: quas non à Labano accepit injurias? quos non ab Eſavo fratre concepit terrores? à mulieribus ſuis ſæpè ad iram & triſtitiam fuit provocatus. Dinam filiam viriavit Sechem. Simeon & Levi immani & ſcelerata cæde fecerunt illum fœtere habitatoribus terræ. Rahelem in puerperio, cum in itinere eſſet, amiſit. Joſephi jacturam tot annis deflevit. Annonæ gravitatem & difficultatem magno ſuo incommodo expertus eſt. A Pharaone rogatus de numero annorum nil aliud habuit, quod reſpondetet, quàm *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ* Geneſ. 47:8.9.

§. 19. Benedictus Jacobus etiam benedixit; primum filiis Joſephi, deinde filiis ſuis. De illis Paulus Hebr. 11:21. *Fide, Iacob moriens unicuique filiorum Ioſeph benedixit, & adoravit in extremum ſcipionis*, ſive, *ſuper ſummitatem virgæ ſuæ:* in ſcipionem inclinans preces ſuas peregit. vide Geneſ. 48:15.16. Nominat in illa benedictione *Deum, paſtorem ſuum, ab eo, quod erat, uſque in diem illum.* confer Geneſ. 49:23. *Paſtor, lapis Iſraël.* Pſalm. 23:1. *Dominus Paſtor meus.* Chriſti hoc nomen eſt: Hebr. 13:20. *qui eduxit è mortuis paſtorem ovium, magnum illum* 1 Petr. 2:25. Joh. 10:11. Mentionem etiam facit *Angeli, Redemtoris, Vindicis, qui illum aſſeruit ab omni malo:* illumque conſiderat, ut omnis benedictionis cauſam & autorem. *Angelus benedicat pueris his.* Hic Angelus eſt *Angelus faciei*, cum quo luctatus eſt Jacob, cui in lucta δεήσεις καὶ ἱκετηρίας προσήνεγκε; qui Angelus fideles *tulit & bajulavit omnibus diebus ſeculi* Eſ. 63:9. quem etiam Job nominat Redemtorem ſuum: *Et ego novi, quod Redemtor meus vivit* Job 19:24.

Jacob benedicit filiis Ioſephi.

Benedictio Judæ.

§. 20. Benedictio, quâ filiis ſuis benedixit, eſt cap. 49. Gen. Cum autem illa ſit prolixior, non poteſt hic tota repeti. Non poſſumus autem nobis temperare, quo minus illuſtre illud oraculum, quod eſt ỳ. 10. de adventu *Silo* afferamus; illud Latinè ita habet. *Non recedet ſceptrum à Iehuda, & legislator, qui è medio pedum ejus eſt, uſque dum veniat Siloh, & ei erit obedientia populorum.* Hæc jam erit quarta promiſſio, ſeu quarta vice repetita promiſſio de incarnatione & manifeſtatione filii Dei in carne. Prima eſt Geneſ. 3: 16. *Semen mulieris*, &c. Secunda Geneſ. 9: 28. *Alliciet Deus Iaphet, & habitabit in tentoriis Sem*, nimirum is Deus, qui Japhetum allicit. Tertia Geneſ. 22: 18. 26: 4. 28: 14. *In ſemine tuo*, &c. Quarta eſt in hoc loco, cujus brevem dabimus expoſitionem.

§. 21. Primarium in hoc oraculo ſubjectum eſt Siloh veniens. Uſque *dum veniat Silo*. Ejus adventus ſpecificatur à ſigno illum antecedente; *Non recedet ſceptrum à Iuda, & legislator*, &c. deinde, à ſigno illum conſequente; *Et illi obedientia populorum erit.*

Silo veniet.

§. 22. *Silo veniet* שִׁילֹה derivamus à שָׁלָה *tranquillum, pacificum eſſe*, erit ad formam קִיטוֹר: Ita *Siloh* ſignificabit *tranquillatorem, pacificatorem.* Quis eſt ille, niſi, qui in Euangelio dicit Matth. 11: 28. *Venite ad me omnes*, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς *& ego tranquillabo vos, & invenietis* ἀνάπαυσιν *tranquillitatem animabus veſtris.* Item Joh. 14: 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* unde *& Princeps pacis* audit Eſ. 9: 5. Qui שילה accipiunt pro שֶׁלּוֹ *cujus eſt*, nimirum regnum, judicium, ſecuti LXX interpretes, apud quos legimus ᾧ ἀπόκειται, *nim.* βασιλεία, κρῖμα; aut pro שֶׁ לוֹ ᾧ τὸ δῶρον; aut pro שִׁלְיָה, quod ſumunt pro בְּנִי *filio*, per nos libertate ſua utantur. Hic Siloh, hic tranquillator dicebatur Jacobo Geneſ. 48. Angelus *redemtor.* Geneſ. 49: 19. vocat illum *ſalutem Domini*, ut & Simeon Luc. 3: 30. τὸ σωτήριόν σου. Gen. 49: 24. *Paſtorem, lapidem Iſraëlis.*

§. 23. *Veniet* autem יָבֹא: non eſt ſermo de adventu, cujus mentio fit Deut. 33: 2. *Iehova è Sinai venit, ortus eſt Seir illis*; neque de illo adventu, de quo eſt Joſ. 9: 14. *Ego ſum princeps exercitus Dei, nunc veni.* Sed de illo, qui tantopere in Scriptura celebratus eſt. Zach. 2: 14. *Gaude filia Zion: nam ecce ego venio.* 9: 9. *Ecce Rex tuus venit.* Ezech. 21: 32. *uſque dum veniat cujus eſt judicium.* Hab. 2: 3. *veniendo veniet, non tardabit.* Pſ. 40: 8. *Ecce veni: in volumine libri ſcriptum eſt de me.*

§. 24. In hoc adventu conſideranda ſunt non pauca.

In adventu Meſſiæ conſideranda. 1. Locus, unde.

1. *Locus*, unde venit. *Exivi à patre, & veni in mundum* Joh. 16: 28. è cœlo, qui thronus eſt Dei exivit: Pſal. 68: 18. *Aſcendiſti in altum.* Si aſcendit ergo ex alto deſcendit: τὸ δὲ, ἀνέβη, τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς Eph. 4: 9. Eſt ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ *Dominus, qui eſt è cœlo* 1 Cor. 15: 47. ἀνατολὴ ἐξ ὕψους *germen ex alto* Luc. 1: 78.

2. Locus, ad quem.

2. *Locus*, ad quem venit *Erat lux vera veniens in mundum* 1 Tim. 1: 15. In quem autem mundum, in quam terram? *in propria venit* Joh. 1: 11. hoc eſt, ad Judæos, populum ſuum, habitantes in Canaan. Venit ad *Zionem: Rex tuus venit ad te* Zach. 9: 9. *ad templum: derepente veniet ad templum ſuum Dominus ille* Malach. 3: 3. Venit è Betlehem: *Ex te Betlehem Ephrata exibit mihi, qui erit Dominator in Iſraële* Mich. 5: 1.

3. Tempus, quo.

3. *Tempus*, quo venit. *Viſio ad ſtatutum eſt. Et Præco, Teſtis, qui non mentietur, ad finem* illius viſionis, ſubintellige, erit, veniet Hab. 2: 3. *Et erit in poſtremo dierum exaltabitur mons domus Domini* Eſ. 2: 2. *Quum venit plenitudo temporis, emiſit Deus Filium ſuum* Gal. 4: 4.

4. μορφὴ, in qua.

4. Μορφὴ *forma*, in qua venit. *Ecce venio, & habitabo in medio tui* Zach. 2: 14. venit in σκηνώματι *habitaculo*, hoc eſt, manifeſtatus eſt in carne. *Erit Dominus* לְמִקְדָּשׁ *in templum*

ſan-

ſanctum Eſ. 8: 14. habebit *templum corporis* Ioh. 2: 21. *Natus eſt puer nobis* Eſ. 9: 5. *è virgine gravida* Eſ. 7: 14. Venit perforatas aures habens: *Aures perforaſti mihi. Ecce veni* Pſal. 40: 7. 8. id eſt, è mente Pauli, *corpus aptaſti mihi* Hebr. 10: 5. Venit in forma viſibili: *Oculo ad oculum vident, Domino veniente, redeunte Zionem* Eſ. 52: 8. Venit os habens: *Et videbunt omnis caro pariter, quod os Jehovæ loquitur* Eſ. 40: 5. Venit pauper: *Rex tuus venit tibi, pauper & equitans in aſino* Zach. 9: 9. *corruptus præ viro aſpectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum* Eſ. 52: 14. attamen *juſtus* Zach. 9: 9. *pulcher præ filiis hominum* Pſal. 45: 3. & magna cum gloria: *manifeſtabitur gloria Domini, & videbit omnis caro* Eſ. 40: 5. *habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus ut unigeniti a patre* Ioh. 1: 14. *major erit gloria domus hujus poſterioris præ priore* Hag. 2: 9. *Dominum gloriæ crucifixerunt* 1 Cor. 2: 7. *plena tota terra gloria ejus* Eſ. 6: 3.

5. *Opus*, ad quod venit peragendum. *Ecce veni, ad faciendum beneplacitum tuum Deus mi, voluptas mea eſt* Pſal. 40: 9. *Miſit me Dominus ad euangelizandum manſuetis, ad obligandum fractos corde, ad conſolandum omnes mæſtos*, &c. Eſ. 61: 12. *ad expiandum peccatum, & ad adducendum juſtitiam, ſeculorum ad obſignandum viſionem & prophetiam, & ad ungendum ſanctum ſanctorum* Dan. 9: 24. Venit ἁμαρτωλοὺς σῶσαι 1 Tim. 1: 15. *Meſſias exſcindetur, & non erit illi* Dan. 9: 26. *Ne veniam & percutiam terram anathemate* Malach. 4: 6. *Dominus Deus venit cum robore, & brachium ipſius dominatur ipſi* Eſ. 40: 10. 11. Venit ut accedat ad Deum, cum hoſtia & ſacrificio, ut ſacerdos: *Et Dominator illius*, cœtûs Iſraël, *è medio ejus exibit, & faciam illum accedere, & accedet ad me: quis enim ille eſt, qui ſpondeat pro corde ſuo ad accedendum ad me?* Jerem. 30: 20. *Faciam germinare Davidi ſemen juſtum, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus ejus ſalvabitur Jehuda, & Iſraël habitabit ſecure.* Hæc & longe plura ſunt de adventu *Siloh* Domini noſtri in ſcripturis propheticis. Opus, ad quod.

§. 25. Nunc videndum, quid adventum Siloh debuit antecedere. *Non recedet* 1. *Sceptrum à Juda.* 2. *& Legiſlator, qui eſt ex eo, quod eſt inter pedes ejus, uſque dum veniat.* Quid Meſſiæ adventum antecedere debuerit?

§. 26. Vox Hebræa שֵׁבֶט ſignificat tria 1. *Virgam* ῥάβδον Prov. 29: 15. *Virga dat ſapientiam*, confer Job. 25: 9. 2. *Familiam, tribum*, φυλήν. Ita שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל dicuntur *duodecim tribus* ſeu *familiæ Iſraël.* 3. *Sceptrum.* Amos. 1: 5. תּוֹמֵךְ שֵׁבֶט *tenens ſceptrum.* σκηπτοῦχος σκηπτροφόρος:

§. 27. Nos vulgarem tenemus verſionem. *Non recedet ſceptrum.* 1. quia hebræa vox ita verti poteſt. 2. quia illa verſio non parit incommodum ſenſum, & verbis apta eſt, & cum analogia & veritate rei convenit. 3. quia aliæ verſiones, aut difficultatibus laborant, aut verbis non ſunt aptæ. Exempli gratia, cùm vertitur, *Non recedet tribus*; ſenſus quidem, qui inde emergit, non eſt malus; tamen verba Hebræa eum non videntur ferre: videtur enim dicendum fuiſſe, לא יסור שבט יהודה *Non recedet tribus Iehuda* aut לא יחדל יהודה מהיות שבט *Non deſinet Iehuda eſſe tribus*: non autem, *Non recedet tribus à Iuda.* Quicquid ſit, ſtet unicuique ſua libertas.

§. 28. *Sceptrum* eſt ſignum poteſtatis regiæ. Reges enim coronas, diademata, ſceptrum gerunt. *Sceptrum regni tui eſt ſceptrum rectitudinis* Pſal. 45: 7. Ergo per *ſceptrum* in prophetia Jacobi ſignificabitur *regnum, imperium*; eritque ſenſus, Regem & regnum in Juda exſtiturum.

§. 29. Videamus autem hujus regni initium, progreſſum, finem. Tempore Samuelis, Iſraëlitæ, non contenti Rege Deo, Regem terreſtrem cupiverunt. Datus illis eſt Saul. Illo rejecto ob inobedientiam ſucceſſit David, vir è tribu Juda. Ità ſceptrum non tantum fuit in Juda, ſed & ex Juda. Davidem excepit Salomoh. Salomonem Rehabeam. Initium, progreſſus & finis ſceptri Judæ.

Illius autem tempore ſchiſma & diviſio exſtitit; decemque tribus à Rehabeam defecerunt. Ita jam cœpit Sceptrum aliquo modo recedere à Juda. Poſteri Rehabeami aliquamdiu regnum in Juda tenuerunt. Ultimus Rex fuit Jehojachin ſive Jechonias, qui captivus ductus eſt Babylonem. *Non proſperabitur de ſemine ejus vir ſedens in ſolio Davidis, & dominans in Juda* Jerem. 22: 30. Zedekias aliquot annos præfuit regno, ſed infelici exitu Jerem. 52: 10. 11. Ita regnum à domo Davidis ablatum eſt, & ſceptrum à Juda in captivitate Babylonica receſſit. Ab illo tempore non fuit in vite Iſraël *virga roboris, ſceptrum ad dominandum* Ezech. 19: 13. & impletum quod eſt Ezech. 21: 31. 32. *Removebo cidarim, & auferam coronam: hæc non eſt hæc.* quaſi dicat, hæc corona non eſt vera corona, quæ manere ſemper poteſt. *Corruptum, corruptum, corruptum ponam illam.* Fuere quidem poſt captivitatem Babylonicam in Juda principes: ita Serubabel vocatur פַּחַת יְהוּדָה *princeps Judæ* Hag. 2: 1. Etiam Aſmonæi diadema geſtarunt ad tempus, ſed & de illorum corona evenit, quod prædictum eſt Ezech. 21: 37. גַּם זֹאת לֹא הָיָה *Etiam illa* corona *in nihilum evaſit.* Ablatum eſt hoc diadema plane & in integrum, cùm Antipater Idumæus Procurator Judææ conſtitutus eſt à Cæſare, cujus filius Herodes regnum Judææ & Palæſtinæ totius invaſit. Manet, in captivitate Babylonica ſceptrum à domo Davidis & à Juda receſſiſſe & ablatum eſſe.

Veniente Meſſia nullum Sceptrum in Iuda.

§. 30. Et certè in prophetiis non ſemel prædictum eſt, nullam coronam in domo Davidis, nullumque regnum in Juda fore, veniente Meſſiâ, qui unicus veruſque Siloh eſt. 2 Sam. 23: 5. *Salus mea erit*, hoc eſt, Salvator meus exiſtet, orietur, veniet, *cum non germinabit*, nimirum בֵּיתִי *domus mea*, de qua in initio verſus eſt. Sceptro autem ablato cœpit illa areſcere, & viriditatem ac florem amittere. Eſ. 11: 1. *Et exibit virga* חֹטֶר *ex ſtipite Ieſſæ.* Domus Jeſſæ, quum Chriſtus, *virga, germen, ſurculus* naſcitur, comparatur cum *ſtipite* arboris, radices quidem habentis, *& ſurculus è radicibus ejus fructificabit*, ſed non ramos, hoc eſt, Sceptrum ad dominandum. Adde Amos 9: 26. *Erigam tugurium Davidis lapſum. Lapſa* Davidis *poſteritas*, corona & regio ſplendore orbata, & potentia ſeculari exuta, quæ ſub nomine *domus* ſeu *tuguris* intelligitur, *erectionem*, hoc eſt λύτρωσιν, *ſalutem ex hoſtibus, & a manu omnium oſorum* demum accipit. Igitur cum *erigitur* ſeu *excitatur cornu ſalutis in domo Davidis*, Luc. 1: 68. 69. 71. illa domus ſpeciem habet collapſæ, & illud tugurium humile eſt & ruinis inſepultum.

§. 31. Neque potuit aliter. Si enim familia Davidica perpetuo floruiſſet, quomodo potuiſſet ex ea Chriſtus, filius David ſecundum carnem, prodire *pauper, ſpretus, ignotus, morte* contumelioſiſſima afficiendus? Filium Regis florentis non excepiſſet ſtragula ſtraminea, ut Chriſto in ſtabulo nato, & in præſepi poſito factum, ſed ἡ βασίλειος πορφυρὶς *purpura regia*, ut Commodus de ſe dicit apud Herodian. libr. 1. §. 11. Neque is, cujus regnum non eſt de hoc mundo, debuit participare de ſplendore & pompa regni mundani. Ergo debuit familia Davidis humiliari, antequam Chriſtus humilis ex illa exiret.

מְחֹקֵק quid?

§. 32. Quod attinet ſecundam vocem מְחֹקֵק ea vertitur græce θεσμοθέτης, νομοφύλαξ; *Legiſlator, Definitor.* Per *Legiſlatorem* intelliguntur illi, qui Judæ præfuerunt, & ſynedrium in Juda conſtituerunt, qui Chriſtum Pilato crucifigendum tradiderunt, & legalium ſtatutorum rigidi fuerunt exactores. Triplex autem illorum fuit ordo; unde vocantur *tres paſtores* Zach. 11: 8. fuitque inter illos עֵר *vigil*, עֹנֶה *reſpondens*, מַגִּישׁ מִנְחָה *munus offerens* Malach. 2: 12. Per *vigilem* intelliguntur judices; per *reſpondentem*, doctores, qui ſuper dubiis & difficilioribus conſuluntur & rogantur; per *munus offerentem*, ſacerdotes.

dotes. De triplici hoc hominum ordine multus in Scripturis ſermo eſt. Dicitur autem *Legiſlator* eſſe *ex inter pedes Iuda*, hoc eſt, ſatus & natus è Juda: vide phraſin Deut. 28: 57. tem. Pſal. 108: 9.

§. 33. Nunc ſenſum hujus ſermonis, *Non recedet ſceptrum à Iuda, & Legiſlator, donec veniat Siloh*, inveſtigemus. Eſt certe ſermo indefinitus, ante complementum obſcuritatem aliquam habens, ſed poſt complementum clarus ſatis & diſtinctus. Senſus eſt, ante adventum Siloh, ſceptrum & Legiſlatorem non receſſurum, nimirum ſimul & totaliter. Impoſſibile fuit, propter veritatem dicti hujus, ut utrumque ſimul recederet. Aut ſceptrum debuit manere, aut Legiſlator, hoc eſt, ſynedrium Legiſlatorum, poteſtatem in populum habentium. Non fuit opus, ut utrumque maneret; ſed opus fuit, ne utrunque ſimul recederet. Eventus docuit, ſceptrum receſſiſſe, Legiſlatorem manſiſſe, atque adeo ſenſum Jacobi fuiſſe eum, quem propoſuimus; quem ſive ſequaris, ſive non ſequaris, ſaltem fateberis, illum incommodi nihil habere. Ubi ergo tribus Iſraël ſceptrum receſſiſſe viderunt, debuerunt omnino concludere, tempus & horam adventus Siloh appropinquare. Sed ubi etiam Legiſlatores receſſiſſe viderunt, non potuerunt ſine ſtupenda ſtupiditate, & intoleranda pertinacia dubitare, aut negare, Siloh veniſſe, & nullum amplius exſpectandum eſſe.

Mens verborum, non recedet ſceptrum à Juda & legiſlator, donec veniat Siloh.

§. 34. Supereſt, ut expendamus, quid adventum Siloh debuit conſequi. *Et ei*, nimirum Siloh, Domino, qui venit, *erit obedientia populorum.* Ita etiam Targum Onkloſi. וְלֵיה יִשְׁתַּמְּעוּן עַמְמַיָּא *Et ei obedient populi. Gentes* enim *ei datæ ſunt hereditas, & fines terræ poſſeſſio* Pſalm. 2: 8. *Illo die adjunctæ ſunt multæ gentes ad Dominum, & factæ illi in populum* Zach. 2: 15. *Etiam inſulæ*, hoc eſt, habitatores Inſularum, *legem* Domini *cum præſtolatione* & deſiderio *acceperunt* Eſ. 42: 4. Hi populi, obedientes facti Siloh, ſunt Japetidæ, à Domino allecti, ut habitent in tentoriis Sem; ſuntque illi omnes illæ familiæ & gentes terræ, quæ benedicendæ erant, in ſemine Abrahami, Chriſto. Hæc obedientia populorum, & converſio gentium, eſt inſigne opus Dei, & *reſuſcitatio mortuorum, ut audiant vocem filii Dei, & vivant* Joh. 5: 25. & fructus paſſionis & *laboris juſti ſervi Dei, qui ab ærumna ſua videt & ſaturatur, idcirco diſtribuam illi in multis, & cum numeroſis diſtribuet ſpolia, pro eo, quod effudit in mortem animam ſuam* Eſ. 53: 10. 11. 12. Denique eſt illa non poſtrema pars *myſterii illius pietatis, quod citra controverſiam magnum* & mirabile *eſt, Deus*, manifeſtatus in carne, *prædicatus eſt in gentibus, creditus in mundo* 1 Tim. 3: 16.

Venienti Siloh erit obedientia populorum.

§. 35. Obſervemus: Omnem fidem & ſanctificationem gentium, ſub vocabulo *obedientiæ* comprehendi. Unde docemur, omnem fidem & cultum Chriſtianum nil eſſe niſi obedientiam Domini Jeſu. *Cauſa ſalutis exſtitit obedientibus ſibi* Hebr. 5: 8. confer Actor. 6: 7. Rom. 6: 17. Phil. 2: 12. 1 Petr. 1: 2. 22. 2 Cor. 10: 5. Rom. 1: 5. 16: 19. 26.

§. 36. Spem inſuper facit hoc verbum, quia *populorum* omnium obedientia erit Siloh Domino, illos adhuc populos, qui hactenus *concluſi* manent *ſub inobedientiam* Rom. 11: 32. tandem aliquando ad obedientiam Domini Jeſu acceſſuros, & *in omni loco ſuffitum & munus purum Nomini* Servatoris noſtri, *præter quod nullum aliud datum eſt ſub cælo in hominibus, in quo ſalventur* Actor. 4: 12. *oblaturos* Malach. 1: 11.

§. 37. Graviſſimum autem & firmiſſimum ex hoc loco ſumitur argumentum, ad convincendos Judæos, hunc uſque in diem præfractè negantes, Meſſiam veniſſe. Non enim tantum receſſit *ſceptrum*: ſedent enim Judæi *ſine Rege*, אֵין מֶלֶךְ: ſed & *Legiſlator* receſſit:

Meſſiam veniſſe ex benedictione Judæ evincitur.

Sunt

Sunt enim Judæi *ſine principe, ſine ſacrificio, ſine cippo* אֵין שַׂר וְאֵין זֶבַח וְאֵין מַצֵּבָה (Hoſ. 3: 4.) Denique Gentes obedientiam obtulerunt Domino Dominorum, & *nomen Domini* Jeſu *magnificum eſt in tota terra* Pſal. 8: 1. Ergo Silo VENIT, qui eſt *ex patribus ſecundum carnem, & eſt ſuper omnes Deus benedictus in ſecula. Amen* Rom. 9: 5. Igitur ſi quis, etiamſi Angelus è cælo, alium Jeſum, alium Siloh prædicet & annunciet, præter illum, qui annunciatus eſt, & in mundo creditus, *ἀνάθεμα ἔϛω.*

Benedictionis verba, fuerunt Jacobi poſtrema.

§. 38. Hæc verba, quibus benedixit filiis ſuis Jacobus Patriarcha, ſunt inter *verba illius poſtrema*, quemadmodum illa, quæ ſunt 2 Sam. 23: 1.-7. dicuntur דִּבְרֵי דָוִד הָאַחֲרֹנִים: Non legitur enim præter illa quicquam dixiſſe, niſi quod de loco ſepulturæ præcepit. Quod poſtquam abſolviſſet, collegit pedes ſuos in lectum, & exſpiravit, & collectus eſt ad populos ſuos Geneſ. 49: 33.

§. 39. Apparet autem ex iis, quæ de Iſaaco Abrahami filio, & Jacobo Abrahami nepote, duce Scriptura diſſeruimus hactenus, illos ambulaſſe in veſtigiis fidei Patris Abraham, eaſdem promiſſiones illis dictas, & eadem libertate in ſpiritualibus illos gaviſos eſſe. Neque enim jugum legis acceperunt, nec præcepta de ſacrificiis & purificationibus legalibus illis impoſita ſunt. Crediderunt in Dominum, & id illis reputatum eſt in juſtitiam.

Joſephus Chriſti typus.

§. 40. Ut autem & hoc caput concludamus utiliter, addamus, Joſephum, filium Jacobi ex Rahel, cujus fidem etiam Paulus laudat Hebr. 11: 22. fuiſſe typum non obſcurum Jeſu Chriſti Domini noſtri. Joſephus filius Abrahæ, è mera invidia & malitia fratrum in foveam conjectus, deinde vili & exiguo pretio venditus, in Ægypto primo humiliatus, deinde admodum exaltatus eſt, & exſtitit ſoſpitator fratrum, & populi multi. Exemplum factus caſtitatis, patientiæ, longanimitatis, facilitatis ad remittendum, pietatis in parentem & familiam paternam, prudentiæ in gubernanda republica. Chriſtus filius Abrahæ ſecundum carnem, à fratribus ſuis Iudæis, nullâ ſuâ culpâ, ſed mera impiorum malevolentiâ, pro triginta argenteis emptus & venditus, cruci adfixus, morte, quâ nullâ ignominioſior & execrabilior, interemptus, poſtquam eouſque exinanitus & humiliatus fuiſſet, deinde ſuperexaltatus eſt, & nomen accepit ſupra omne nomen, factus gloria Iſraëlis, lux gentium, & cauſa ſalutis omnibus obedientibus, relinquens nobis *ὑπογραμμὸν* obedientiæ in Deum, amoris erga fratres & hoſtes, ſanctitatis, conſtantiæ & omnis pietatis, ut inſiſtamus *τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ veſtigiis illius* 1 Pet. 2: 21.

CAPUT NONUM.

De ſtatu Patrum & fidelium ante Legem.

§. 1. EX hoc autem ſtatu & conditione ſanctiſſimorum Patrum, Abrahami, Iſaaci, Jacobi, concludi poteſt, quænam fuerit conditio totius Eccleſiæ, quæ illo tempore Deo vixit, & in terra militavit. Neque enim intra parietes domuum Patrum illorum, totam Eccleſiam incluſam fuiſſe putandum eſt: fuit enim & Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi: fuit etiam in illis ſeculis Iob, cujus tot exſtant in ſacris encomia. Abimelechum Regem Gerar alloquio & monela Deus dignatus eſt, dicens, *Etiam ego novi, quod in integritate cordis feciſti hoc, & cohibui etiam ego te,*

ne

ne peccares in me Geneſ. 20: 6. Fuerunt ſine dubio plures ſecundum Deum in fide ambulantes. Quotquot autem fuerunt, eâdem in ſpiritualibus libertate gaviſi ſunt, qua Abraam, Iſaac, Jacob; fuitque adeo verus Eccleſiæ illius ante & poſt diluvianæ ſtatus talis, qualem in compendio & ſummatim deſcribemus.

§. 2. Opus legis habuerunt ſcriptum in corde. Revelatio divina, quæ ad ſalutem credenda erant, ſive mediate ſive immediate manifeſtavit. Verbum promiſſionis frequenter fuit repetitum. Spiritus Sanctus fidem operatus eſt, & illa fide purificavit corda, & ſanctificavit ad omnem virtutem & laudem. Etiam circumciſio & ſacrificia fuerunt in uſu.

§. 3. Quamvis autem peccatum adhuc fuerit, & actuali expiatione indiguerit, & propterea fidelibus chirographum in placitis, lex præcepti carnalis imponi, iique ſervituti elementorum mundi potuerint ſubjici, nihil tamen tale factum legimus; niſi quod, ut dictum, ſacrificia, divina juſſione inſtituta, fuerunt in uſu; & Abrahamo, poſteriſque illius circumciſio fuit injuncta.

§. 4. Ita ergo fideles in libertate ſancta Deo ſervientes, & in Semine promiſſo, Jeſu Chriſto, omnem fiduciam collocantes, & fide grata Deo Domino facere ſtudentes, in conſilio Dei gratioſiſſimo ducti, depoſito corpore mortali, quoad animam & ſpiritum in gloriam cœleſtem aſſumti, & illius civitatis, quæ fundamenta habet, cives facti ſunt, ubi vivunt & triumphant, expectantes lætam corporis reſurrectionem cum omnibus ſanctis in ſeculum & perpetuitatem.

LIBER SECUNDUS.

In quo de Eccleſia Iſraëlitica, inde ab introitu in Ægyptum uſque ad Chriſtum natum, agitur.

Caput Primum.

Eccleſia Iſraëlis. §. 1. ejus nativitas, augmentum, & diverſa conditio, §. 2. 3. ejus excellentia. §. 4. 5. Moſes illius ductor & doctor. §. 6. 7. Ordo rerum tractandarum. §. 7.

§. 1 Eccleſiam Patriarcharum excepit Eccleſia Iſraëlitarum, de cujus ſtatu & conditione agendum deinceps.

§. 2. Eccleſia hæc in Ægypto nata, in deſerto in ordinem redacta, in terra denique Canaan collocata, vidit magna & mirabilia Dei; ac in plenitudine temporis *Deum in carne manifeſtatum, Spiritu juſtificatum, angelis viſum, gentibus nunciatum, in mundo creditum, in gloriam aſſumtum* 1 Tim. 3: 16.

§. 3. Eccleſia hæc in Ægypto ſervivit; in deſerto fœdus, ſtatuta & legem accepit; in terra Canaan promiſſiones adepta eſt. In Ægypto Pharaoni fuit ſubjecta; in deſerto Moſis ductum eſt ſecuta; in Canaan ſub judicibus egit; dein ſub regibus; denique ſub legiſlatoribus; nunc læta victoriis, nunc attrita cladibus; nunc dulce libertatis, nunc grave captivitatis jugum ſentiens & bajulans.

§. 4. Hujus Eccleſiæ τὸ περιοσὸν *excellentiam* & prærogativas compendioſe divus enarravit Paulus, ita de Iſraëlitis inquiens: *Illorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legislatio, & cultus, & promiſsiones. Illorum ſunt Patres, & ex illis eſt Chriſtus, quantum ad carnem* Rom. 9: 4. 5.

§. 5. Imprimis ad gloriam & decus illius facit, quod in illa & ex illa orti ſunt tot *ſancti Dei homines, juſti, Reges & Prophetæ, ſuaves cantilenis Iſraël, in quibus Deus olim* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *locutus eſt* Hebr. 1: 1.

§. 6. Horum omnium ut primus, ita etiam ſummus & princeps exſtitit Moſes, *fidelis ille ſervus in tota domo Dei* Hebr. 3: 2. δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις Act. 7: 22. qui *de Domino Jeſu ſcripſit* Joh. 5: 46. & Iſraëli *multitudines legis Dei* deſcripſit Hoſ. 8: 12.

§. 7. Hic Moſes in Ægypto natus, ex aquis liberatus, in aula educatus, à Deo denique vocatus, ductor & doctor populi Iſraëlitici conſtitutus eſt. Illius igitur ſcripta & acta norma nobis erunt & regula dicendorum. Si enim quæ narravit qua hiſtoricus; quæ tradidit & prædixit qua Propheta & vates; quæ præcepit & impoſuit qua legislator & condemnationis διάκονος; quæ egit qua Dei internuncius & μεσίτης; ſi, inquam, illa ritè & ea, qua par eſt, diligentia ac ſedulitate legantur & examinentur, omnis ſtatus & conditio populi Iſraëlitici cognoſcetur pleniſſimè & planiſſimè.

§. 8. Ut autem κατὰ μέρη agamus, & nihil extra Moſen dicamus, oportet ut etiam atque etiam videamus & conſideremus ea, quæ cum Iſraële acta ſunt. 1. In Ægypto, ubi injuſtam

ſtam & inclementem paſſus eſt ſervitutem. 2. In deſerto, ubi incertis vagatus eſt ſedibus. 3. in Canaan, ubi divinas benedictiones in cumulum accepit; quam etiam fere methodum Stephanus obſervat in ultimis ſuis verbis Act. 7: 17 - 53.

Caput Secundum.

Jacobi introitus in Ægyptum. Joſephi exaltatio. §. 1. Poſt mortem Joſephi mutatur Iſraëlis ſtatus. §. 2. Comitia habentur. §. 3. *Servitus* Iſraëlis. §. 4. 5. cædes puerorum. §. 6. Obſtetricum virtus & probitas. §. 7. 8. 9. Pharaonis ſævitia. §. 10. Miſeria Iſraëlis. §. 11. 12. Dei ſapiens & ſingularis agendi modus. §. 13. 14. Nativitas Moſis; illius educatio & adoptatio. §. 15 – 18. Elogia Moſis. §. 19. 20. Moſes typus Chriſti. §. 21. Angeli apparitio in rubo, illiuſque apparitionis ſignificatio. §. 22 – 28. Sermo Angeli è rubo. §. 29. Moſis tergiverſatio. §. 30. 31. Nomen Dei אהיה אשר אהיה. §. 32. Formula verborum quibus Pharao compellandus erat. §. 33. Non vacui debent Iſraëlitæ exire ex Ægypto. §. 34. Moſis iterata hæſitatio. §. 35. obfirmatio cordis Pharaonis. §. 36. occurſus Aaronis. §. 37.

§. 1. JAcobum Patriarcham cum ſeptuaginta animabus veniſſe in Ægyptum, ubi Joſephus filius, à fratribus venditus, poſt duriſſimam ſortem ad ſummam magnitudinem evectus, ſummis rebus præerat, è ſacris notum eſt, id ita fieri debuit, divina providentia totum negocium moderante: *appropinquaverat* enim *tempus promiſſionis, quam juraverat Deus Abraamo* Act. 7: 17.

§. 2. Quamdiu vixit Joſeph tranquilla & pacata Iſraëlitis fuere omnia; at mortuo illo ingens facta eſt mutatio. Surrexit enim מֶלֶךְ חָדָשׁ *rex novus*, id eſt, rex alius. Ita Act. 7: 18. βασιλεὺς ἕτερος, & quod Marci 16: 17. de γλώσσαις καιναῖς *linguis novis*, id Act. 2: 4. dicitur ἑτέραις γλώσσαις *aliis linguis*. Hic Rex Joſephum *non novit*, hoc eſt, beneficiorum à Joſepho terræ Ægypti collatorum, & præclarè à Joſepho geſtorum nullam habuit rationem. Ita παλαιὰ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί; *antiqua dormit gratia, & homines ſunt immemores.* Sub illius autem imperio in immenſum crevit, auctuſque eſt Iſraël, *ut totam implerent terram* Exod. 1:7. ηὔξησεν ὁ λαὸς καὶ ἐπληθύνθη ἐν Αἰγύπτῳ Act. 7: 17. Inde novi motus & nova conſilia.

§. 3. Convocavit enim Rex populum & comitia habuit. *Ecce*, inquit, *populus filiorum Iſraël multus & numeroſus præ nobis: & erit, cum eveniet bellum adjungetur hoſtibus noſtris, & bellabit in nos, & aſcendet è terra.* Igitur נִתְחַכְּמָה לוֹ κατασοφισώμεθα αὐτόν *ſapienter & callide circumveniamus illum* Exod. 1. 10. Tria metuit Rex. 1. Ne cum hoſtibus Ægypti fœdus inirent Iſraëlitæ. 2. Ne bellum in Ægyptum moverent, multi & potentes facti. 3. Ne aſcenderent è terra; & ita terra nudaretur incolis. Videtur Pharao non ignoraſſe, *terram aliam* Iſraëli promiſſam fuiſſe; quam ne quærerent, & ne in illam moverent, maturo conſilio impedire voluit, benè gnarus, *In copia populi eſſe* הַדְרַת מֶלֶךְ *honorem, dignitatem, æſtimationem Regis* Prov. 14: 28. *Circumveniamus illum*, inquit, ſa- Comitia Indicta à Pharaone.

M 2 pienti

pienti artificio, ut nobis maneat inferior, nobiſque immixtus, & ſit unus populus unaque gens nobiſcum, iiſdem legibus, ſtatutis & religione vivens. Unitatem ſtatutorum legumque, imò & religionis firmiſſimum civitatis eſſe præſidium, omnium populorum gentiumque communis eſt ſententia.

In illis decreta ſervitus.

§. 4. In his comitiis decreta eſt Iſraëlis *ſervitus, amara & dura in luto & lateribus, & omni opere agri, qua amaram fecerunt* Ægyptii *vitam illorum:* ita cœptum impleri, quod prædixerat Deus Geneſ. 15: 13. Hac ſervitute ſperabant effectum iri, ut animus vire que Iſraëlitarum frangerentur & debilitarentur; & ne nimis augerentur.

§. 5. Craſſus certè error. Ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.

Otium reges prius & beatas perdidit urbes.

Major fuit Cyri prudentia. Is Lydos, poſtquam rebellaſſent, iterum victos, juſſit cauponas & ludicras artes, & lenocinia exercere : & ſic gens induſtria quondam potens & manu ſtrenua, effeminata mollicie luxuriaque, virtutem priſtinam perdidit: & quos ante Cyrum invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperavit. Imò & Romanos affirmat Tacitus, voluptatibus plus adverſus ſubjectos, quam armis valuiſſe.

Præceptum Pharaonis de interficiendis pueris.

§. 6. Igitur errorem ſuum expertus Pharao, aliam ingreſſus eſt viam. Jubet, ut *filii* Iſraëlitarum recens nati interficiantur, *filia* autem in vivis ſerventur: ne terra hominibus nudaretur, filias ſervari vult: illas viris Ægyptiis elocandas deſtinaverat; quorum ut congreſſus, ita & ordinem, leges ac religionem accepturæ facili negocio videbantur. Voluit autem potentiam & manum Iſraëlis frangi; imò & religionem exſtirpari, quam ob rem *filios* omnes neci dari edixit. ςύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες, per illos memoria propagatur nominis, & fides ac conſuetudo conſervatur paterna.

Obſtetricum pietas.

§. 7. Hæc juſſa dedit Pharao *obſtetricibus*; ſed cum ab illis illuderetur, *omni populo ſuo* Exod. 1: 22. Obſtetrices laudantur, quod *Deum timuerint*, adeoque timore Dei motæ ab ingenti hoc ſcelere abhorruerint. Timor Dei omnis boni & virtutis radix, fons & origo eſt, imò & illius *theſaurus* Eſ. 33: 6. Habet autem timor Dei & *pietas promiſſiones non futura* tantùm, ſed & *hujus vita* 1 Tim. 4: 8. Igitur & obſtetricibus *benefecit Deus*, imò *fecit illis* בָּתִּים *domus* Exod. 1: 21. hoc eſt, non tantùm ηὔξησεν ὁ θεὸς αὐταῖς τὸ γένος, ut Scholiaſtes, illaſque prole multa fæcundavit, ut plures domus & familiæ ex illis orirentur; ſed etiam, ut Theodoretus habet, ἀφθονίαν ἀγαθῶν αὐταῖς ἐδωρήσατο, *bona* & *facultates affatim largitus eſt*. Ita in Sacris *domus* pro *facultatibus*. Eſth. 8: 1. *Illo die dedit Ahaſverus Eſtera domum Hamanis*, & Luc. 20: 47. *qui comedunt* τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, id eſt, facultates & bona *viduarum*.

Reſponſum Pharaoni datum.

§. 8. Pharaoni illas roganti, cur tot *pueros* ſervaſſent, reſpondent, *Fœmina hebræorum vivida, robuſta*; *antequam veniat obſtetrix, pepererunt* Exod. 1: 19. Id verum potuit eſſe in quibuſdam, imò & fuit in multis, non tamen in omnibus: igitur obſtetrices veritatem quidem dicunt, non tamen omnem veritatem; aliquam occultè celant. Sique mendacio uſæ ſunt, pro ſe uſæ ſunt, ne noceret illis Pharao, quod equidem *non ad laudem, ſed ad veniam potuit pertinere*, ut Auguſtini verbis utar.

§. 9. Hæc obſtetricum miſericordia ſine dubio multos neci eripuit: unde ingens ille numerus, qui ex Ægypto exiit.

Pharao jubet infantes undis mergi.

§. 10. Sed Tyrannus Pharao pia fraude circumventus ſævitiam ſævitia cumulavit: cum antea obſtetricibus permiſiſſet, qua morte infantulos, etiam dulciſſima, vellent perire, nunc ſine diſcrimine omnes rapacibus mergi undis jubet. O dolenda & miſera Iſraëlitarum ſors!

§. 11. Ser-

Servitus magnum malum.

§. 11. Servitus poſtremum malorum omnium, morte ipſa repellendum. *Omni malo, omni exitio pejor ſervitus eſt: quem Jupiter odit, ſervum hunc primum facit*, qui Plauti luſus eſt in Aul. Hanc, non juſtam & clementem, ſed injuſtiſſimam & ſæviſſimam miſeri tulerunt.

Liberi parentibus chari.

§. 12. Liberi *φιλίας ἀρχαί, amoris principia, pignora chariſſima* pro quibus omnis bonus mortem oppetere auſit, ab uberibus matrum & patrum amplexibus ablati immani morte enecantur. Si Herode filios interficiente, *vox in Rama eſt audita, lamentum, fletus amaroris, Rachel flevit*, & omnem conſolationem *dolor vicit* Jerem. 31:15. quas non lacrymas in Ægypto effuſas, quos non gemitus ejectos fuiſſe putabimus?

Viæ Dei.

§. 13. Admirari autem ſubit Dei vias, toto cœlo diverſas à noſtris. De Iſaaco promiſerat, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*; & deinde illum immolari jubet; cui tamen etiam parci voluit. In Iſraële, Abrahami & Iſaaci ſemine, volens implere promiſſiones toties factas, *Multiplicabo ſemen tuum: ponam ut pulverem terræ:* omnes mares & filiolos magno numero in ipſis initiis vita privari permittit.

Potentia Dei.

§. 14. Voluit Deus oſtendere potentiam ſuam: quam etiam Satanas malitiam, quam tyranni exerceant crudelitatem, manet nihilominus firmum Dei propoſitum, nec ulla ratione impediri poteſt! Qui *ex non apparentibus ea quæ videntur produxit* Hebr. 11:3. qui *τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα vocat* & adducit Rom. 4:17. etiam Abrahami ſemen ad eum numerum & ad eam provexit potentiam, quam τῷ Ἀβραὰμ ἐπαγγειλάμενος ὤμοσε; deridens Satanæ inſultus, tyrannorum conſilia, mundi luſus & violentias.

Nativitas Moſis.

§. 15. Flagrante Tyranni crudelitate naſcitur puerulus quidam patre Amram, filio Kehat, nepote Levi, & matre Jocebed amita patris Exod. 2:1.2. 6:20. Hic puerulus *occultatus eſt τρίμηνον trimeſtre a parentibus ſuis, quia videbant ἀστεῖον τὸ παιδίον elegantem eſſe infantem* Hebr. 11:23. ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ Act. 2:20. Paulus id *πίστει fide* docet eſſe factum; eâ

Fides parentum Moſis.

nim. fide, qua credebant promiſſioni, *multum fore* Abrahami *ſemen, hæreditaturum id terram Canaan, in illo benedicendas gentes, quarta ætate id in Canaan rediturum.* Igitur hac fide infantem hunc, quarta ætate natum (fuit enim filius Amram, nepos Kehat, pronepos Levi, adeoque quartus à Jacobo) occultarunt, credentes horam viſitationis appropinquare, Deumque aliquando populi ſui & miſerorum infantum miſerturum. Hæc fides metum illis ademit: *& non timuerunt edictum Regis* Hebr. 11:23. quo ſine dubio magna in tranſgreſſores pœna ſtatuta fuit. Sed cùm non amplius pote eſſet ut infans occultaretur, divinæ providentiæ committere illum decreverunt. Adſcribitur autem *matri* occultatio pueri Exod. 2:2.3. patris autem nulla hac in parte fit mentio. Unde concludere licet, quanta in vaſe hoc infirmo fides fuerit, ut & de illo dici poſſit, quod Dominus mulieri Cananææ dicebat, *O mulier, magna tua fides eſt* Matth. 15:28. Magno autem ſtudio, & magna ſollicitudine fidelis hæc negocium hoc curavit. Cùm non poſſet occultare filium diutius, non committit illum temere profluenti, ſed *ciſtulam ſumit ſcirpeam* ſive *papyraceam* תֵּבַת גֹּמֶא, illam bitumine & pice optimè munit, pueroque in illam poſito, in alga, ad fluvii ripam deponit, ſororemque ſuam conſtituit vigilem è propinquo Exod. 2:3.4. Ita & hæc mulier παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν *præter ſpem in ſpe credidit* Rom. 4:18. Igitur quod Chriſtus Cananææ *Fiat tibi ut vis* Matth. 15:28. ita & huic evenit, quod voluit, quod credidit. ἐκτεθέντα *expoſitum* puerulum ἀνείλετο ἡ θυγάτηρ Φαραώ, *ipſa Tyranni filia ſuſcepit*, matrique alendum, propoſita mercede, reddidit Act. 7:21. Ita recepit mater filium, & quem gratis lubentiſſimè educaſſet, jam ſpe mercedis & præmii liberalius educare jubetur. Ita τοῖς ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν, πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν Rom. 8:28.

Moſes fit in filium filiæ Pharaonis.

§. 16. *Exſtitit* puſio hic filiæ Pharaonis *in filium* Exod. 2: 10. ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱόν Actor. 7: 21. nominavit illum משה *Moſe*, hebræo nomine, matre puer uli id ſine dubio ſuadente. Ethymon Moſis non opus eſt ut extra Moſen quæramus. *Moſes eductum ex aquis ſignificat.* Sed hoc ille nomen effluxo demùm trimeſtri, & quod excurrit, accepit: num ergo in nativitate, &, ut probabile eſt, cùm circumciſus eſt, nullum accepit? id tacente Scriptura, divinare non eſt poſſibile. Incerta ſunt ut incertiſſima quævis, quæ illa de re à Clemente Alexandrino in libris Stromatum, imò & aliis narrantur, quibus Moſes nunc *Monios*, nunc *Joachim* vel *Joacin*, nunc *Melchi, Oſarſeph*, *Hermes* ὑδογενής &c: audit. Neque enim res ſcitu minimè neceſſaria operoſam meretur inquiſitionem.

Sapientia Ægyptiorum.

§. 17. Hic Moſes magnis ſumptibus in aula regis educatus eſt, & *omni ſapientia Ægyptiorum imbutus* diligentiſſimè Actor. 7: 22. quæ tamen ſapientia non aliud meretur encomium, quàm quod eſt 1 Cor. 1: 21. *non cognovit mundus per ſapientiam Deum.* Omni memoria fuere Ægyptii celebres eruditione & diſciplina ſacerdotum, quos Moſes ſine dubio intelligit ſub nomine חכמים מכשפים חרטמי מצרים Exod. 7: 11. & alibi. Pythagoras, Plato, Solon, Homerus, aliique complures maximi viri eruditionis cauſa ad illos profecti, dogmata illorum in ſuam quiſque patriam retuliſſe dicuntur. Primi illi omnium immortalitatem animæ ſtatuerunt, ſed non ſine errore, quo ex corporibus aliis in alia animas migrare finxerunt. Primi etiam Ægyptii per figuras animalium ſenſus mentis expreſſerunt, non compoſitione literarum aut verbis per literas expreſſis, ſed animalium aut aliarum rerum imaginibus: quod ſcribendi genus *ſacrum* dictum fuit. Cæl. antiq. lect. libr. 16.

Miraculum Dei in Moſe.

§. 18. Obſervemus autem hic inſigne Dei miraculum:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

quibus à teneris aſſuevimus, quam difficile eſt illis deſueſcere! quæ præjudicia, cum pueri eſſemus, imbibimus, etiam viri facti pertinaciter ſæpè fovemus. Talis omnium eſt natura; at in Moſe per gratiam Dei correcta & emendata: quàmvis ſapientiam Ægyptiorum, & errores gentilium, atque adeò præconia ξένων δαιμονίων (Act. 17: 18.) accepiſſet, tamen patriam fidem, fidem in Deum Iſraëlis, à matre acceptam, per Spiritus autem æterni gratiam excitatam & confirmatam tenuit firmiſſimè.

Elogia Moſis.

§. 19. Hinc pulchra illa elogia Hebr. 11: 24. 25. 26. *Fide Moſes magnus factus negavit dici filius filiæ Pharaonis*, & verbis & operibus teſtatus eſt, ſe filiationem, qua filia Regis illum ſibi adoptaverat, nihili facere. Infinitè enim majus eſt *filium Dei* eſſe, quàm filium filiæ pagani Regis. Impoſſibile autem erat, ut Moſes eſſet utrumque; quare optimam elegit partem: *magis eligens* συγκακουχεῖσθαι *vexari cum populo Dei, quam temporariam habere peccati fruitionem.* Erant Ægyptii *populus*, ſed non *populus Dei.* Iſraëli facta eſt promiſſio, *Et ſumam vos mihi in populum* Exod. 6: 7. Solus Dei populus beatus eſt: omnis alius miſer; quanta etiam illius ſit felicitas, & potentia, illa nihil aliud eſt quàm πρόσκαιρος ἁμαρτίας ἀπόλαυσις. Voluit Moſes unus eſſe è Dei populo, & *vexari, affligi, exulare, & ignominiam canere partem ſuam*: recuſavit eſſe in numero populi mundani, qui hic gloriam habet, ut deinde opprobrium & infamiam hæreditet. *Majores divitias æſtimans Ægypti theſauris improperium* ſeu *convicium Chriſti*: *aſpiciebat enim in remunerationem.* Valeat Ægyptus, valeat mundus cum theſauris ſuis. Convicium Chriſti maximæ ſunt divitiæ. Pharao populum Dei tenens, & implementum promiſſionum Patribus factarum de danda ſemini illorum terra Canaan impedire geſtiens, imò pro-

tervè

tervè effutiens, *quis eſt Jehova, cujus voci obediam? non agnoſco Dominum: etiam Iſraëlem non dimittam* Exod. 5:2. probra dixit & convicia fecit Deo Iſraëlis, Angelo Domini, Angelo fœderis, qui ſolus Chriſtus eſt. Ita *Chriſtum, quem non noverat, blaſphemavit* Jud. ℣. 10. Huic autem convicio Chriſti communicabat fidelis Iſraël. Paſſiones enim Chriſti ſunt paſſiones ſanctorum propter arctiſſimam communionem, quæ inter illos eſt ut caput & membra. Maluit ergo Moſes eſſe in communione conviciorum Angeli fœderis, Chriſti, quàm in poſſeſſione theſaurorum Ægypti. Aſpiciebat enim in μισθαποδοσίαν, eam nempe, quæ Abrahamo propoſita erat Geneſ. 15:1. *ne timeas, merces tua magna valde*: quæ nulla alia eſt, quàm gratuita illa vitæ & ſalutis ſempiternæ.

§. 20. Hæc fuit *fides* Moſis, inſignis illius viri, quem Deus miſit ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν populi ſui Iſraël. Hac fide ἐδυναμώθη *corroboratus eſt* (Rom. 4:20.) & exiit, *cum impleretur illi* τεσσαρακονταετὴς χρόνος ex aula magnificentiæ ad ædes & domus miſeriæ, in quibus fratres ipſius ſudabant. Ibi ſtatim prima διακονίας, id eſt, miniſterii ſui edidit ſpecimina, *vindictam faciens* καταπονουμένῳ cuidam, πατάξας τὸν Αἰγύπτιον Act. 7:24. Fide id fecit, qua intelligebat & certus erat ſe vocatum, *Deumque per manum ipſius ſalutem dare fratribus* Iſraëlitis decreviſſe Act. 7:25. Nec tantum, ſed & τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ dimicantes inter ſe fratres conciliare voluit, at depulſus à fratre nequam, ut ſimul manus Tyranni, necem illi intentantis, effugeret, fugit in terram Midian, ibique diu παρῴκησε. Hic curam Dei circa ſe ſingularem expertus, habuit in primo ſtatim limine Raguelem ſuſceptorem, Jetronem ſocerum, Zipporam uxorem, Gerſomum filium Exod. 2:16.--22. donec venit hora, qua Deus, ſalutem procuraturus populo ſuo, in Ægyptum illum revocavit. Confer Act. 7:20.--29. Moſes exit ex aula: viſitat fratres: fugit ex Ægypto.

§. 21. Hic Moſes ex aquis, ceu præſentiſſima morte liberatus, regia liberalitate educatus, ignominiam præ ſplendore eligens, ob iram Regis in alienam effugiens terram, ex qua tandem mortuo Tyranno rediit, miniſterio functurus ad quod divinitus erat vocatus, clariſſimus Jeſu Chriſti Domini noſtri factus eſt typus, qui quamvis infinito Moſe excellentior, ex quo in ſimilitudine hominum cœpit eſſe, à gladio furioſi Herodis præſervatus eſt, & munificentia magorum adjutus, ac cum poſſet εἶναι ἴσα θεῷ, exinanitus eſt, imò & in Ægyptum fugit, ex qua poſt mortem demum Herodis revocatus cœpit abſolvere opus omnium excellentiſſimum, ad quod perficiendum venerat in mundum. Moſes typus Chriſti.

§. 22. Ut autem Joſepho, marito Mariæ, qui cum illa & filio Jeſu effugerat in Ægyptum præ metu Herodis, apparuit Angelus Domini in ſomnio, dicens: *Surge, aſſume puerum, & redi in terram Iſraël: mortui enim ſunt, qui quærunt animam pueri* Matth. 2:19 20. tale quid & in Moſe, qui præ metu Pharaonis fugerat in Midian, obſervare licet. Apparuit enim illi Angelus, & quidem Angelorum omnium Dominus, non ſomnianti, ut Joſepho, ſed cùm vigilaret & paſceret greges, eidemque dicit, *Redi in Ægyptum: nam mortui ſunt omnes, qui quæſiverunt animam tuam* Exod. 3:1.--4.--19. Ita Joſephus ex Ægypto exire juſſus; Moſes autem in Ægyptum redire: quem autem in finem? ut educeret populum Iſraël ex Ægypto, & ita omni ex parte impleretur, quod μετὰ πολὺν χρόνον dictum per Hoſeam, *Ex Ægypto vocavi filium meum* Hoſ. 11:1. Moſis reditus in Ægyptū:

§. 23. Is qui Moſi apparuit, vocatur *Angelus Domini* מַלְאַךְ à radice לאך quæ Hebræis inuſitata, Æthiopibus autem eſt *mittere*; ſed paucis interjectis יְהוָה *Dominus*, אֱלֹהִים *Deus* Exod. 3:2.-4.-6. Igitur non è numero illorum eſt, qui, Hebræis dicuntur מַלְאֲכֵי הַשָּׁרֵת, Paulo λειτουργικὰ πνεύματα *ſpiritus miniſtratorii* Hebr. 1:14. Sed Angelorum omnium Creator eſt & Dominus, *Princeps exercitus Dei* Joſ. 5:14. *Angelus faciei* Angelus Domini, qui Moſi apparuit, quis?

Dei

Dei Eſ. 63:9. *Angelus fœderis* Malach. 3:3. *in cujus medio nomen Dei* Exod. 23:21. cujus eſt רָצוֹן χάρις, εὐδοκία, *gratia, beneplacitum*: Deut. 33:16. *gratia habitantis rubum.* Hic Jacobo dicebatur, מַלְאָךְ הַגּוֹאֵל *Angelus redemptor* Geneſ. 48:16. *Siloh* Geneſ. 49:10. σωτήριον *ſalutare Dei* ibid. ŷ. 18. Cum illo Jacob luctatus, & ab illo benedictus eſt Gen. 32:24.–30. hic juſſit ut Iſaac immolaretur, dein ut illi parceretur Geneſ. 22:11. 12. Igitur Jeſus Chriſtus, Filius Dei, mulieris Semen, *Angelus* hic fuit: tulit enim Chriſtus ὀνειδισμὸν *opprobrium*, quo Pharao Deum Iſraëlis blaſphemavit Hebr. 11:26. quare & Chriſtus eſt, qui Moſen juſſit adire Pharaonem; & porrò ablata omni dubitatione certum eſt, *Jeſum Chriſtum Dominum*, æterni Patris ab æterno genitum Filium, Moſi apparuiſſe, Iſraëlem eduxiſſe, & non tantùm à Pharaone conviciis impetitum, ſed & ab Iſraëlitis ipſis poſtmodum ſæpius *tentatum* fuiſſe 1 Cor. 10:9.

Apparuit in flamma è rubo.

§. 24. Apparuit autem *in flamma ignis è medio* βάτου *rubi*: *ardebat rubus, ſed non comedebatur ab igne.* Id Moſes vocat הַמַּרְאֶה הַגָּדֹל *viſionem magnam* Exod. 3:2. 3. Ignis elementorum omnium voraciſſimum & rapaciſſimum, in rubo lucet ſed rubum non conſumit. Ita æquum *naturam naturæ Domino obedire*: quantus hic, cui flamma & ignis, imò & aqua ac venti obediverunt! ut hic rubum à flammis ſervat illæſum, ita & Danielis ſocios in medio fornacis ardentis conſervavit ſalvos & integros.

Significatio viſionis.

§. 25. Nec ſpirituali ſua ſignificatione caret viſio hæc magna. *Ignis & flamma* divinitatem, quæ tota lux eſt, hominem illuminans; imò & πῦρ καταναλίσκον *ignis conſumens* Hebr. 12:29. Angeli Domini indicavit. βάτος *rubus*, terræ fructus, ſentis genus, carnem illius, quæ & ipſa eſt פְּרִי הָאָרֶץ *fructus terræ* Eſ. 4:2. & in vilitate magna viſa eſt, præfiguravit. *Ignis in rubo* conjunctionem & inhabitationem Deitatis in carne ſignificavit. Ignis rubum *non conſumens* amiciſſimam conjunctionem divinæ & humanæ naturæ notavit. Divinitas ita carnem ſibi univit, ut ex duabus naturis una eſſet & maneret Perſona. Eadem Perſona, quæ *filius Dei* eſt κατὰ πνεῦμα, cœpit eſſe *filius hominis* κατὰ σάρκα Rom. 1:3. 4. Divinitas tota in ſe glorioſa, in humanitate gloriam, quam ab æterno habuit, ad tempus texit & occultavit Joh. 17:5. & qui omnibus angelis major βραχύ τι *infra angelos minoratus eſt* Hebr. 2:7. & qui poterat ſine ἁρπαγμῷ eſſe ἶσα θεῷ *ſua ſponte ſe ipſum exinanivit* Phil. 2:6. Ignis in rubo *lucens*, *gloriam ut unigeniti a Patre*, quam in ipſa vilitate & exinanitione *contemplati ſumus* adumbravit Joh. 1:14.

§. 26. Potuit etiam Moſen docere, Iſraëlem in Ægypto, fornace afflictionis & igne tribulationis uſtulari quidem, non tamen planè conſumptum iri; premi, non oppreſſum iri; lucem gratiæ ſolatiique illi in mediis lucere anguſtiis, plenius etiam in liberatione plenaria orituram. Sed hæc accommodatio longè infra verborum emphaſin eſt.

Moſes jubetur calceos exuere.

§. 27. Moſes accedere volens propius *calceos exuere* jubetur Exod. 3:5. In orientalibus terris calcei in ſignum reverentiæ deponuntur. Qui ad Dominum accedere volunt, exuere debent carnem & vetuſtum hominem cum concupiſcentiis ſuis, & converſationem priſtinam relinquere. *Locus*, in quo Moſes hæc videns *ſtabat*, vocatur *terra ſancta* Exod. 3:5. ubi *Sanctus, Sanctus, Sanctus* apparet, ſancta omnia ſunt, ſancta omnia eſſe debent: confer Joſ. 5:15.

Moſes plenus timoris.

§. 28. Moſes magnitudine rei perterritus *faciem ſuam abſcondit*: *nam timebat ut aſpiceret Deum* Exod. 3:6. Conſcientia infirmitatis, peccati & indignitatis facit, ut fideles ad aſpectum Dei timeant Eſ. 6:5. Dan. 10:7. 8. Apoc. 1:12. quare opus habent ut erigantur, illiſque dicatur quod dictum *Zachariæ* Luc. 1:13. *Mariæ* Luc. 1:30. *Paſtoribus* Luc. 2:10. *Johanni* Apoc. 1:22. μὴ φοβοῦ *ne time*: μὴ φοβεῖσθε *ne timete.*

§. 29. Sed

§. 29. Sed & notabilis eſt ſermo Angeli Domini, quem è rubo ad Moſen habuit: qui ut in carne manifeſtatus locutus eſt, & non tacuit, ita & è rubo, carnis aſſumendæ ſymbolo, vocem & loquelam emittere voluit. *Ego*, inquit, *ſum Deus Patris tui, Deus Abraam, Deus Iſaac, Deus Iaacob* Exod. 3:6. Magna & præclara certè vox plena honoris & gratiæ, promiſſionem continens fœderis, vitæ, immortalitatis, reſurrectionis, civitatis. Luc. 20:37. *quod mortui excitantur, etiam Moſes accepit è rubo, ubi dicit Dominum* τ̃ θεὸν Ἀβραὰμ, καὶ τ̃ θεὸν Ἰσαὰκ, καὶ τ̃ θεὸν Ἰακώβ. *Vidi miſeriam populi mei, audivi clamorem, novi dolores illorum* Exod. 3:7. *omnia ſunt nuda & detecta oculis illius* Hebr. 4:13. quæ in terra ſancti ferunt & patiuntur illorum rationem Deus habet in cœlo. *Deſcendi ut eripiam illum a manu Ægypti, & introducam in terram amplam & ſpacioſam, fluentem lac & mel*, id eſt, omni ubertate & ſuavitate abundantem Exod. 3:8. Quum Deus magni & præclari quid in terra vult efficere, dicitur *deſcendere:* confer Geneſ. 11:5.7. *Et nunc clamor filiorum Iſrael venit ad me* Exod. 3:9. non certe *ut clamor Sodomæ & Gomorrhæ* Gen. 18:20.21. quò peccatum & iniquitas ſine timore & ſine verecundia ſignificatur; ſed ut clamor illorum qui ſpem & refugium in Deo collocant, & à potenti manu illius opem & auxilium petunt. *Et nunc age mittam te, & educ populum meum* Exod. 3:10. καὶ νῦν δεῦρο, ἀποστελῶ σε εἰς Αἴγυπτον Act. 7:34. Ita Moſi miniſterium imponit, & Moſes qui antequam ex Ægypto fugeret, intelligebat, *Deum per manum ipſius ſalutem daturum* populo Act. 7:25. πληρωθέντων ἐτῶν τεσσαράκοντα *elapſis quadraginta annis*, ſecunda vice, expreſſiſſima Dei voce, ad opus Domini vocatur & invitatur: eſtque ita Moſes factus & ordinatus *ſervus Dei* οὐκ ἀπ᾽ ἀνθρώπων, οὐδὲ δι᾽ ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, *non ab hominibus, nec per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, Angelum Domini, Dominum*, quod & de ſe Paulus veriſſime enunciat Gal. 1:1. Cum hiſce confer Act. 7:30–35.

Moſis tergiverſatio.

§. 30. Vocanti Domino reſpondet Moſes: *Quis ego ut eam ad Pharaonem, & educam?* Exod. 3:11. Exul ſum, in odio Pharaonis, fratribus meis inviſus. Exemplum humanæ infirmitatis in Moſe habemus. Audet officium ſuum recuſare; non cogitat Dominum eſſe, qui *idoneos nos facit* 2 Cor. 3:5. Quanto major, ſanctior & perfectior is Moſe, qui opus omnium difficillimum perfecturus, & peccata totius mundi in crucem laturus, dicit, *Ecce veni, voluntatem tuam facere delector* Pſalm. 40:8.9.

Signum.

§. 31. Hæſitantem Moſen erigit Dominus. *Ero tecum. Et hoc tibi ſignum quod miſi te, cum eduxeris populum ex Ægypto coletis Dominum ad montem hunc* Exod. 3:12. Ita ſignum, rei adhuc futuræ, accipit Moſes in fidem legitimæ & certiſſimæ miſſionis. Sic & alibi res futura datur in ſignum rei præſentis, aut citius & longe ante eventuræ, quam res illa quæ in ſignum data eſt. vide Eſ. 7:5–15.

Nomen Dei. אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה

§. 32. Cedit tandem Moſes Deo, & rogat, quid rogantibus מַה שְּׁמוֹ *quodnam nomen ejus*; qui te miſit, reſpondere debeat Exod. 3:13. Hanc quæſtionem dignatur Deus ſignificanti reſponſo; dicens, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *hoc eſt nomen meum in ſeculum, & memoriale meum in omnem generationem* Exod. 3:14.15. Diverſimode hæc verba vertuntur. LXX. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *Ego ſum, qui eſt.* Sed ita verbum primæ mutatur in verbum tertiæ perſonæ. Alii, *ſum qui ſum*, addita ratione, *Eſſe in præſenti maximè competit Deo, cujus eſſe non novit præteritum, neque futurum*, ſed hæc verſio nullam futuri אֶהְיֶה habet rationem. Alii, *Ero, qui* vel *quod ero.* Atqui tunc hoc nomen non adeò amplum eſt: etiam de Angelo, etiam de homine id dici poteſt, *Erit, quod erit.* Dicamus ergo, quod ad rem propius facit. Verbum הָיָה, unde אֶהְיֶה ſignificat. 1. Ὑπάρχειν *eſſe.* 2. Γίνεσθαι *fieri.* Deinde conſtat, *Futurum* etiam pro *præſenti* venire. Ita ergo primum futurum tenentes,

nentes, ſecundum autem pro præſenti accipientes, vertemus, *Fiam quod ſum:* Græce γενήσομαι, ὅπερ εἰμί. Sicque hoc nomen docet 1. Deum non *mutari*, eſſe immutabilem: fit enim, quod eſt; non fit alius, ſemper manens, quod ab æterno eſt. 2. Deum *ſe ipſum non abnegare:* fit enim, quod eſt. Si ſe ipſum abnegaret, non fieret quod eſt, ſed fieret, quod non eſt. 3. Deum, qui ſolus ſapiens, potens, verax, bonus, juſtus, miſericors & dives eſt, *fieri quod eſt*, hoc eſt, re ipſa & opere demonſtrare, ſe ſapientem, potentem, veracem, bonum, juſtum, miſericordem, divitem eſſe; ſapientiam demonſtrando in gubernatione omnium rerum, imprimis in reconciliatione mundi; potentiam in conſervatione omnium creaturarum; veracitatem in impletione promiſſionum; juſtitiam in punitione transgreſſionum; miſericordiam in remiſſione lapſuum; bonitatem & divitias in effuſione benedictionum. Chriſtum dando, qui nobis *à Deo factus eſt ſapientia, juſtitia, ſanctitas, redemtio.* 1 Cor. 1: 30. *factus eſt Deus, qui eſt*, quod natura & in ſe eſt, opere ipſo & re ipſa, & actu exhibuit, & demonſtravit, non ad augmentum ſuæ beatitudinis, (Deus enim immutabilis ita beatus eſt, ut beatitudo ejus nec augeri ulla acceſſione, nec minui ullius rei deceſſione poſſit) ſed ad bonum & felicitatem humani generis. Ex his apparet, Nomen hoc Dei eſſe ampliſſimi ſenſus, & abundantiſſimæ doctrinæ, & ſolatii haut inefficacis. Deus T. O. M. *fit quod eſt*, hoc eſt, divitias gratiæ, bonitatis, ſapientiæ, miſeris nobis communicat: ita noſtrum fit gratia, quod Dei eſt natura; noſque è plenitudine illius accipimus, qui naturaliter omni bono caremus. Iſraëlitæ audientes, Deum fieri velle, quod eſt, non potuerunt non ſperare certiſſimum implementum maximarum promiſſionum, Patribus factarum, & in illa ſpe erecto animo eſſe. Eſt autem, ut & hoc addamus, in nomine אהיה אשר אהיה explicatio magni illius nominis יְהוָה, quod *Tetragrammaton* appellari ſolet: de quo inferius; & cum illo convenit, quod legitur Apoc. 1: 4. 16: 5. ὁ ἦν, καὶ ὁ ὤν, καὶ ὁ ἐσόμενος ſive ἐρχόμενος.

Formula alloquendi Pharaonem. §. 33. Docet etiam Moſen Deus, quibus verbis Pharaonem debeat convenire. *Deus Hebræorum obviam factus eſt nobis.* (Hebræus nomen ſtirpis & religionis eſt, qui ſunt ex Ebere, & fidem Eberi ſequuntur, Ebræi dicuntur) *Eamus age viam trium dierum in deſertum, & ſacrificemus Deo noſtro* Exod. 3: 18. In minimo inobedientiam Pharaonis experiri voluit Deus, & pertinaciam illius demonſtrare: ſi enim trium dierum iter negaret Pharao, quidni prolixius longiuſque recuſaturus eſſet.

Iſraëlitæ non debebant exire vacui ex Ægypto. §. 34. Tandem addit Deus præceptum de modo exitus populi ex Ægypto. *Cum exibitis, non exibitis vacui. Sed mutuo accipietis vaſa aurea & argentea, ac veſtes; & ſpoliabitis Ægyptios* Exod. 3: 21. 22. id eſt, relinquetis eos ablatis rebus privatos. Mandati hujus non poteſt injuſtum eſſe judicium. Juſtus enim ille id mandavit. Serviverant Iſraëlitæ Ægyptiis tam longo tempore, mercedem non acceperant. Deus ſupremus omnium rerum arbiter eſt, homines ſunt tantùm villici: poteſt Deus agere de ſuo, & dare de ſuo quod & cui vult. De mandato hoc Dei non fuit judicandum Iſraëlitis, ſed ei obtemperandum: ille enim novit, quàm juſtè mandaverit; ſervi autem eſt obedienter facere, quod mandavit, ut Auguſtinus non inconcinnè loquitur.

Moſes movet difficultates. §. 35. Debebat nunc Moſes, viſo Deo, audito illius nomine, & tradita formula alloquendi Pharaonem, ut heros alacer decurrere iter, & officium impoſitum cum gaudio ſuſcipere ac exſequi. Sed multis miſer angitur difficultatibus. Primò movet illum Iſraëlitarum incredulitas. *Et ſi non credant mihi, neque obediant voci meæ* Exod. 4: 1. Igitur ut omnis incredulitas repellatur, poteſtatem à Deo accipit edendi triplex ſignum Exod. 4: 2-10. Deinde terret illum organi debilitas, & aptitudinis defectus; *Non vir verborum ego ſum: nam*

gravis

gravis ore, & gravis lingua ego ſum Exod. 4: 10. RespondetDeus, *Quis poſuit os homini, aut quis ponit mutum, aut cæcum, aut ſurdum? annon ego Dominus?* Exod.4:11. Unde docemur, nil homini ſecundùm vitia corporalia accidere, quod Deus nolit; quin autem juſtè Deus id velit, nemo pius ambigit. Si autem mireris, cur Deus virum tot naturæ in ſe defectus ſentientem tanto operi deſtinàrit, reſpondeat Paulus, τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ, σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί. καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ θεοῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί 1 Cor. 1:25.26.27.28. Denique rogat Moſes, ut alium mittat Deus: *Quæſo Domine, mitte, age, per manum ejus*, quem *mittes* Exod. 4: 13. duplicem hæc verba ſenſum ferunt. 1. Mitte quemlibet alium; tantum me non mitte. 2. Mitte illum, quem te miſſurum ab initio promiſiſti, quemque adeo certiſſime mittes, Angelum nimirum tuum, Angelum fœderis, illius manus & vires operi huic ſufficient, cui ego omnibus modis impar ſum. Hæc tam obſtinata petitio Moſis ad iram Deum provocat. Iraſcitur Deus, non tamen, ut nos, per irrationabilem perturbationem; ſimul tamen declarat, Aharonem fore ſocium comitemque omnium laborum: *Ille erit tibi* לְפֶה *vice oris. Tu autem eris illi* לֵאלֹהִים *vice Dei* Exod.4:16. A te accipiet, quod loquetur, quod illum jubebis exſequetur, omnemque tibi reverentiam exhibebit: confer Exod.7:1. *Aharon frater tuus erit Propheta tuus.* Manet Moſi magiſterium; Aharoni miniſterium.

§. 36. Victa tandem pertinacia Moſis divina benignitate, totum ſe tradit obſequio Dei, & ad iter ſe comparat Exod.4:18.20. Et ne in itinere quidem caruit Dei alloquio. *Omnia ſigna*, inquit, *quæ poſui in manu tua, facies coram Pharaone. Ego autem obfirmabo cor Pharaonis ne mittat populum* Exod.4:21. confer Exod.7:3. 9:12. 10:20. Rom.9:18. confer Deut.2:30. *Induravit* Deus cor Tyranni, non tantum demonſtrando durum illud eſſe; nec tantum permittendo, ut durum eſſet; ſed etiam gratiam illi ſubtrahendo, per quam emolliri poſſet, & *in reprobum* id *tradendo ſenſum*, per quem ſe magis adhuc obfirmaret. Obduratio ſane malum eſt; at reſpectu Dei eſt malum pœnæ tantum; reſpectu autem hominis malum culpæ eſt. Tantum abſit, ut faciamus Deum peccati autorem & cauſam, quo crimine Eccleſias Reformatas gravare, & in odium totius mundi adducere multi, hunc uſque in diem, impio ac vano niſu conantur. Obfirmatio cordis Pharaonis.

§. 37. In itinere ocurrit Moſi Aaron; qui Moſen *oſculo*, in ſignum gaudii & lætæ congratulationis & debitæ reverentiæ, excipit. *Obviam factus eſt illi in monte Dei*, וַיִּשַּׁק לוֹ *& oſculatus eſt illum* Exod.4:27. Narrat Moſes Aharoni omnia verba Jehovæ, & omnia ſigna, quæ illi præceperat Deus Exod.4:27. Ita junctis conſiliis Seniores filiorum Iſraël congregant, & populo conſilium Dei exponunt Exod.4:29.30. Paulo poſt ipſum Pharaonem conveniunt, miſſionem populi petituri Exod.5:1.2.3. Sed de his proximum caput aget. Aharon occurrit Moſi.

CAPUT TERTIUM.

Pharaonis riſus ad mandatum Domini §.1. Nomen Dei אֵל שַׁדַּי יְהוָֹה §.2-12. Signa facta coram Pharaone §. 14. 15. Plagæ Ægypti §. 16-22. Explicatio notabilis loci Exod. 9: 16. §. 23-26. Doctrina deſumta à plagis Ægypti §. 30.

§. 1. MOſes & Aharon eum in modum alloquuntur Pharaonem, ut Deus juſſerat Exod. cap. 3: verſ. 18. 5:1. 3. Pharao autem ridet & ludit. *Quis eſt Dominus,*

Pharaonis blaſphemia.

minus, cui obediam? non novi Dominum Exod. cap. 5: verſ. 2. Cujus *gloriam enarrant cœli* Pſalm. 19: 1. *cujus inviſibilia in creaturis animadverſa conſpiciuntur* Rom. cap. 1: verſ. 20. qui *non procul eſt ab unoquoque* hominum, ut pote *in quo vivunt, moventur & ſunt* Actor. cap. 17: verſ. 28. illum ſe non noſſe Pharao non erubeſcit fateri. Turpis & execrabilis ignorantia: addit, *non mittam Iſraëlem* Exod. cap. 5: verſ. 2. ita jam ὀνειδίζε Chriſtum, Iſraëlis Deum Heb. 11: verſ. 26. Nec hic ſubſiſtit malitia: ira quaſi in Deum Iſraëlis concitatus, onera filiorum Iſraël aggravari jubet Exod. 5: verſ. 5-16. inde gemitus populi & ſuſpiria, ac murmuratio in Moſen & Aharonem Exod. 5: 21. Moſes redit ad Dominum & fundit preces Exod. 5: 22: 23. Reſpondet Deus אֲנִי יְהֹוָה *Ego Jehova* Exod. 6: 2.

Jehova nomen Dei.

§. 2. *Jehova* nomen Dei glorioſiſſimum eſt: id Soli ſibi arrogat, & per ſecula tenebit æternum. *Ego Iehova, hoc eſt nomen meum* Eſ. 42: 8. confer Hoſ. 12: 5. יְהֹוָה זִכְרוֹ *Iehova eſt memoriale ejus.*

Recte pronunciatur Jehova.

§. 3. Mittimus quæ de pronunciatione & lectione quatuor harum literarum יהוה, è quibus hoc Dei nomen compoſitum eſt, diſputari ſolent. Sunt qui illas legi volunt per *Adonai:* ſunt qui illas volunt exprimi per *Iave*, ſive *Iahave*, *Ieheve*, quod a Samaritanis olim factum putatur. Nos non reprehendendos putamus illos, qui pronunciant *Iehovah:* litera enim י *Iod* eſt formativa nominum propriorum, ut in יְהוּדָה יִשְׂרָאֵל יִצְחָק: *Vau* ו etiam commodiſſime notatur cum *Cholem:* Et litera ה *he* naturaliter ante ſe amat ָ *Cametz.* Cum ergo hic vocales omnes cum conſonantibus ita pulchre conveniant, cur non una cum illis pronunciabuntur & efferentur?

Nomen id gentibus innotuit.

§. 4. Vox *Iehova*, ut à nonnullis obſervatum, videtur gentilibus non fuiſſe ignota, tum Græcis, tum Latinis: nam Latinorum *Iupiter, Iovis* (qui Priſciano antiquus nominativus eſt) & Græcorum Ἰαὼ & Ἰαὺ ex Hebræo *Iehova* forſan depromta ſunt. Ἰαὼ invenitur apud Diodorum Siculum, qui coætaneus fuit Julii Cæſaris & Auguſti. Is de Judæis aſſerit, παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι, *apud Iudæos Moſen finxiſſe, Deum illum, qui I A O cognominatur, leges ipſi dediſſe.* Imo & apud Macrobium Saturnal. libr. 1. fertur Apollo λοξίας reſpondiſſe, φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ *Iao omnium Deorum conſul Deus eſt*, hoc eſt, ſummus, maximus omnium divorum.

Quomodo ſeptuaginta interpretes illud tranſtulerint.

§. 5. Septuaginta interpretes vocem יהוה tranſtulerunt ubique fere κύριον *Dominum*; quandoque tamen θεὸν *Deum.* Apoſtoli, ubi in Hebræo eſt יהוה etiam ſæpiſſimè habent κύριος. vide 2 Cor. 3: 17. Exod. 34: 34. nam & hoc in nomine *Iehova* continetur, ut ſit κύριος τῶν κυριευόντων *Dominus Dominorum* 1 Tim. 6: 15.

Zanchii obſervatio.

§. 6. Zanchius in libro de attributis divinis annotat, in voce יהוה omnem temporis modum exprimi. י notam eſſe futuri. *Vau* præſentis. הָ cum ָ præteriti; ut doceamur eum, qui nominatur, Iehova, *fuiſſe, eſſe & fore* ſemper, atque adeo dici de ipſo debere quod ſit ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος Apoc. 1: 4. χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας Hebr. 13: 8.

Quid nomen Jehova ſignificet?

§. 7. Dominus autem ipſe optimus nominis ſui interpres, monſtraturus Moſi *vias ſuas, & omne bonum ſuum* Exod. 33: 18. 19. ita id deſcribit, *Iehova, Iehova, Deus potens, miſericors & gratioſus, longanimis, multus gratia ac veritate, ſervans gratiam millibus, condonans pravitatem & defectionem & peccatum & impunitum non dimittit, viſitans pravitatem patrum in filios & in filios filiorum* Exod. 34: 6. 7. Unde liquet in nomine *Iehova* non eſſe tantum indicationem æternæ Dei eſſentiæ, ſed & gratiæ, potentiæ, veritatis,

miſe-

miſericordiæ, juſtitiæ. Ergo omne id, quod de Deo novimus per naturam; & de illo credimus per revelationem, omne id, inquam, in glorioſiſſimo hoc nomine continetur.

§. 8. Vox *Jehova* derivatur ab הָיָה ſive ab הֲוָה quod Chaldæis quam Hebræis uſitatius eſt, & ſignificat τὸ εἶναι ſive ὑπάρχειν *eſſe*, & γίγνεσθαι *fieri*, quod ſæpe notat ſe præſtare talem opere, ut in illa formula, הָיִיתִי לְךָ לֵאלֹהִים *fiam tibi in Deum*, hoc eſt, reipſa me exhibebo Deum tuum: & הֱיֵה לִי לְצוּר מָעוֹן γίνου μοι *fias mihi petra habitationis*, hoc eſt, exhibe, præſta te mihi petram. confer. Deut. 33:7. *Patronus ei fias* תִּהְיֶה Eſ. 12:2. Ergo *Iehova* notat 1. Eum, qui eſt, & ſemper eſt, ſine initio & fine, ſemper idem, omnia ſibi, & cui nihil deeſt. 2. Eum qui fit & ſe præſtat omnibus omnia, & ſe communicat creaturæ ut bonum illius; & exhibet ſanctis ſuis veritatem, gratiam, divitias ſuas, illiſque implet promiſſiones ſuas, & in illis demonſtrat virtutes ſuas. Ita dum fit, quod eſt, manet ſemper quod eſt, & vere eſt quod eſt, ἀΐδιος & ἀναλλοίωτος. Hoc Dei nomen omnibus creaturis, viſibilibus & inviſibilibus, incommunicabile eſt: qui enim *Iehova* eſt & vocatur, non creatura eſt, ſed *Ens entium*, omnium creaturarum Dominus, productor & conſervator.

§. 9. Nec tantum dicit Dominus, *Ego Iehova*, ſed addit, *Et viſus ſum Abrahamo, Iſaaco, Iacobo* בְּאֵל שַׁדָּי *in* nomine *Deus Potens, qui ſufficit.* (confer. Gen. 17:1. אֲנִי אֵל שַׁדַּי) *Sed quoad nomen meum Jehovah non cognoſcendum me prabui illis* Exod. 6: 2.

Apparitio Domini in אֵל שַׁדַּי

§. 10. *Viſus ſum*, inquit, *in El ſchaddai*, hoc eſt, talis ab illis ſum cognitus, cui nec potentia deeſt, nec ſufficientia ad dandum illis omnia, quæ ad vitam & pietatem faciunt; imo & ad implendum promiſſa, & ad perficiendum opus gratioſiſſimæ redemtionis. confer 2 Petr. 1: 3. ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης.

§. 11. *Et nomine meo Jehova non ſum cognitus illis*, non talis illis ſum cognitus, qui omnes gratiæ divitias in illos effuderim, omnem veritatem promiſſorum in illis impleverim, & opus redemtionis in illorum oculis confirmaverim. Nam magna hæc & eximia poſterioribus erant deſtinata temporibus; hinc Paulus de Patribus, μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες καὶ πεισθέντες Hebr. 11:13. Iſraëlitæ autem, nunc in terram Canaan deducendi, ubi fœdus erant accepturi, ubique omnia magna promiſſa καιροῖς ἰδίοις 1 Tim. 2: 6. erant implenda, (*omnes enim promiſſiones Dei in Chriſto* Jeſu, *manifeſtato in carne*, & *veniente* εἰς τὰ ἴδια *ad propria*, *facta ſunt Na & Amen* 2 Cor. 1: 20. Joh. 1: 11. 1 Tim. 3:16.) cœperunt cognoſcere paulatim melius & clarius El ſchaddai *in nomine ſuo Iehovah*; donec tandem factus eſt ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν Hebr. 1: 1. *ſapientia*, *juſtitia*, *ſanctitas*, *redemtio* 1 Corint. 1: 30. ubi pleniſſime eſt conſummatum, quod tot ſeculis erat exſpectatum; & *nomen Dei ingens ac magnum factum in tota terra* Pſalm. 8:2.

Dominus in nomine Jehova patribus non cognitus.

§. 12. Dum igitur dicit Dominus, *in nomine meo non ſum cognitus Patribus*, innuit, ſe nunc in nomine illo cognitum iri magis magiſque illorum filiis, ita ut illi videant & experiantur, quod Dominus ſit *Jehova*. Etiam ex hoc verbo maximam Iſraëlitæ haurire debebant conſolationem in mediis tribulationibus & duriſſima ſervitute, cogitantes, Dominum in nomine ſuo iri cognitum, redemtionem & libertatem illorum procuraturum, & in illos ac poſteros illorum maximas gratias collaturum, quales ipſe Deus adjungit, *Educam vos ex oneribus Ægypti, redimam vos brachio forti*, *ſumam vos mihi in populum*, & *ero vobis in Deum*, & *cognoſcetis*, *quod ego Iehova Deus veſter* Exod. 6: 4-8.

Iſraëlitarum anguſtia.

§. 13. Narravit Moſes omnia hæc divina eloquia Iſraëlitis, ſed illi *non auſcultarunt præ ſervitute dura, & præ anguſtia animi* מִקֹּצֶר רוּחַ. Scholiaſtes: ἀπὸ κολοβότητος πνεύματος. Ita illis difficile fuit δι' ὑπομονῆς τρέχειν τὸν προκείμενον ἀγῶνα Hebr. 12: 1. Et dici illis poterat, οὔπω μέχρις αἵματος ἀντικατέστητε, *nondum ad ſanguinem uſque reſtitiſtis* Hebr. 12: 4. Præter filiolos enim, aquis merſos nullibi legimus, ſanguinem Iſraëlitarum effuſum; aut illos in Ægypto tale quid paſſos, quale à Pilato paſſi ſunt Galilæi ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν Luc. 13: 1.

Signa & plagæ in Ægypto.

§. 14. Sed redeamus cum Moſe & Aharone ad Pharaonem. Coram illo fiunt ſigna, quibus nihil movetur Tyrannus; dein plagis percutitur Ægyptus, quarum vehementia victus tandem cedere cogitur Deo Iſraëlis, Domino exercituum, Regi Regum.

E virga fit ſerpens.

§. 15. Primum quod ſacræ literæ coram Pharaone factum narrant ſignum, tale erat: *Virga Aharonis projecta* incipit eſſe *coluber*, ſerpens, draco Exod. 7: 10. Vocantur *Sapientes* Ægypti, & *Magi, faciuntque idem*, ſive ludificatione venefica, ſive promptitudine celerrima, qua pro virga ſerpentem obtrudunt, ſive Deo per illos id faciente, *ad tentandum* per illos eo magis Pharaonem. confer Deut. 13: 1. 2. 3. Horum Magorum meminit Paulus 2 Tim. 3: 8. *quemadmodum Iannes & Iambres reſtiterunt Moſi.* Ita vulgo nuncupabantur tempore Apoſtoli: memoria nominis illorum omni tempore inter Iſraëlitas manſerat. *Reſtiterunt autem illi Moſi.* ἀντέστησαν Μωυσεῖ. Vehementer illi contradixerunt; cum ſignis & monitionibus illius riſerunt, & Tyranno autores fuerunt, ne mitteret populum: unde apparet fuiſſe illos ἀνθρώπους κατεφθαρμένους τὸν νοῦν. *Comedit* autem *virga Aaronis virgas* Magorum Exod. 7: 12. Potuit draco virgas abſorbere, non virga. Id vocatur res, quod erat principaliter, idque tenet nomen unde verſa eſt, non in quod verſa eſt, quia in id etiam reverſa eſt.

Magi Ægypti.

Aqua mutatur in ſanguinem.

§. 16. Prima plaga, quam Ægyptus ſenſit, eſt *mutatio aquarum* Nili *in ſanguinem*, inde duplex incommodum: quicquid eſt piſcium moritur: aquas præ fœtore nemo bibere poteſt. Ita oritur inopia piſcium & ſitis: ſicque aquæ illæ, quæ tot infantum ſanguinem abſorbuerant innoxium, jam illum quaſi eructant ad Ægypti totius nauſeam. Nihil hac plaga movetur Pharao, præſertim, quia Magos ſuos videbat idem facere Exod. 7: 17.-25.

Ranæ.

§. 17. Secunda plaga ſunt *Ranæ*, quæ *totam terram Ægypti texerunt, domos, atria, agros* occuparunt. Pharao impedire voluit, ne *verminarent filii Iſraël* Exod. 1: 7. ſed ne *terra & amnis verminarent ranis* impedire non potuit Pſal. 105: 30. Exod. 8: 68. Magi etiam produxerant ranas, ſed removere illas non potuerunt. Inde eſt, quod Rex magnitudine plagæ movetur, & interceſſionem Moſis & Aharonis petit. *Orate*, inquit, *Dominum, & removeat ranas, & mittam populum*: ita Tyrannus, qui antea ſuperbe dixerat, *quinam eſt Iehova? non novi Dominum* Exod. 5: 2. cogitur dicere, *Orate Dominum.* Reſpondet Moſes Regi הִתְפָּאֵר עָלַי *ſume tibi honorem apud me. Quando ſupplicabo pro te?* cumque Rex diceret לְמָחָר *in craſtinum* aſſentitur Moſes, addens, *ut cognoſcas, quod nemo eſt ut Dominus Deus noſter.* Dii tui, quos tellus tua colit, cum Magis ſuis hic erubeſcant. Orat Moſes: moriuntur ranæ: Pharao autem rurſum obfirmat cor ſuum. vide Exod. 8: 1.-10.

Pediculi.

§. 18. Tertia plaga ſunt כִּנִּם *pediculi*, animalculum δυσαφαίρετον: exſtiterunt illi è pulvere terræ: invaſerunt homines & pecudes. Hic Magorum nequitia deficit, & conatus illorum fruſtra eſt: dicunt Pharaoni, *Digitus Dei hic:* ita coguntur *mentiri Deo*; & ἡ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἐγένετο 2 Tim. 3: 9. confer Luc. 11: 20. *Si ἐν δακτύλῳ θεοῦ in digito Dei*

ejicio

ejicio dæmonia, cum Matth. 12: 28. ſi *ἐν πνεύματι θεοῦ in ſpiritu Dei ejicio dæmonia.* Digitus Dei & Spiritus Dei parallelè ponuntur. Sed nec hac plaga movetur Pharao: vid. Exod. 8: 16-20.

§. 19. Quarta plaga eſt הֶעָרֹב *inſecta omnis generis.* Joſephus: *θηρία παντοῖα καὶ πολύτροπα.* Aquila *παμμυῖαν omnimodam muſcam*, vel omne genus muſcarum dixit. Lxx *κυνόμυια muſca canina.* His inſectis *impleta ſunt omnes domus Ægypti & tota terra.* Canes Ægyptiis in divina fuiſſe dicuntur veneratione: muſcæ caninæ immittuntur in Ægyptios, ut ita ab illis læderentur, à quibus alias auxilium exſpectabant. Hactenus minutiſſimis uſus eſt Deus animalculis, ranis, pediculis, muſcis; quid non facturus ſi majoribus uteretur? Terra Goſchen, Iſraëlis habitaculum, à plaga hac immunis fuit: num & à tribus prioribus, non meminit Scriptura. *Et ponam*, inquit Deus, פְּדֻת *liberationem inter meum & tuum populum.* Videbatur nunc juſſioni divinæ Pharao conſentire velle flexibiliter, *Ite, ſacrificate Deo veſtro in deſerto: tantum ne nimis procul abeatis*; ſed ablata plaga rurſus reſiſtebat inflexibiliter: *& obfirmavit Pharao cor ſuum etiam vice hac.* Magi nunc tacent, nec quicquam amplius tentant, ſatis ſuperque convicti, ſe nihil poſſe Exod. 8: 29-32. Inſecta.

§. 20. Quinta plaga eſt דֶּבֶר כָּבֵד מְאֹד *peſtis gravis* valde, non inter homines; ſed pecudes: illa magnam fecit ſtragem animalium ratione carentium: ita & innoxiæ pecudes hominum ſæpe luunt ſcelera: quemadmodum & *ἡ κτίσις creatura τῇ ματαιότητι vanitati ſubjecta eſt οὐχ᾽ ἑκοῦσα non volens* Rom. 8: 20. Armenta Iſraëlitarum peſtis nulla tangit: quod ut certò ſciret Pharao, mittit, qui an ita ſe res haberet, ſciſcitarentur. Sed nec hac plaga movetur deſperatiſſimæ mentis homo Exod. 9: 1.-7. Peſtis.

§. 21. Sexta plaga *ulcus* aut inflammatio *efflorescens puſtulis in homine & pecude.* Magi malo hoc affecti non poterant ſubſiſtere coram Moſe: ita fugere coacti ſunt, qui ferociter Moſi in faciem reſtiterant. Pharao necdum cedere vult Deo Exod. 9: 9-12. Puſtulæ.

§. 22. Septima plaga *Tonitrua, grando, pluvia, ignis, percutiens homines & pecudes in agro, omnemque herbam agri, imò & arbores*; neque tamen *tangens terram Goſchen.* Hoc malo territus Pharao fateri cogitur, *Peccavi hac vice* (ac ſi nondum alias peccaſſet) *Jehova juſtus eſt, ego autem & populus meus mali ſumus* ſeu *improbi.* Miſſionem pollicetur dummodò grando ceſſet; ſed ceſſante illa adhuc una cum ſervis ſuis cor obdurat ſuum Exod. 9: 12-35. Tonitrua.

§. 23. Notabile eſt, quod antequam hæc plaga infligeretur, Deus cauſam allegat, quare non immittat peſtem in Pharaonem, qua quemadmodum pecus, quæ quinta plaga fuerat, ita & ille è terra exſcinderetur. *Enimvero*, inquit, *propterea* הֶעֱמַדְתִּיךָ *feci te ſtare* (hoc eſt vel, *ſuperſtitem eſſe*, ita Lxx. ἕνεκεν τούτου διετηρήθης, vel etiam, *feci te eſſe, & Regem eſſe*) *ut facerem videre in te potentiam meam, & ut narretur nomen meum in tota terra* Exod. 9: 16. Paulus ita Græce hunc verſum tranſtulit Rom. 9: 17. *εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.* Explicatio loci Exod. 9:16.

§. 24. Clara hæc eſt ſententia, quæ tamen multos torquet, & quam multi detorquent. 1. dicit Deus העמדתיך; id ſonat, *feci te ſtare, feci te eſſe, excitavi te*, ut Apoſtolus; imò & *conſervavi te, feci te hactenus eſſe ſuperſtitem.* Lxx. cùm vertunt διετηρήθης *conſervatus es*, mutant primam perſonam in ſecundam: deinde aliquam quidem, non tamen omnem Hebrææ vocis emphaſin exprimunt. 2. indicat Deus, *ad quid* illum excitaverit. בַּעֲבוּר זֹאת εἰς αὐτὸ τοῦτο, *propter hoc, ad hoc ipſum* 1. *ut facerem te videre vim meam* ſeu experiri. Paulus, *ut oſtendam in te potentiam meam.* 2. *& ut narretur nomen meum*

in

in tota terra. Paulus, *annuncietur.* Hæc de verbis, nunc de ſenſu. *Feci te eſſe* ſeu *ſtare*, hoc eſt creavi te, ex utero matris eduxi, virum te feci, ad ſolium regium evexi, plagas meas, ne te abſorberent cohibui, imò etiam, ut reſiſteres verbo meo, & angeres populum meum hactenus permiſi. (hæc omnia inſunt illi verbo.) Cur autem & quem in finem? 1. *Ut facerem te videre potentiam meam:* & in te ederetur vivum potentiæ meæ exemplum, tum illius, qua plagas horribiles in hoſtes meos poſſum mittere; tum illius, qua populum meum à ſorte mala poſſum liberare; tum illius, qua mentes obſtinatas & deperditas poſſum cogere, ut cedant mihi & obſequantur; tum illius, qua divina mea judicia exſequor, te indurando, in reprobum ſenſum dando, & omne tuum robur, quo tu te ſuperbè effers, dejiciendo, imò & corpus tuum in mari, ac animam tuam perdendo in gehenna. Matth. 10:28. *Timere* τὸ δυνάμενον *eum qui poteſt & animam & corpus* ἀπολέσαι *perdere* ἐν γεέννῃ. 2. *Ut nuncietur nomen meum*, quod non tantum eſt *gratioſus, miſericors*, ſed &, *viſitans peccata, non dimittens impunitum, ultor hoſtium, ignis conſumens, in tota terra*, non in Ægypto tantùm, ſed in toto mundo, egoque audiam *ſeverus, potens, judex.*

§. 25. Quia autem conſtat, Deum ea, quæ in tempore facit, ab æterno facere decreviſſe (nam quæ facit Deus facit *è conſilio voluntatis ſuæ* Eph. 1. 5. id conſilium autem æternum eſt) adeoque, quod in tempore excitavit Pharaonem, & tentavit, & ad tempus ſervavit, tandem autem perdidit, id ab æterno facere decreviſſe, certiſſimè inferimus, fuiſſe æternum in Deo conſilium de Pharaone in tempore excitando, tentando, indurando, perdendo: neque enim Deus id in tempore feciſſet, niſi facere id ante tempus decreviſſet; & quam maximè confirmamur in fide Catholica, quam tota Scriptura ſacra, & clariſſimè Paulus confirmat ad Romanos Capite nono, quod, quemadmodum ſunt σκεύη ἐλέους *vaſa miſericordiæ, dilecta, & ad gloriam ante præparata:* nempe πρὸ καταβολῆς κόσμου Epheſ. 1:4. in quibus γνωρίζει *cognoſcendas exhibet* Deus *divitias gloriæ ſuæ* Rom. 9: 23. ita etiam ſint σκεύη ὀργῆς *vaſa iræ, odio habita*, ut Eſau, *aptata* εἰς ἀπώλειαν *ad interitum*, πάλαι προγεγραμμένα *jam olim deſcripta ad hoc judicium* Judæ verſ. 4. quæ tamen Deus *ferens* ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ *in multa longanimitate notificat* τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, & tandem demonſtrat ὀργὴν *iram* Rom. 9: 22. Si jam quæris, quæ ſit cauſa, quod miſera hæc σκεύη *vaſa* damnantur, ſcito *peccatum*, quod omnes in Adamo peccarunt, & ipſi commiſerunt, damnationis cauſam eſſe: ita cauſa damnationis propinqua eſt. Si autem quæris, cur hæc potius prætereantur & indurentur vaſa, quàm alia, quæ ex ſe illis nil ſunt meliora, ex eadem maſſa damnationis, ſcito cauſam eſſe *divinam voluntatem, divinum beneplacitum*, dicente Paulo, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει, *quem vult, indurat* Rom. 9: 18. Hæc omnibus adverſariis dicta cupimus, qui de abſoluto reprobationis decreto, quo doceamus, maximam hominum partem, nulla habita peccati ratione, ob ſolum nudumque Dei beneplacitum, reprobatam eſſe & condemnari, frivolè & malitioſe multa garrientes, doctrinam Eccleſiæ reformatæ teterrima hac calumnia denigrare annituntur. Procul abeſt à nobis tanta impietas, qui cum Fulgentio dicimus, *ſi peccatum non fuiſſet, nullus unquam ad interitum prædeſtinatus fuiſſet.* Veneramur itaque ſanctiſſimi Dei *miſericordiam*, quæ non cupit peccatoris mortem; ſed & agnoſcimus ejus *juſtitiam*, quæ peccati exigit pœnam; & defendimus illius pleniſſimam libertatem & εὐδοκίαν, qua *quem vult, miſeratur*, gratiaque proſequitur, & rurſus *quem vult, indurat* Rom. 9: 18.

Locuſtæ. §. 26. Octava plaga אַרְבֶּה *locuſta*, quæ tanto numero accellit, tantamq; noxam toti Ægypto intulit, ut Pharao cogeretur divinam implorare opem, *Orate Dominum Deum veſtrum,*

ut

ut *removeat à me tantùm mortem hanc.* Notandum autem quod dicitur Exod. 10: 14. *Non fuit ſic locuſta ut illa, & poſt illam non erit ſic.* Certe ex *quo Ægyptus fuit in gentem* (Exod. 9: 24.) non fuit in Ægypto tanta locuſtarum copia, & forſan ratione vehementiæ hujus plagæ, in initio, ſive cum plaga primum in Ægypro inciperet, nullibi forſan locorum unquam gravior fuit. Alias ratione effecti, & ratione durationis gravior eſſe potuit, imo & fuit, aliis temporibus, aliiſque locis: confer Joël. 2: 2. *Populus multus & numeroſus* adeſt, *par ei non exſtitit a ſeculo, & poſt illum non addet ad annos generationis & generationis*, loquitur Joël de *erucis & locuſtis* Joël. 1: 4. Sed quid ad hæc Pharao? *Induravit Jehova cor Pharaonis, & non dimiſit Iſraëlem* Exod. 10: 1-20.

§. 27. Nona plaga, *Tenebræ per totam terram, integro triduo*, Iſraëlitis *lucem habentibus in manſionibus ſuis.* Sed Pharao ἐσκοτισμένος τῇ διανοίᾳ *cogitatione & mente obtenebratus* tenebras has exteriores parvipendet; imò Moſi mortem minatur, quo die faciem illius videret. Sed minis illis parum movetur Moſes: μὴ φοβηθεὶς τὸν θυμὸν τοῦ βασιλέως, docente Paulo Hebr. 11: 27. Exod. 10: 21-29. Tenebræ.

§. 28. Sequitur ultima & decima plaga *cædes primogenitorum*, τῶν πρωτοτόκων: quam cum Moſes Regi nunciaſſet, *exiit ab illo in æſtu iræ* Exod. 11: 8. Videtur Moſes iram ira repuliſſe; à Rege minas jactante iratus exiit: ſine dubio contentio fuit Moſi cum Rege, & ſevera inobedientiæ ac pertinaciæ reprehenſio. Hæc cædes fuit ita generalis, ut nulla eſſet domus, ſive parva, ſive magna, intellige in qua liberi & infantes erant, ubi non eſſet mortuus. Eadem hic ſors, idem fatum primogenito Pharaonis, ſceptri hæredi, & primogenito viliſſimi mancipii: inde ingens in Ægypto clamor, qualis nunquam fuerat, nec unquam futurus erat. Pertinacia tandem Pharaonis vincitur: nec tantum permittitur Iſraelitis, ut exeant cum omni ſua ſubſtantia, animata & inanimata, ſed & pelluntur, ac urgentur, ut cito eant & diſceſſum maturent. Ita Rex Ægypti cedere coactus fuit Regi cœli & terræ, Regi Regum, & Domino Dominorum; qui quod toties præfracte negaverat, poſt tot jacturas, poſt tantam Regni ſtragem, poſt tot juvenum, infantum & omnis generis animalium præmaturum interitum, poſt ludificationes & minas inanes, coactus concedere & permittere debuit; pœnas debitas inobedientiæ & duritiei luens ſolvenſque. Quique tot Iſraëlitarum maſculos crudelibus ſuffocarat in undis, nunc una nocte palatia Principum, domos civium, caſas mancipiorum, ſtabula denique pecudum magno cum mœrore & luctu primogenitis ſuis orba videt & ſentit Exod. 11: 4-10. 12: 29. 30. Cædes primogenitorum.

§. 29. Stragis hujus Autor & effector Deus fuit. *Sic dicit Dominus, media nocte exeo in medium Ægypti, & morietur omnis primogenitus* Exod. 11: 4. 5. *Ego tranſibo in medium Ægypti, & percutiam omnem primogenitum* Exod. 12. *& videbo ſanguinem & præteribo vos* Ibid. verſ. 13. confer. verſ. 27. *& præteribit Dominus januam.* confer verſ. 29. *Et Dominus percuſſit omnem primogenitum in terra Ægypti.* Videtur tamen Dominus hanc ſtragem edidiſſe per Angelum Exod. cap. 12: verſ. 23. & non permittet הַמַּשְׁחִית *interfectorem intrare in domos veſtras ad percutiendum.* Hic Angelus Paulo vocatur ὁ ὀλοθρεύων Hebr. cap. 11: verſ. 28. Ita etiam 2 Sam. 24. poſtquam verſ. 15. dictum erat, *Et dedit Dominus peſtem in Iſrael, & mortui ſunt multi in Iſrael*, dicitur verſ. 16. *Et miſit Angelus manum ſuam ad deſtruendum Ieruſalem.* Et dixit Dominus Angelo הַמַּשְׁחִית בָּעָם רַב *qui occiderat in populo multum. Remitte manum tuam.* En quod Dominus dicitur feciſſe, per manum Angeli fecit. Autor cædis.

§. 30. Hæ plagæ Ægypti vocantur in Sacris מַחֲלָה *morbus, miſeria.* Exod. 15: 26. *Omnem*

Plagarum in ſacris nomen. *morbum quem poſui in Ægypto.* Exhibent autem ſigna & prodigia divina in Ægypto edita, quibus pertinaciter Pharao reſtitit, & quibus non converſus fuit ad amandum Deum, ſed tantum coactus ad dimittendum Iſraëlem, corde ejus nil minus flagrante odio Dei & libidine nocendi populo Dei, documentum luculentum 1. Infinitæ Dei potentiæ, cui

Doctrina. nihil poteſt reſiſtere, cui Satan & omnes inferni portæ debent cedere. 2. Ingentis duritiei, quæ cordi hominis irregeniti ineſt, adeo ut durius ſit petra & adamante: non minis, non portentis & ſignis, non pœnis, non judiciis, non monitionibus & hortationibus, ſi ſolæ ſint, movetur aut convertitur ad amandum Deum, & ad obediendum voluntati ejus: poteſt judiciis cogi, ut aperte deſinat reſiſtere Deo: non poteſt illis ſolis moveri, ut amanter ſe ſubjiciat Deo. Quid non perpeſſus eſt Pharao, quid non tulit? nec tamen incepit amare Deum. Quæ non vidit Iſraël portenta & ſigna? quæ non accepit beneficia? quas non audivit hortationes, ſuaſiones & monelas? imo quas non plagas ſenſit? & tamen maxima pars populi dura manſit & immorigera, nec oculos ad videndum, nec aures ad audiendum, nec cor ad intelligendum habens, ipſo conquerente Deo, *utinam eſſet cor illorum ad amandum & timendum me!* Quæ non viderunt magna & mirabilia Phariſæi, Sadducæi, & omnis Judæa, Chriſto manifeſtato in carne? Audiverunt auribus ipſum æternæ veritatis Os, viderunt gloriam ejus, ut unigeniti. At *quis Principum credidit illi?* Igitur non ſatis eſt, nec ſufficit, quo convertatur peccator ad amandum Deum, & ſancte illi obediat, & viis illius delectetur, ut videat multa ſigna, audiat verbi præconia, accipiat externa beneficia, ſentiat plagas mundanas; oportet, ut *& brachium Domini ſuper illum reveletur* Eſ. 53:1. ut accedat Spiritus ſancti vis & efficacia irreſiſtibilis, ut cor creetur novum, ut charitas Dei in id cœlitus effundatur, & ut homo, qui ſemel eſt genitus naturaliter, ἄνωθεν gignatur aut regeneretur ſpiritualiter Joh. 3:3. Hac divina gratia operante præconium verbi non manet inutile, & judicia Dei movent cor intime, & homo convertitur ut non obediat per violentam coactionem, quod faciebat Pharao, ſed ut ſe Deo ſubjiciat per voluntariam oblationem, & volupe habeat implere, quod Deus vult.

CAPUT QUARTUM.

Conditio Eccleſiæ in Ægypto §. 1. 2. illius corruptio §. 3. Triplex mandatum Eccleſiæ datum in Ægypto §. 4. Agnus paſchalis §. 5-15. Feſtum azymorum §. 16-22. Conſecratio primogenitorum §. 23-30. Ἀνακεφαλαίωσις dictorum §. 31.

§. 1. POſtquam de ſervitute Ægyptiaca, & de plagis Ægypti, quantum ad ſcopum noſtrum ſatis eſt, monuimus, oportet ut inquiramus quæ fides, quæ religio, quis denique ſtatus, quæ conditio populi Iſraëlitici fuerit in ſpiritualibus, hoc eſt, quæ fuerit facies & conſtitutio Eccleſiæ in Ægypto.

Fides Iſraëlis. §. 2. Imprimis laudatur πίστις *fides* Iſraëlis; ita ut & de Iſraële dici poſſit, quod dicitur de Abrahamo, *Et credidit in Dominum, & reputavit id illi in juſtitiam* Geneſ. 15:6. De *fide* illorum ita Paulus, *Fide Moſes natus à parentibus occultatus eſt. Fide Moſes negavit dici filius Filiæ Pharaonis. Fide dereliquerunt Ægyptum, fide fecerunt Paſcha, fide ambularunt per mare rubrum, ut per aridam* Hebr. 11:23.24.27.28.29. Neque fuit fides

fides illorum *νεκρὰ mortua*, ſed viva & operoſa: fuit enim in illis *Timor Dei*: Ita obſtetrices *timeban Deum* Exod 1: 17. Fuit & in illis *ἐλπὶς ſpes*, qua anhelarunt implementum promiſſionum factarum Patribus Exod. 2:23. *ſuſpirarunt filii Iſraël, & clamarunt, & aſcendit clamor illorum ad Deum. Circumciſionem*, ut *ſignum fœderis*, non neglexerunt. Hinc Moſes cum reverteretur è Midianitide, periculum mortis ſubiit ob neglectam filii circumciſionem Exod. 4:24.25. A *ſacrificiis* videntur in Ægypto abſtinuiſſe: ab illis enim Ægyptii tota mente abhorrebant Exod. 8: 26. *abominatio Ægyptiis eſt, ut ſacrificemus Domino Deo noſtro, ecce ſacrificemus abominationem Ægyptiorum in oculis illorum, annon lapidarent nos?* Hinc toties Moſes ad Pharaonem: *Ibimus*, inquit, *in deſertum, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ne nos invadat peſtis aut gladius*: ob intermiſſa ſcilicet tam diu ſacrificia, divinitus inſtituta Exod. 5:3. Denique Promiſſiones illæ eximiæ, de *Semine mulieris*, quod *ſerpentis caput contrit*; de *Deo alliciente Japhet, qui Deus, habitaturus eſſet in tentoriis Sem*; de *Semine Abraami, in quo eſt benedictio*; de *Silo, qui venire* debebat, *cui populorum obedientia*; de *Salutari*, quod Jacobus Patriarcha *exſpectabat*: hæ inquam ἐπαγγελίαι illis haut exciderunt, ſed fidem illarum, & ſpem futurorum tenuerunt. Deus Abraam, Iſaac, Jacob, recordatus eſt fœderis ſui, & Eccleſiam ſuam in hoc conſervavit populo; & providentia divina circa illum vigilavit, ut & habitaret in terra Goſchen, ſecretus aliquo modo ab Ægyptiis, à quibus manebat diverſus populus; moribus, ſtatutis, & religione plurimum diſcrepans ab illis. Hinc & Pharao *Populum filiorum Iſraël* à *ſuo* videtur *populo* diſtinguere Exod. 1: 9.10. Quinimo Deus adfuit illis cum λόγῳ *ſuo* & *Spiritu ſuo. Ego vobiſcum ſum cum Verbo, Sermone; quem promiſi vobis, cum exiretis ex Ægypto; & Spiritus meus ſtat in medio veſtri* Hagg. 2: 5.

Timor Dei. Spes. Circumciſio. Sacrificia. Promiſſiones.

§. 3. Quemadmodum autem *Patres* Iſraëlis *habitantes trans fluvium* Euphratem, inter quos *Terach, Pater Abrahami & Pater Nachori, ſerviverunt Diis alienis* Jol. 24: 2. ita etiam de Iſraëlitis in Ægypto peregrinantibus dicitur Ezech. 20: 8. *non voluerunt auſcultare Deo, abominationes oculorum ſuorum non abjecerunt*, hoc eſt, falſas opiniones & vanos cultus, & *ſtercora Ægyptiorum non dereliquerunt*, hoc eſt, falſos Deos, & falſas de Deo, & juſtitia Dei ſententias aliquo modo ſecuti ſunt, & *ſe iis polluerunt*. Et ſane, ſiquidem φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί 1 Cor. 15: 33. perfacile fuit, ut in medio gentis idololatræ ſacra veri Dei abominantis, & ſummam in illa terra dominationem habentis, imo & forſitan Iſraëlem impedientis, ne in cultu & cognitione Dei vivi proficeret; plurimoſque Iſraëlitarum ſive minis, ſive pollicitationibus ad defectionem ſollicitantis, vera fides & doctrina de Deo & juſtitia ejus obſcuraretur, & multi à vera fide declinarent, & multi errores veritati commiſcerentur; & ita Iſraël partem habens terræ Ægypti, etiam partem acciperet errorum ac falſitatum, quæ in illa terra publice obtinebant. Quicquid autem ſit, manſit ſemper Iſraël populus ab Ægyptiis ſeparatus; populus invocans Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi. Spemque fovit perpetuam, ſe aliquando perventurum ad Promiſſionem à Deo Patribus factam.

Iſraëlitarum in Ægypto corruptio.

§. 4. Sub finem habitationis in Ægypto accepit Eccleſia Iſraëlis triplex à Deo mandatum. Primum eſt de mactando Agno Paſchali. Secundum de feſto Azymorum. Tertium de ſanctificatione primogenitorum, de quibus quædam monenda ſunt.

Triplex mandatum in Ægypto datum Eccleſiæ à Deo.

§. 5. Agni Paſchalis circumſtantias & ritus Scriptura ſacra exactiſſimè annotavit, ita ut ordine indicet 1. Quid Iſraëlitæ debuerint ſumere; שֶׂה לַבָּיִת *agnum vel hœdum pro unaquaque domo* & familia. Ita tamen, ut ſi nimis parva ſit familia, quam ut indigeat agno integro, eumque conſumere non poſſit, vicinus proximus aſſumatur, ubi juxta computationem animarum exactum computum ineant, ne quid deficiat, neque etiam redundet. Debuit autem

Ritus agni paſchalis.

eſſe *agnus* ſ. *hædus*, hic a. *integer*, ſine vitio. b. *maſculus*. c. *Filius anni*. annum unum habens Exod. 12: 3.4.5. 2. Quando illum debuerint ſumere: *die decimo menſis Abib* Exod. 13: 5. 12: 3. & debuerunt *ſervare*, quilibet in ſua domo, uſque *ad diem decimum quartum menſis illius* Exod. 12. 6. 3. Quid illi debuerint facere. *Et mactabit illum omnis cœtus Iſrael* בֵּין הָעַרְבָּיִם *inter duas veſperas* Exod. 12: 6. & ita mactare, ut *os non frangeretur in illo* Exod. 12: 46. 4. Quorſum impendere α. *ſanguinem*. *Accipietis faſciculum hyſſopi, & tingetis in ſanguine, & aſpergetis eum poſtibus & ſuperliminari* Exod. 12: 7. 22. β. *carnem*. *Comedent carnem: in illa nocte: aſſatam igne: cum azymis* & *ſuper amaris*. Imo omnem: *& non reliquum facietis ab illa uſque ad craſtinum*. *Id quod* autem *ſupereſt ab illo* agno, nimirum oſſa & omnia illa, quæ eſui non ſunt, *igne comburetis*. Hic duo vetat. 1. *Ne de carne aliquid portetur extra domum* ſed *omnis in una domo comedatur*. 2. *Ne caro* ſit *cruda, neque elixata in aqua* Exod. 12: 8.9.10.11.46. 5. Quid ſanguis poſtibus aſperſus profuerit. *Erit vobis in ſignum, & videbo ſanguinem, & pergam præter domos veſtras, & non erit in vobis plaga* Exo. 12: 13.23.27. 6. Quinam de agno debuerint comedere. *Omnis cœtus Iſrael parabunt illum* Exod. 12: 6.47. Patres, matres, *liberi*. confer ℣. 27. *Et erit cum dicent ad vos filii veſtri*. Etiam *ſervi emti argento*: etiam *peregrini*. Sed ut circumciſi ſint. nam *omnis præputiatus non comedet de illo* Exod. 12: 44.48. 7. Quo habitu, & quibus geſtibus. *cincti lumbos, calceati, cum ſcipionibus in manu, edentes* בְּחִפָּזוֹן Lxx. μετὰ ταραχῆς *in feſtinatione*, & quaſi in *trepida fuga* Exod. 12: 11. 8. Quod nomen hic agnus ab hoc ritu ſ. uſu acceperit. פסח הוא ליהוה *Peſach hic Domino eſt* Exod. 12: 11. *Et dicetis, Sacrificium Peſach hic Domino, qui* פָּסַח *gradum fecit præter domos Iſraelitarum, cum percuteret Ægyptum* Exod. 12: 27. 9. Quantæ durationis hic ritus eſſe debuerit. Et *obſervabitis rem hanc, in ſtatutum tibi & filiis tuis in ſeculum. Et erit cum venietis in terram, quam Dominus dabit vobis, & obſervabitis hunc cultum* Exod. 12: 24.25. Hinc eſus agni Paſchalis omni tempore inter Iſraëlitas obtinuit. In deſerto ſemel tantum comederunt ſeu fecerunt Paſcha, nempe *elapſis duobus annis ab exitu ex Ægypto* Num. 9: 1-14. At in terra Canaan ſtabili cultu ceremoniam illam obſervarunt. Ita jubente Moſe Deut. 16: 1. *Obſerva menſem Abib, & facies Peſach Domino Deo tuo*. Etiam præcipit Moſes, quo id in loco facere debeant, verſ. 5. 6. *non poteris ſacrificare* ſ. mactare *Paſcha in una portarum tuarum*, hoc eſt, urbium, *quas Dominus Deus dat tibi. Sed in loco, quem eliget Dominus, ad collocandum nomen ſuum, ibi mactabis Paſcha*, hoc eſt, in Hieroſolyma: illuc debuerunt venire, & in urbe ſancta Paſcha comedere. *Et coques*, hoc eſt, aſſabis, *& comedes in loco, quem Jehova Deus tuus eliget* verſ. 7. Qui hic intelligunt non Hieroſolymam, ſed præciſe *atrium templi* putantque in atrio templi Paſcha mactatum & comeſum fuiſſe, non videntur commode dicere poſſe, quod & *in atrio aſſarint*, aut oportet, ut domi aſſarint agnum, & dein in atrio illum comederint.

Ritus illi nonnihil mutati. §. 6. Quamvis autem חֻקַּת הַפָּסַח *ſtatutum paſchatis*, ejuſque תּוֹרָה *ratio & modus* ſemper manſerit idem, ut, quod comederunt illud cum azymis, mactarunt veſpere, ederunt nocte, tamen in circumſtantiis nonnullis parva quædam facta eſt mutatio, neque enim in terra Canaan comedentes Paſcha, ſanguinem poſtibus aſperſerunt, neque accincti aut ſtantes, ſed accumbentes Paſcha comederunt. Quod Chriſti Domini exemplo conſtare poteſt. Mat. 26: 20. *Preparaverunt Paſcha*, καὶ ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα *accubuit cum duodecim*. Luc. 22: 14. *Cum veniſſet hora*, ἀνέπεσε *procubuit, & duodecim Apoſtoli cum illo*. Chriſtus Dominus comedit Paſcha Hieroſolymæ quidem, at non in atrio templi, quod quidam moris fuiſſe inter Judæos putant, ſed ἐν καταλύματι *in diverſorio* Luc. 22: 11. Matth. 26: 18.

§. 7. Eſt

§. 7. Eſt autem ſine dubio in hoc Agno paſchali major & ſublimior, hoc eſt, *Spiritualis δήλωσις & ſignificatio.* Ut enim *Arca Noe*, ſecurum ab aquis ſuffocantibus omnem carnem refugium, *Chriſtum*, tutiſſimum à peccatis, morte & Satana receptaculum notavit; & *Circumciſio* Abrahamo injuncta, *eam, quæ non fit manu*, circumciſionem obſignavit; imo & *ſerpens*, in deſerto exaltatus, *Jeſum Dominum* ſerpentis inſtar, & quaſi ipſe viſibile peccatum eſſet, ſi ita loqui liceat, è cruce ſuſpenſum adumbravit: ita etiam *agnus* hic aliud quid ſignificavit, & rei cujusdam excellentioris figura fuit. Spiritualis agni ſignificatio.

§. 8. Sane caro agni hujus comeſa per ſe mentem non ſatiare, nec ſanguis illius poſtibus aſperſus Angelum interfectorem abigere, nec peccatum auferre potuit. Si enim omnis taurorum & hircorum ſanguis ad id non ſufficit, quomodo tenerrimi agni ſanguis ad id valuerit? Oportet ergo, ut omnem valorem & efficaciam acceperit ab illo ſanguine, qui loquitur meliora, utque illius typus & umbra fuerit. Per ſe caro agni cibus fuit, qui periit; ſanguis agni liquor, qui polluit. At quatenus typum geſſit illius carnis, quæ pro mundi vita data eſt, & illius ſanguinis, qui à peccatis purgat, factus eſt cibus permanens, & liquor ad ſpem redemptionis & ſalutis reficiens & redundans. Chriſtus agnus Dei.

§. 9. Chriſtus Dominus nomen Agni gerit. *Dignus eſt Agnus, qui pro nobis mactatus eſt*, &c. Apoc. 5: 12. *ut Agnus coram tonſore obmuteſcens non aperuit os* Eſ. 53: 7. *Ecce Agnus Dei* Joh. 1: 29. 36. confer 1 Pet. 1: 19. non tantum, quia in ſummis paſſionibus ſummam patientiam exhibuit; nec tantum, quia ob impacta noſtra errata, & injecta noſtra peccata, ut ovis errans mactatus eſt; ſed etiam quia ſub figura agni paſchalis populo veteri, & Eccleſiæ priori repræſentatus & præfiguratus eſt: id ni eſſet, quomodo ſtare poſſet Apoſtoli ſententia 1 Cor. 5: 7. *Etenim Paſcha noſtrum pro nobis mactatum eſt, Chriſtus.* Ecce *Chriſtum Paſcha.* Comparatio agni & Chriſti.

§. 10. Conferamus igitur Paſcha Ægypti cum Paſchate Regni cælorum: Agnum è grege cum Agno Dei: umbram cum corpore: figuram cum veritate: id quod dudum deſiit cum illo, qui in ſecula omnia manet.

§. 11. 1. Agnus animalculum eſt delicatum, mite, patiens, facile abertans. Agnus Dei omnibus deliciis ſuavior, *manſuetus & humilis* Matth. 11: 29. patientia invictus, erroribus & peccatis totius mundi olim oneratus. *Omnes nos ut oves aberravimus, & Dominus fecit incurrere in illum pravitatem omnium noſtrum* Eſ. 53: 6. 2. Agnus *integer, maſculus anniculus*, ex *ovibus* aut *hædis* ſumebatur. Agnus Dei *inculpatus & immaculatus* 1 Pet. 1: 19. *ſanctus, non inquinatus* Hebr. 7: 26. גֶּבֶר Jerem. 31: 22. יֶלֶד Eſ. 9: 5. ἄῤῥεν Apoc. 12: 5. maſculo robore præditus; exiguum in terris annorum numerum implens; annum unum aut alterum miniſterii vix abſolvens, è noſtro cœpit eſſe ordine, noſtræ carnis particeps, & non à juſtis tantum, ſed & à peccatoribus, quantum ad carnem, genus duxit, ipſe tamen ſine peccato. 3. Agnus in quartum uſque diem, qui erat decimus quartus Menſis Abib, *ſervabatur*: deinde *mactabatur*, idque *inter duas veſperas*: notatur id tempus, quod inter meridiem & veſperem intercedit; adeoque intra veſperem diei præcedentis, & veſperem imminentem diei fluentis includitur Deut. 16: 6. *Veſpere* כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ *quum Sol occidit*, hoc eſt, quum Sol à meridie vergit ad occaſum. Agnus Dei vix quartum, quem docendo in terris egit annum ingreſſus, *mactatur*, & è terra viventium exſcinditur; idque inter duas veſperas: circa nonam enim poſuit animam Matth. 27: 46. quæ noſtra tertia aut quarta pomeridiana eſt. 4. Sanguis agni aſpergebatur poſtibus, mediante faſciculo hyſſopi. Viliſſima arborum eſt hyſſopus, ut præcipua cedrus. Sanguine Chriſti, qui ut *hyſſopus*, id eſt,

 vile

vile germen, & contemptibilis terræ fructus habitus eſt, non tantum poſtes & januæ, ſed ipſa corda aſpergenda ſunt: confer 1 Petr. 1: 2. *εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ* Pſal. 51: 9. *Expiabis me hyſſopo & mundus ero.* Et ut poſtes externi aſpergebantur, ita non interna tantum in Chriſtum debet eſſe fides; ſed & externa Chriſti confeſſio. 5. Domus ſanguine notatas *ὁ ὀλοθρεύων interfector Angelus* non tangebat. Corda ſanguine Jeſu notata, malignus non tangit. 6. *Caro* Agni comedebatur nocte. *Qui edit Chriſti carnem, & bibit illius ſanguinem, vitam æternam habet* Joh. 6: 54. nullus alius cibus ſaturare poteſt animam in hac mundi *nocte*, ubi lux non eſt ſine tenebris, & gaudium non ſine mœrore, nec riſus ſine fletu. 7. Caro *igni aſſa, cum azymis & amaris* debebat comedi. Chriſtus, ut *πυρωτός*, quem ignis legis & Divinæ iræ uſtulavit; imò *charitas* omni igne fortior, & *Zelus domus Dei comedit*, conſiderandus; neque *ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας*, ſed *ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας* 1 Cor. 5: 8. accipiendus, imò & afflictiones Chriſti, quæ *πρὸς τὸ πικρὸν*, non dulces ſed acerbæ ſunt, tolerandæ. 8. Caro *cruda* aut *aquis elixata* non comedebatur. Chriſtus non eſt crudus, ſemicoctus aut imperfectus Servator. Eſt enim bene coctus, & per *paſſiones* diriſſimas *conſummatus*, & *factus ἱλασμὸς pro omnibus peccatis noſtris* 1 Joh. 2: 2. neque enim aquis leniter eſt elixatus, aut lenius habitus, ſed igne aſſatus, toſtus; maxima, quæ majora eſſe non poterant, paſſus. 9. Caput, genua, exta comedenda erant: nec aliquid ſervandum in matutinum. Totus Chriſtus eſt accipiendus: qui aliquid Chriſti faſtidit, totum Chriſtum rejicit: nec differendus eſt Chriſtus, ſed hodie totus, totus manducandus. 10. Lumbis cinctis, pedibus calceatis, in celeritate comedebatur Paſcha, & in fuga trepida. Qui Chriſti communionem quærit, illi *cincti ſint lumbi in veritate, calceati pedes promptitudine annunciationis pacis* Eph. 6: 14. 15. imò & tanquam fugiens, mundum & quæ in mundo ſunt, ſalutem ſuam cum timore & tremore operetur. 11. Agno non frangebatur os. Chriſti *οὐ κατέαξαν αὐτοῦ τὰ σκέλη* Joh. 19: 33-36. 12. Incircumciſi non comedebant. Cum incircumciſis corde nulla Chriſto communio. 13. Circumciſi omnes, etiam peregrini comedebant, etiam ſervi, auro empti. *In Chriſto Jeſu non eſt Iudæus, neque Græcus: non ſervus, neque liber: non mas, nec fœmina. Omnes enim unum eſtis in Chriſto Ieſu* Gal. 3: 21. 14. Si agnus totus nimis eſſet familiæ uni, advocabatur vicinus. Hæc eſt communio ſanctorum, & in abundantiis & in defectibus communicant inter ſe. 15. Agnus vocatur זֶבַח *ſacrificium.* Agnus Dei *dedit ſe ipſum pro nobis oblationem & victimam Deo, ad fragrantiam boni odoris* Eph. 5: 2. 16. Idem agnus mactatus, aſſatus, comeſus vocatur פֶּסַח *tranſitus*: ab effectu nimirum: quia ad aſpectum ſanguinis interfector præter domos pergebat Iſraëlitarum. Hujus tranſitus ſeu præteritionis זִכָּרוֹן *memoriale*, imò & אוֹת *ſignum* fuit Agnus: vide Exod. 12: 13. 14. Alias Agnus non eſt Peſach. Vides, ut ſacramenta ferant nomen illius rei, cujus ſacramenta ſunt. 17. Agnus in poſterioribus temporibus non debebat comedi extra civitatem ſanctam, Hieroſolymam. Eccleſia eſt ſancta Dei civitas & domus. In illa, non extra illam communio Chriſti eſt. 18. Agni eſus erat *ſtatutum Iſraëli in ſeculum* עַד עוֹלָם: Ita & *circumciſio* dicitur: quæ tamen in Chriſto deſiit Geneſ. 17: 13. Agnus autem Dei cibus eſt Eccleſiæ heri, hodie & in ſecula. Salus non fuit, non eſt, nec erit in ullo alio. Hinc & *ipſi* eſt *benedictio, & honos, & gloria, & robur in ſecula ſeculorum* Apoc. 5: 13.

Iſraëlitæ non ignorarunt myſterium Agni.

§. 12. Ita videmus in Agno Ægyptiaco luculentiſſimum Agni cœleſtis typum; quem qui non admittit, aut detorquet, non omnem tantum ſenſum, ſed omnem etiam pietatem & fidem exuiſſe putandus eſt. Rogas an Iſraëlitæ in typo & umbra reſpexerint ad veritatem, id eſt, Chriſtum, id quidem nulla ratione negare audemus, docente Paulo, *fide*

Moſen

Moſen *Paſcha feciſſe, & fuſionem ſanguinis* Hebr. 11:28. Si Moſes fide fecit, certè & illi, qui cum Moſe fuerunt, à Moſe docti & ducti, eadem fide Paſcha fecerunt. Qua autem *fide?* ea nimirum qua credebant, Paſcha verum pro illis mactandum, & ab illis comedendum eſſe. Moſes, quid Paſcha ſignificet, non reliquit deſcriptum, ut nec quid aliæ umbræ & typi. Eum tamen, quem ſignificat & adumbrat, diligentiſſime deſcripſit. *Moſes de me ſcripſit* Ioh. 5:46. Ex iis τοῖς νοῦσι *conſiderantibus*, & à Spiritu S. illuminatis haut fuit difficile agnoſcere, Chriſtum eſſe in Paſchate, illuc collimante & ducente verbo promiſſionis, omniumque figurarum & umbrarum exercitu.

§. 13. Quanto autem corpus umbrâ, & veritas excellentior figurâ, tanto Agnus Dei excellentior eſt agno legali. Chriſtus Agno excellentior.

§. 14. In agno legali videbatur eſſe ſalus, non autem erat. In Chriſto non umbratiliter, ſed certiſſime & veriſſime eſt. Non ſanguis agni in poſtibus cohibuit interfectorem, ſed ſanguis Chriſti fundendus, & Spiritu æterno jam oblatus: quem Angelus interfector noverat optime. Ergo quod agnus & agni ſanguis valuit, non valuit per ſe nec propter ſe, ſed per & propter Chriſtum. Agnus peccata Iſraëlitarum non poterat portare, qui quid lex, quid Deus, quid peccatum eſſet, non intelligebat: brutis enim carentibus ratione intelligere, non eſt datum. At Chriſtus *portat peccata* non Iſraëlis tantum ſed *mundi. Ecce agnus Dei* ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου Ioh. 1:29: Agni ſanguis, in ſe mutus, loquebatur non meliora illa, ſed erat in eo ἀνάμνησις ἁμαρτίας, *peccati* meliore ſanguine adhuc expiandi *commemoratio*: nec purgabat à peccatis. Sanguis Agni Dei pacem, redemptionem, remiſſionem affert, & καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας 1 Ioh. 1:7. Agni mactatio iterabatur; Chriſti unica oblatio ſufficit, & omnia perficit. Agnus agno ſuccedebat: non enim ſemel eſus, ſecunda vice comedi poterat. Jeſus Chriſtus, Agnus Dei, ſemper eſt idem, ſemper vivens, ut nos ſatiet, & ut pro nobis intercedat.

§. 15. Hinc non tantum dicitur *Agnus*, ſed cum emphaſi magna *Agnus Dei*, ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ: qualis θεῷ ἔπρεπε *Deum decuit*: *a Deo* προεγνωσμένος *præcognitus* 1 Pet. 1:20. à Deo *datus* Eſ. 9:5. à Deo *in mundum miſſus* Gal. 4:4. *à Deo nobis factus ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio* 1 Cor. 1:30. *à Deo exaltatus* Phil. 2:9. *honore & gloria coronatus* Hebr. 2:9. *glorificatus* Ioh. 17:5. Et ſanguis ejus in emphaſi *ſanguis* τίμιος *pretioſus* 1 Pet. 1:19. *Sanguis Teſtamenti* Zach. 9:11. Hebr. 10:29. *Sanguis aſperſionis* Hebr. 12:24. & victima ejus, *victima melior* Hebr. 9:24. *oblatio & victima* εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *ad odorem fragrantiæ* Eph. 5:2.

§. 16. Cum præcepto de mactione agni junxit Deus Præceptum de *feſto azymorum*; obſervando ab Iſraële in Terra Canaan. *Feſtum azymorum* proxime Paſcha excipit Levit. 23:℣. 6. ſed integros ſeptem dies durat: quod quia immediate cum Paſchate conjunctum eſt, unum idemque feſtum videri poteſt: neque enim Paſcha ſine azymis comedi debebat, neque feſtum azymorum, niſi eſu Paſchatis antecedente & concomitante celebrari poterat: & Deut. 16:3. ita habetur, *ſeptem diebus comedes ſuper illud*, Paſcha, *azyma*. Ergo immediate poſt eſum Paſchatis azyma integris ſeptem diebus comedi debebant. Durante autem hoc feſto exulare debebat *omne fermentum ex omni termino Iſraël*: idque ſub pœna exterminii, quam Deus aliquoties ſtatuit. Igitur *à veſpera diei decimi quarti uſque ad veſperam diei vigeſimi primi* menſis Abib azyma comedi debuerunt. Die primo hujus feſti erat מִקְרָא קֹדֶשׁ *præconium ſanctitatis*, hoc eſt, Præconis voce aut tuba ſignificabatur, diem illum ſanctum eſſe. Idem præconium fiebat etiam die ſeptimo. *Septimus* dies vocatur ſpecialiter *feſtum. Septem diebus comedentur azyma; die autem ſeptima* Feſtum azymorum.

eſt

eſt feſtum Domino Exod. 13: 6. imo & עֲצֶרֶת *abſtinentia, ceſſatio Domino*; *quo nullum opus debebat fieri* Deut. 16: 8. Id enim notat vox עֲצֶרֶת confer Levit. cap. 23: ℣. 7. עֲצֶרֶת הִיא כָּל־מְלֶאכֶת עֲבֹדָה לֹא תַעֲשׂוּ : *Abſtinentia* ceſſatio *eſt*, *omne genus operis non facietis.* Cùm omnes ſeptem dies feſtum facerent, tamen ſeptimus dies præ omnibus aliis *feſti* nomine venit; & *ceſſatio* ἐκεχειρία, ἀργία illi tribuitur, cùm tamen nec præcedentibus ſex diebus opus aliquod, præter neceſſarii cibi præparationem, fieri debebat Exod. 12: 16. Porro feſtum hoc jubet Deus *obſervari in omnes generationes Iſraëlis* חֻקַּת עוֹלָם *ſtatuto ſeculi* Exod. 12: 17. confer ℣. 14. מִיָּמִים יָמִימָה *quotannis* Exod. 13: 10. De hoc feſto lege Exod. 12: 15–20. 13: 5–10. Deut. 16: 3. 4–8. Levit. 23: 6–9.

Illius ſignificatio. §. 17. Habet autem & hoc ſtatutum ſignificationem amplam.

1. Panis azymus, ſive paſta azyma cibus miſer & tenuis eſt: ut enim ſal condimentum carnium, ita fermentum modicum condimentum eſt panum: hinc vocantur מַצּוֹת ἄζυμα, לֶחֶם עֹנִי *panis afflictionis, inopiæ* Deut. 16: 3. Igitur juſſit Deus Iſraëlitas comedere azyma ſtatis vicibus, ut ſæpe recordarentur, & nunquam obliviſcerentur *afflictionis illius*, quam in Ægypto tulerant: confer Exod cap. 3: verſ. 7. *Videndo vidi* אֶת־עֳנִי עַמִּי *paſsionem populi mei.*

2. Primogenitis Ægyptiorum occiſis Iſraëlitæ urgebantur, ut omnino feſtinarent, & celeriter ex Ægypto exirent; ita factum, ut *paſtam* ſeu *maſſam*, etiam antequam fermentaretur, auferre debuerint. Miranda ſanè res, quos Pharao tam diu detinuerat, quorum miſſionem nulla miracula, nullæ minæ, nullæ ſuaſiones impetrare potuerant, nunc non tantum exire jubet, ſed ita celeriter exire cogit, ut maſſas infermentatas ſecum abſtulerint, neque adeò tantum ſuperfuerit temporis, ut ſatis eæ fermentari potuerint. In μνημόσυνον igitur hujus miraculi jubet Deus comedi azyma. *Et indicabis filiis tuis illo die, dicendo: Propterea quod fecit Dominus mihi, cùm egrederer ex Ægypto.* &, *Nam manu forti eduxit te Deus ex Ægypto* Exod. 13: 8. 9.

3. Ζύμη *fermentum* ſymbolum eſt 1. *Doctrinæ falſæ*; quæ ut fermentum paſtam, mentem inficit & adulterat Matth. 16: 6. *Cavete vobis à fermento Phariſæorum*: confer ℣. 12. *tunc intelligebant, quod non dixiſſet cavere à fermento panis, ſed à doctrina Phariſæorum.* 2. *Vitæ impiæ & morum corruptorum*; Fermentum enim, niſi auferatur, omnem corrumpit maſſam. *An neſcitis, quod parum fermenti totam maſſam fermentat* 1 Cor. 5: 6. loquitur Paulus de impietate, qualis eſt πορνεία *ſcortatio* ℣. 1. illamque comparat cum *fermento.* Mali motes & ſcelera niſi emendentur & caſtigentur, totum hominem penitus & funditus corrumpunt. *Expurgate igitur* τὴν παλαιὰν ζύμην *fermentum vetus, ut ſitis nova maſſa. Feſtum agamus non in fermento malitiæ & nequitiæ* 1 Cor. 5: 7. 8. 3. Παλαιότητος *vetuſtatis.* Maſſa enim, quando incipit inveteraſcere, incipit etiam fermentare: hinc Paulus ζύμη παλαιὰ *fermentum vetus. Vetuſtas* autem illa, de qua Sacræ literæ non ſemel loquuntur, eſt non tantum illa, qua innata noſtra corruptio & natura peccaminoſa vocatur ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος *vetus noſter homo, crucifigendus* Rom. 6: 6. *deponendus* Epheſ. 4: 22. *exuendus* Col. 3: 9. cui opponitur ὁ καινὸς ἄνθρωπος *novus homo*, qui *induendus eſt*, & *ſecundum Deum conditus eſt* Eph. 4: 24. Col. 3: 10. ſed inprimis notatur & dicitur eſſe παλαιότης γράμματος *vetuſtas literæ* Rom. 7: 6. quæ dicitur ἀποκτείνειν *occidere* 2 Cor. 3: 6. Per γράμμα *literam* autem intelligitur, id quod olim fuit *inſculptum* ἐν λίθοις *in tabulis lapideis* 2 Cor. 3: 7. hoc eſt, νόμος *lex*; nimirum omnis illa quæ per Moſen data eſt, & τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη Galat. 3: 19. *à qua lege* νυνὶ *nunc* κατηργήθημεν *aboliti ſumus*, utpote *mortuâ in illo*, cui olim

olim ſancti detinebantur, ſive cui ſervabantur, & ad quem cogebantur, hoc eſt, Chriſto Rom. 7:6. Huic *vetuſtati literæ* oppoſita eſt ἡ καινότης *novitas*, qualis eſt καινότης πνεύματος *novitas ſpiritus* Rom. 7:6. ἀληθείας *veritatis* 1 Cor. 5: 8. ἐλευθερίας *libertatis* Gal. 5: 1. τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα *Vetera præterierunt, ecce facta ſunt nova omnia* 2 Cor. 5: 17. Gal. 6: 15.

§. 18. Cum igitur *fermentum* ſymbolum ſit rerum tam variarum & diſtinctarum, voluit Deus jubens Iſraëlitas ab illo certis vicibus abſtinere & azyma comedere, illos efficaciter docere 1. Ut in ſancta doctrina & fide firmiter perſiſterent, & à fermento doctrinæ falſæ diligenter caverent. 2. Ut ab omnibus ſcandalis & impietate, tanquam *fermento malitiæ & nequitiæ* ſedulo deſiſterent, & *ſinceritati* εἰλικρινείᾳ unicè operam darent. 3. Ut ſpem & exſpectationem cottidianam alerent, eamque ſtrenuè & jugiter foverent de *novitate*, non tantum *ſanctitatis*, quæ ab initio fidelibus donata eſt, ſed & *Spiritus*, & *veritatis*, & *libertatis*, & *lætitiæ*, quam in adventu promiſſi Mediatoris & Sponſoris, veri Paſchatis, plenius & abundantius Eccleſia Dei viviacceptura eſſet, qua liberanda erat ab omni *vetuſtate* legis & ſervitutis, quæ Iſraëlitis non diu poſt, in deſerto data & impoſita eſt, *cuique obnoxii fuerunt* διὰ παντὸς τοῦ ζῆν *per omnem vitam* Hebr. 2: 15. & à qua non ante ſunt liberati, quàm *emiſſo Dei Filio*, qui *natus è muliere, factus ſub legem*, à lege & jugo *illos*, qui *ſub lege erant*, *redemit* Gal. 4: 5. & omnia nova fecit, adeo ut ſi quis deinceps ſit in Chriſto, ſit καινὴ κτίσις *creatura nova* 2 Cor. 5: 17. nova Spiritus ſancti menſura, nova libertate, nova lætitia ditatus, & benedictus ac cumulatus, & impletus *omni benedictione ſpiritual in ſupercæleſtibus* Epheſ. 1: 3.

§. 19. Quod autem *ſeptem dies* aſſignantur feſto azymorum, nec id myſterio caret. Numerus ſeptenarius pluralitatem ſæpe indicat: *ſepties cadit juſtus*, id eſt, pluries. *E ſex anguſtiis eripiet, & in ſeptimate non tanget malum*, hoc eſt, in plurimis & ſæpe occurrentibus anguſtiis Deus ad auxilium tuum præſto erit. Ita ſimpliciter *ſeptem dies* azymorum docebunt, & ſæpè & ſemper veritati doctrinæ, & ſanctitati vitæ ac puritati morum ſtudendum & incumbendum eſſe. Sæpe etiam numerus *ſeptem* myſticè complectitur omne tempus, quod ſecundum Scripturas propheticas Deus T.O.M. Eccleſiæ Novi Teſtamenti in hac terra conceſſit, quod tempus in ſeptem periodos diſtributum eſt: quæ periodi in Apocalypſi cum *ſeptem tubis* comparantur Apoc. 8: 2. Unde Eccleſia ſub *ſeptem candelabrorum* ænigmate repræſentatur Apoc. 1: 20. Et fides Eccleſiæ hujus univerſalis, quæ ſemper una erit & vera in Chriſtum Dominum, in figura *ſeptem oculorum* depingitur Zach. 3: 9. *Super lapidem unum ſeptem oculi*. Ita *ſeptem dies* azymorum docebunt, Eccleſiam Novi Teſtamenti in omnibus ſeptem periodis ſuis, ad finem uſque ſeculi feſtum acturam Deo in azymis *veritatis, juſtitiæ, libertatis, ſanctitatis, gaudii* 1 Cor. 5: 8. donec Deus manifeſtetur è cœlo, ut ſit ille omnia in omnibus. Septem dies Feſti.

§. 20. Porro & id pulchrè ſignificat, quod *primo die* feſti azymorum *præconium ſanctitatis* fiebat. Ita poſt mortem Chriſti ejuſque aſcenſionem in cælum ſub prima tuba ſeu ſub prima periodo prædicatum eſt Euangelium libertatis ad omittendum opera legalis jugi, quod Patres Iſraëlitæ vix portare potuerunt Actor. 15: 10. imo & opera gentium, quæ mala fuerunt & impia & maximè abominabilia, ut liquet Rom. cap. 1: verſ. 21-32. Talium Euangeliſtarum ſub prima tuba fuit *caterva magna* Pſalm. 68: 12. Tale *præconium ſanctitatis* videor mihi audire in excellentiſſimo dicto Pauli Actor. 13: 38. 39. *Notum eſto vobis, Viri fratres, quod per hunc vobis annunciatur remiſſio peccatorum, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari*: & Petri 1 ep. c. 4: Præconium ſanctitatis in primo & ſeptimo die feſti azymorum.

 2. 3. *Ne*

2. 3. *Ne amplius hominum concupiſcentiis, ſed vivite è voluntate Dei reliquum in carne tempus.* Ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν *ſatis enim eſſe nobis debet præteritum vitæ tempus* τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι *voluntatem gentium operari*, &c.

§. 21. Pariter quod *ſeptimo die* adeoque ultimo feſti idem fiebat præconium, notavit, quod ſub ultima tuba, hoc eſt, ſeptima periodo *prædicabitur Euangelium regni in toto orbe* Matth. 24: 14. ut homines abjectis operibus malis Deo ſervatori vivant & ſerviant. Sub hac tuba *implebitur myſterium Dei, quemadmodum nunciavit ſervis ſuis prophetis* Apoc. 10: verſ. 7.

Septimus dies vocatur Feſtum Domini.

§. 22. Quod autem *ſeptimus dies* ſpeciatim dicitur *Feſtum Domini*, eo notatur, quod quamvis omni tempore vita fidelium feſtum & requies à peccato & corruptione eſſe debeat, ultimo illo tempore imprimis fideles debeant ἑορτάζειν *feſtum agere* in omni ſanctitate & *converſationibus piis, exſpectantes & feſtinantes adventum diei Domini*, & ſtudio omni incumbere, *ut inveniantur* ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῷ ἐν εἰρήνῃ 2 Pet. 3: 11. 12. 14.

Conſecratio primogenitorum.

§. 23. Ultimum quod circa hoc tempus mandatum dedit Iſraëli Deus, eſt, ut poſtquam veniſſent in terram Canaan *tranſire facerent omne aperiens vulvam Domino*, hoc eſt, Domino traderent & conſecrarent omnes primogenitos, *maſculos*, tam ex hominibus quam ex pecude. Primogeniti beſtiæ mactabantur: *idcirco ego* זֹבֵחַ *ſacrifico* ſ. *macto Domino omnem apertionem vulvæ, maſculos* Exod. cap. 13: verſ. 15. ſanguis illorum ſuper altare ſpargebatur, & adeps illorum adolebatur Num. 18: verſ. 17. Primogeniti autem *aſinorum*, ſub & cum quibus intelligendæ ſunt omnes *pecudes impuræ* Num. 18: 15. ad ſacrificia inidoneæ, aut *redimebaætur per agnum*, hoc eſt, illorum loco & pro illis ſubſtituebatur & mactabatur agnus; aut etiam *cervix illis frangebatur:* וַעֲרַפְתּוֹ *decervicabis eum* Exod. 13: 13. Primogeniti autem filiorum redimebantur: *& omnem primogenitum filiorum meorum redimo*, libero precio Exod. 13: 15. *quinque ſiclis argenteis in ſiclo* ſ. pondere *ſanctuarii* Num. 18: 16. Illi autem primogeniti redemti ſancti manebant Deo ad faciendum cultum ſacrum, & ad expiandum ſuper filios Iſraël: & probabile eſt illos כֹּהֲנִים *ſacerdotes* Exod. 19: 22. & illos *juvenes filiorum Iſraël*, quos Moſes *miſit*, & qui *ſacrificarunt* Exod. 24: 5. primogenitos Deo traductos ſeu ſanctificatos fuiſſe. Sed poſtea in deſerto accepit Deus pro primogenitis Levitas, & illos dedit Aharoni, ut *opus ſanctuarii faciant, ne ſit plaga ſuper Iſraëlitis, quum acceſſerint ad ſanctum* Num. 8: 14. 16. 17. 18. 19. confer Exod 13: 11-16.

Illius ſignificatio.

§. 24. Eſt autem & hujus ſtatuti emphaſis magna, quæ & in genere & in ſpecie obſervari poteſt.

In genere.

§. 25. In genere renovare debebat conſecratio & mactatio omnium primogenitorum tam ex hominibus quam pecudibus memoriam duplicis beneficii. 1. Illius, quod Deus Iſraëlem liberavit è domo ſervitutis, occidendo & mactando omnes Ægypti primogenitos Exod. 13: 15. 2. Illius, quod Deus primogenita Ægypti cædens ſervarit omnia primogenita Iſraelis, ita ut illorum perierit nemo.

In ſpecie.

§. 26. In ſpecie autem exhibuit conſecratio & ſanctificatio filioruni primogenitorum longè plura & majora & ſpiritualiora.

1. Primogenitos ſeparari ſibi Deus vult, ut ſint ſacerdotes, & accedant ad Deum cum gratis muneribus. Sacerdotium igitur eſt primogenitorum; & primogeniti jure primogenituræ ſunt ſacerdotes. Is, cui *juravit Deus, Tu es ſacerdos in ſeculum* Pſalm. 110: 4. eſt vere *Primogenitus*, nec tantum ſed & Unigenitus. Ante illum, eſt enim *Primogenitus*, nec poſt illum, eſt enim *unigenitus*, non eſt *Filius*, nempe ita ut ille eſt, Filius ἐν δυνάμει

in potentia Rom. 1:4. aut, *cui dictum ſit, Tu es Filius meus, Ego hodie te genui* Pſal. 2:7. Hebr. 1:5. confer Coloſ. 1:15. Joh. 1:18. Pſ. 89:28. *Faciam eum Primogenitum*, hoc eſt, compellabo, demonſtrabo illum eſſe Primogenitum: ita hoc dictum optime de Chriſto intelligitur. confer. Hebr. 1:6. Rom. 8:29. Apoc. 1:5. Hic igitur Primogenitus *Sacerdos* noſter eſt, qui ἡμῖν ἔπρεπε *nos decuit* Hebr. 7:26. à Deo *vocatus*, & hac *gloria* dignus judicatus. *Chriſtus* enim *non ſibi ipſi ſumſit honorem, ut eſſet ſacerdos, ſed is qui ad ipſum locutus eſt, Filius meus es tu* Hebr. 5:4.5. confer Jerem. 30:21. *Et faciam illum accedere*, nempe *Magnificum* illum & *Dominatorem*, id eſt, Chriſtum, Dominum. (Sacerdotum autem eſt *accedere ad Deum*. vide Num. 16:5. *Mane notificabit Dominus eum, qui ſuus eſt, & ſanctum, & quem juſſerit accedere ad ſe.* ita loquitur Moſes ad Korachum, *ſacerdotium quærentem* Num. 16:10.) *& accedet ad me.* (vid. Exod. 19:22.) *Nam quis eſt, qui in fidem recipiat cor ſuum ad accedendum ad me?* Ita ſanctificatio ſeu traductio primogenitorum teſtatur & loquitur, Sacerdotem noſtrum, æternum & fidelem, eſſe πρωτότοκον πάσης κτίσεως *primogenitum omnis creaturæ* Col. 1:15. Et præter illum neminem eſſe aut poſſe eſſe ſacerdotem noſtrum.

2. In primogenitis traductis Domino & ſanctificatis reliqui filii & tota ſanctificabatur familia, ut & populus Dei vocarentur, & in beneficiis ac donis divinis partem haberent. *Si enim primitiæ ſanctæ, etiam maſſa, ſi radix ſancta, etiam rami* Rom. 11:16. Si primogeniti ſancti, etiam reliqui filii. In Chriſto primogenito ſanctificatur πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς ἐ ἐπὶ γῆς *omnis familia in cœlis & in terra*, ut & *ex ipſo* ὀνομάζεται *nominatur* Epheſ. 3:15. Factus enim eſt nobis ἁγιασμός *ſanctificatio* 1 Cor. 1:30. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Ieſu, & in Spiritu Dei* 1 Cor. 6:11. *lavit nos ſanguine ſuo à peccatis & fecit nos Reges & ſacerdotes* Apoc. 1:5.6. Ita Primogenitus noſter, Sacerdos & Rex factus, etiam nos Reges & ſacerdotes fecit. confer Rom. 8:29. *ut ſit Primogenitus in multis fratribus.* In illo Primogenito ad ſanctiſſimam fraternitatem evecti ſumus: imo & ad filiationem: *qui* enim *acceperunt eum, dedit illis poteſtatem, gerere ſe ut filios Dei* Joh. 1:12.

3. Ut primogeniti prærogativam habebant præ reliquis filiis; erant enim *Sancti Domino*, ἅγιον τῷ κυρίῳ κληθήσεται Luc. 2:23. ita Iſraël, cujus primogeniti Domino ſanctificabantur, prærogativam habet præ omnibus nationibus & familiis terræ. Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου *quæ igitur eſt prærogativa Iudæi?* Rom. 3:1. confer. Rom. 9:4.5. & Amos 3:2. *Tantum vos cognovi. Illum elegit Deus* primum omnium, *ut eſſet ipſi populus ex omnibus populis* Deut. 7:6. Hinc totus Iſrael *Primogenitus Dei* nominatur: *Filius meus, primogenitus meus Iſraël eſt: mitte filium meum* Exod. 4:22.23. *Ephraim eſt primogenitus meus* Jerem. 31:9. Igitur ſanctificando Primogenitos, docere Deus vult totum Iſraelem Dei Primogenitum eſſe, reſpectu omnium aliarum gentium, quas tunc *ſinebat ambulare in viis propriis* Act. 24:14.

4. Primogeniti à Deo poſtulati erant quaſi portio Dei. Certam portionem & quaſi ſuam habere in populo Iſraëlitico voluit. Docemur, Deum habere λαὸν περιούσιον *populum peculiarem* Tit. 2:14. populum, quem προέγνω *ante novit* Rom. 8:29. imo quos ſemper *ut ſuos* novit. *Novit Dominus* τοὺς ὄντας αὐτοῦ 2 Tim. 2:19. qui ſunt *Eccleſia* πρωτοτόκων *primogenitorum in cœlis deſcriptorum* Hebr. 12:23. hoc eſt, è mundo electorum. κληρονόμοι θεοῦ *heredes Dei* Rom. 8:17.

5. Primogeniti Iſraelis redimebantur quinque ſiclis. Notatur, Electos Dei, quamvis *non ſint emti corruptibilibus, argento & auro*, tamen revera Deo emtos eſſe, nimirum

τιμίῳ αἵματι pretioſiſſimo agni ſanguine 1 Pet. 1:19. qui ſanguis eſt æterni valoris pretium. *ἠγοράσθητε τιμῆς emti eſtis pretio* 1 Cor. 6:20. in illo ſanguine habemus *τὴν ἀπολύτρωσιν redemtionem* conſummatiſſimam Epheſ. 1:7.

6. Primogeniti Iſraelis illo pretio ſiclorum redimebantur quaſi à morte, qua reliquæ pecudes puræ mactabantur. Electi fideles pretioſo Chriſti ſanguine à morte æterna & omni ira liberantur pleniſſime: *abolevit poteſtatem mortis habentem* Heb. 2:14. *Ubi tuus, mors, aculeus* 1 Cor. 15:55.

In illa eſt declaratio impuritatis. §. 27. In hac autem conſecratione & ſanctificatione primogenitorum ad faciendum Dei cultum & ſerviendum Deo, præter ſpirituales has adumbrationes, eſt declaratio quædam impuritatis reliqui populi; quod nimirum manus illius non ſint dignæ aut puræ, ut ex illis accipiat Deus munus. Quemadmodum etiam ſanctificatione, & vocatione *Primogeniti omnis Creaturæ*, id eſt, Chriſti Domini ad id, ut ſit Sacerdos & Sponſor fidelium & ſanctorum τὰ πρὸς τὸν θεὸν Hebr. 2:17. ſatis probatur, neminem illorum dignum aut aptum eſſe aut fuiſſe ad pacem cum Deo faciendam, & redemtionis opus perficiendum.

§. 28. Hoc ipſe docet Deus Ezech. 20:26. *Et impuros declaravi in donis eorum, quum juſſi tranſire omne aperiens vulvam*, hoc eſt cum juſſi conſecrari mihi omnes primogenitos. Eadem enim apud Ezechielem eſt phraſis, quæ apud Moſen eſt in hoc negocio. vid. Exod. 13:12. Igitur quum primogeniti ſanctificantur, Iſrael impurus declaratur in donis, hoc eſt, repudiatur quaſi à Deo, eatenus, ut nolit è manu illorum recipere munera, aut quemlibet ſibi offerre ſacrificia.

§. 29. Fatendum tamen illam impuritatis declarationem multo deinceps auctam fuiſſe, cum etiam primogeniti rejecti, ne offerrent muneta, & Levitæ in locum primogenitorum aſſumti, & Aharoni dati ſunt *ad faciendum opus filiorum Iſraël in tentorio conventus, & ad expiandum ſuper filios Iſrael.* vide Num. 8:19.

Concluſio illius legis. §. 30. Concludit Deus legem hanc his verbis: *Et erit tibi in ſignum ſuper manum tuam, & in frontale inter oculos tuos* Exod. 13:16. 16: verſ. 9. *in memoriale inter oculos tuos.* Debet ſcilicet lex Dei *in fronte* geri & *dextra manu*, ut per confeſſionem publicetur, quemadmodum ea quæ in fronte impreſſa ſunt, publice omnibus apparent; & in omni opere ſit pro norma & regula; cui promovendo manus imprimis inſervit. Confer cum hac phraſi Apoc. 13:16. *accipere ſignum beſtiæ in dextram manum & frontem:* & Apoc. 14. *habentes nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus.*

Status Eccleſiæ in Ægypto. §. 31. Ex dictis autem facili negocio concludi poteſt, quis ſtatus Eccleſiæ Iſraëlis fuerit in Ægypto. Fœdus gratiæ, Promiſſiones, Circumciſionem, ſacrificia cum Patribus habuit & tenuit communia. Sed præcepta de mactando agno, de edendis azymis, de ſanctificandis primogenitis nec ante, nec poſt diluvium Patriarchis ſunt injuncta, & in Ægypto primum notificata; igitur Iſraëlitarum propria ſunt habenda: data tamen ſunt hæc præcepta, non ut in Ægypto obſervarentur; nam cum Iſraël jam in procinctu eſſet, ut ex Ægypto exiret, demum dantur: neque ut in deſerto ſtricte agerentur; videtur enim Iſrael in deſerto divini cultus fuiſſe aliquanto negligentior; unde & circumciſio ibi ceſſavit Joſ. cap. 5: verſ. 2 – 9. & Paſcha ipſum non niſi ſemel legitur mactatum Num. cap. 9: verſ. 1 -- 6. & non potuit omnis illa multitudo rituum ad amuſſim adimpleri inter perpetua itinera, & viarum pericula, & armorum ſtrepitus; ſed data ſunt ut in terra Canaan deductis perpetuæ eſſent obſervationi. Hinc Deus præcipiens de azymis, & de conſecrandis primogenitis, ſemper præfatur, *Et*

erit

erit cum ducet te Deus ad terram Canaan, quam juravit patribus tuis, ut det tibi, tunc facies cultum hunc in menſe hoc Exod. 13:5.11.12. Igitur quæ in Ægypto ſunt præcepta poſt multos annos in terra demum Canaan ſtabili obſervantia ſunt impleta & peracta.

Caput Quintum.

Exitus Iſraëlis ex Ægypto §. 1. 2. eximia in illo eluxit fides Moſis §. 3-6. Columna nubis & ignis §. 7. Traductio per mare rubrum illiuſque myſterium §. 8. 9. Baptiſmus in Moſen §. 10. Nubis & Maris rubri ſimilitudo cum baptiſmo §. 11. Pharao & Ægyptus fuerunt typus alterius Pharaonis & Ægypti; ſpiritualis nimirum §. 12-16.

§. 1. PHaraonis pertinaciam multitudine & ſeveritate plagarum divinarum devictam, ut tandem abitum toti Iſraëli concederet, imo cito & celeriter exire juberet, ſupra viſum eſt.

§. 2. De exitu Iſraëlis ita Scriptura ait Exod. 12:41. *Et fuit in ipſo illo die exiverunt omnes exercitus Jehovæ è terra Ægypti.*

§. 3. In hoc exitu admiranda fuit fides Moſis, quam etiam Paulus laudat Hebr. 11:27. *Fide reliquit Moſes Ægyptum, non veritus iram Regis, inviſibilem enim quaſi videns perduravit* τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε. Perduravit, perſeveravit, nec fractus eſt animo, οὐχ ὑπεστάλη.

§. 4. Non loquitur Apoſtolus de illa Ægypti relictione, qua Moſes, occiſo Ægyptio, fugit in terram Midian: nam illuc Moſes fugit, adeoque Ægyptum reliquit מִפְּנֵי פַרְעֹה *præ facie Pharaonis quærentis Moſen interficere* Exod. 2:15. Hæc autem relictio eſt talis, quam fecit *nil metuens Regis iram.* Igitur prima vice cùm relinqueret Ægyptum, fugiens in Midian, fuit *metuens Regis iram*: nunc ſecundâ vice cùm relinquit Ægyptum, educens populum Iſraël in deſertum, *non metuit iram Regis.* Unde apparet Paulum de hac poſtrema Ægypti derelictione loqui. Relictio Ægypti poſterior.

§. 5. Magnæ ſane fidei & admirandæ fuit fiduciæ hæc res. Populum numeroſum, ſervituti quidem, ſed tamen ſecuræ & tranquillæ habitationi in terra Goſen, & omnibus abundantius ciborum (Exod. 16:3. Num. 11:5.) aſſuetum, natura impatientem & moroſum, ordine, legibus, politia nondum in unum corpus coactum, educere in deſertum, regionem infrugiferam, prope ad immane vaſtumque mare, ſpretis omnibus inſultibus, quos facere poterat Rex Ægypti, quem conceſſæ miſſionis tædium ſubire poterat, ut & ſubiit, aut etiam aliæ gentes vicinæ & potentes, non procul à deſerto habitantes, id ſane fidei & fiduciæ talis eſt, cujus aliud in ſacris literis vix exſtat exemplum.

§. 6. Sed unde tantus animus, tantumque Moſi robur, qui in initio vocationis ſuæ tot difficultates moverat? Reſpondet Paulus: *perduravit, inviſibilem illum quaſi videns.* Quia *quaſi* ac propemodum videbat illum, qui inviſibilis eſt naturâ & eſſentia, omnia videns, à nemine viſus Joh. 1:18. *habitans lucem inacceſſam* 1 Tim. 6:16. ideo Moſes tam magnos gerebat animos. Viderat inviſibilem illum quaſi viſibiliter in rubo: expertus erat illum in via, cùm è terra Midian rediret, quamvis tunc inviſibilis ille, Moſen interficere vellet: viderat & audiverat illum in tot familiaribus colloquiis: illius potenti manu Inviſibilem Moſes quaſi vidit.

roboratus tot portenta & inſignia ediderat. Igitur *inviſibilem illum* quaſi oculis ſuis videns Moſes, adeoque in ſe plane & plene certus de voluntate, potentia, præſentia & veritate, imo & bonitate inviſibilis Dei, omnem difficultatem, quanta quanta à carne moveri potuerit, vicit, & fide Ægyptum reliquit, & populum ex Ægypto ſecum eduxit.

Columna nubis & ignis.

§. 7. Nec defuit illi Dux, Comes, Cuſtoſque Dominus, qui ad Pharaonem illum miſerat, & Pharaonem ad ſubjectionem adegerat, & qui Moſi toties dixerat, *Ego ero tecum.* Ille igitur Dominus inſigni miraculo Moſen totumque roborat Iſraëlem: *de die ambulat ante illos in columna nubis; de nocte in columna ignis, ut & illos duceret in via, & noctu lucem illis præberet* Exod. 13: 21. Magi ex oriente vident ſtellam, quæ illos προάγει & ducit ad locum, ubi erat infans, Rex Judæorum quem quærebant Matth. 2: 9. Majus hic miraculum. Et interdiu & noctu viſibile Iſraëlitas comitatur ſignum, nec recedit unquam ab illis; imo Dominus ipſe dicitur *in illo* ambulare. Ita Deus ſuis eſt *lux*, ut illos illuminet: *ignis*, ut adverſarios conſumat: *nubes*, ut ſuaviter omnem æſtum, qui moleſtus ſuis eſſe poſſit, refrigeret: *columna*, ut ſuos pulchre ſuſtentet: & *de die* & *de nocte* illos comitatur; nunquam abeſt ab illis. Dominus in nube viſibili ambulans coram Iſraële, viſus ab omnibus, in plenitudine temporis in carne viſibili apparuit & manifeſtatus eſt, oculis ſpectatus, manibus attrectatus 1 Joh. 1: 1. Prius poſterioris fuit typus & quaſi præambulum.

Traductio per mare rubrum.

§. 8. Quinimo ingenti & incomparabili miraculo traducit populum *per mare rubrum,* ſive *Erythræum* aut *Idumæum*, & ut in Sacris vocatur *Algoſum*, *ſicco pede*: quam hiſtoriam totam paucis verbis Apoſtolus complexus eſt Hebr. 11: 29. *Fide tranſierunt per rubrum mare tanquam per aridam, cujus periculum facientes Ægyptii* κατεπόθησαν *abſorpti ſunt.* Maximum hoc Dei miraculum & beneficium etiam laudat Eccleſia ſerioris temporis Eſ. 51: 9. 10. *Surge, ſurge, indue robur, brachium Domini, ut diebus olim, generationibus ſeculorum. Nonne tu exſiccaſti mare, aquas abyſſi magnæ, poſuiſti profunda maris viam ad tranſeundum aſſertos?* confer Eſ. 63: 11. 12.

Plena eſt myſteriorum.

§. 9. Et ut hæc traductio plena eſt miraculorum, ita & plena eſt myſteriorum. Docet enim & ſignificat 1. Iſraël ducitur è mari per mare: Eccleſia ducitur & liberatur à morte & peccato per mortem & peccatum. Ita mors mortem vincit: peccatum peccatum abolet: maledictio maledictionem exſtinguit. 2. Aquæ, quæ Iſraëlem ſalvarunt, abſorpſerunt Pharaonem: mors Chriſti credentes ſalvat; incredulos magis condemnat; quanta enim pœna dignus eſt, qui *Filium Dei* & mortem illius *contemnit & conculcat*? Hebr. 10: 29. 3. Per mare erat ambulandum, ut à periculo ſecuri eſſent. Communionem nos oportet habere mortis Chriſti, quæ juſtum hunc undis & fluctibus ſuis texit, ut ſalus noſtra in tuto ſit. 4. Poſtquam per mare tranſierant, nullus amplius metus, nulla à Pharaone exſpectanda noxa erat. Qui in communionem Chriſti ſemel admiſſus eſt, & morti illius congenitus & complantatus ἀφόβως *ſine metu* & horrore Domino ſervire poteſt. *Ne time Iacob: nam redemi te. Cùm tranſibis per mare, tecum ego, & in fluviis, ut ne inundent te* Eſ. 43: 1. 2. Denique & id mirandum accidit; eædem aquæ, quæ Iſraëli fuerunt murus à dextra & ſiniſtra, eadem hora fiunt tegmen Pharaonis ab infra & à ſupra.

Baptiſmus in Moſen in nube & mari.

§. 10. Ita non tantum viderunt Iſraëlitæ אֶת־יְשׁוּעַת יְהוָה *ſalutem Domini* Exod. 14: 13. Sed etiam *omnes in Moſen baptizati ſunt in nube & in mari* 1 Cor. 10: 2. Videntes enim *nubem*, quæ illos duxit; & cogitantes de *mari*, quod ſicco pertranſierunt pede, viſibilibus illis ſignis & miraculis convicti ſunt, Moſen eſſe verum & fidelem ſervum Dei, cui ut ſervo & legato credendum ſit. Quemadmodum igitur baptiſmus aquæ, qua nos baptizamur in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti, ut viſibile ſacramentum fidem noſtram

cogit in ὑποταγὴν *ſubjectionem* & obſequium Dei Patris, qui nos creavit; Filii, qui nos redemit; Spiritus ſancti, qui nos ſanctificat; ita & aquoſa hæc nubes, ſub qua Patres Iſraëlis fuerunt, & mare per quod διῆλθον coëgit Iſraëlitas in obſequium Moſis, ut ſervi Dei; & in fidem legitimæ ſuæ miſſionis, & veritatis doctrinæ quam tradidit. Eſt igitur quaſi baptiſmus in Moſen & in doctrinam & miniſterium illius. Ita & miraculum hoc Iſraëlitæ intuiti ſunt: dicitur enim de illis Exod. 14:31. *Crediderunt in Dominum, & in Moſen ſervum illius.* Ut autem alia res eſt *Dominus*, alia *ſervus*, ita alio modo credimus in Dominum, alio in ſervum. Dominus *Princeps fidei eſt & conſummator* Hebr. 12:2. teſtis ſummus & infallibilis, autoritatem habens in ſe & ex ſe, qui quæ dicit de ſuo dicit: ſervus nec fidem efficit nec perficit, non in ſuo, ſed in Domini venit & loquitur nomine. Ergo Dominum recipimus propter ſe ipſum, quia Dominus eſt. In ſervum credimus propter Dominum, quia Domini ſervus eſt: & qui in Dominum credunt, non poſſunt legitimo Dei ſervo, qui à Domino audita narrat, & accepta refert, fidem denegare; præſertim cujus miſſio tot teſtimoniis, ſignis & miraculis comprobata eſt. Credere in Dominum, & in Moſen.

§. 11. Ut autem *aqua diluvii* multa repræſentavit quæ baptiſmus noſter, unde βάπτισμα noſtrum dicitur ἀντίτυπον aquis diluvii 1 Pet. 3:20. ita & *nubes & mare rubrum* in multis ſimilem cum baptiſmo habent ſignificationem, nimirum ſalutis è morte per mortem; communionis mortis ad vitam; introitus in illum qui mortem abolet, & vitam illuminat. Unde & *baptizati* dicuntur *Patres in nube* ἐβαπτίσαντο 1 Cor. 10:2. Eſt tamen magna etiam differentia inter baptiſmum noſtrum, & hunc nubis & maris, qui paucis ſaluti, plurimis ſunt exitio: Ægyptii enim perierunt & aquis his tecti ac ſuffocati ſunt: quique effectus fuit potius iræ & maledictionis, quam nuncius gratiæ & remiſſionis. Mare rubrum comparatur cum Baptiſmo.

§. 12. Ita nunc de Pharaone & potentia Ægypti actum erat, & Iſraëlis pax & ſecuritas collocata in tuto. Ut autem illi qui poſt diluvium convenerant ad *condendam urbem*, quæ ab eventu *Babel* vocata eſt, & ad *faciendum ſibi Nomen* Geneſ. 11:1–7. aliquo modo ſimile inierunt conſilium, quale in poſterioribus temporibus factum eſt in *civitate* illa *magna*, quæ in Apocalypſi vocatur βαβυλών Apoc. 14:9. 16:19. 17:5. 18:2. 10. 21. unde utraque civitas commune nomen adepta eſt, & ut dictum, *Babel* appellatur, & prior imago exſtitit poſterioris; ita & *Pharao* cum *Ægypto ſua* fuit anteambulo, præcurſor & typus illius *civitatis magnæ*, quæ πνευματικῶς *ſpiritualiter*, hoc eſt, ænigmatice in Sacris *vocatur Sodoma & Ægyptus* Apoc. 11:8. quæ civitas magna *Ægyptus* vocari non poſſet, niſi cum priore Ægypto haberet convenientiam, & in illa fierent, qualia in Ægypto facta ſunt, ut nec illa *Sodoma* dici poſſet, niſi prioris Sodomæ tradux eſſet & æmula. Spiritualis Pharao & Ægyptus.

§. 13. Ut autem civitas illa, ἥτις πνευματικῶς καλεῖται Αἴγυπτος, agnoſcatur, addit Apocalypſis, ὅπου καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη, *ubi & Dominus noſter crucifixus eſt* Apoc. 11:8. Igitur ubi Dominus Jeſus eſt crucifixus, ibi eſt civitas hæc magna, ſpiritualis Ægyptus.

§. 14. Hic ſtatim occurrit *Hieroſolyma* civitas illa *latronum* Eſ. 1:21. ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν Matth. 23:37. Attamen non in illa, ſed ἔξω τῆς πύλης *extra portam* illius *paſſus eſt* Dominus Hebr. 13:12. Cives & Principes Hieroſolymæ ceperunt illum quidem, & accuſarunt, non tamen proprie occiderunt: *nobis non licet interficere quendam* Joh. 18:31. Pilato Præſidi Romano traditus, à Pilato condemnatus, illius juſſu cruci adfixus à carnificibus & lictoribus Romanorum cæſus & interfectus eſt: ita illum Judæi *per manus improborum crucifixum occiderunt* Actor. 2:23. Romani totum illo tempore ſubjugaverant orbem; Palæſtinam ceperant; Judæam Syriæ In Spirituali Ægypto crucifixus eſt Dominus.

con-

contribuerant; Ægyptus è nutu illorum vivere debebat. Ita totus orbis, & in toto orbe Romanum Imperium erat; ubique Romanorum leges adhibebantur; Romani cives in toto orbe naſcebantur: hinc & Paulus Apoſtolus, quamvis natione Tarſenſis, civem Romanum, non argento factum, ſed *natum*, ſe dicit Actor. 22: 25–28. Eratque adeò Romanorum imperium, per totum orbem diffuſum, *una magna civitas*, & illis dominantibus *Urbs facta eſt, quod prius Orbis erat; & patria facta diverſis gentibus una*: quæ Rutilii verba ſunt. In hac *civitate magna*, hoc eſt, in & ſub Romano Imperio crucifixus eſt Dominus.

Spiritualis Ægyptus Romana civitas.

§. 15. Vocatur autem *civitas hæc magna*, hoc eſt, Romana civitas, mundi dominatrix, urbs una & generalis totius terrarum orbis, vocatur inquam illa *Ægyptus*, quemadmodum & *Sodoma* Ezech. 16: 55. Deut. 32: 32. ut & *Tyrus* Eſ. 23: 1. quia Ægyptus pars illius erat, & ad illam pertinebat: deinde quia in illa eadem ſcelera & facinora & tyrannis commiſſa ſunt, quæ in Ægypto antiqua, dominante ibi Pharaone, committi unquam potuerunt; ita illa ob ſimilia ſcelera ſimile meretur nomen.

§. 16. Quemadmodum autem *Romam gentilem*, *Draconis metropolin*, idololatriæ ſedem & propagatricem excepit *Roma Chriſtiana*, ſed Chriſtiana tantum nomine, non veritate, externa confeſſione, non interna fide; (nam *aſcendit in illa beſtia ex abyſſo, cui draco ſuam potentiam & thronum dedit*: illamque beſtiam ſecuta eſt *ſecunda beſtia, aſcendens* non jam è mari ſed *è terra*, mari & abyſſo in ſimilitudinem velut terræ bonæ & frugiferæ redactis, *habens duo cornua ſimilia agno, ſed loquens ut draco, faciens imaginem beſtiæ*, quæ *imago* vocatur alibi *Pſeudopropheta* Apoc. 20: 10. qui ſuis epithetis & encomiis expreſſus eſt à Paulo 2 Theſſ. 2: 3. 4. lege Apoc. 13: 1. 2. 11. 14. 15.) ita & Roma hæc Chriſtiana, hoc eſt, Romanus populus, externe Chriſtianus factus, revera autem & in ſe *beſtia*, hoc eſt, carnalis tantum populus, & imperium hoc Romanum ſub *Ægypti* nomine *ſpiritualiter* ſeu ænigmatice innuitur & repræſentatur: quinimo *Rex*, *Pſeudo-propheta*, *Imago beſtiæ*, in illa ænigmatica Ægypto regnans nomine Regum Ægypti notatur, & in Propheticis *Pharao* vocatur Eſ. 19: 11. *Stulti ſunt principes Zoan. Sapientes, conſiliarii Pharaonis, conſilium infatuatum eſt*, obbrutuit. *Quomodo dicitis ad Pharaonem, Filius ſapientum ego, filius Regum orientis.*

Convenientia novæ Ægypti cum Veteri.

§. 17. Mire autem conveniunt nova hæc Ægyptus, & novus hic Pharao cum antiquo Ægypto & antiquo Pharaone; unde eo majori jure illa nomen hujus fert. Conveniunt inquam 1. Ratione ſervitutis. In Ægypto dura ſervitute Iſraël premebatur. Ægyptus Spiritualis vim conſcientiis facit, & novam populo Dei ſervitutem imponere conatur, *formans ærumnam ultra ſtatutum.* 2. Ratione coadunationis & conjunctionis. Pharao volebat ex Ægyptiis & Iſraële unum facere populum, qui iiſdem legibus & eadem religione uteretur. In Ægypto ſpirituali, voluerunt populum Dei commiſcere cum adorantibus beſtiam, & cogere *ut ſignum beſtiæ in manum & frontem acciperent* omnes. 3. Ratione Magorum. *Magi Ægypti* reſiſtebant Moſi, & faciebant miracula. In hac ſpirituali ſunt אבות אִטִּים יִדְּעֹנִים Eſ. 19: 3. *facientes miracula, ita ut & ignis deſcendat è cælo in terram, coram hominibus* Apoc. 13: 13. In hac ſpirituali Babylone eſt *multitudo præſtigiarum* Eſ. 47: 12. Et hi *homines corrupti mente* ἀνθίστανται τῇ ἀληθείᾳ *reſiſtunt veritati* 2 Timoth. 3: 8. 4. Ratione probri & contumeliæ illatæ Deo. Pharao probrum dicebat Deo & Chriſto: *Quis eſt Deus?* Exod. 5: 2. In hac ſpirituali Ægypto eſt *os loquens* μεγάλα. & βλασφημίας Apoc. 13: 5. *aperuit os ad blaſphemiam in Deum, ad blaſphemandum nomen illius* Ibid. ℣. 6: 5. Ratione coactionis & violentiæ.

In Ægypto vis fiebat verbo Dei, & cultui divino; ſacrificare erat illicitum; ita nec religioni libertas ſua conſtabat. In Ægypto ſpirituali *duo teſtes Dei*, hoc eſt, Scriptura veteris & novi Teſtamenti, *ſaccos induti occiduntur, & in plateis magnæ civitatis jacent*, velut proſtrati, & ne ſepultura quidem digni judicantur Apoc. 11:8.9. 6. Ratione plagarum. Plagas multas ſenſit Ægyptus. Spiritualis hæc, ſimiles, ſed majores, quia ut plurimum ſpirituales, plagas accepit. Nam & hic *aqua verſa in ſanguinem* Apoc. 11:4. quæ prima fuit Ægypti plaga Exod. 7:17-25. Et hic fuerunt *impuri ſpiritus, ſimiles* βατράχοις *Ranis* Apoc. 16:13. quas ſecunda plaga in Ægyptum intulit Exod. 8: verſ. 1-10. Etiam hic *facta ſunt tonitrua & fulgura*, & *motus terræ magnus exſtitit* Apoc. 16:18.21. quæ ſeptima Ægypti plaga fuere Exod. 9:12-35. Quinimo & hic *egreſſæ ſunt* ἀκρίδες *locuſtæ in terram, habentes poteſtatem qualem habent terræ ſcorpii* Apoc. 9.5. quæ in octava plaga Ægyptum invaluerunt Exod. cap. 10: verſ. 1-20. Denique *effuſa phiala in thronum beſtiæ, tenebris obductum eſt regnum illius* Apoc. 16: verſ. 10. quales & Ægyptum contexerunt, nona plaga Exod. cap. 10: verſ. 21-29. Etiam à *morte, luctu*, & *peſte* Spiritualis hæc Ægyptus non manſit libera Apoc. cap. 18: verſ. 8. quæ quintam & decimam in Ægypto effecerunt plagam Exod. cap. 9:1-7. 11:4-10. 7. Ratione liberationis & eductionis. Potenti manu ex Ægypto eductus eſt Iſrael. Etiam è Spirituali Ægypto potenter educta eſt Eccleſia; illaque vacua relicta exſtitit κατοικητήριον δαιμόνων *habitaculum dæmoniorum, & cuſtodia omnis Spiritus impuri, & omnis volucris impuri & odio habiti* Apoc. 18:1.2.4. Sed ſatis de iis, quæ alibi exponenda ſunt plenius.

Caput Sextum.

Canticum Iſraëlis §. 1. Aquæ in Mara edulcatæ §. 2. Statutum & judicium in Mara poſitum §. 3 9. Panis pluit è cœlo, Manna, ejuſque ſignificatio §. 10-19. Petra dat aquas, illiuſque δήλωσις ubi & de alia agitur Petra, de qua eſt Num. c. 20. §. 20-28. Bellum cum Amalec §. 29. 30. Introitus in deſertum Sina §. 31. Sermo primus de monte Sina, illiuſque explicatio §. 32-37. Concio ſecunda de monte Sina §. 38.

§. 1. Filii Iſrael derelicta Ægypto nunc agunt in deſerto, quò & à nobis ſequendi ſunt. Ibi liberati ab omni metu Pharaonis *canunt canticum Domino*. Clara id conſtat phraſi, ſenſu perſpicuo, eximia emphaſi, & ſententiis gravibus Exod. 15: 1. 19. Ita æquum eſt beneficia Dei, quæ in populum ſuum confert; & judicia, quæ in hoſtes ſuos exercet in perpetuam celebrari memoriam.

§. 2. Poſt aquarum defectum in deſerto *Schur*, quo illos Moſes ducebat inde à mari rubro, tandem *in Marah*, hoc eſt, in loco, qui deinde ab eventu id nomen accepit, inveniunt *aquas*, ſed *amaras*: inde murmuratio. Edulcantur autem illæ *ligno*, quod Deus Moſi oſtenderat, in illas projecto: ſive illi ligno inde ab ortu vis edulcandi infuerit, ſive tum indita fuerit, ſive nec infuerit unquam, nec acceperit, Dei potentiæ omnia adſcribenda ſunt, illeque aſpiciendus eſt ut עֹשֵׂה פֶלֶא *faciens miracula*. Ita igitur lignum amaras edulcavit aquas; non obſcuro documento, *Lignum*, de quo Dominus ſuſpenſus eſt, omnes afflictiones & amaritudines noſtras, quæ *ut aqua ſæpè veniunt* ad *animam* Pſ. 69: 2. *ſanctificare*, ut dulcem & *pacificum retribuant fructum juſtitiæ* Hebr. 12:11. confer hic Exod. 15:22-25.

Aquæ amaræ, edulcatæ.

Statutum & judicium Iſraëli poſitum.

§. 3. In hoc loco *poſuit Deus Iſraeli ſtatutum & judicium, & ibi tentavit eum* Exod. 15:25. חֹק וּמִשְׁפָּט, hoc eſt, notificavit illi voluntatem ſuam & præcepta ſua, & quid fieri à ſuis velit: quæ omnia habent חֹק, hoc eſt, certam ſuam definitionem, menſuram & modum, & nec variationem nec mutationem patiuntur, ita ut nihil ad illa addi, nihilque ab illis demi debeat Deut 4: 2. 12: 32. imò ſunt מִשְׁפָּט *judicium*, hoc eſt, ſunt norma & regula infallibilis, ad quam & juxta quam omne judicium de bono & malo, de licito & illicito, de virtute & de vitio, de vita & de morte, de benedictione & de maledictione formari & pronunciari debet. Sed & *tentavit* Deus Iſraëlem. Deus *ἀπείραστος κακῶν neminem tentat, ſed qui tentatur à propria concupiſcentia trahitur* & *δελεάζεται* Jacob. 1: 13. 14. Tentari igitur non quidem Deus ad malum aut peccatum, quia totus bonus & ſanctus eſt; tentat tamen nonnunquam ſuos ad bonum, & tentamen facit obedientiæ, charitatis, patientiæ, ſpei, fidei ſuorum. confer Exod. 16: 4. *Tentabo illum num ibit in lege mea, aut non.* Ita etiam *tentavit Dominus Abrahamum* Geneſ. 22: 1.

§. 4. *Statutum* autem & *judicium* in Marah poſitum ita habet. *Si auſcultabis voci Iehovæ Dei tui, & rectum in oculis ejus feceris, & attenderis ad præcepta ejus, & obſervaveris omnia ſtatuta ejus, omnem infirmitatem, quam poſui in Ægypto, non ponam in te, nam ego Iehovah ſanator tuus* Exod. 15: 26.

§. 5. In hiſce verbis eſt 1. Promulgatio Teſtamenti & fœderis gratuiti. 2. Stipulatio obedientiæ & ſanctitatis, ſeu *fidei per charitatem operoſæ*. 3. Promiſſio hujus & futuræ vitæ, quæ pietati ſemper annexa eſt 1 Tim. 4: 8.

Oblatio fœderis.

§. 6. Promulgatio & oblatio fœderis gratuiti in his verbis eſt, *Jehovah Deus tuus. Ego Jehova ſum ſanator tuus.* Neque enim è fœdere operum, quod Adamus fecit irritum, neque è meritis hominum, qui natura ſunt filii iræ; ſed è gratia divina & è divitiis bonitatis Deus peccatoris Deus eſt. *Gratia ſalvantur* miſeri peccatores Epheſ. 2: 5. *gratia* etiam *ſanantur*: & Pſal. 103: 2. 3. refertur *peccatorum remiſſio & infirmitatum ſanatio* ad beneficia Dei gratuita, *ne obliviſcaris* כָּל גְּמוּלָיו *omnium ſummorum beneficiorum ejus.* Ut autem, dum *Deus* ſe vocat *Iſraelis Deum*, promittitur *vita, reſurrectio, immortalitas, beatitudo.* Deus eſt *Deus vivorum* Matth. 22: 32. &, *Beatus populus, cujus Iehova Deus* Pſal. 33: 11. ita dum ſe *Sanatorem* vocat, promittit gratiam juſtificationis & ſanctificationis; imo & liberationem à reatu, ira, morte, condemnatione: neque enim illi ſanantur, ſuper quos ira manet, & in quos mors dominatur, & de quibus infernus triumphat.

Stipulatio fidei.

§. 7. Stipulatio fidei & charitatis in illis continetur verbis: *Auſcultabis voci Iehovæ Dei tui*: ſanè ante omnia illi voci, *Ego Iehova, Deus, ſanator tuus ſum*: cui voci *auſcultare* eſt *credere* in Deum, qui juſtitia, vita, ſalus noſtra eſt. *Facies rectum in oculis ejus*, hoc eſt, *probabis, quænam ſit voluntas Dei bona, placens, & perfecta* Rom. 12: 2. *Attendes ad præcepta ejus*, nempe ad hæc ipſa, auſculta voci Dei tui, fac rectum in oculis ejus, &c. Denique *obſervabis omnia ſtatuta ejus.* Statuta Dei ſunt varia. Complectuntur illa *legem fidei.* Pſalm. 50: 16. *Et improbo dicit Deus, quid tibi, ut enuncies ſtatuta mea, & ſumis fœdus meum in os tuum?* Sunt *ſtatuta* Dei, quæ hoc encomio ornantur, *Qui fecerit illa homo, vivet in illis* Ezech. 20: 11. Sunt & ſtatuta de quibus Deus, *Etiam ego dedi illis ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non vivunt* Ezech. 20: 25. qualia ſtatuta ſunt *δόγματα* illa, quæ continentur *in lege præcepti carnalis* cujus *abrogatio facta eſt eò quod infirma eſt & inutilis, nihil enim conſummavit* Hebr. 7: 16. 18. 19. Epheſ. 2: 15. Col. 2: verſ. 14. Hebr. 9: 10. In hoc autem loco non loquitur Deus de ſtatutis poſtremi generis & ordinis: talia enim tunc nondum impoſuerat populo, uti liquet ex Jerem. 7: 22. *non locutus ſum*

cum patribus veſtris, & non precepi illis in die, quo eduxi illos è terra Ægypti de holocauſto & ſacrificio. neque proprie loquitur de ſtatutis, *quæ qui facit, in eis vivit*: Decalogus enim, in quo illa continentur, necdum erat pronunciatus; niſi dicas, omne id cordibus Iſraëlitarum naturaliter fuiſſe inſcriptum Rom. 2: 15. quod veriſſimum eſt; ſed loquitur propriè & principaliter de lege fidei, *obſervabis omnia ſtatuta ejus*: hoc eſt, quæ tibi ut credas propoſuit Deus, fide cordis acceptabis, & confeſſione oris publicabis, ipſo iterum atteſtante Deo Jerem. 7: 23. *Sed hoc verbum precepi illis, Auſcultate voci meæ, & ero vobis in Deum, & vos mihi fietis in populum, & ibitis in omni via, quam præcipiam vobis, ut bene ſit vobis.*

§. 8. Promiſſio annexa fœderi & ſtipulationi hæc eſt, *Non ponam morbum Ægypti in te.* Laborabat autem Ægyptus non tantum *morbo corporali*, ſed, quod maximum malum erat, *morbo ſpirituali. Induratio cordis* ſpirituale malum eſt, omnibus ulceribus, vibicibus, vulneribus & plagis, quæ corpori inferri poſſunt, longe periculoſius, & ad æternam mortem ac condemnationem viam ſternit. Ergo illis, qui in Deum ut Deum ſuum, & ſanatorem ſuum credunt, illius voci auſcultant, & ſtatuta obſervant, non imponuntur morbi Ægypti, ſed datur illis tranquillè vivere in his terris, & ſervire Deo in omnibus bonis, & tandem ingredi in gaudia æterna, quæ repoſita & ſervata ſunt in cœlis. Promiſſio annexa ſtipulationi.

§. 9. Eſt igitur hoc verbum, quod Deus in Mara toti Iſraëli dixit verbum gratiæ & ſolatii, verbum bonum, verbum fœderis & Teſtamenti, verbum eximiis & *pretioſis* ἐπαγγέλμασι *promiſſis* (2 Pet. 1: 4.) munitum, verbum invitans ad fidem, charitatem, & ſanctam obedientiam, quo ſuavius, expreſſius, clarius vix ullum umquam dictum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo; imo eſt vere Euangelicum, pacis, ſanitatis, quietis, vitæ nunciativum. Ita jam Iſraëli indicatum, *quid bonum, & quid Dominus ab illo requirat*; nimirum *facere judicium, amare gratiam, & humiliter ambulare cum Deo ſuo* Mich. 6: 8.

§. 10. Cumulavit autem Deus populo huic beneficia beneficiis. Panis illis deficit. Deus è cælo panem mittit. *Ecce ego faciam vobis pluere panem è cælo* Exod. 16: 4. Hic notandum 1. Quomodo hic panis è cælo ſeu de ſupra venerit. *Mane extitit decubitus roris circa caſtra* Exod. cap. 16: verſ. 13. Venit ergo cum rore, & cum pluvia ſubtiliori, ſeu tenuiori. *Vapor* in aquam mutatus *ros* dicitur, conglaciatus autem *Pruina*. 2. Quænam illius fuerit forma, & quis ſapor. *Super faciem deſerti* erat *minutum tenue, rotundum, tenue ut pruina in terra* Exod. cap. 16: verſ. 14. *erat ut ſemen coriandrum album* Exod. 16: 31. *aſpectus ejus* erat *ut aſpectus* הַבְּדֹלַח *unionis* ſeu *margaritæ* Num. 11: 7. *ſapor ejus erat ut laganum mellitum.* LXX. ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι Exod. 16: 31. *Sapor ejus ut ſapor ſucci olei* Num. 11: 8. Poterat autem *in molis moli*, & *in* θυείᾳ *tudicula* ſeu *mortario contundi*, & *in cacabo* χύτρᾳ *coqui*; *fiebant inde placentæ* עֻגוֹת Num. 11: 8. Exod. 16: 23. 3. Quod illi nomen inditum. *Et vocarunt domus Iſraël Nomen ejus* מָן *Man* Exod. cap. 16: verſ. 31. Cum Iſraëlitæ prima vice hunc panem viderent, dicebant מָן הוּא pro מָה הוּא Ita LXX. τί ἐστι τοῦτο. *quid eſt hoc?* aut etiam pro מֵאַן הוּא *unde eſt hoc?* De Etymo Mannæ ita Joſephus Antiquit. Judaic. libr. 3. cap. 1. καλοῦσι δὲ Ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τοῦτο μάννα, τὸ γὰρ μὰν ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, τί τοῦτ' ἐστιν ἀνακρίνουσα. Alii מָן interpretantur *donum, conſtitutum, præparatum*, nempe divinitus Iſraëli in cibum. Panis è cælo.

§. 11. Jubet autem Deus una cum datione Mannæ tria. 1. Ut *colligant* de manna אִישׁ לְפִי אָכְלוֹ ἕκαστος τοὺς ἀρκοῦντας *quantum quivis comedere poterat, Gomer pro uno capite.* LXX. κατὰ κεφαλὴν Exod. 16: 16. 2. *Ne de eo reliquum quid maneat in craſtinum* Exod. cap. 16: verſ. 19. 3. *Ut ſexto die duplum colligant, duo gomer pro uno, & ſeptimo die quieſcant,* Quæ circa Manna fuerunt obſervanda.

ſcant, & ne è loco exeant Exod. 16: 5. 22. 26. 28. Hic conjunctum eſt præceptum de Sabbato, *Ceſſatio, ceſſatio ſancta Domino cras* Exod. 16: 23. *nam ſabbatum hic dies*, vel *hoc*
Confuſio *die, Domino eſt* verſ. 25. *Et ſeptimo die ceſſatio eſt* verſ. 26.

tranſgreſſorum. §. 12. Qui circa hæc præcepta peccabant, redarguebantur ipſo facto. 1. *Qui plus collegerant, aut minus, non abundarunt, nec caruerunt* Exod. 16: 18. 2 Cor 8: 15. 2 Qui reliquum quid de Manna faciebat in craſtinum, id *à vermibus auferebatur & putreſcebat* Exod. 16: 20. 3. Qui ſeptimo die exibant, ut colligerent, *nil inveniebant* Exod. 16: 27.

Mannæ aſſervatio. §. 13. Denique jubet Deus, ut Gomer de Manna ſumatur & ſervetur in memoriam inſignis hujus miraculi *in omnes generationes filiorum Iſraël* Exod. 16: 32. Poſita eſt urna, in qua Manna erat, לִפְנֵי יְהוָה *coram Domino* Exod. 16: 33. לִפְנֵי הָעֵדֻת *coram* ſeu *ante teſtimonium* Exod. 16: 34. hoc eſt, ante arcam teſtimonii. Nam *in arca nil erat, tantum duæ tabulæ lapideæ, quas poſuit ibi Moſes in Horeb* 1 Reg. 8: 9. Igitur quod Paulus, loquens de Arca fœderis, dicit, ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, id ita vertendum, non, *in qua*, *ſed, cum qua urna aurea habens Manna* Hebr. 9: 4. Obſervanda etiam hic πρόληψις *anticipatio. Quod cum Arca* facta eſſet, poterat demum fieri, hic tanquam jam factum, etiam ante quàm Arca facta erat, narratur.

§. 14. De Manna etiam ſermo eſt Pſal. 78: 24. 25. *Fecit ſuper illos pluere Man ad comedendum, & frumentum cœlorum dedit illis.* לֶחֶם אַבִּירִים *Panem fortium* ſeu divinum *comedit unus quiſque.*

Manna cibus ſpiritualis. §. 15. Paulus Apoſtolus vocat Manna βρῶμα πνευματικὸν 1 Cor. 10: 2. *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem comederunt.* Sane Manna in os ingrediebatur, & in ſtomacho concoquebatur; per ſe ergo eſca ſpiritualis non eſt. Tamen quia *ſpirituale* aliquid ἐδήλου *manifeſtabat, ſignificabat, præfigurabat*, id nomen habet: nimirum illum, de quo eſt Apoc. 2: 17. *Vincenti dabo comedere de manna occultato*, h.e. Chriſto: qui de ſe ipſo, *Ego*, inquit, *ſum panis vitæ* Joh. 6: 48. Eſt autem Chriſtus *Manna occultatum*, quia *caro & ſanguis illum revelare non poteſt* Matth. 16: 17. & quia *occultatus eſt in Deo* Col. 3: 3. *manifeſtandus* ultimo die Ibid. verſ. 4.

§. 16. Videamus igitur 1. Quibus in partibus conſtet ſimilitudo Mannæ & Chriſti. 2. Quænam excellentia Chriſti ſit præ Manna deſerti.

Similitudo Mannæ & Chriſti. §. 17. De priore prius. 1. Manna erat דק *tenue minutum* corpuſculum. Chriſti in terris tenuis forma & aſpectus fuit contemtibilis, *accepit formam ſervi* Phil. 2: 7. 2. Non cognoſcebant Iſraelitæ, quid Manna eſſet. Chriſtus à ſuis non agnitus, nec receptus fuit: *proprii illum non receperunt*. Joh. 1: 11. 3. *Manè* inveniebatur Man. Et ut *lucente matutino ortus eſt ſol* Chriſtus 2 Sam. 23: 4. 4. Manna dabatur ad cibum. *Caro Chriſti eſt verè cibus* Joh. 6: 55. 5. Pro unoquoque capite colligebatur Gomer, & eadem menſura omnibus. Chriſtus ex æquo omnium electorum Sacerdos, ſalus & redemtor eſt. *Omnes eſtis unum in Chriſto Ieſu* Gal. 3: 28. *per illum ambo habent acceſſum in uno Spiritu* Eph. 2: 18. 6. Calor ſolis Manna diſſolvebat & conſumebat. *Calor* h.e. *charitas & zelus domus Dei Chriſtum comedit* Pſ. 69: 9. 7. Quod de Manna reliquum manebat in mane alterum, auferebatur à vermibus. Ne infernalis vermis nobis noceat, Chriſtus non negligendus aut faſtidiendus, ſed hodie cum offertur nobis, totus accipiendus eſt. 8. Sexto die dupla Mannæ menſura dabatur; ſeptimo non inveniebatur. Sexto die ſeptimanæ Chriſtus omnes vires impendit, & animam ipſam emiſit, ut opus redemtionis conſummaret & perficeret. Septimo die in ſepulchro jacuit, nec in terra inter homines viſus aut inventus eſt. 9. Poſt ſex dies, in quibus Manna pluit, Sabbatum erat, quietis dies. Poſt Chriſti paſſiones ſecutus eſt σαββατισμός, qui olim exſpectabatur & ſupererat populo Dei Heb. 4: 9.

10. Pri-

10. Primo die ſeptimanæ iterum pluebat Manna. Primo die ſeptimanæ revixit Chriſtus, & *irrigavit omnem animam feſſam: unde ſomnus illius ſuavis ipſi fuit* Jerem. 31:25. 26. 11. Servabatur urna Mannæ ante Dominum. *Chriſtus in perpetuum ſedet ad dextram Patris, ſemper vivens ut intercedat* Heb. 10:12. 7:25. 12. Iſraelitas ſæpe Mannæ cepit faſtidium & nauſea. *Anima noſtra exareſcit, deſtituta omnibus nec habet quicquam præter Manna* Num. 11:6. Chriſtus fœtuit ſuis: *fuit ut abſconſio faciei præ nobis, ſpretus, & nil æſtimavimus illum* Eſ. 53: 2. 3. imo adhuc ſunt, qui *filium Dei pedibus conculcant* Hebr. 10: 29.

§. 18. Sed quanto Chriſtus excellentior Manna? 1. Manna panis erat terreſtris. Chriſtus *panis è cælo verus* Joh. 6:32. *Ego ſum panis vitæ* ℣. 35. 48. ὁ ἄρτος ὁ ζῶν ℣. 51. 2. Manna patres ederunt in deſerto. Chriſtus *dat vitam mundo* Joh. 6:33. 3. Manna videbatur pluere è cælo, *non tamen dedit Moſes panem è cælo*: ex inferiori cæli tantum regione deſcendit Manna. *Panis Dei eſt, qui deſcendit è cælo* Joh. 6:33. 4. Qui de Manna edebant, iterum eſuriebant. Chriſtus *eſt panis, qui ad illum venit, non eſuriet unquam* Joh. 6:35. 5. Manna remedium erat famis, non verò ſitis. Qui *in Chriſtum credit, non ſitiet unquam* Joh. 6:35. 6. Patres comederunt Manna in deſerto, & mortui ſunt. Si *quis è pane hoc vivo*, Chriſto, *comedet, non morietur, ſed vivet in ſeculum* Joh. 6: 49. 51. 53. 58. 7. Manna quadraginta tantum annos cibus fuit Iſraëlis. Chriſtus & *hodie* & *in ſecula* cibus eſt & lux & ſalus ſuorum. 8. Manna putredini & corruptioni erat obnoxium. Chriſtus eſt βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος 1 Tim. 1:17. 9. Manna cottidie novum dabatur & aliud. Chriſtus ſemper eſt & manet idem: nihil illi decedit: nil augetur. 10. Manna dabatur ad menſuram. Ut ſpiritus Chriſti, ita & Chriſtus ipſe, & dona quæ accepit in hominibus, *dantur non è menſura.* 11. Manna edebatur à dignis & indignis; omnes accedebant æquo jure. Chriſtus non percipitur ad ſalutem niſi ab electis & vocatis. 12. Manna noctu pluebat, non de die. Chriſtus *ſemper vivit* ut intercedat: nunquam à ſuis abeſt: pluviam gratioſam omni tempore & omnibus horis immittit in hæredium ſuum.

Chriſtus Manna excellentior.

§. 19. Sed aliam præter hæc omnia, eamque inſignem doctrinam è datione Mannæ Populus Iſraël capere debuit. Ita enim Moſes Deut. 8; 3. *Sivit te eſurire Dominus, & fecit te edere Manna, quod neque tu noras, neque Patres tui, ut notum faceret tibi, quod non de pane ſolo vivit homo, ſed de omni quod exit ex ore Dei.* Docuit igitur Manna è cælo pluens, hominem *vivere* & vitam retinere non ſolum *de pane*, hoc eſt, ſecundum communem œconomiam, quæ ſemen ſeminat, & frumentum metit, & è frumento panes præparat, quibus homo veſcitur, ſed *& de omni quod exit ex ore Domini*, hoc eſt, ſæpè extraordinario modo à Domino ali & conſervari: quale quid in deſerto factum, dum ad mandatum & Verbum Dei è cælo Manna pluit: imo hominis vitam in ſecuro eſſe, etiamſi è mandato Dei, ſequens verbum ejus, ab omni cibo & pane abſtineret. Id è Chriſti Domini exemplo apparet Matth. 4: 2. 3. 4. Igitur ne de pane deſperate ſimus ſolliciti: nam in omni verbo & ordinatione Dei vita noſtra tuta eſt.

Doctrina è Manna.

§. 20. Defectum panis, quem reſarſit Manna, rurſum ſequitur defectus aquæ Exod. 17. 1. Sed & huic divina providentia adfert remedium. Jubetur Moſes *percutere Petram*, ex qua aquæ exierunt, & ſitim extinxerunt populi: tanta autem harum aquarum fuit abundantia, ut deſertum irrigarunt, & Iſraëlem in variis manſionibus ſuis ſequutæ ſint Pſal. 78: 15. 16. *rupit petras in deſerto, & eduxit fluenta è petra, & fecit deſcendere ut fluvios aquas* confer ℣. 20. *Percuſſit Petram, & fluxerunt aquæ, & valles inundarunt.*

Aqua è Petra percuſſa.

§. 21. Num. 20: 1—12. legitur etiam alia Petra aquas dediſſe: illa autem bis percuſſa à Moſe, contra voluntatem Dei, qui non dixerat ut Exod. 17: 6. וְהִכִּיתָ בַצּוּר *& percuties Petram*,

Petra alia percutitur contra voluntatem Dei.

Q 3

tram, ſed וְדִבַּרְתֶּם אֶל הַסֶּלַע *& loquemini ad petram, & dabit aquas ſuas*: Moſi & Aharoni mortem præmaturiorem, hoc eſt, ne intrarent in terram Canaan, ſed in deſerto ambo morerentur, cauſata eſt.

Petra ſpiritualis. §. 22. Sed ut Manna *eſca* fuit *ſpiritualis*, ita & aqua Petræ *potus* fuit *ſpiritualis*, imo ipſa Petra *ſpiritualis* eſt, non ſubſtantia ſed ſignificatione. Ita enim Paulus 1 Cor. 10: 4. *Et omnes biberunt eundem potum ſpiritualem: biberunt enim ex ſpirituali ſequente Petra. E Petra*, hoc eſt, ab aquis Petræ, & quidem è *ſequente Petra* (aquæ enim è Petra fluentes, in deſerto fluvii inſtar illos inſecutæ ſunt, ut de illis biberent, quocunque etiam in loco eſſent) denique è *ſpirituali* Petra, ratione ſpiritualis ſignificationis ita dicta, *biberunt*. Quæ autem fuit illa ſpiritualis ſignificatio? Reſpondet Paulus, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός *Petra autem illa erat Chriſtus* 1 Cor. 10: 4. Id Tertullianus libr. *de patientia* ita explicat, *ſignificabat Chriſtum*, & Auguſt. de civit. Dei libr. 18. cap. 48. *Petra illa ſignificabat utiquè Chriſtum*, & Hieron. in cap. 10. prioris ad Corinthios docet, *hanc Petram fuiſſe figuram Chriſti*.

Chriſtus Petra. §. 23. Chriſtus in Sacris *Petra* vocatur Matth. 16: 18. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Deut. 32: 15. *Pro ſcelerato habuit Petram ſalutis* Pſal. 95: 1. imo & *Lapis* Geneſ. 49: 24. Zach. 3: 9. *lapis Angularis* Pſal. 118: 22. Eſ. 28: 26. Epheſ. 2: 20. Neque illius nominis ratio tantum eſt, quia Chriſtus firmiter ſtat & inconcuſſe, quemadmodum Petræ, quibus procellæ nocere non poſſunt; aut quia Chriſtus arx & ſecurum confugientium ad ſe refugium eſt, ut Petræ ſolent ab invaſione hoſtili ſecuritatem præſtare; ſed etiam, quia Petra in deſerto percuſſa, & aquas effundens, *ſignificante myſterio* Chriſtum Petram adumbravit.

§. 24. Igitur *Petra, percuſſa à Moſe, coram ſenioribus Iſraël poſt multa jurgia & convicia populi, aquam largiter emittens ſitimque populi ſatians*, ſymbolum eſt *Chriſti Domini*, qui *ſub legem* Moſis *factus, execrationem legis* ferens, accuſatus à *ſenioribus populi*, illiſque clamantibus *crucifige, crucifige*, cæſus & crudeliter ad mortem uſque percuſſus eſt & dedit *aquam, ex qua debent regenerari*, qui *in regnum cælorum intrabunt* Joh. 3: 3. qui *bibit ex aqua, quam ego dabo illi, non ſitiet in ſeculum* Joh. 4: 14. Et ut aquæ è Petra Iſraëlem ſequebantur, ita & *aqua, quam Chriſtus dat, fit in ſitis fons aquæ ſalientis in vitam æternam* Joh. 4: 14. Aqua quam Chriſtus dat, eſt ὕδωρ ζῶν *aqua viva* Joh. 4: 10. *qui credit in me fluvii è ventre ejus fluent aquæ vivæ* Joh. 7: 38. Nec myſterio caret, quod ex aperto Chriſti latere ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ *exiit ſanguis & aqua* Joh. 19: 34. confer 1 Joh. 5: 6. *Hic eſt qui venit* δι᾽ ὕδατος καὶ αἵματος *cum ſanguine & aqua, Jeſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.*

Quæ ſignificatio præcepti, loquemini ad Petram. §. 25. Quod autem Num. 20: 8. Deus jubet tantum ad Petram ſermonem inſtitui, *Et loquemini* Moſes & Aharon *ad Petram in oculis illorum*, Iſraëlitarum, eo notare & docere voluit, ſemel debuiſſe ſpiritualem Petram Chriſtum *pati*, *ſemel* tantum *percuti*, & una oblatione omnia conſummare; & deinde per verbum & ſermonem, ac præconium verbi *aquam* dare, adeoque verbo omnem gratiam & omne bonum ac ſalutem & ſatietatem applicari, annunciari.

Petra bis percuſſa. §. 26. Quod autem Moſes, non juſſus, *bis* ſeu *duabus vicibus* פַּעֲמָיִם Num. 20: 11. Petram percuſſit, id non obſcure præfiguravit, *Chriſtum*, cœleſtem Petram, etiam poſtquam in carne mortificatus eſſet, adhuc multas plagas & vulnera accepturum, non in corpore quidem ſuo glorioſo, ſed in Eccleſia ſua militante, quæ ut *domus* ita *corpus* ipſius eſt; qui Eccleſiam tangit & perſequitur, Chriſtum tangit & perſequitur. *Saul Saul quid perſequeris me?* Actor. 9: 4. Igitur *paſſiones Eccleſiæ* ſunt ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ *reliquiæ*

ſeu

ſeu id quod adhuc deficit in anguſtiis Chriſti Col. 1:24. omnia autem hæc Eccleſiæ παθή-*μασι paſſiones*, quamvis non *ſine* τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει θεοῦ *definito conſilio & prægnitione Dei* infliganutur, tamen, qui Eccleſiæ hoſtes ſunt, illam, ut Moſes Petram ſæpiſſime percutiunt, vexant & angunt, non jubente Deo, ſed inſtigante Diabolo. Ita bonus Moſes, alias *fidelis Dei ſervus in tota domo ejus*, per inobedientiam ſuam exſtitit & factus eſt typus illorum, qui Jeſum Chriſtum & corpus illius myſticum, hoc eſt, Eccleſiam θλίβουσι *affligunt*, & angunt, & perſequuntur.

§. 27. Sed ut Moſes, injuſſus percutiens Petram, caſtigatus eſt: mortuus enim eſt, & ipſe, ut plurimi alii inobedientes, in terram promiſſionis non intravit, ita hoſtes Eccleſiæ, qui in illa Chriſtum Petram, Eccleſiæ fundamentum & lapidem angularem, percutiunt & transfigunt, non impune tyrannidem ſuam & violentiam ferent. εἴπερ δίκαιον παρὰ θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν 2 Theſſ. 1:6.

§. 28. Petra percuſſa non jubente Deo, dedit nihilominus aquas. *Et exiverunt aquæ multæ, & bibit cœtus* Num. 20:11. Eccleſiæ vulnera multam utilitatem attulerunt. Sanguine mundata Eccleſia eodem cœpit, eodem crevit. Sanguis martyrum Eccleſiæ factus eſt ſeminarium.

§. 29. Circa idem tempus, quo Petra percuſſa aquas dedit, bellum infert Amalek Iſraëli; Altare.
ſed conjicitur in fugam. Igitur *ædificat Moſes altare*: hoc primum eſt, quod Moſes ædificaſſe legitur: *& vocavit nomen Altaris* יְהוָה נִסִּי *Jehova eſt vexillum meum* Exod. 17:14. cujus inſcriptio, Jehova vexillum meum.
Ita nomen hoc *uni ſoli Deo* proprium, creaturis omnibus & Angelis & hominibus incommunicabile prorſus & omnino, oblique & in complexione & per indirectam prædicationem *Altari* tribuitur: quatenus Altare hoc in memoriam victi Amalek ædificatum, ut viſibile ſignum, Iſraeli debebat teſtari, Victoriam *in Deo, vexillo vero & unico* obtentam eſſe & obtineri. Ita & *Hieroſolymis* oblique tribuitur Ezech. 48:35. *Jehova ibi eſt*, hoc eſt, hæc eſt civitas, Dei manſio & habitaculum.

§. 30. Addit Moſes, כִּי יָד עַל כֵּס יָהּ *quia manus ſuper ſolio Jah, Bellum eſt Jehovæ in Amalek in ætatem ætatis* Exod. 17:16. Quidam accipiunt hæc verba ut *juramentum*, ac ſi Moſes juraret per ſolium aut thronum gratiæ. Ita Hebræis *efferre manum* eſt *jurare* Exod. Manus ſuper ſolio Jah.
6:7. *Ad terram, de qua levavi* ſeu *extuli manum meam ad dandum illam Abrahamo*, & Deut. 32:40. *Tollo ad cælum manum meam, & dixi, Vivo ego in ſeculum*. Poſſunt tamen etiam aliter accipi. יָד *Manus* in ſacris ſæpe venit pro *robore* δυνάμει. Deut. 32:36. quum viderit כִּי אָזְלַת יָד *quod abierit manus*, hoc eſt, δύναμις *robur*, Dan. 12:7. *cum finiet diſpergere manum*, id eſt vires, *populi ſancti*: confer Joſ. 8:20. Deut. 33:7. *Manus ejus ſit*: hoc eſt, robur illius. Exod. 14:31. *Et vidit Iſrael manum magnam, quam fecit Jehova in Ægyptiis*. alibi, *manum altam* יָד רָמָה. Ita erit ſenſus Moſis: *Quia manus*, hoc eſt, robur inſuperabile & potentia invicta, coram qua hoſtes conſiſtere non poſſunt, *eſt in ſolio Domini*, & Dominus, cujus *ſolium cælum* eſt, manum ac robur habet, quod jam in fugam vertendo Amalecum demonſtravit, nos illo robore freti, *bellum* Amaleko decernimus, nomine Jehovæ, aut gerendum pro Jehovah, & in gloriam ejus מִדֹּר דֹּר *in generationem generationis*. Lxx. ſatis aliene hunc locum traduxerunt: ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς: *nam in manu occulta pugnat Deus contra Amalek*. Videntur vocem כֵּס *ſolium* deduxiſſe à כסה quod eſt *tegere, occultare*.

§. 31. Dum hæc aguntur, paulatim veniunt filii Iſraël *in deſertum Sina* Exod. 19:1.2. Deſertum Sina.
Fuit in illo deſerto *mons*, qui *mons Sina* dicitur Gal. 4.24.25. Hebr. 12:18. Act. 7:38. nonnunquam etiam *Horeb* Exod. 3:1. Deut. 5:2. Malach. 4:4. & ſæpe inſigniter vocatur *Mons Dei* Exod. 3:1. 18:5.

§. 32. Sta-

Sermo de monte Sina. §. 32. Statim ut Iſraël caſtra ponit coram monte hoc, Dominus de illo Moſen inclamat: *Sic dices domui Iacob, & indicabis filiis Iſraël. Vos vidiſtis, quid feci Ægyptiis, & tuli vos alis aquilarum, & duxi vos ad me* Exod. 19: 3. 4.

Alæ aquilinæ. §. 33. In memoriam revocat judicia Ægyptiis immiſſa, & beneficia Iſraëli collata. *Tuli vos. Suſtulit illos, & bajulavit illos omnibus diebus ſeculi* Eſ. 63: 9. *ferens omnia verbo potentiæ ſuæ* Hebr. 1: 3. *Alis aquilinis.* Aquilæ aves ſunt generoſiſſimæ & feroces.

——— ——— Nec imbellem feroces,
Progenerant aquilæ columbam.

Horat. libr. 4. ode. 4. Acerrima vi viſus pollent: vivacitas illarum eſt celebrata: debilitatæ ſenio in juvenilem vigorem refingere feruntur ætatem: celerrimæ ſunt, inde proverbium, *Aquilam teſtudo vincit*, hoc eſt, celerem interdum tardus aſſequitur. Pullos alis ferunt: *ut aquila nidum ſtruit, & ſuper pullos cubat, expandit alas ſuas, accipit illos, fert illos ſuper plumam ſuam* Deut. 32: 11. 12. Sublimè volant. Deus hoc loquendi voluit indicare modo promptam, quam Iſraëli tulit opem; celerem, quo eduxit illum è domo ſervitutis exitum; ſecuram, quam Iſraëli paravit viam; prolem multam, qua Iſraëlem fœcundavit, ſuper illum incubans, ut aquila ſuper pullos, & quod ſuis quaſi manibus ſolus Iſraëlem duxerit. *Iehovah ſolus ducebat illum* Deut. 32: 12. *Et deduxi vos ad me*: ad locum, ubi me vobis manifeſtare, & fœdus meum pangere, & familiare vobiſcum habere volo conſortium. Hactenus Iſraëlitæ in Ægypto, inter nationem incircumciſam & immundam habitarunt; nunc in deſerto, ab omnibus quaſi nationibus ſeparati, & cum Deo ſolo rem habentes, illiuſque ſolius nutu & imperio viventes, ab illo in terram hæreditati illorum deſtinatam deducendi, quaſi ad Deum ipſum adducti videntur.

Stipulatio divina. §. 34. Ita commemoratis beneficiis *ſtipulatur* Deus & *promittit*. Stipulatur, ut auſcultent voci divinæ & ſervent fœdus: *ſi auſcultabitis voci meæ & obſervabitis fœdus meum* Exod. 19: 5. Cui voci? illi quam in Marah pronunciavit, *Ego Iehova, ſanator tuus.* Quod fœdus? illi de quo Gen. 17: 6: *Stabiliam fœdus meum cum te & ſemine tuo poſt te in fœdus ſeculi, ut ſim tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te*: cujus fœderis ſtatutum & judicium poſitum in Mara. En clariſſimam oblationem fœderis gratiæ: non vocat Iſraëlem ad opera legis, non imponit jugum ſervitutis carnalis, ſed ad fidem & obedientiam illum invitat, & ſanctam ſubjectionem & ſalutarem perſeverantiam.

Promiſſio Peculium Dei. §. 35. Promittit. *Et eritis mihi* סְגֻלָּה *peculium ex omnibus populis* Exod. 19: 5. סְגֻלָּה notat theſaurum & opes, quas homo ſtudioſiſſimè ſervat. Igitur Iſraëlem vult Deus habere *ut theſaurum ſuum*, ut portionem ſuam, ut chariſſimum κειμήλιον: idque *præ omnibus populis & gentibus*, quas interim *ſivit ire in viis ſuis* Act. 14: 17. confer Deut. 7: 6. *Te elegit Deus, ut ſis ipſi populus ſepoſitionis*, peculii, *ex omnibus populis, qui ſunt in facie terræ.* Quanta hæc dignatio, Eſſe סְגֻלָּה peculium & quaſi proprium hæredium altiſſimi Dei! Non alio majori encomio Petrus poteſt evehere excellentiam ſanctorum electorum, quam dicendo, *Vos eſtis gens ſancta*, λαὸς εἰς περιποίησιν *populus peculii* 1 Pet. 2: 9. *Ut eſſemus* λαὸς περιούσιος debuit Jeſus Chriſtus *ſe pro nobis offerre, ut nos redimeret* Tit. 2: 14. Clariſſimum ergo eſt, nec Iſraëli potuiſſe hanc prærogativam promitti, niſi vi æternæ ſponſionis & oblationis ejuſdem Domini & Meſſiæ. Ecce adhuc teſtimonium fœderis gratiæ: E fœdere enim gratiæ eſt gratuita promiſſio maximi & gratuiti beneficii.

Regnum ſacerdotum. §. 36. Pergit divina promiſſio. *Et vos eritis mihi regnum ſacerdotum* Exod. 19: 6. hoc eſt, quaſi integrum regnum, plenum ſacerdotibus 1 Pet. 2: 9. βασίλειον ἱεράτευμα *regium ſacerdotium* ita Sacerdotes ut & Reges; ita Reges ut & Sacerdotes: igitur Regii Sacerdotes,

dotes,& ſacerdotales Reges. Et quomodo hoc, niſi iterum beneficio ejus, *qui nos lavit in ſanguine ſuo, & fecit nos Reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo?* Apoc. 1:6. Cum jam primogenitos ſanctificari ſibi Deus juſſiſſet, & jam eſſent *ſacerdotes* in Iſraele *accedentes ad Dominum* Exod. 19:22. nihilominus omnibus fœdus Dei ſervantibus, & in Deum ut Deum ſuum credentibus, promittitur ſacerdotium, quo poſſint *ſpirituales offerre victimas gratas & acceptas Deo per Sponſorem Ieſum Chriſtum* 1 Pet. 2:4.

§. 37. Concludit Deus. *Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſrael* Exod. 19:6. Adhuc manet, quod aliquoties allegavimus ex Jerem. 7:22. *non præcepi patribus veſtris eo die, quo exierunt ex Ægypto de holocauſto & ſacrificio.* Gratiam divinam & Teſtamentum gratiæ ſpirant verba hæc omnia: quis ergo negabit Iſraelitas fuiſſe ſub fœdere gratiæ?

§. 38. Nondum tamen hic ſubſtitit divina clementia, ſed ſermonem publicum & concionem habere publicam de monte Sina Deus voluit: cujus meditationi caput proximum deſtinavimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Partes capitis §. 1. Autor & præco ſermonis habiti de Sina §. 2-4. Nubes, ignis, fulgura, terror §. 5-7. Cur nullam ſpeciem & formam Dei in monte viderint §. 8. Comites Dei, Angeli §. 9. 10. Etiam Moſes in monte fuit §. 11. Auditores hujus ſermonis §. 12. Mandata ſpecialia ante pronunciatum ſermonem §. 13. Iſraëlis deſiderium, ne loquatur amplius Deus ad illos §. 14. Initium ſ. præfatio ſermonis §. 15. 16. Numerus & diſtributio verborum §. 25. 26. 27. De verbo primo §. 28-30. De Verbo ſecundo §. 31-39. de verbo tertio §. 40-42. de verbo quarto, ubi de loco Geneſ. 2:2. 3. §. 43-62. de Verbo quinto §. 64. de reliquis quinque verbis §. 65-70. Hæc decem verba ſunt verba fœderis, imò fœdus §. 71. natura & indoles illius fœderis §. 72-81. Solutio objectionis §. 82-85. Poſt pronunciatum Decalogum proponuntur varia *judicia* §. 86.

§. 1. Acturi de concione habita in monte Sina, oportet ut videamus 1. Quinam ſermonem illum habuerit. 2. Quo cum apparatu & quibus cum comitibus in Sina is deſcenderit. 3. Ad quos ſermonem illum habuerit, & quomodo ab illis exceptus fuerit. 4. Quinam ſermo ille ſit, quis ejus ſenſus, quæ ſignificatio.

§. 2. Primum quod attinet, *Iehova, Dominus* hujus ſermonis Autor & Præco fuit Exod. 19:9. *Et dixit Iehova, Ecce ego venio in denſa nube.* verſ. 11. *Die tertio deſcendet Dominus in montem Sina* verſ. 20. *Et deſcendit Iehovah in montem Sina in caput montis.* & Exod. 20:1. *Et locutus eſt Deus omnia verba hæc.* Confer Exod. 20:21. *Vos vidiſtis, quod è cœlo locutus ſum vobiſcum.*

§. 3. Sed meminiſſe hic debemus, annon ille *Angelus Iehovæ*, qui in monte Horeb è medio rubi flammantis, ante multos annos, Moſi apparuerat, ſit idem, qui è Sina locutus eſt. Non obſtat, quod qui de Sina locutus eſt, fuit *Iehova, Deus*; qui è rubo *Angelus Iehovæ*: nam hic Angelus in eodem capite tertio Exodi verſ. 4. vocatur *Iehova, Elohim*,

verſ. 6. *Deus Abraam, Iſaac, Iacob.* Eſt enim ille ita *Iehovæ Angelus,* ut etiam ſit *Iehovah.*

Probatur, Angelum Iehovæ de Sina locutum fuiſſe.

§. 4. Et ſanè hunc Angelum Jehovæ de Sina locutum fuiſſe, probare haut difficile eſt. Exod. 3: 12. hic Angelus, qui Deus eſt, Moſi ſignum dat, è quo cognoſceret, ſe verè miſſum à Domino, *cum educes populum ex Ægypto, ſervietis Deo ad montem hunc,* nempe illi *Deo Angelo*, quem in rubo Moſes viderat. Atqui quum Decalogus de Sina eſt pronunciatus, ſervitus ad montem illum & reverentia Deo exhibita eſt. Ergo Angelus ille Deus eſt, cui ad montem Sina ſervitum eſt, quique de Sina locutus eſt. Non enim alius locutus, alius cultus & honoratus eſt. Quis neſcit, Angelum hunc eſſe *Angelum fœderis* Mal. cap. 3: verſ. 3. annon credibile eſt, illum etiam *verba fœderis* elocutum fuiſſe? Stephanus apertè teſtatur, quod *Angelus Moſi ſit locutus in monte Sina:* ab illo igitur dubio procul accepit λόγια ζῶντα *eloquia illa viva, quæ* Iſraeli *dedit* Actor. 7: 38. Paulus Hebr. 12: 26. *Illius,* nempe *Mediatoris Jeſu* verſ. 24. qui eſt *à cœlis* ✝. 25. *vox* ἐσάλευσε *commovit terram* τότε *tunc:* ✝. 26. nim. cum *accederetur ad montem palpabilem* Sina, qui *igne urebatur*, & è quo *ſonus tubæ reſonabat* verſ. 18. 19. Exod. 19: 16. 17. 18. Quid quod Deut. 33: 2. 3. *Iehova,* qui *è Sina venit, à dextra habens ignem legis,* deſcribitur fuiſſe is, qui *ſanctos ſuos medios pede perambulavit ſuo*, hoc eſt, qui inter illos in carne, ut homo manifeſtatus eſt, & habitavit in illis? *ab hujus eloquiis acceptam Legem*, *quam* Iſraeli *præcepit Moſes*, ibidem dicitur verſ. 3. 4. Pſalm. 68. docet, *Sinam montem ſtillaſſe & commotum fuiſſe coram Deo*, *Deo Iſraël,* verſ. 9. Sine dubio illam commotionem reſpicit, quæ facta eſt, cum pronunciaretur decalogus, de qua eſt Exod. 19: 18. *& contremuit totus mons valde.* Atqui ille *Deus Iſraël* dicitur verſ. 18. *aſcendiſſe in altum, captivitatem captivaſſe:* quod verum eſt in Chriſto Epheſ. 4: 7. 8. 9. Ergo Chriſtus Dominus eſt, coram quo mons Sina commotus eſt, quique de Sina locutus eſt. Denique quia is, qui *ſervavit*, *aſſumit, tulit*, *bajulavit omnibus diebus ſeculi* Iſraelem, eſt *Angelus faciei Dei* Eſ. 63: 9. non poſſumus aliter ſtatuere quam hunc Angelum faciei Iſraelem ex Ægypto eduxiſſe, & de Sina monte fœdus promulgaſſe. Idque eam etiam ob rationem, quia is *Deus*, quem Iſraelitæ *tentarunt in deſerto Chriſtus* eſt 1 Cor. 10: 9. imo *illæ contumeliæ,* quæ Deo in Ægypto dictæ ſunt, vocantur ὀνειδισμὸς τοῦ Χριστοῦ *opprobrium Chriſti* Heb. 11: 26. & quia *Filius Dei eſt* ὁ λόγος *ſermo* Joh. 1: 1. הַמְדַבֵּר *is qui loquitur* Eſ. 52: 6. Joh. 8: 25. qui etiam in Paradiſo locutus eſt Adamo Geneſ. 3: 15. & *in diebus Noë in Spiritu ſuo ivit & prædicavit* 1 Pet. 3: 19.

In nube, cum tonitru & fulgure deſcendit Dominus.

§. 5. Quod attinet ad ſecundum, *Venit* & deſcendit Dominus *in denſo nubis* בְּעַב הֶעָנָן Exod. 19: 9. cum *tonitru*, *fulgure*, *& valida voce buccinæ* verſ. 16. ita ut *totus mons Sina eſſet fumus*, *quia Dominus deſcenderat in igne* verſ. 18. confer Deut. 4: 11. *Et mons ardebat igne uſque ad cor cœli*, *tenebræ*, *nubes & caligo.* Hinc Paulus Hebr. 12: verſ. 18. *non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſum ignem, & turbinem, & caliginem*, *& tubæ ſonum.*

Ratio illius terroris.

§. 6. Ad quid autem hic terror? reſpondet Moſes Exod. 20: 20. *Ad tentandum vos venit Deus*, *& ut ſit timor ejus coram facie veſtra*, *ne peccetis.* Timorem ſui in illis voluit excitare: quis non timeat eum, qui tanto cum terrore venit? Timorem ſui in populo valde expetivit Deus. Deut. 4: 10. *Audire faciam illos verba mea, ut diſcant timere me omnibus diebus vitæ ſuæ.* confer Deut. 10: 12. *Et nunc Iſrael quid Iehova requirit a te*, *niſi timere Dominum Deum tuum?* Deut. 5: 29. *utinam eſſet cor illorum ad timendum me. Salus* ſanctorum *cum timore & tremore operanda eſt* Phil. 2: 12.

§. 7. Ne igitur putemus, Dominum, quia tanto cum terrore venit, terribilem legem

operum

operum, quæ condemnat & maledictioni ſubiicit omnes, inculcaſſe & propoſuiſſe. Nam Dominus quoties apparuit ſuis, ſemper terribilis illis viſus eſt. Hinc Moſes, cum in rubo illi appareret Dominus, plenus *timoris*, non audebat illum *aſpicere* Exod. 3: 6. Eſaias exclamat *Væ mihi, pereo. nam Regem Iehovam viderunt oculi mei* Eſ. 6: 5. Daniel metu exanimatus, *Nulla vis*, inquit, *in me ſuperſtitabat. Vigor meus apud me mutatus eſt in corruptionem, non retinui vires*, cum videret *virum illum, talari indutum* Dan. 10: 5-9. etiam Johannes *cecidit ad pedes ejus ut mortuus* Apoc. 1: 17. *Paſtores*, quos *illuſtrabat gloria Domini* ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν Luc. 2: 9. Diſcipuli audientes vocem è cœlo, *Hic eſt filius meus*, & videntes *nubem lucidam*, quæ *illos inumbrabat*, *procidebant in vultum*, *& timebant* σφόδρα *valde* Matth. 17: 5. 6. Mitto plura. Num igitur mirum, Iſraelem in infantia adhuc & quaſi pueritia conſtitutum, ad aſpectum Dei horruiſſe? & Deum populo, qui jam toties murmuraverat, cum videret Pharaonem perſequentem Exod. 14: 10. 11. 12. in Mara Exod. 15: 24. in deſerto Sin Exod. 19: 2. 3. in Rephidim Exod. 17: 2. & cujus duritiem noverat optime, ad terrorem illi incutiendum, terribiliori modo apparuiſſe, ita tamen ut gratiæ ſignificatio non diu abeſſet, ſed mox ſequeretur, quemadmodum & anteceſſerat paulo ante, ut in illis verbis vidimus, *Et eritis mihi peculium, &c.*

§. 8. Deinde & illud notabile eſt, quod Iſraelitæ viderunt quidem fulgura, tonitrua, fumum; imo & audiverunt verba Dei, ſed nullam viderunt ſpeciem, nullamque formam: de quo ita Moſes Deut. 4: 12. *Et locutus eſt Dominus vobiſcum è medio ignis. Sonum verborum audiviſtis, ſed ſpeciem* תְּמוּנָה εἶδος, ὁμοίωμα *non vidiſtis*. confer verſ. 15. *non vidiſtis ullam ſpeciem illo die, qua locutus eſt Dominus ad vos in Horeb*. Magno autem id ſtudio factum, ne corrupte agerent Iſraelitæ, *& facerent ſibi ſculptile ſpeciei ullius ſimilitudinis, inſtar viri & fœminæ, aut ullius pecudis & volucris* Deut. 4: 16. 17. 18. quia enim nullam *formam* aut *ſpeciem* Dei viderant, quomodo ulli formæ aſſimilare illum auderent? *cui aſſimilabitis me, ut adæquer?* Eſ. 40: 25. 46: 5. Nulla forma viſa in Sina.

§. 9. Comites quos Jehova habuit in deſcenſu in Sina, ſunt exercitus myriadum ſanctarum. *Iehova e Sina venit, & venit è myriadibus ſanctitatis* Deut. 33: 2. illis quaſi cinctus ex illis prodiit & verba fecit. Num mirum *Principi exercitus Dei* Joſ. 5: 14. Angelos ſanctos adſtitiſſe? à quibus & adorari debet: *& adorent illum omnes Angeli Dei* Hebr. 1: 6. quique illi *ſervire* debent Matth. 4: 11. Quinimo Angeli, quibus *habitabilis* olim *futura*, nunc præſens, *non* quidem potuit ſubjici, prior tamen aliquo modo ſubjecta fuit Hebr. 2: 5. non potuerunt, nec debuerunt abeſſe à publico & maximè ſolemni hoc actu: Gal. 3: 19. dicitur *lex ordinata* δι' ἀγγέλων *per Angelos*, hoc eſt, præſentibus & adſtantibus Angelis: id & valet particula διὰ 2 Tim. 2: 2. imo quod magis eſt, Iſraelem *accepiſſe legem* εἰς διαταγὰς ἀγγέλων *in diſpoſitiones & ordinationes Angelorum* Act. 7: 53. Comites Domini Angeli.

§. 10. In tranſitu notemus, Angelos ſanctos perpetuos fuiſſe, eſſe & fore comites Domini noſtri, & teſtes operum ſuorum. Cum fundaretur terra, jubilarunt Job. 38: 7. Cum lex data eſt, ut jam jam vidimus, adfuerunt. Nativitatem Chriſti futuram nunciavit Angelus Luc. 1: 28. factum idem nunciavit, & multitudo cœleſtis exercitus decàntavit Luc. 2: 10: 13. In omni tempore, quod fuit in terris, aſcenderunt & deſcenderunt ſuper filium hominis Joh. 2: 52. Cum tentatus fuiſſet à Diabolo, acceſſerunt Angeli & ſervierunt illi Matth. 4: 11. in paſſione Angelus illum confortavit Luc. 22: 43. In ſepulchro duo Angeli inventi ſunt Luc. 24: 4. Cum in cœlum aſcenderet, duo etiam Angeli aderant, & de reditu ejus præconiabantur Actor. 1: 11. Cum de cœlo deſcendet ad judicium noviſſimum, veniet cum Angelis gloriæ ſuæ Matth. 25: 31. Angeli perpetui Domini comites.

Moſes in monte & Aharon.

§. 11. Etiam Moſes in monte fuit, cum Dominus de monte loqueretur: Act.7:38. *Hic Moſes eſt, qui fuit in Eccleſia in deſerto apud Angelum, qui loquebatur ad illum in monte Sina.* Exod.20:21. *& Moſes accedebat ad caliginem ubi Deus erat.* Deut.5:5. *Ego ſtetꝰ inter Iehovam & inter vos in tempore illo, ad indicandum vobis verbum Domini, nam timebatis præ igne*: fuitque adeo Moſes internuncius & quaſi medius inter Dominum loquentem & populum audientem; unde & μεσίτης Mediator dicitur Gal.3:19. Sed timente omni populo, nec Moſes omnis metus fuit expers: *Et, adeo terribile erat* τὸ φανταζόμενον *quod videbatur, Moſes dixit, exterritus ſum & tremebundus* Heb.12:21. hæc verba, quæ Paulus Moſen dixiſſe docet, etſi in ſcriptura non reperiantur, in hiſtoria tamen ſubindicari videntur Exod.19:19. *Et erat vox tubæ magis magiſque increbreſcens. Moſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei cum voce.* Ecce, Moſes *loquebatur.* quid? ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος, docente Paulo. Aharon etiam fuit in monte Exod.19:24. *Et aſcendes tu & Aharon tecum.*

Auditores ſermonis de Sina.

§. 12. Nunc & dicendum de *tertio.* Auditores hujus ſermonis fuerunt univerſus Iſrael. Exod.19:17. *Et eduxit Moſes populum in occurſum Dei è caſtris; & ſubſtiterunt in inferiori montis.* Exod.20:18. *Et omnis populus vidit tonitrua & vocem tubæ.* confer verſ.19. *ne loquatur Deus nobiſcum*, nimirum ſecunda vice. Deut.4:10. *Congrega mihi populum, & faciam illos audire verba mea.* Deut.5:24. *fecit nos videre Dominus Deus noſter gloriam ſuam, & vocem illius audivimus è medio ignis, hoc die vidimus, quod loquitur Deus cum homine & vivit*, hoc eſt, vitam retinet homo. Fuitque quaſi ille dies, *dies comitii, & ſtetit totus populus coram Deo ſuo*, & convenit ad audiendum vocem Regis ſui. confer Deut.9:10. בְּיוֹם הַקָּהָל *in die comitii.* Lxx. ἡμέρᾳ ἐκκλησίας. Sic Deut. 10:4. 18:16. Act.7:38. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.

Præceptum datum ante Decalogum.

§.13. Antequam autem Iſraëlitæ ad audiendum accederent, præceptum dat Deus Moſi 1. *Ut eos ſanctificet.* Exod.19:10. *Sanctificabis illos hodie & cras*, hoc eſt, omne immundum jubebis auferri, & præparabis eos, ut ſanctè ad me accedant. confer Job.1:5. *Miſit Job, & ſanctificavit filios ſuos.* 1 Sam.16:5. *Et ſanctificavit Ieſſe*, juſſit illum purum adeſſe. Igitur *lavant veſtes, ad uxorem non accedunt, & in tertium diem*, quo comitium debebat haberi, *paratos ſe tenent* Exod.19:14.15. 2. Ut *terminus* coërceat populum undique Exod.19:23. *terminis include montem.* Noluit Deus populum in montem aſcendere, aut partem montis tangere: pœnamque mortis in transgreſſores ſtatuit. *Ne attingat manus montem: nam lapidabitur aut jaculis confodietur, ſive ſit pecus ſive homo, non vivet* Exod.19:13. Etiam *ſacerdotes accedentes ad Dominum ab hoc præcepto non ſunt immunes* Exod.19:24. Paulus hoc edictum ut durum & grave conſiderans, ita de eo loquitur Heb. 12:20. οὐκ ἔφερον τὸ διαστελλόμενον, *non ferebant quod edicebatur*, &c. Sanè quam *bonum* eſt & ſuave *accedere ad Deum* Pſ.73:28. *Beatus quem eligis & jubes propè ad te accedere* Pſ. 65:5. tam durum & triſte eſt ab acceſſu ad Deum arceri. Voluit Deus hoc ipſo docere, Iſraëlitas in ſe nec ſanctos, nec puros, nec aſpectu Dei dignos eſſe. Animalia ipſa, vanitati hominum inſervientia, propter Iſraëlem etiam ut impura reputantur: idcirco inquit, *Si animal tetigerit, lapidabitur.* Apparuit nondum adfuiſſe pleniſſime *introductionem illam melioris ſpei, per quam prope accedimus ad Deum* Hebr.7:19.

Iſraëlitæ deprecantur, ut ne amplius audiant vocem Domini.

§. 14. Cæterum quamvis Iſraëlitæ ſibi gratularentur, quod *vidiſſent Dei magnitudinem, & audiviſſent ejus vocem*, & adhuc *viverent* Deut.5:24. tamen poſt auditum ſermonem ita Moſen alloquuntur, *Loquere tu nobiſcum & audiemus, & ne loquatur Dominus, ut ne moriamur* Exod.20: verſ.19. confer Deut.5:25. *Et nunc, quare moriemur, ut comedat nos ignis magnus hic, ſi addimus nos audire vocem Domini Dei noſtri, adhuc & moriemur,*

mur. Confer verſ. 27. Atteſtatur Paulus Hebr. cap. 12: verſ. 19. *qui audiverunt vocem verborum, deprecati ſunt, non addi ſibi ſermonem.* Agnoſcunt ſcilicet Iſraelitæ Dei majeſtatem & ſupereminentiam: norunt ſuam fragilitatem & impotentiam. Sciunt, Deum purum oculis, ne videat malum: ſe verò in peccatis natos & multis pravitatibus fœdatos. Ignis, elementum horribile & vorax, tonitrua, fulgura etiam fortiſſimas proſternunt mentes. Angeli *faciem alis tegunt*, ne videant gloriam Sanctiſſimi Eſ. 6: verſ. 2. Num igitur mirum, Iſraelitas oraſſe, ne Deum omnipotentem amplius tanto cum terrore, & cum tam multo igne viderent & audirent? Nec Deus hoc illorum petitum ingratum habet. הֵיטִיבוּ כָּל־אֲשֶׁר דִּבֵּרוּ *bene loquuti ſunt, quod loquuti ſunt*, ita de illo pronunciat Deut. 5: 28. confer Deut. 18: 17. Humilis animus, confeſſio indignitatis, cor contritum, ſunt *ſacrificia Dei* Pſalm. 51: 18. *τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός* Hebr. 13: 16. Hoc *bonum*, & hoc *à te exigit, homo*, ut *humiliter ſecum ambules* Mich. 6: 8.

§. 15. Sed nunc & de *quarto* agamus, nimirum de ſermone ipſo, quem de Sina Deus locutus eſt, & populus auribus ſuis audivit.

§. 16. Initium hujus ſermonis ita habet: *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui te eduxi è terra Ægypti, è domo ſervorum* Exod. 20: 2.

Initium ſermonis.

§. 17. Angelus fœderis, Angelus Teſtamenti *Jehova Deus Iſraëlis* eſt: quod Abrahamo promiſit, *Ero tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te* Geneſ. 17: 7. nunc ſemini ipſi appropriat, *Ego Iehova Deus tuus.* Qui *nomine ſuo Iehova Patribus non innotuit* Exod. 6: 2. nunc ſemini illorum illo nomine innoteſcere incipit. Quantus honor, & quam ingens gratia! *non pudet* Iſraëlis *Deum, quin Deus ipſorum nominetur* Hebr. 11: 16.

Angelus fœderis Jehova Iſraëlis eſt.

§. 18. Dum dicit, *Ego Iehova Deus tuus*, dat Iſraëli libertatem dicendi, Tu es Jehova *Deus meus*: quod maximi eſt amoris, & communionis ac unionis intimæ.

§. 19. Dum dicit, Ego *Deus tuus*, ſimul dicit & indicat, *Tu es populus meus*: hæc enim conjuncta ſunt, & ſeparari non poſſunt: *Ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum* Exod. 6: 6. Jerem. 31: 33. Levit. 26: 12. Confer Deut. 26: 18. *Iehova dedit tibi poteſtatem dicendi, quod factus ſis ipſi populus peculii.* & Deut. 27: 9. *factus es populus Iehovæ Deo tuo.*

Magna emphaſis in hoc verbo, Ego Jehova Deus Tuus.

§. 20. Sed & omnia maxima, *gratias permanentes, vitam, ſalutem* promittit, dum dicit, *Ego Iehovah Deus tuus*, imò & *beatitudinem, ſanctificationem, civitatem æternam, corporis reſurrectionem* liberaliſſime offert & præſentat.

§. 21. Dico 1. omnes gratias. In eo enim quod *Iehova* eſt, continetur, quod eſt *gratioſus, miſericors, multus gratia & veritate, condonans peccatum & pravitatem* Exod. 34: 6. Et quum dicit, *Ego Iehova tuus*, clariſſime promittit, ſe gratiam, miſericordiam, veritatem ſervaturum Iſraëli: quod ſi non habet propoſitum, quomodo poſſit dicere, Ego *tuus.*

2. Sanctificationem. *Ego Iehova ſanctificator veſter* Exod. 31: 13. Ezech. 20: 12. Levit. 20: 8. 21: 8. 15: 23. Ezech. 37: 28. *Ego Iehova ſanctificans Iſraëlem* מְקַדֵּשׁ אֶת־יִשְׂרָאֵל: Ita conjuncta hæc ſunt, *Iehova, ſanctificator*: unum dicendo, & alterum dicitur. Ad minimum autem, *Ego ſanctifico vos*, ſignificabit, *ego regenero, renovo vos.* confer 1. Cor. 1: 30. *factus eſt nobis à Deo ἁγιασμὸς Sanctificatio.*

3. Vitam, immortalitatem, reſurrectionem. *Deus non eſt Deus mortuorum, ἀλλὰ ζώντων ſed viventium: omnes enim ipſi vivunt* Luc. 20: 38. *De reſurrectione mortuorum annon legiſtis, quod dictum eſt à Deo, Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob* Matth. 22: 31.

4. Civitatem. *Non erubeſcit Deus*, θεὸς ἐπικαλεῖσθαι αὐτῶν: *præparavit enim illis civitatem* Hebr. 11: 16. ſanè illam, quæ *fundamenta habet*, *cujus conditor Deus* Ibid. ℣. 10.

5. Beatitudinem. *Beata gens*, *cujus Deus eſt Iehova*, *populus*, *quem elegit ſibi hereditatem* Pſalm. 33: 12.

§. 22. Hæc omnia maxima debuit Iſraël à gratia divina ſperare, dum vocem audivit Dei, *Ego Iehova Deus tuus.* Itaque omnia beneficia totius fœderis gratiæ, ut in hoc nomine continentur, ita in his vocibus Iſraëli proponuntur & offeruntur. Non igitur tantum indicat Deus Iſraëli, dicendo, *Ego Iehova Deus tuus*, *ſe eſſe*, *& æternum eſſe*, creaſſe omnia, conſervare omnia; ſed imprimis Teſtamentum & conſilium gratiæ, & divitias bonitatis ac miſericordiæ, quæ omnia caro & ſanguis revelare non poteſt, revelat & aperit, & Iſraëli libertatem dat, fide & fiducia omnia maxima illa ſibi applicandi, & Deum habendi pro juſtitia, ſanctificatione, vita & ſalute ſua.

§. 23. Si enim hæc loquendi formula ſumma hæc beneficia comprehendit & in emphaſi ſua includit, ut clariſſimis Scripturæ locis probavimus, non potuit non Iſraël, illuminatus & eruditus à Spiritu, qui certè, in medio illius ſtetit, audiendo, *Ego Iehova Deus tuus*, χαρίσματα hæc ſalutaria ſibi applicare, & à Deo veritatis indubitata ſpe, & fiducia firma exſpectare & petere, præſertim cum paulo ante dixiſſet Deus, *Eritis mihi peculium*, *regnum Sacerdotum*, *gens ſancta* Exod. 19.

Domus ſervitutis. §. 24. Addit Deus, *qui eduxi te è domo ſervitutis.* Pharao Ægypti Rex duplicem Iſraëli intentavit ſervitutem, *corporalem & ſpiritualem*: illam, dum in præparando luto & urendis lateribus & colenda terra Iſraëlem occupatum eſſe voluit: hanc, dum maſculos juſſit interfici, ut ita paulatim ſuis miſcerentur filii filiæque Iſraël, & unus populus fierent cum Ægyptiis, iiſdem viventes ſtatutis, iiſdem ſervientes idolis. Ex hac ſervitute eduxit Deus populum, & illum *deduxit ad ſe* Exod. 19: 4. Eſt enim *Iehova Deus* Iſraëlis; qui gratuam ſuam volens in gentem hanc effundere, & thronum gratiæ in illa erigere, nec voluit nec potuit illam relinquere ſub jugo, nedum illam committere cultui falſo & idololatrico.

Verba decem. §. 25. Videamus autem *omnia verba* ſeu præcepta ſermonis habiti de Sina. *Verba* dicimus; ita enim illa nominare amat Scriptura dum indicat *decem* illa eſſe, nec plura nec pauciora. confer Exod. 20: 1. *locutus eſt Deus omnia verba hæc.* Exod. 34: 28. *Et ſcripſit in tabulis verba fœderis* עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים *decem illa verba.* Confer Deut. 4: 13.

Quomodo illa dividenda. §. 26. Diu multumque quæſitum eſt, quomodo hæc decem verba dividenda ſint: utrum quatuor pertineant ad Deum, ſex ad hominem: an potius illa tria ſint, & hæc: *Non erit tibi Deus alius*, &, *Non facies tibi ſculptile*, unum tantum præceptum: aut an iſta ſeptem, & ita extrema verba, *Non concupiſces uxorem*, *Non concupiſces domum proximi*, in duo præcepta debeant dividi. Auguſtino olim *videbatur congruentius*, *accipi tria illa*, *& iſta ſeptem*, *quoniam Trinitatem videntur illa*, *quæ ad Deum pertinent*, *inſinuare diligentius intuentibus.* Quæſt. ſuper Exod. quæſt. LXXI.

§. 27. Nobis tamen videtur Eccleſiam reformatam optimo jure quatuor verba referre ad Deum, quia ſenſus primi & ſecundi non eſt idem, ſed aliquo modo diverſus: nam quod in primo latè tantum & quaſi è longinquo innuitur, id in ſecundo expreſſius & verbis conceptis tractare & vetare ſoli ſapienti Deo conſultum viſum eſt: & ſex referre ad hominem, quia ultimum, quod agit de concupiſcentia, non commode dividitur in duo, *concupiſcentia* enim ibi prohibetur æqualiter. Quare eo minus laudandi ſunt illi, qui eo obtentu, quod duo priora unum tantum conſtituunt *verbum*, id, quod de non faciendo ſculptili & imagi-

ε ne

ne loquitur, plane omittunt, neque catechumenis ediſcendum commendant, & libris ſuis rariſſime inſerunt: qui tamen memores eſſe debebant illius quod eſt Deut. 4: 2. *non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, & non detrahetis de illo*. Sed accedamus ad rem ipſam.

§. 28. Verbum primum. *Non erit tibi Deus alius coram facie mea* Exod. 20: 2. Hoc ex illo ſequitur elogio: *Ego Iehova Deus tuus*: quia ego ſum *Deus tuus*, non erit tibi alius coram me. Docemur, 1. Deum Eſſe *Unum*, cujus eſſentia æterna & infinita. Sed ita *Unum*, ut ſit *Trinnus*; eſſentia Unum; perſonis Trinum: quod myſterium ſenſibus imperceptibile, rationi incomprehenſibile, intellectui impervestigabile; fidei autem revelatum & peramabile, prima pagina ſacrarum literarum inculcat quam clariſſime Geneſ. 1: 1. 2. 26. & ipſe Decalogus, pronunciatus ab *Angelo Teſtamenti*; qui ſecunda admirandæ Trinitatis perſona eſt, confirmat evidentiſſime. 2. Hunc unum Triunum Deum eſſe Creatorem & Conſervatorem omnium: neque enim ille Deus eſt, qui שְׁמַיָּא וְאַרְקָא *cœlum & terram non fecit* Jerem. 10: 11. neque Creator eſt; qui quæ creata ſunt, non conſervat: conſervatio enim eſt continuata creatio Actor. 17: 28. imo vitam, juſtitiam, ſalutem Peccatorum. Deus enim *non eſt Deus mortuorum, ſed viventium* Matth. 22: 32. Et *Deus* eſt *juſtitia noſtra* Jerem. 23: 6. & *Domini* eſt *ſalus, ſuper populum illius benedictio* Pſalm. 3: 9. 3. Uni & ſoli huic Deo gloriam tum *creationis*, quæ verbo facta eſt; tum *redemptionis*, quæ *pretioſi ſanguinis* fuſione, & *morte Principis vitæ* acquiſita & obſignata eſt; omnesque honores divinos competere.

Verbum primum.

Deus Unus, Trinus.

Creator omnium.

Vita, juſtitia Peccatorum.

Illi ſoli gloria divina competit.

§. 29. Peccant in hoc præceptum 1. Ii, qui dicunt, nullum eſſe Deum: *dicit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus* Pſalm. 14: 1. Ita quidem *ſtultus* dicit, *ſapiens* autem negat: deinde *dicit* id *in corde ſuo* vellet enim id ita eſſe, non autem id in corde ſuo certum habet: & cùm dicit, *non eſt Deus*, jam illo ipſo oſtendit, ſe habere opinionem numinis: imò id dicendo contradictoria loquitur; dicit enim *non eſſe* eum, qui ſemper eſt, & non poteſt non eſſe, & æternus eſt, & immutabilis, & infinitus. 2. Ii, qui dicunt eſſe plures Deos, ut olim gentiles, qui defendebant τὴν πολυθεότητα ſive τὴν πολυθείαν *deorum multitudinem*; & ſecus ſentientes reos agebant τῆς ἀθεότητος. Aut, qui dicunt eſſe majorem & minorem Deum, qualem faciunt *Dominum noſtrum Jeſum* hæreticorum multi: qui vel hoc ſolo argumento refutari poſſunt, quod ille, qui dicit *Ego Iehova, Non erit tibi Deus alius*, ipſe Dominus Chriſtus eſt. 3. Ii qui attributa divina & gloriam divinam & honorem divinum creaturis ſive *non-Deo* attribuunt: quales ſunt, *quibus vis ſua eſt Deus ſuus* Hab. 1: 11. Item, qui ſanctos invocant, & ab illis juvari volunt. Item, qui cultum δουλείας & ὑπερδουλείας Angelis, Mariæ virgini, Cruci S. ligno, è quo Chriſtus pependit; etiam oſſibus, tumulis & reliquiis ſanctorum, ut loquuntur, tribuunt.

Quinam in hoc peccent præceptum?

§. 30. Manet, *Non erit tibi Deus alius coram me*: hoc eſt, nemo à te coletur, reputabitur, æſtimabitur, neque ut numen æternum, neque ut Creator univerſi, neque ut ſalus & juſtitia hominis ipſi. Neminem mecum junges, aut ſocium mihi facies. Ego Deus ſolus & unus ſum ab æterno in æternum Creator & Dominus omnium: Reſtaurator, Redemptor eorum, qui ſervantur: Solus dignus accipere gloriam & honorem, obedientiam & confeſſionem. *Ego Iehova, hoc eſt nomen meum gloriam meam alii non dabo* Eſ. 42: 8.

§. 31. Verbum ſecundum. *Non facies tibi ſculptile & omnem formam, quæ eſt in cœlis ſuperne, & quæ eſt in terra inferius, & quæ eſt in aquis infra terram: non adorabis illa & non ſervies illis* Exod. 20: ỳ. 3. 4.

Verbum ſecundum.

§. 32. Omnem formam & imaginem, ſive illa ſit in cælis, ut Luna, Sol, Sidera; ſive in

Senſus illius.

terra,

terra, ut homo; pecudes, volucres, reptilia, arbores; ſive in aquis, ut piſces, margaritæ &c. fieri Deus prohibet. *Non facies.* Ut autem duplex eſt operatio, alia interna, alia externa; illa *mentis*, hæc *manus*: ita imago & ſculptile fit vel manu vel mente: *Manu*, cum noſtra arte, aut è noſtris opibus externum aliquod πλάσμα aut opus componitur. *Mente* non tantum cum illa decernit manu ſua tale quid fingere, ſed etiam cum illa ſuo arbitratu & conſilio, & voluntate priva inſtituit cultum Dei & religionem. Omnis cultus excogitatus & omnis adinventio humana ad colendum Deum, ſculptile mentis eſt, quod mens ſibi fecit *adorandum*, idque ſibi propoſuit *ſerviendum*. Ita quamvis externum ſæpè ſculptile nullum fiat, tamen mente proprium cultum, quo ſervire Deo velit, pro arbitratu & motu ſuo fingente, in præceptum hoc peccatur, & contra illius mentem agitur. Quamvis autem præceptum loquatur de externo ſculptili, quod fit ad ſimilitudinem rerum externarum, quæ videntur aut in cælo, aut in terra, aut etiam ſunt in aquis, tamen ſub his exemplis interdicta cenſeri debent omnia illa, quæ in ſe ullam habent ſimilitudinem externorum ſculptilium, qualem habent interna mentis conſilia & adinventa, quæ humana mens facit, & de ſuo facit, & ad lubitum ſuum format & fingit; quemadmodum externum ſculptile *manus* humana facit, & ex propriis materialibus exſtruit. Nulla etiam externa ſculptilia manus hominum unquam feciſſet, niſi mens plena errorum, & malarum adinventionum, & conſiliorum carnalium fuiſſet. Motus enim membrorum voluntatis ſequitur motum. Illa membris imperat, & per illa facit, quæ ſine illa nil facere poſſunt.

Mens Præcepti. §. 33. Ut autem Præcepti mens rectè cognoſcatur, ſciendum, quid Deus proprie velit & intendat. Non, ne Imago aliqua fiat, quæ pro Deo ipſo habeatur, & cui dicatur, *Tu es Deus meus*: id enim quam clariſſimè prohibitum eſt in primo, ſi enim *non erit nobis Deus alius*, nunquam res alia extra Deum, Deus erit, aut pro Deo habebitur, & ut Deus coli debet. Sed prohibet diſtinctè Deus

1. Ne faciat Iſraël imaginem ullam, ad quam aut in qua Deus colatur. Multi fatentur, non eſſe Deum alium præter illum, qui dixit, *Non erit tibi Deus alius*: putant autem illum Deum in imagine aut ſculptili coli & adorari poſſe: honorem, qui imagini defertur, in ἀρχέτυπον & cauſam primam redundare: ita gentiles olim ſibi perſuadebant, ſe Deos ſuos colere in tauro, equo, lapide. Ita & Iſraëlitæ in vitulo præſentem ſe habere Deum, & in illo viſibiliter coli & accedi erroneè putabant. Id jam diſertiſſime prohibetur, *Non facies tibi ſculptile aut ullam formam, non adorabis illam, nec illi ſervies*, cultu nimirum religioſo. Manifeſta autem hujus præcepti ratio eſt: *Deus non eſt ſimilis argento, auro, lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis humanæ* typo Actor. 17: 29. Quomodo ergo in lapide, auro, aut ſculptura adorari poteſt? adorabitur enim in eo, in quo non eſt, quod non eſt, quod nullam cum Deo ſimilitudinem habet. Eſt Deus excellentior excellentia infinita omnibus imaginibus & formis quæ fieri poſſunt. *Cui aſſimilabitis me & exæquer? quam ſimilitudinem ponetis* Deo? Eſ. 40: 18. 25. Deus ſpiritus eſt æternus, vita, lux, ipſa beatitudo: omnes imagines, omnia ſimulacra ſunt facturæ terreſtres, corpora caduca, vita carent. Major eſt convenientia inter lucem & tenebras, inter calidum & frigidum, quam inter Deum immenſum, infinitum, & χάραγμα arte manuque factum: *quid prodeſt ſculptile, quod ſculpſit illud formator ejus, fuſile eſt, & docens mendacium: ecce auro tenetur & argento; & ullus ſpiritus non eſt in illo* Habac. 2: verſ. 18. 19. confer Pſalm. 135: verſ. 15. 16. 17. Igitur Deum, qui incomprehenſibilis eſt, toto univerſo omnibusque creaturis major, in imagine velle colere, & inviſibilem illum ſub ſenſus noſtros ſubjicere, & ulla ſpecie repreſentare, quid hoc aliud eſt, quàm

Deum

Deum facere creaturis ſimilem, & illum ad creaturarum redigere vilitatem, *& gloriam incorruptibilis Dei mutare in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis & volucrium & reptilium?* Rom. 1:23. Certè honor qui Deo competit ſoli, in partes dividitur. Et pars una divini honoris imagini offertur, Deo autem altera tantum: ita honor, qui Deo offertur, non erit integer, ſed imperfectus & mancus, adeoque vitioſus.

2. Ne unquam Iſraël putet, ſe propriis adinventionibus & conſiliis ſuis Deum colere poſſe. Non enim fieri debet *ſculptile ullum*: nec externe manu; nec interne mente. Non licet homini modum ponere cultui divino è ſapientia carnis: aut conſilia, quibus Deus, velit nolit, aſſentiri cogatur, fingere. Viæ divinæ & *cogitationes* Dei *non ſunt ut noſtræ* Eſ. 55: 8. *Mentem Domini quis novit*, aut quis in communicationem divini conſilii intravit? Rom. 11:34. Nemo præter Deum ſcit, quodnam ſit τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον Rom. 12:2. Non poteſt cultus Deo eſſe honorificus, cujus Deus autor non eſt. Ut in Deum omnis cultus deſinit, ita & ab illo, hoc eſt, illo jubente & præſcribente incipere debet. *Timor Dei ne ſit præceptum hominum condocefactum* Eſ. 29:13. *Fruſtra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum* Matth. 15:9. Non poteſt cultus eſſe rectus, quem cor hominis, quod malum eſt omni die comminiſcitur. Et quia quodlibet agit ſecundum naturam ſuam, certe non poteſt cultus ab homine excogitatus, labe carere & macula. Veſtigia enim inventoris referet. Ita homo pro lubitu & è conſilio ſuo Deum colens, faceret Deum ſibi ſimilem, & Deus peccatori fieret ſimilis, & lux commiſceretur cum tenebris. Ergo omnis ἐθελοθρησκεία, hoc eſt, cultus divinus, non è voluntate Dei, ſed è priva voluntate hominis inſtitutus, qui quaſi ſculptile eſt, quod mens ſibi fingit *adorandum & colendum*, hoc ſecundo præcepto prohibetur.

§. 34. Eſt autem hoc præceptum, ut cætera Decalogi, æternæ veritatis. Nunquam fuit rectum, nec unquam poteſt eſſe rectum, ut Deus colatur in imagine & aſſimiletur creaturis; aut ut mens humana formet ſibi ſculptilia, & è conſilio carnis ſerviat Deo. Igitur ut natura docet & ſana ratio, Deum eſſe unum, ita etiam clamat, Deum in ſtatuis & ſculptilibus non eſſe quærendum aut colendum: unde & gentium Poëtæ cantarunt, *Deum animum pura mente*, non in imaginibus *colendum*. Quare non ideo tantum à cultu Dei in imagine abſtinendum, quia Deus ita vult & ordinavit & inſtituit; quamvis & propterea: voluntas enim Dei ſanctiſſimi ſumma Lex eſto; ſed quia Lex naturalis, veritas immutabilis, æterna juſtitia id imperant & ſuadent. Simul hinc apparet ſecundum præceptum nequaquam eſſe de genere illorum præceptorum, quæ δόγματα *placita* vocantur, qualia ſunt præcepta de ſacrificiis, lotionibus, circumciſione, diſcrimine ciborum: nam quod ipſa φύσις *natura* docet, & quod ſemper manet, & abrogationi ac abolitioni non eſt obnoxium, δόγμα non eſt.

Præceptum ſecundum æternæ veritatis.

§. 35. Quamvis autem præceptum primum in latitudine ſua complectitur omnia officia ſecundi, tamen ſapientiæ divinæ viſum eſt, peculiari de illis præcepto Eccleſiam Iſraëlis monere, ut ſciret, diligentiſſimè cavendum eſſe à peccato, ad quod mens humana, jacens in malo, valde prona eſt, quodque illi plauſibile videtur.

§. 36. Sed porro etiam moneri debemus, quamvis *facere & pingere imagines* per ſe peccatum non ſit; ut enim artium omnium cauſa prima Deus eſt, qui hominibus facultatem talem & aptitudinem indidit, ita, quod ars operatur, dummodo nemo arte abutatur, non poteſt malum eſſe; tamen quia Deus dixit, *Non facies tibi imaginem*, non poteſt juſtum eſſe, ut imago Dei fiat aut pingatur, aut ut imagines rerum ſacrarum in templa & loca religioſa inferantur. *Filius Dei imago Dei eſt* Col. 1: verſ. 15. nulla alia res

An imagines facere licitum ſit?

Deum repræſentare aut exhibere in effigie poteſt. *Inviſibilia*, id quod oculis videtur minimè eſt: quare non merentur laudem, qui Deum, imo ipſam Trinitatem depingere non verentur. Symbola illa & organa quod attinet, in quibus Deus viſus eſt olim; quemadmodum Spiritus S. deſcendit ſuper Dominum Jeſum *ὡσεὶ περιστερὰ columba* Matth. 3: 16. & Seniores Iſraëlis *viderunt Deum*, & *ſub pedibus ejus* erat *ut pavimentum è ſapphyro* Exod. 24: 10. & Eſaias vidit illum in *ſolio excelſo cum fimbriis oblongis* Eſ. 6: 1. nec illa depingi è re eſt: nemo enim noſtrum illa ſuis oculis vidit: nec illa ſcripta ſunt, ut depingerentur, ſed ut fidei lumine conſiderarentur: & animus melius illa contemplari, quàm manus ulla poteſt pingere, & quidquid etiam pingas, tamen non id ipſum, quod ſancti viderunt, ſecundum omnes partes depingi, & omnibus cum circumſtantiis exhiberi poteſt. Ita Eſaias ſcribit, ſe vidiſſe Deum in ſolio, & fimbrias ejus; non autem, quæ forma aut quis Domini aſpectus fuerit. Ergo qui viſionem hanc depingere vult, ad illam de ſuo addet: ita jam pictura ficta erit & imperfecta: denique nullus pictor gloriam & claritatem & lucem, quæ ubique ferè apparitiones divinas comitata eſt, depingere poteſt.

§. 37. Neque etiam imagines, quibus templa ornantur, multum proſunt, imo ſæpe nocent: homines enim umbris delectantur, & ad rem ſignificatam vix attendunt; *quando imagines in loco ſublimi ponuntur, ſeu in quodam ſuggeſtu, procreatur affectus pravus in animis, quo invitatur diabolus ut ſe admiſceat* Auguſtinus in Pſal. 113. Omnis via, quæ ad ſuperſtitionem & idololatriam ducit, præcidenda eſt. Reſonent hiſtoriæ ſanctæ ea qua decet gravitate cottidie de cathedra, tum non erit opus ut videantur de pariete, aut ut illinantur columnis & contignationibus.

Solvuntur objectiones.

§. 38. Neque magni momenti eſt, quod objici ſolet, Deum olim juſſiſſe fieri Cherubinos Exod. 25: 18. ſerpentem æneum Num. 21: 8. Nam 1. quod juſſu Dei tunc factum, nunc, ubi expreſſum tale mandatum non habemus, fieri non debet. 2. Tempore priori, umbræ, ceremoniæ & figuræ magna pars cultus erant, tales figuræ cum ceremoniis ad inſtitutionem majorem copulabantur. Nunc autem ceſſantibus ceremoniis ceſſent etiam viſibiles hæ figuræ. 3. Deus Arcam cum Cherubinis abſtulit, & diu ante prædixit, fore, ut nulla mentio fiat *arcæ* amplius, ut *non aſcendat in cor, ut non viſitent illam*, imo *ut non fiat adhuc*, ſecunda quaſi vice Jerem. 3: 16. Ergo Arcam & Cherubinos ad tempus tantum voluit eſſe. Quod autem Deus ipſe abrogavit, id nobis de novo moliri & facere non eſt integrum. Oſtendit enim Deus auferendo Arcam cum Cherubinis, imo jubendo, ne quis illam iterum faciat, ſe à cultu ſuo ejuſmodi viſibiles figuras *ἀπὸ τοῦ νῦν a nunc* excludere. Si quis ergo facit aut Arcam, aut Cherubinos, aut aliud quid, facit id, quod fieri nequaquam debebat. וְלֹא יֵעָשֶׂה עוֹד Jerem. 3: 16. & eſt *παραβάτης transgreſſor præcepti*. 4. Corpore extante abeunt umbræ. Serpens exaltatus fuit umbra Chriſti in cruce exaltati Johan. 3: 14. Arca & Propitiatorium fuit umbra Chriſti, in *cujus viſceribus Lex Dei eſt* Pſalm. 40: verſ. 9. *quemque Deus propoſuit ἱλαστήριον* Rom. 3: 25. ita & Cherubini aliud quid abumbrârunt. Cum igitur omnes hæ figuræ fuerint figuræ futurorum, quid juvat corpore & veritate ipſa exſtante tales figuras iterum introducere? Eccleſia vetus & purior, quadringentis circiter annis à Chriſti Domini aſcenſu, omnibus imaginibus & pictis figuris caruit.

Sigillum Præcepti ſecundi.

§. 39. Eximio autem *ſigillo* (2 Tim. 2: 19.) munivit Deus verbum hoc: Exod. 20: 5. 6. *Nam ego Jehova Deus tuus*. Quia ego Jehova Deus tuus, qui nec mutari, nec ulli rei aſſimilari poſſum; qui ſolus volo eſſe Autor & Dominus cultus mei; qui in Spiritu volo adorari, non facies imaginem, quam è tuo arbitratu adores, cuique ſervias. *Deus zelotes*, qui deſiderio gloriæ meæ ardeo, nec gloriam meam auferri mihi ſino, illamque à violantibus vindico:

dico: Deut. 5: 9. 6: 15. *Viſitans peccata patrum in filios, in tertios & quartos oſorum meorum*, intellige in nepotes & pronepotes. confer Num. 14: 18. Ita Deus oſtendit ſæpe ſeveritatem in filiis peccatorum. Qui vi fœderis operum omnes Adami filios, quia *in ipſo peccarunt omnes* Rom. 5: 12. 16. 18. condemnavit, is non obſtante fœdere gratiæ ſæpe peccata patrum in poſteris caſtigat. Ita Davide peccante luit Iſraël 1 Chron. 21: 17. *& hi, oves, quid fecerunt?* Et Salomone impie agente pœna in Rehabeamum quaſi devoluta eſt. Intercedit tamen plerumque ipſa filiorum impietas: ut in Iſraële & Rehabeam videre eſt. Non tamen in infinitum procedit ira. Viſitat in tertios & quartos. Gratia verò redundat in longe plures. *Faciens gratiam in millenos.* Ita *gratia* cum *Domino eſt*, *& multa cum illo redemtio* Pſalm. 130: 4. Gratia fit *Patribus* & *Filiis*: nam in millenos. In ipſa *ira* & peccati viſitatione, *recordatur* Dominus miſereri Hab. 3: 2. Gratia autem fit *amantibus*. לְאֹהֲבַי *amantibus me*. Fons *amoris* gratia eſt: neque enim quis ex ſe amat Deum, niſi cui divina gratia amorem largitur & *effundit in cor* Rom. 5: 5. Ut autem gratia amorem antecedit, ita & amorem ſequitur. Ita ex gratia amor eſt, & in gratiam amor vergit: quem gratia generavit, non poteſt non gratiâ coronare. *Et ſervantibus præcepta mea.* Gratia divina operatur amorem: amor obedientiam: ita amor ἐνεργεῖ *fit efficax*.

§. 40. Verbum tertium: *Non feres nomen Jehovæ Dei tui in vanum.* Datur hic Iſraëli poteſtas ferendi nomen Jehovæ Dei ſui; ſed ne id in vanum feratur. Quodnam Dei nomen ſit, liquet ex Exod. 34: 5. 6. 7. *Et clamavit Dominus in nomen Jehova. Et clamavit, Iehova, Iehova, Deus miſericors & gratioſus, longanimis, multus gratia & veritate, ſervans gratiam in millenos, condonans peccatum & defectionem.* Videmus *Nomen Dei* ſignificare omnem gratiam, bonitatem, veritatem, miſericordiam; unde Dominus vocatur gratioſus, miſericors, &c. Inde facile eſt intelligere, quid ſit *ferre Nomen Dei ſui*, nimirum ἐξουσίαν λαβεῖν *poteſtatem gratis accipere* (Joh. 1: 12.) confugiendi ad Dei gratiam, & ab illa petendi omne bonum, peccatorum remiſſionem, & gratiæ ac veritatis divinæ manifeſtationem. Eſt igitur maximum privilegium, quod hoc verbum Iſraëli largitur, Nomen Dei, quo, nullum eſt dulcius & gratioſius, ferendi, & gratiam ſalutarem ſperandi, petendi, & ad illam accedendi cum fiducia. Id ſane peccatori, qua peccatori non licet: nec fœdus operum, ex quo eſt poſt peccatum primi hominis ira, mors & maledictio, permittit. Sed peccatori, cujus *Deus* eſt *Iehova*, imo cujus Sponſor & interceſſor eſt *Angelus faciei Iehovæ*, מַלְאָךְ מֵלִיץ *Angelus orator*, ſeu *interpres* Job. 33: 23. liberum eſt. Liquet autem ex oppoſito, quid ſit *non ferre nomen Dei in vanum*: nimirum non temere, in mendacio, & hypocriſi ac injuſtitia gratiam divinam ſibi applicare. Illi, qui gratiam habent ὡς ἐπικάλυμμα τῆς κακίας *nequitiæ velum* ſeu *tegmen* 1 Petr. 2: 16. & qui dicunt, *Maneamus in peccato ut gratia abundet* Rom. 6: 1. &, *Faciamus malum, ut eveniat bonum* Rom. 3: 8. omnes inquam illi nomen Dei ferunt in vanum, & gratiam, quam divinum Nomen pollicetur, opprobrio habent. Tantum enim abſit, ut gratia divina peccato patrocinetur; quin potius illa efficaciſſime παιδεύει ἡμᾶς *docet nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentiis, ſobriè & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo* Tit. 2: verſ. 11 12.

Verbum tertium illiusque ſenſus.

§. 41. Porrò & hoc in *nomine Iehovæ Dei* Iſraëlis continetur, quod eſt *juſtus, verax, teſtis veritatis*, omnia ſciens & videns, recti juſtique vindex: unde & in nomine ſuo Exod. 34: verſ. 7. addit, *non dimittit impunitum, viſitat peccatum.* Igitur, dum dicitur, *Non feres Nomen Iehovæ in vanum*, prohibetur, ne quis, ut in nomine Dei faciat injuſtitias, loquatur mendacia, Deum ut teſtem invocet falſitatis. Qui igitur injuſta facit,

cit, & illa Deo placere putat, aut mendacia loquitur, & teſtem Deum invocat, temere nomen Dei fert, Deumque vult facere, & quantum in ſe eſt, facit mali conſortem, & teſtimonii falſi ſeu mendacii approbatorem. confer. Lev. 18: 21. *Non profanabis nomen Dei tui.* Lev. 19: 12. *& non jurabitis in nomine meo falſo. Ego Jehova.*

Comminatio addita præcepto tertio. §. 42. Additam habet hoc verbum comminationem ſeu pœnæ denunciationem. *Nam non dimittet Iehova impunitum.* Ergo pœnam non effugiunt, qui nomen Dei in vanum ferunt. Ut autem transgreſſio hujus præcepti haut manet impunita, ita nec aliorum, non tantum, quia, *qui in uno offendit, omnium fit reus* Jacob. 2: 10. ſed quia, quemadmodum juſtitia divina olim pœnam peccati exegit, & impoſſibile erat ut peccatum condonaretur citra ſatisfactionem, ita etiamnum decet, ut Deus omni tempore oſtendat, quod non eſt *Deus, qui delectatur improbitate* Pſ. 5: 5. & quod, quum filii illius *perverſe agunt, illos redarguit, & caſtigat,* quamvis *virgis* tantum *hominum & plagis filiorum hominum* 2 Sam. 7: 14. Ne quis igitur ſecure peccet eo, quod gratiæ hæres eſt, nam & illi, ſi ferant nomen Dei in vanum, non dimittuntur impune; imo perſæpe τὸ κρῖμα *judicium incipit a domo Dei,* adeoque *ab illis* 1 Pet. 4: 17. *Si autem ab illis,* τί τὸ τέλος τῶν ἀπειθούντων τῷ τοῦ θεοῦ εὐαγγελίῳ, *quid evadent illi, qui inobedientes ſunt Evangelio?* ibid. qui *nominantes nomen Dei* tamen *non deſiſtunt ab injuſtitia* 2 Tim. 2: 19. imo illud *abnegant* Apoc. 3: 8. & *blaſphemant* Apoc. 16: 9. confer. Eſ. 52: 5. *Jugiter nomen meum* מִנֹּאָץ *blaſphematur,* ſ. *contumelia afficitur.*

Verbum quartum illiuſque explicatio. §. 43. Verbum quartum. *Memento diei* הַשַּׁבָּת τῆς ἀναπαύσεως, *ceſſationis, ut ſanctifices eum* Exod. 20: 8. **Memento.** *Memento.* Earum proprie loquendo meminimus rerum, quæ jam ante cœperunt eſſe: ut enim præſentia βλέπομεν *videmus*; & futura ἐλπίζομεν *ſperamus* (Rom. 8: 24. 25.) ita meminimus præteritorum. Inſtitutio ergo Sabbati latione Decalogi prior eſt: & jam antequam Decalogum acciperent, Sabbatum obſervare inceperant, nimirum à datione Mannæ Exod. 16: 25. 26. 29. 30. hinc Deut. 5: 12. additur, *quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus.* **Diei Sabbati.** Memento *diei Sabbati.* Dies cujus meminiſſe debet Iſraël, in ordine ſeptimanæ ſeptimus eſt. Vocatur autem *Sabbatum,* hoc eſt, *ceſſatio.* 1. Quia Manna illo die ceſſabat pluere. 2. Quia Iſraël illo die à labore omni debebat ceſſare. 3. Quia ceſſatio illius diei umbra fuit, veræ & ſpiritualis ceſſationis ſive quietis. Ergo dies ſeptimus σκιὰ *umbra* Col. cap. 2: verſ. 17. nomen gerit *veritatis & imaginis rerum* Hebr. cap. 10: verſ. 1. **Ad ſanctificandum eum.** Memento diei Sabbati *ad ſanctificandum eum.* Vox *ſanctificare* pro diverſitate ſubjectorum, de quibus prædicatur, diverſimode venit: nam & *Deus* in Sacris dicitur *ſanctificari* Eſ. 5: verſ. 16. Hebr. 10: 29. & *homo* Exod. 31: 13. 1 Cor. 6: verſ. 11. imo & *tempus,* & *dies* ut hic: de hoc poſteriori nunc tantum agimus. Alia autem ratione & alio ſenſu ſanctificat *Deus* diem, alio *homo.* *Homo,* cum diem in ſanctitate & exercitiis pietatis tranſigit: ita oportet, ut homo diem ſanctificare volens, ſe ipſe ad omnem pietatem & cultum divinum componat: non igitur dies ullus ſanctificari ab homine poteſt, niſi ipſe ſe in illo & ad illum ſanctificet. *Deus,* cum diem & tempus cultui divino deputat; illumque in celebratione nominis divini & gratiarum actione ac divinorum beneficiorum commemoratione conſumi vult: quanquam alio etiam ſenſu, de quo paulo poſt. Igitur Deus jubens Iſraelem *diem ſeptimum ſanctificare,* vult, ut Iſraël illum diem in ſectatione omnis boni, & pietatis ac virtutis exercitio, & in omni quod laudem meretur, & in confeſſione divinæ gratiæ, & in glorificatione divinæ majeſtatis tranſigat & conſumat.

Sex diebus operaberis. §. 44. In ſpecie poſtulat Deus, ut illo die Iſraël agat otium, & ab omni labore manuum abſtineat; *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.* Exod. cap. 20: 9.

βιω-

Septimus Sabbatum Domino Deo.

Non facies ullum opus.

βιωτικά omnia, & quæ ad parandum victum & amictum requiruntur, ſex diebus Deus vult curari; ſeptimo autem quovis die nullum opus fieri. *Sed ſeptimo die Sabbatum eſt Domino Deo tuo* Exod. 20: 10. Non ſine emphaſi vocatur ille dies *Sabbatum Domini Dei.* Nam 1. è mandato Dei, 2. ad exemplum Dei, 3. *ad cognoſcendum, quod Jehova eſt ſanctificans Iſraëlem* Exod. 31: 13. agebatur. *Non facies ullum opus* Exod. 20: 10. Igitur illo die nec cibos coquere Exod. 16: ℣. 23. nec arare aut metere Exod. 34: 21. nec ligna colligere licebat. Severa in transgreſſores pœna ſtatuta erat Exod. 31: 14. *omnis qui facit opus in Sabbato* מוֹת יוּמָת *morte afficietur.* Et *omnis tranſgreſſiô & inobedientia* ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν Hebr. 2: 2. Exemplum habemus in viro illo, qui ob ligna collecta in die Sabbati, è mandato Dei lapidibus obruebatur Num. 15: 32–36. Quamvis autem in Sabbato quies eſſet ab omni opere, tamen non erat quies à ſacrificiis: nam præter *ſacrificium juge & libamen ejus*, offerendum erat *holocauſtum Sabbati in Sabbato*, hoc eſt, continuis Sabbatis Num. 28: 9. 10.

Holocauſtum Sabbati.

Indictiones ſancti.

§. 45. Sabbatum pridie indicabatur מִקְרָאֵי קֹדֶשׁ *indictionibus ſancti*; præconis nimirum voce & tuba Lev. 23: 2. 3. & dies, qui Sabbatum antecedebat, dicebatur παρασκευὴ Luc. 23: 54.

Clauſula Præcepti de Sabbato.

§. 46. Clauſula autem hujus de Sabbato præcepti diligenter examinanda eſt: *nam ſex diebus fecit Dominus cælum, terram, mare & quæ in eis, & quievit die ſeptimo*: nimirum à rerum novarum productione. (confer Exod. 31: 17. וַיִּנָּפַשׁ *& refocillatus eſt.* ἀνθρωποπαθῶς. quia plus quam ſatis videbatur creaſſe, deſtitit plura creare, tanquam jam laſſatus) *Idcirco benedixit Dominus Diei Sabbati, & ſanctificavit eum* Exod. 20: 11. confer Geneſ. 2: 2. 3. *Et quievit die ſeptimo ab omni opere quod fecerat. Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum: nam in illo quievit ab omni opere.*

Explicatio clauſulæ, an Sabbatum à mundi fuerit conditu?

§. 47. Ex his verbis multi putant ſequi, Sabbatum ſeu ceſſationem ſeptimæ inde à primi hominis conditu cœpiſſe. Sed cogitare debemus 1. dici quidem *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit eum*, non autem, & benedixit Deus cuique diei ſeptimo, ordine redeunti, ut de Sabbato quarti præcepti dicitur. *Sex diebus operaberis; ſed dies ſeptimus Sabbatum* quaſi dicat, omnes ſex dies vacabunt operi; ſeptimus quilibet Sabbato ſeu ceſſationi. 2. non inveniri dictum Adamo, quod nunc Iſraëli dicitur. *Memento diei ſeptimi: non facies ullum opus: omnis faciens opus morietur*: quale quid de arbore cognitionis boni & mali, ut ne de illo guſtaret, illi dictum legimus Geneſ. 2: 16. 17. nam quæ opera Adamo putabimus prohibita, qui quidem in horto Eden erat collocatus *ad colendum illum & obſervandum* Geneſ. 2: 15. quod ad delectationem & utilem corporis exercitationem faciebat & pars erat naturalis illius, in qua conditus erat felicitatis; non autem ad continuos ſtatim labores condemnatus erat, quod poſt lapſum demum factum; *in ſudore vultus tui comedes panem tuum* Geneſ. 3: 19. Et quæ ratio moviſſet Deum ad interdicendum Adamo operibus ſanctis & integris, qualia omnia Adami opera, ſi in integritate perſtitiſſet, fuiſſent? ab operibus enim bonis & integris ullo die ceſſare non poteſt eſſe juſtum. Denique ſi Sabbatum periodicum Adamo in ſtatu integritatis injunctum eſt, qui fit, quod poſt lapſum ejus continuata non manſit obſervatio, & in *libro primo Moſis* ne uno quidem verbo mentio fit obſervati Sabbati ab Adamo poſt lapſum, aut ab ejus poſteris ante diluvium: ut nec à Noacho, Abrahamo &c. legitur obſervatum fuiſſe poſt diluvium, & Iſraëli demum ut nova plane & hactenus inuſitata res notificatum Exod. 16: 23. *Et dixit Moſes ad illos; Hoc eſt, quod locutus eſt Dominus, Ceſſatio, Sabbatum ſanctum Domino cras*: quale antea non fuit, nunc inter vos erit. Aut forſan præceptum de quiete Septimæ Adamo injunctum, ſi omnino tale illi injunctum fuiſſe dicendum eſt, fuit ejuſdem generis & indolis,

cujus fuit præceptum de non guſtanda arbore cognitionis boni & mali, quod planè fuit arbitrarium & dogmaticum, & non ultra lapſum valuit.

An in verbis Geneſ. 2: 3. prolepſis? §. 48. Sunt qui verba Geneſ. 2: 3. *Et benedixit & ſanctificavit* volunt à Moſe poſita per prolepſin ſeu anticipationem, quæ hiſtoricis, imprimis Moſi, non infrequens eſt, qua ea quæ diverſi ſunt temporis, & ſucceſſive longo ſæpè interjacente intervallo acta ſunt, jungi & ſimul enarrari ſolent; putantque Moſen dicendo, *Et ſanctificavit diem ſeptimum* Gen. 2: 3. reſpicere ad id quod in deſerto factum eſt, cum Manna ſexto die dupla menſura, ſeptimo autem non plueret. Iidem id quod in quarto præcepto dicitur, *idcirco benedixit Deus diei ſeptimo*, ad idem tempus referunt. Hi omnes ſuo abundent ſenſu: neque enim hic ſubſiſtere ulla nos neceſſitas cogit: & ſatis duriter hoc certè in loco prolepſis ſtatui videtur.

Benedictio diei ſeptimi. §. 49. Attendamus potius ad verba ipſa. *Et quievit Deus die ſeptimo, idcirco benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum.* Duo dicuntur, 1. *benedixit.* 2. *ſanctificavit. Benedicit* Deus vel verbo, cum gratiam & beneficia promittit; ita eſt Geneſ. 12: 3. *benedicam benedicentibus te*, hoc eſt, illis ſtatui beneficia mea conferre: vel *actu* & *opere ipſo*, cum gratias & beneficia confert; ita Eph. 1: 3. *benedictus* Deus, *qui nos benedixit omni benedictione ſpirituali*, hoc eſt, qui bonorum ſpiritualium participes nos fecit. Quieſcendo die ſeptimo, *benedixit* Deus illi diei, non proprie verbo, ſed *actu*, *reipſa*, *opere ipſo*, & maximum in illum contulit beneficium: fecit enim illum teſtem perfecti operis, conſummati univerſi, gloriæque pleniſſime demonſtratæ; & illum quaſi conſecravit, ut eſſet exordium communicationis bonitatis ſuæ homini, quem ad imaginem ſuam condiderat: quia quiévit in illo die, על כן *idcirco* benedixit illi; quies enim divina evidens argumentum & documentum eſt collatæ in ſeptimum diem benedictionis. Deinde quieſcendo *ſanctificavit* diem ſeptimum, illum ſibi vindicans, ut in illo coleretur & quæreretur & glorificaretur ab homine, ad ſimilitudinem Dei facto.

Sanctificatio diei ſeptimi. At ſanctificatio illa non pertinet ad diem ſeptimum tantum, neque intrà breves unius illius diei cancellos includitur: homo enim primus, *imago Dei & gloria*, ſervire debebat Deo creatori è toto corde & tota anima, non uno tantum die, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ, & omnes dies ſanctificare Deo æqualiter; igitur quemadmodum quod benedixit Deus diei ſeptimo, etiam ad octavum, nonum & ſubſequentes dies pertinet, (quippe omnes illi participes facti benedictionis divinæ, teſtes extiterunt perfectorum operum divinorum, & enarrant gloriam Dei, & inſervire debebunt manifeſtandæ ac communicandæ bonitati Dei) & tamen ſeptimo tantum diei attribuitur, quamvis ad illum ſolum non pertineat; quia nimirum primus ille eſt in ordine, qui *benedictionem ἐνοφίωτο reportavit.* Ita quod ſanctificavit diem ſeptimum, non ad illum ſolum, ſed & ad omnes ſequentes pertinet: quia tamen dies ſeptimus in ordine extitit primus, quem Deus ſanctificavit, & ſibi vindicavit, igitur de illo imprimis dictum eſt, *Et ſanctificavit Deus diem ſeptimum.* Id quidam exinde etiam, quod non invenitur dictum de die ſeptimo, *& fuit mane, & fuit veſper dies ſeptimus*, quod de unoquoque præcedentium ſex dierum dictum eſt, probari putant; indeque concludunt, id quod die factum eſt ſeptimo, benedictionem, nimirum & ſanctificationem, non ad ſolum diem ſeptimum, ſed & ad omnes ſubſequentes, pertinere, neque adeo intra terminos unius illius diei conſiſtere, quemadmodum quodlibet eorum, quæ ſex præcedentibus diebus facta ſunt, intra terminum diei ſui conſiſtit.

§. 50. Videtur autem non incommode phraſis hæc etiam hac ratione explicari poſſe: nihil tamen definimus, ſed examini piorum ſubjicimus. *Sanctificavit* Deus *diem ſeptimum*,

mum, hoc eſt, ſanctitatem & gloriam ſuam pleniori & excellentiori ratione in illo die demonſtravit: quieſcendo enim demonſtravit gloriam ſanctiſſimæ *αὐταρκείας*. Cùm plura condere potuiſſet, *reliquum enim ei erat Spiritus* Mal. 2: 15. eis contentus, quæ ſex diebus fecerat, ſeptimo nil novi addidit, ſuo hominem exemplo docens, *ἐν οἷς εἰμι αὐτάρκης εἶναι* Phil. 4: 11. imo & gloriam ſanctiſſimæ ac ſapientiſſimæ ordinationis: omnia alia fecit ante hominem, poſt hominem creavit nihil amplius, ut doceretur homo, propter hominem omnia facta, hominem autem propter Deum ſolum factum eſſe. Denique gloriam ſanctiſſimæ voluntatis, quâ in homine glorioſus manifeſtari, & ab homine glorificari voluit.

§. 51. Ratio autem, cur id quod in initio mundi factum eſt, in fine quarti præcepti repetat Deus, in propatulo eſt. Voluit Iſraëlem populum ſuum memoriam tanti operis ſedulo ſervare; & quieſcendo die ſeptimo, exemplum quaſi Dei ſui imitari & ante oculos habere; imprimis verò ad benedictionem & ſanctificationem divinam, quæ ſeptimi diei ab exordio rerum creatarum beneficium fuit & prærogativa, hominis integri bonum & felicitas, ſancta fide & ſpe adſpirare.

Ratio cur creationis mundi in quarto præcepto, & quietis in die ſeptimo &c. mentio facta.

§. 52. Cur autem & quem in finem Deus Iſraëli quietem ab omni labore, quovis die ſeptimo, injunxerit, illius rei ratio ex parte hæc eſt, nimirum ut illi in memoriam revocaret ſervitutem Ægyptiacam & liberationem ex illa Deut. 5: 15. *Recordaberis, quod ſervus fuiſti in Ægypto, & eduxit inde te* Deus. *Idcirco præcepit tibi Jehova* Deus *tuus facere diem Sabbati.*

Cur Iſraëli omni interdictum ſit opere?

§. 53. Sed agamus paulò preſſius de Sabbato quarti præcepti. Paulus Apoſtolus docet Sabbata fuiſſe *σκιὰν τῶν μελλόντων umbram futurorum* Col. 2: 16. *nemo vos judicet in parte Sabbatorum.* De *Sabbatis* loquitur numero plurali, imitatus ſtilum Dei Exod. 31: 13. *Sabbata mea obſervabitis.* Confer Levit. 19: 30. quia enim Sabbatum ſingulis recurrebat ſeptimanis, Sabbatum quaſi multiplicabatur, & obſervabantur Sabbata. Hebr. 4: 9. loquitur idem Apoſtolus de *σαββατισμῷ Sabbatiſmo, qui populo Dei relinquitur*: cujus Sabbatiſmi typus ſine dubio fuit Sabbatum Iſraëlis Exod. 31: 13. Ipſe Deus appellat Sabbata ſua *ſignum* אות: *ſignum ſunt inter me & vos, ad cognoſcendum, quod ego Iehova ſanctifico vos.* confer Ezech. 20: 12. Igitur Sabbatum Iſraëli quarto præcepto injunctum fuit 1. *ſignum*, quod Deus Iſraëlem *ſanctificat.* 2. *umbra* veræ ac ſpiritualis quietis.

Sabbatum umbra, ſignum.

§. 54. *Sanctificatio* illa, cujus Sabbatum ſignum, non tantum includit Iſraëlis aſſumptionem in populum, ejuſque ſeparationem ab omnibus gentibus, & converſionem ejus per Spiritum ſanctum qui omnis boni in electis cauſa & autor eſt; ſed complectitur in ſe omnia illa maxima beneficia, quæ etiam parata fuerunt & ſepoſita populo Dei, ut Chriſtus Dominus illa in temporis plenitudine adduceret; qualia ſunt actualis & pleniſſima *redemptio*, quæ non tantum λύτρωσις, *ſed ἀπολύτρωσις* dicitur; *conſcientiæ τελείωσις conſummatio*; *υἱοθεσίας filiationis* per emiſſionem Spiritus filiationis in corda filiorum *donatio*; *cordis circumciſio, ut ab omni chirographo*, & confeſſione debiti moleſta, qualis illa erat, quæ quotannis & cottidie per ſacrificia fiebat, liberatum *dilectio Dei in illud effundatur* Rom. 5: 5. Hæc omnia includit illa in Prophetiis toties promiſſa *ſanctificatio.* Et ab illis Chriſtus Dominus, qui maxima hæc beneficia confert *ὁ ἁγιάζων ſanctificans*, & fideles, quibus illa conferuntur, vocantur *οἱ ἁγιαζόμενοι, qui ſanctificantur* Hebr. 2: 11. illaque ſanctificatio exegit *τὴν προσφορὰν* actualem *oblationem corporis Ieſu*, qua *conſummavit in perpetuum τοὺς ἁγιαζομένους illos qui ſanctificantur* Hebr. 10: 10. 14. Liquet autem ex his, *ſanctificationem*, cujus ſignum Sabbatum dicitur, fuiſſe & non fuiſſe illis tem-

Sanctificatio.

temporibus, quemadmodum & Spiritus ſanctus dicitur *fuiſſe* & *non fuiſſe* Johan. 7: 39. Actor. 19: 2. fuit inchoate, non fuit conſummate: habebatur & tamen expectabatur: aderat initium, aberat plenitudo.

Signa conveniunt cum rebus ſignatis: id monſtratur in Sabbato.

§. 55. Quandoquidem autem omnia ſigna aliquam ſimilitudinem habent cum rebus ſignatis, alias enim ſigna non eſſent, oportet, ut & ſimilitudo quædam ſit inter *Sabbatum* ſanctificationis *ſignum*, & *ſanctificationem* ipſam. Igitur 1. Sabbatum *ultimo* ſeptimanæ *die* agendum notavit ſanctificationem plenariam ultimi eſſe temporis. 2. In Sabbato parato fruebantur Manna, *ſanctificatoris* ſymbolo, pridie n. duplum colligebant. Ubi eſt τελείωσις *conſummatio* τῶν ἁγιαζομένων *eorum, qui ſanctificantur*, etiam Chriſtus ὁ ἁγιάζων *conſummatus eſt per paſſiones*, paratus cibus, *& cauſa ſalutis æternæ omnibus obedientibus* Hebr. 2: 10. 5: 9. 3. In Sabbato præcipuus labor erat decantatio divinarum laudum; meditatio divinorum beneficiorum, contemplatio cœleſtium donorum, quod ut *ſine ſanctificatione*, ſine qua *nemo Deum videre*, nec gratias ejus poteſt guſtare Hebr. 12: 14. non poterat fieri, ita optime adumbravit id tempus, ubi opus ſanctificationis abſolutum eſt, & *gloria* dicitur *Deo in excelſis* Luc. 2: 14. & *illuminati* dantur *oculi ad cognoſcendum, quæ ſit ſpes cœleſtis vocationis, quæ divitiæ glorioſæ hæreditatis in ſanctis*, & *quænam excellens magnitudo potentiæ Dei in credentes* Eph. 1: 18. 19.

Quies diei ſeptimi umbra melioris quietis.

§. 56. Præterea *quies* ſeptimi diei umbra fuit melioris *illius quietis*, in quam Joſuas, quamvis & ille populum κατέπαυσεν *requieſcere fecit*, introducere non potuit: quæ eſt κατάπαυσις Θεοῦ *requies Dei, in quam qui intravit requieſcit ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus* Hebr. 4: 8. 9. 10. quam quietem Chriſtus promittit, *& invenietis quietem animabus veſtris* Matth. 11: 28. 29. cujus *quietis diem* ὁρίζει *definit Deus, poſt tantum tempus*, quod anteceſſerat & effluxerat, *in Davide dicens, hodie ſi vocem ejus audiveritis, ne obturate corda veſtra*, &, *ſi intrabunt in requiem meam* Pſalm. 95: 7. 8. 10. 11. Eſ. 28: 11. 12. Quæ requies populum Dei ab omni ſiti futurorum bonorum, ab omni jugo & commemoratione peccati, imò ab omni terrore & metu, denique ab omni inimicitia, qualis olim fuit inter Iſraëlem & gentes Epheſ. 2: 15. liberat; & pacem affert ac tranquillationem, reconciliationem cum Deo, ἀνακεφαλαίωσιν illorum, quæ ſunt in cœlis, & quæ ſunt in terra; & indubitatam hæreditatem ſalutis, cujus ἀῤῥαβὼν *pignus eſt Spiritus promiſſionis ſanctus*, quo *obſignati ſumus* Epheſ. 1: 10. 13. 14. Unde apparet, quietem hanc in hac vita, quæ ſub Novo & meliori agitur Teſtamento, plenius incipere; in futura autem vita, quæ agetur in cœlis, pleniſſime conſummari.

Tempus Novi Teſtamenti Sabbatum.

§. 57. Si autem dies ſeptimus hujus quietis umbra, *Sabbatum, quies* vocatur, quanto convenientius ipſum illud tempus, quo populus Dei excellentiſſima hac quiete fruitur & gaudet, nomen hoc meretur. Hinc Prophetæ omne tempus Novi Teſtamenti, quod meliores habet promiſſiones, quarum una & præcipua eſt illa de ἀναπαύσει *quiete*, nomine שַׁבָּת *Sabbati* definiunt. Eſ. 56: 2. *Beatus qui ſervat Sabbatum, ne profanet illud.* Confer ℣. 4. & 6. Eſ. 58: 13. *Si reduces a Sabbato pedem tuum, ne facias delectationem tuam in die ſancto meo, & vocabis Sabbatum delicias.* Eſ. 66: 23. *Et erit de Sabbato in Sabbatum veniet omnis caro ad adorandum coram me, dicit Dominus.* Non enim in his dictis agi de Sabbato Judaico, ita clarum eſt, ut probatione haut indigeat.

Quinam Iſraëlitarum veri obſervatores fuerint quarti præcepti?

§. 58. Quandoquidem autem Sabbatum tantarum rerum fuit ſignum & umbra, facile eſt definire, quinam in Iſraële fuerint ποιηταὶ *factores* τοῦ λόγου, *Memento Sabbati, ut ſanctifices*: nimirum qui externe quieſcebant, ſecundum literam implebant verbum id, & immunes erant à pœna, quæ violatoribus Sabbati erat denunciata. At qui in quiete illa

externa

externa contemplabantur meliorem illam quietem, quæ cæli filia eſt & progenies, & in ſancta ſpe ac exſpectatione anhelabant ad meliora illa, quæ in citeriora tempora *οὐχ ἑαυτοῖς ἀλλ' ἡμῖν* 1 Petr. 1: 12. erant reſervata, & ita ſe ſuperextendebant in ſanctis deſideriis ſuper ſe ipſos, ſtudentes opus ſanctificationis perficere in ſe ipſis, in quantum tunc divina largiebatur gratia, illi demum verè implebant, quod in quarto præcepto mandatur & injungitur.

§. 59. Quod autem in illo præcepto vetatur Iſrael tam ſtricte & determinate facere ullum opus, id rigoris & ſeveritatis cujuſdam eſt, & exprobratio impuritatis, quæ in illis, & in operibus illorum erat; adeo ut ſi Deus glorificari deberet ab illis, illi ab operibus ſuis abſtinere neceſſum haberent. Igitur in obſervatione hujus præcepti edebatur publica confeſſio impuritatis & peccati, quod omnibus incumbit, & Chriſtus Sponſor omni tempore quidem in ſe ſuſcepit, in plenitudine autem temporis, per fuſionem ſanguinis ſui pretioſi demum abolevit & expiavit. Talis autem confeſſio impuritatis juſtè exigitur, & non niſi injuſte denegatur ipſa lege naturali flagitante, ne injuſtus injuſtitias ſuas celet aut defendat, ſed ſe fateatur reum, & obnoxium judicio. Cur tam ſtricte vetuerit Deus, opus nullum facere?

§. 60. Videndum etiam eſt, an præceptum hoc quartum ejuſdem prorſus ſit naturæ & indolis cum tribus præcedentibus & ſex ſequentibus. Ezech. 20: 9. 10. videtur differentia quædam ſubinnui. Primo dicit Deus, *ſe Iſraeli deducto in deſertum notificaſſe & dediſſe ſtatuta, quæ qui facit, vivit in illis.* deinde addit, *Et etiam Sabbata mea dedi illis. Præter illa præcepta*, quæ qui facit vivit in illis, accepit etiam Iſrael præceptum de Sabbato: de quo non videtur abſolute dici poſſe, quod de aliis dicitur, *Qui fecerit illa, vivit in illis.* Accedit, quod Sabbatum Iſraelitis datum eſt *in generationes illorum* Exod. 31: 13. quemadmodum & præceptum de circumciſione Genes. 17: 11. 12. 13. & de Paſchate Exod. 12: 14. Igitur ut ad tempus tantum Iſrael debuit circumcidi, & Paſcha edere, nimirum quamdiu eſſent generatio ab omnibus aliis gentibus ſeparata, populus ſuis vivens legibus, & ſua ſtans religione; ita etiam ad idem uſque tempus Iſrael huic verbo tantum obligatus & ſubjectus manſit, *ſeptima non facies ullum opus.* De natura & indole quarti præcepti.

§. 61. Illud ſane fatendum eſt, omnia alia Decalogi verba ejus eſſe conditionis, ut heri, hodie & in ſeculum maneant, neque jota ullum, nec apex ullus in illis mutari potuit unquam aut poterit. At illud de quarto hoc verbo abſolute dici haut poteſt; quippe quod Scriptura ipſa dicit ex parte *aboleri* Hoſ. 2: 10. *Et abolebo omnem hilaritatem ejus, feſtum ejus, calendas ejus, & Sabbatum ejus.* imo in cujus parte à nemine debemus judicari, *Ne quis vos judicet in cibo & potu, aut in parte feſti, aut calendarum, aut Sabbatorum* Col. 2: 16. 17. Igitur è quarto præcepto aliquid ad tempus Veteris œconomiæ debuit tantum manere; aliquid autem ſemper manet, & eſt perpetuæ veritatis & obſervantiæ. Illud abrogatum eſt, hoc abrogari nunquam poteſt. Nimirum: *Ceſſabis die ſeptima, non facies ullum opus*, ſub pœna præſentiſſimæ mortis, id eſt quod durare tantum debuit uſque dum generationes manerent Iſraelitarum, & quod abrogari potuit & abrogatum eſt, & nunc non valet amplius. Omnia Decalogi verba ſunt abſolute immutabilia. Non tamen Verbum quartum id enim partim abrogatur; partim manet.

§. 62. At quod vi quarti præcepti manet in perpetuum & non *παλαιοῦται* *antiquatur*, hoc eſt. 1. Cultum divinum & exercitia pietatis ſedulo & indeſinenter, tum publice tum privatim, ad communem ædificationem, & charitatis incentivum, & curanda & agenda eſſe. Bonis terreſtribus, & vitæ hujus ſollicitudinibus non nimis incumbendum, ſed Deum quærendum ante omnia & in omnibus. Et magnos & parvos; & ſervos & liberos hac via ducendos. 2. Tempus quietis, quod *ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος* *gratia Dei ſalutaris*, per

Chriſtum Dominum, fecit illucere omnibus, cum vera ſubjectione & gratiarum actione accipiendum, quiete & libertate illa ſtandum, cum ſpe certa fore, ut quies hæc in gloria, ad quam aſpiramus, certiſſime conſummetur.

§. 63. Hæc quatuor præcepta, de quibus hactenus egimus, docuerunt Iſraëlem, quomodo debeat cum Deo ſuo ἀναςρέφεσϑαι *converſari*: nunc reliqua ſex de quibus jam dicendum, docebunt, quomodo inter ſe & cum proximo debeant agere.

Verbum quintum. §. 64. Verbum quintum. *Honorato patrem tuum & matrem tuam* Exod. 20: 12. Honor commendatur erga parentes, ſive natura ſive officio. Poſtquam Deus Iſraëlem conſtituit ὑπὸ ἐπιτρόπους καὶ οἰκονόμους *ſub tutoribus & curatoribus* Gal. 4: 2. quos Apoſtolus videtur notare per *Patres carnis* Hebr. 12: 9. etiam illi vi hujus præcepti honorandi & reverendi fuerunt. Annexam habet hoc verbum promiſſionem: eſtque adeo *præceptum hoc primum ἐν ἐπαγγελίᾳ cum promiſſione* Epheſ. 6: 2. Secundum Præceptum concluditur in mixtura quaſi iræ & gratiæ. Tertium habet comminationem. Quintum claram promiſſionem, *ut prolongentur dies tui in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* Terram Canaan, Patribus promiſſam, jam jam Iſraëli ſemini illorum daturus erat. In illa longe vivere gratia erat & beneficium divinum. Erat enim illa pignus & arrha patriæ melioris: honorantibus Parentes longam vitam in illa promittit Deus: ita & *pietas promiſſiones habet hujus vitæ* 1 Tim. 4: 8. Docemur porro illos, qui præceptis Dei obediunt, bono cum jure beneficia divina, tum corporalia tum ſpiritualia ſperare & exſpectare poſſe. Apoſtolus hanc promiſſionem ita enunciat, *ut bene ſit tibi, & ſis longævus* in *terra* Epheſ. 6: 3. omittit illa verba, *quam Dominus dat tibi:* quia fideles hujus temporis ad nullam certam terram ut pignus & ſymbolum alligati ſunt. Sed cur quintum præceptum habet promiſſionem, & priora quatuor non, cum tamen hæc immediate concernant Deum? Deum *quærentibus* & obedientibus illi μισθαποδότην *mercedis retributorem* ſe exhibere, *fides* pro certo habet Hebr. 11: 6. Sed ne & officia, quæ parentibus & proximo exhibentur, putentur fruſtra fieri, & in vanum præſtari, nec Deum illa curare, aut rationem illorum habere, expreſſa promiſſione, addita primo præcepto, quod de homine agit, cavere divina ſapientia voluit.

Verbum ſextum. §. 65. Verbum ſextum. *Non occides* Exod. 20: 13. Injuriis, læſionibus proximi, vindictæ privatæ, fuſioni ſanguinis innoxii nullus ſit locus.

Septimum. §. 66. Verbum ſeptimum. *Non mœchaberis* Exod. 20: 14. Omnis ſcortatio, & impuritas & τὰ οὐκ ἀνήκοντα procul abſint, imo ne *nominentur* Epheſ. 5: 3.

Octavum. §. 67. Verbum octavum. *Non furaberis* Exod. 20: 15. Omnis πλεονεξία *avaritia*, dolus, rapina à ſanctis exulet: *qui furatur, nomen Dei ſui attrectat* Prov. 30: 9.

Nonum. §. 68. Verbum nonum. *Non dices in proximum tuum falſum teſtimonium* Exod. 20: 16. Famæ & exiſtimationi proximi, & juſtitiæ cauſæ ipſius teſtimonium noſtrum ne noceat ab omnibus obtrectationibus, ſuſurris, & proditionibus ſecreti cavendum ſedulo.

Decimum. §. 69. Verbum decimum. *Non concupiſces* Exod. 20: 17. *Concupiſcentiam non noſſem, niſi lex diceret,* οὐκ ἐπιθυμήσεις inquit Paulus Rom. 7: 7. Omnis concupiſcentia & animi & oculorum, & geſtuum vetatur. *Concupiſcentia concipiens gignit peccatum* Jac. 1: 15. Non externis tantum corporis actibus, ſed internis etiam mentis cogitatis in hoc verbo lex ſtatuitur.

Verba decem tabulis inſculpta. §. 70. Et hæc ſunt decem Verba, quæ Deus de monte Sina pronunciavit, & poſtmodum duabus tabulis lapideis inſculpſit Exod. 32: 16. *Et tabulæ factura Dei erant: & ſcriptura, ſcriptura Dei erat, inciſa tabulis.* confer. Exod. 24: 12. *Aſcende, & dabo tibi tabulas lapideas,*

deas, & legem, & præceptum, quod ſcripſi ad docendum illa. Deut. 9: 10. *dedit mihi Dominus tabulas, ſcriptas digito Dei.*

§. 71. Vocantur autem decem hæc verba, דִּבְרֵי הַבְּרִית *verba fœderis* Exod. 34: 28. *Et ſcripſit Moſes in tabulis Verba Fœderis, decem illa verba.* & verſ. 27. *Super Verba hæc pepigi fœdus cum Iſraël.* Ita expreſſe vocantur בְּרִית *fœdus* Deut. 4: 13. *Et indicavit vobis fœdus ſuum, quod præcepit vobis faciendum, decem Verba.* Deut. 5: 2. *Iehova. Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb*, poſtea narratur Decalogus. Imo & tabulæ, in quibus decem verba ſcripta erant, vocantur *tabulæ fœderis* Deut. 9: 9. 11: 15. & *tabulæ teſtificationis* Exod. 31: 18. Ita docemur, Decalogum continere & exponere fœdus, quod Deus cum Iſraële populo ſuo erexit, in quo Iſraëlem vivere, & ex quo illum ſalvari voluit. Verba decem ſunt Verba fœderis.

§. 72. Diligenter autem conſiderandum eſt, quæ natura & indoles hujus ſit Fœderis. Cum Adamo pepigit Deus in Paradiſo fœdus operum: hoc eſt, legem illi propoſuit, & obſervationem legis ab illo ſtipulatus eſt; & *vitam* promiſit obedientiæ mercedem; & *mortem* comminatus eſt, inobedientiæ *ſtipendium* Rom. 6: 23. Sed peccante Adamo fœdus hoc eatenus irritum factum eſt, ut nec vita nec ſalus vi illius conferri poſſet; hoc non tantum verum fuit in Adamo, ſed & in omnibus poſteris Adami, quia *in illo peccarunt* Rom. 5: 12. Poſtquam ſemel ruptum eſt hoc fœdus, & *infirmatum per carnem*, ſemper manet *τὸ ἀδύνατον αὐτοῦ impoſſibilitas* illius, & ad *condemnandum peccatum* Rom. 8: 3. & ad juſtificandum peccatorem, & *bonum* ac *ſanctum præceptum*, quod alias eſt *ad vitam*, *deprehenditur eſſe ad mortem* Rom. 7: 10. 12. Poteſt quidem hoc fœdus poſt lapſum peccatori commemorari; nam lex illius ſemper eſt *juſta & bona*, & homo ad illam tenetur: neque enim lapſus aut peccatum à debito & officio illum exſolvit, ut vita & ſalute privat; non tamen poteſt de novo cum homine erigi, ut ab illo exigatur obedientia, ut cauſa vitæ, & ille è propriis factis vivat: nam id plane impoſſibile eſt, & tenetur homo in perpetuum ad luendum pro prima primi hominis transgreſſione, cujus pœnam exſolvere & expiare in ſe & per ſe nunquam poteſt. Taceo tale fœdus fore fruſtra: ita enim corruptus eſt homo, ut *faciat tantum malum omni die.* De indole illius fœderis.

§. 73. Poſt lapſum & ruptum fœdus operum aliud cum Adamo & Patribus pepigit Deus fœdus, quod non exigebat opera & propria facta, ſed gratiam promittit & juſtitiam per fidem. Ita gratia ſunt ſalvati, qui ex operibus non poterant juſtificari.

§. 74. Cum Abrahamo feciſſe Deum fœdus multis inculcat Scriptura. Geneſ. 17: 7. *Erigam fœdus meum inter me & te, ut ſim tibi in Deum*, id omne gratiæ eſt. Unde etiam docet Scriptura, Abrahamum *fide* juſtificatum. Fides autem gratiam amplectitur: credit enim in illum, qui *juſtificat impium* Rom. 4: 5. & cui fides *in juſtitiam reputatur*, *adeoque merces κατὰ χάριν ſecundum gratiam*, ille eſt *μὴ ἐργαζόμενος non operans*, hoc eſt, in propriis factis vitam non quærit.

§. 75. Promiſit etiam Abrahamo Deus ſe idem fœdus pacturum cum ſemine ſuo, hoc eſt, Iſraële. *Pangam fœdus meum inter me & te, & ſemen tuum poſt te, in generationes illorum, in fœdus ſeculi, ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te* Geneſ. 17: 7. Inde & circumciſionem præcepit Abrahamo & omni ſemini Abrahami, gerendam in carne, ut viſibile ſignum ejuſdem fœderis.

§. 76. Igitur cum Iſraëlis manum prehendiſſet Deus, ad introducendum illum in terram promiſſam, ut promiſerat Deus, ita etiam fieri debebat, & fœdus illud gratiæ, cum Abrahamo patre pactum, cum Iſraële etiam pangi, & quaſi renovari debuit. In Mara ponitur illi

ſtatutum & judicium: & ſtipulatio fit ſanctæ obedientiæ, & promiſſio ſanationis & ſalutis Exod. 15:25.26. Datur deinde *Manna*, ſymbolum ejus, qui omnis gratiæ & ſalutis Mediator & Princeps ac cauſa eſt. Ut in deſertum Sina ingrediuntur, etiam maxima promiſſa & χαρίσματα Deus offert, *Eritis mihi peculium & regnum ſacerdotum* Exod. 19:5.6. At in montem Sina ſe deſcenſurum promittit Deus, ad indicandum Iſraeli *fœdus ſuum*: nempe id fœdus, quod Abrahamo promiſerat, ſe cum ſemine illius pacturum, in monte Sina publice & ſolemniſſime pepigit. Atqui fœdus gratiæ ſe pacturum cum ſemine Abrahami promiſerat. Ergo etiam fœdus gratiæ eſt, quod in Sina pepigit & indicavit.

§.77. Id omnino diligentiſſime expendendum eſt, *Decem verba* eſſe & vocari *fœdus* illud, quod Deus quaſi *in die comitii*, toto populo ad audiendum convocato, cum Iſraele fecit & pepigit, habendum & obſervandum לִבְרִית עֹלָם *in fœdus ſeculi.* Neque aliud tunc cum Iſraele legitur Deus feciſſe fœdus, quam id quod in Decalogo continetur. Quis autem dicat, *fœdus operum* quod irritum factum eſt & irritum manet omni carni in perpetuum, quod nil aliud poteſt poſt peccatum, quam condemnare & maledicere, tanta ſolemnitate repetitum eſſe de Sina? ita id quod ruptum eſt & ruptum manet, majori gloria fuerit pronunciatum, quam ipſum *gratiæ fœdus*, ex quo & per quod Iſrael ſalutem unice exſpectare ut potuit, ita debuit. Fœduſne vitæ obſcuriori & humiliori ratione fuerit propoſitum, & fœdus mortis tanta cum pompa & magnificentia? Atqui Decalogus eſt ipſiſſimum fœdus, præter quod nullum aliud cum Iſraele pepigit Deus: non igitur poſſibile eſt, ut ſit fœderis operum rupti commemoratio & exprobratio.

§.78. Cogitemus quæſo, illum, qui Decalogum pronunciavit, fuiſſe Angelum fœderis, Mediatorem Teſtamenti, Dominum Jeſum: putabimuſne illum fœdus operum cum populo ſuo, quem per gratiam ſuam ſalvare debebat, erigere voluiſſe?

§.79. Cum Moſes poſtea librum fœderis, in quo ſine dubio ſcripſerat Decalogum, accepiſſet & legiſſet coram toto populo, ſumſit ſanguinem, & aſperſit populum, dicens, *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit vobiſcum Deus* Exod. 24:7.8. ita fœdus cum Iſraele pactum; quod eſt in Decalogo, *non ſine ſanguine eſt initiatum* Hebr. 9:18.19. num dicemus fœdus operum illo ſanguine initiatum eſſe, cum ſanguis ille typus fuerit melioris illius ſanguinis, *in quo* eſt *Novum Teſtamentum*, gratiæ fœdus?

§. 80. Porro inſpiciamus & perpendamus Decalogum ipſum, ſingula illius verba, ſingula præcepta, modum denique annunciationis: neque ante Decalogum, neque ſtatim poſt Decalogum, neque in Decalogo audiuntur formulæ & ſententiæ legis & fœderis operum, *Qui fecerit illa vivet, in eis*; *Maledictus qui non manet in omnibus.* Sed omnia ſpirant gratiam, illuc omnia tendunt. *Ego Jehova Deus tuus: non erit alius tibi Deus: faciens gratiam in millenos: feres nomen meum*, ſed *non in vanum.* Sabbatum datur in ſignum veræ ſanctificationis & quietis, quæ ſunt inter promiſſa excellentiſſima totius fœderis gratiæ, & ejus profunditatis, ut in hac vita exhauriri non poſſint. Omnia alia præcepta exigunt exercitium charitatis, per *quam fides* eſt operoſa Galat. 5:6. *in quibus ambulare decet*, Ephef. 2:10.) eos, qui à peccato reſipiſcunt, quorum eſt *ambulare coram Deo*, *& integros ſe exhibere*, id quod Abrahamo dictum Geneſ. 17:1. Eadem præcepta & nobis proponuntur obſervanda & exercenda Jac. 2:8.15. Epheſ. 6:1.2.3. Galat. cap. 5:verſ. 14. Omnes ſancti enim ſunt Dei *ποίημα factura*, *conditi in Chriſto* Jeſu *in operibus bonis* Epheſ. 2:10. Et hæc eſt vera ſanctitas, ad quam per Spiritum S. regeneramur, *amare Deum*, cujus amoris modum quatuor prima Decalogi præ-

 cepta

cepta præſcribunt; & *amare proximum*, cujus amoris ratio & qualitas ſex ultimis præceptis continetur.

Concluditur, decem verba eſſe fœdus gratiæ.

§. 81. Manet ergo, neque aliter per conſcientiam noſtram judicare poſſumus, Decalogum eſſe fœdus, quod Deus cum populo pepigit omnem gratiam promittens, juſtitiam fidei ſtipulans, & charitatem omnem, ut fidei fructum, & ſanctificationis effectum commendans, & voluntatem Dei, de danda Iſraëli in hæredium terra Canaan, exponens ſeu ſubindicans.

Objectio.

§. 82. Neque hic tacebimus, quod maxime huic ſententiæ videtur obeſſe, *Legem per Moſen datam* Joh. 1:17. *Moſen ſcribere juſtitiam, quæ eſt è Lege* Rom. 10:5. *quod inſculptum fuit lapidibus* Apoſtolo *dici miniſterium mortis in literis* 2 Cor. 3:6. 7. In decem verbis contineri omnem Legis ſubſtantiam, *præcepta & judicia, quæ qui facit homo vivit in illis* Ezech. 20:9. Decalogum igitur eſſe τὸ νόμον *legem ſcriptam*, non autem fœdus gratiæ.

Solutio.

§. 83. Ut autem difficultas hæc ſolvatur, ſciendum eſt, ea verba, quæ ſunt in Decalogo, non eſſe, ut ita loquar, unius indolis: quædam enim *gratiam* unice ſpirant, ut vox illa, *Ego Jehova Deus tuus*, quinquies in Decalogo repetita; *faciens gratiam* &c. *Sanctifica Sabbatum*, ut ſanctificationis *ſignum*, & quietis futuræ *umbram*; quædam verò loquuntur de eo, quod faciendum eſt, hoc eſt, de opere, *Non erit tibi Deus alius*, *Non facies ſculptile*, *Honora parentes*, *Non furaberis*, &c. Hæc autem præcepta continent omnem ſubſtantiam legis operum. Ea enim non alia loquitur, nec alia præcipit aut vetat. Suntque illa talia, ut de illis dici poſſit, *Qui fecerit illa, vivet in illis.* Vitam enim parit & juſtitiam perfecta illorum ſine omni exceptione obedientia. Igitur ſi è Decalogo auferas ea, quæ ſunt gratiæ, & reliqua audias ſola, imprimis ſi addantur ſententiæ illæ legales, *Qui fecerit illa, vivet*; &c. *Maledictus qui non manet in omnibus*, habebis expreſſam totam legem operum. Inde factum, quod multi ex Iſraële, non rectè capientes mentem horum verborum, nec animadvertentes Dei intentionem, poſtquam audiverunt ad præcepta Decalogi addi, *Qui fecerit ea* &c. miſere aberrarunt, & *propriam juſtitiam ſtatuere quærentes, juſtitiæ Dei non obediverunt* Rom. 10:3. Quamvis autem quædam Decalogi verba ipſam ſummam totius Legis in ſe contineant, non ſunt illa Iſraëli abſolute propoſita ut Lex, neque illorum obſervantia ut cauſa vitæ & meriti ab illis eſt exacta, neque illa ut lapſum tantùm exprobrantia fuerunt promulgata, ſed enarrata ſunt Iſraëli ut præcepta ſanctitatis & regulæ charitatis, quæ per gratiam divinam accenditur in illis, quorum Jehova Deus eſt: quemadmodum & nobis in Novo Teſtamento, & ſub Euangelio, eadem Præcepta ut *lex regia libertatis* repetuntur & commendantur ſæpius. Quia autem illa Decalogi præcepta, quæ de faciendo & non faciendo, hoc eſt, de operibus licitis & illicitis loquuntur, non ſunt illius naturæ, cujus ſunt præcepta ceremonialia, quæ δόγματα *placita* vocari ſolent, *quæ* quamvis *quis faciat, in illis* haud tamen *vivere* poteſt, ut à δόγμασι *placitis* benè diſtinguantur, & non cum illis confundantur, placuit Deo verum & nativum illorum illis apponere elogium, quod *qui fecerit illa, in iis vivet.* Quod autem Decalogus *Lex* vocatur inde eſt, quia omnis ſubſtantia legis, in Decalogo continetur; adeò ut propoſitus cum formulis legalibus, genuinam legis ſpeciem habeat; & quia ab imperitis ac carnalibus pro nuda lege habitus eſt. Pariter quod *miniſterium condemnationis* in tabulis decem verborum dicitur eſſe, inde eſt, quia qui ea, quæ gratiæ ſunt, in Decalogo non conſiderant, nec fide ſibi applicant, ſed Decalogum ruditer & præter intentionem Dei intuen-

tur ut exigentem tantum facta & opera, tanquam cauſas juſtitiæ, mortem & condemnationem ſuam in illo inveniunt, illiſque Decalogus eſt *litera occidens* 2 Cor. 3: 6.

In Chriſto Jeſu reconciliata gratia & Lex.

§. 84. Videmus autem in Decalogi propoſitione, quomodo in Chriſto Jeſu gratia & lex ſuaviter ſint reconciliata: ita ut gratia Legem non tollat, nec Lex gratiam evertat. Gratia prævalet, & unica ſalutis cauſa eſt. Per gratiam Lex amica facta eſt illis, qui gratis ſalvantur; eſtque illa illis non amplius *lex peccati & mortis*, ſed *lex ſpiritus vitæ*, & id ipſum quod Lex ad juſtificationem requirit, quod Scriptura ſignificanti vocabulo appellat τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, *in illis impletum eſt* Rom. 8: 2. 3. adeo ut ipſa lege judicante, ſalvari debeant.

Lex cum gratia minime confundenda.

§. 85. Neque hic confunditur Lex & gratia. Sed gratia manet gratia: & Lex manet Lex: oſtenditur autem, quomodo gratia efficiat amorem bonorum operum, ut volupe ſit illis, qui in gratia ſtant, implere voluntatem Dei, & legem illius meditari interdiu & noctu, & τὸν νόμον τελεῖν βασιλικὸν Jacob. 2: 8.

§. 86. Poſt pronunciatum Decalogum proponit Deus *judicia*, hoc eſt, leges forenſes, quas coram Iſraële *poni*, hoc eſt, ab illis ad ordinem in politia retinendum obſervari vult. Illa lege Exod. 21: 22. 23. quæ & ſimilia multis vix voluminibus explicari poſſunt.

CAPUT OCTAVUM.

Explicatio teſtimonii divini de Angelo, qui in Sina locutus eſt, ex Exod. cap. 23: 20. 21. §. 1-10. Solemnia peracta ad montem Sina §. 11. Illorum ſignificatio §. 12--17. De Teſtamenti Veteris initiatione §. 18. 19. Illius elogia §. 20. de illius natura & indole §. 21-33. De apparitione Dei factâ §. 70. è ſenioribus Iſraël §. 34-40.

§. 1. ILlum qui locutus eſt de Sina, Angelum fuiſſe Domini, ſuperiori capite docuimus. Nunc occurrit illuſtre teſtimonium, quod Deus ipſe de Angelo hoc tulit: de quo ut & nonnullis aliis, quæ circa idem tempus acta ſunt, altius quædam repetenda ſunt.

§. 2. Ita igitur loquitur Dominus Exod. 23: 20. 21. *Ecce ego mitto Angelum coram te, ut te cuſtodiat in via, & ducat te ad locum, quem paravi. Cautus eſto a facie ipſius, & auſculta voci ejus: ne te amarum facias contra eum, aut, ne ſis contumax in eum: nam non condonabit delicta veſtra: quia nomen meum in medio ejus.*

מַלְאָךְ Angelus: quibus nam nomen id detur.

§. 3. Subjectum de quo ſermo, eſt *Angelus*, Hebraicè מַלְאָךְ: derivatur illa vox à radice לאך, quæ inuſitata Hebræis, Æthiopibus notat *mittere*. Igitur מלאך notat eum, qui mittitur ab alio, & qui in nomine alterius venit, & dicit quicquam aut facit. In Sacris datur hoc nomen 1. *hominibus* Malach. 2: 7. 3: 1. collato 4: 5. Eſ. 42: 19. 2. *Spiritibus* illis *miniſtratoriis* Hebr. 1: 14. quorum ἴδιον οἰκητήριον *proprium domicilium* cæli ſunt Pſal. 91: 11. Geneſ. 28: 12. Job. 4: 18. 3. *Domino & Patri* hominum & ſpirituum ita אֱלֹהִים *Deus*, qui *tentabat* Abrahamum, & יְהוָה *Jehova*, qui jurabat per ſe, ſe benedicturum Abraamo vocatur מַלְאַךְ יְהוָה *Angelus Domini* Geneſ. 22: 11-15. ita & Exod. 3: 2. 4. 6. 7. Sciendum porro, *Deum Patrem* nullibi vocari מַלְאָךְ *Angelum*: quia enim prima Deitatis perſona eſt, à nemine mitti poteſt; quod tamen fieri debet illi, qui מלאך *Angelus, nuncius* vocatur, *Deum Spiritum* autem, quamvis dicatur mitti Eſ. 48: 16. Gal. 4: 6. rariſſime tamen, & forte non niſi ſemel מלאך *Angelum* vocari; nimirum Gen. 19: 1. 18. 19. 20. 24.

Filium

Filium autem *Dei* ſæpiſſime illo nomine inſigniri Geneſ. 16: 7. 13. Hoſ. 12: 5. *Et ducis more ſe geſſit cum Angelo.* Zach. 12: 8. *Ut Deus, ut Angelus Jehova coram ipſis erit domus David.* Ita vocatur *Angelus faciei Dei* Eſ. 63: 9. *Angelus fœderis* Malach. 3: 3. *Angelus orator* Job. 33: 23. *Angelus redemptor* Geneſ. 48: 16. Optime autem illi hoc nomen convenit: mittitur enim à Patre, & Pater per illum fecit opera divina omnibus aliis impoſſibilia. Neque hoc infra dignitatem divinam, qua Filius cum Patre gaudet ab æterno, eſſe cenſendum eſt. Non enim eſt ita Angelus, ut illi qui tantum miniſtrant, & è præcepto divino mittuntur, & nil niſi miniſtri ſunt; ſed ita eſt Angelus, ut & ſit Dominus, faciens opus *ſuum*, & à voluntate ſua, quæ una & eadem voluntas eſt cum voluntate Patris, motus & actus; atque ita à ſeipſo veniens, ut ita id, quod ipſe facit & dicit, Deus ipſe feciſſe & dixiſſe debeat putari: Pater enim & Filius unum ſunt.

§. 4. Angelus, de quo textus noſter agit, non eſt *homo*, neque *Angelus* creatus, qualis ille de quo ſermo eſt Exod. 33: 2. 3. ſed Angelorum omnium & hominum *Dominus*. Id è prædicatis liquido conſtat: dicitur enim *habere nomen Dei in medio ſui*; *non remittere peccata.* Remittere autem & non remittere peccata nemo poteſt εἰ μὴ εἷς ὁ θεός *niſi unus ille Deus* Marc. 2: 7. *obediendum voci illius, nec rebellandum illi eſſe* &c. Igitur, ut dictum, Angelus de quo ſermo eſt, eſt Angelus *fœderis*, *faciei*, *redemptor*; Deuſque Pater, cujus voluntate & προθέσει hic Angelus Moſi in rubo apparuit Exod. 3: 1—6. imo in monte Sina locutus eſt Actor. 7: 38. hic teſtimonium fert de Filio ſuo, ut ab Iſraële noſcatur is, qui hactenus fœdus cum Iſraële promulgavit, & qui deinceps Iſraëlem debebat ducere, in via ſervare, & cujus voci Iſraël teneatur obedire.

Angelus Dominus Angelorum.

§. 5. Dicitur autem hic Angelus *mitti. Ecce ego mitto Angelum coram te.* Miſſio hæc plane divina eſt & excellentiſſima. Mittitur enim ut is, qui eſt ἴσα θεῷ Phil. 2: 6. & cujus ἴδιον θέλημα καὶ ἔργον *propria voluntas & proprium opus* eſt voluntas Dei & opus Dei. Mittitur autem diverſis temporibus, & diverſa forma ac conditione. Mittitur enim, cum populo datur Ductor & Comes in deſerto, & in via in Canaan: ita in hoc præſenti loco. Deinde cum è muliere naſcitur Gal. 4: 4. *emiſit Deus Filium ſuum, natum è muliere*: confer Joh. 3: 34. *quem miſit Deus, verba Dei loquitur.* de qua miſſione conferantur eximia Prophetarum oracula Eſ. 48: 16. 61: 1. Zach. 2: 15. Abſit igitur, ut quia Filius mittitur, inferior Patre habeatur, quemadmodum in rebus humanis mittens miſſo major eſt, & miſſus mittente minor, quinimo hæc miſſio Filii τὴν ἰσότητα *æqualitatem & unitatem* cum Patre oſtendit & teſtatur.

Mittitur.

§. 6. Igitur mittitur Angelus, ſed ad quid? *ut te ſervet in via, & ducat te ad locum quem paravi.* Quam fideliter omne hoc ab Angelo ſit effectum teſtis eſt Eſ. 63: 9. *In omni anguſtia illorum non fuit arctum, & Angelus faciei ipſius ſalvabat eos; in dilectione ſua & in compaſſione ſua ille redemit eos, & tulit illos, & bajulavit illos omnibus diebus ſeculi.*

Ad quid mittatur.

§. 7. Non temere nec irreverenter cum Angelo hoc agere debebat Iſraël. Igitur monet Deus 1. *cave tibi a facie ejus:* miſericordiam ejus & bonitatem oſculare & ama: juſtitiam & iram time & reverere. *Servi illi in timore* Pſalm. 2: 11. Cogita illum omnia videre, oculis ejus omnia eſſe nuda & detecta; imo & renes ſcrutari. 2. *auſculta voci illius:* illi nimirum voci, *Ego ſanator tuus, Ego Jehovah Deus tuus.* Imo qua exercitium charitatis & bonorum operum tibi commendavit; imo quam deinceps ſequentibus temporibus ad te pronunciabit; illius inquam vocis ſis memor ſemper; vera fide & obedientia illam amplectere. Totum hoc eſt quod ad ſalutem ſanctorum requiritur, *auſcultare voci divinæ & cor*

Reverentia Angelo exhibenda.

& cor non obturare Pſalm. 95: 7.8. *Hodie ſi vocem ejus audiveritis, ne obdurate corda veſtra.* Jerem. 7: 23. *Verbum hoc præcepi ipſis, Auſcultate voci meæ.* Eſ. 1: 19. *ſi aſſenſeritis & audiveritis.* Id & ſuadet exhiberi Moſes *Propheta*, quem Dominus impoſterum excitaturus erat, *illum audite* Deut. 18: 15: & vox cælitus delata in montem *αὐτοῦ ἀκούετε* Matth. 17: 5. Marc. 9: 7. Luc. 9: 35. 3. *ne te amarum facias contra illum*: ne ſit in te *ῥίζα πικρίας radix amaritudinis*, quæ te *ἐνοχλῇ impediat*, quo minus voci ipſius obedias, & *per quam polluaris* Hebr. 12: 15. neque puta, amarum tibi eſſe poſſe obedire illi, quemadmodum in Ægypto *amara facta eſt vita tua in ſervitute gravi* Exod. 1: 14. quinimo hoc unum eſt verè bonum & dulce, *obedire Domino.* confer Matth. 11: 30. Si vertas, *ne rebelles in illum*, vetatur, ne unquam in hoc impietatis conſilium conſpirent, quod revelatur, Pſalm. 2: 3. *Rumpamus vincula illorum*; neque ruant in talia ſcelera, qualia deinde in deſerto perpetrata ſunt: de quibus Paulus 1 Cor. 10: 7.8.9.10.

Ratio, cur? §. 8. Et magna ratio eſt, ut Iſraël ſibi caveat. *Nam non condonabit peccata veſtra.* confer Exod. 20: 5. *Deus zelotes, viſitans peccatum.* & ℣. 7. *non dimittet Jehova impunitum.* Quamvis *faciat gratiam in millenos, gratioſus, miſericors, condonans pravitatem & peccatum* Exod. 34: 6.7. tamen etiam peccatum viſitat, & ſæpè non condonat. Eſt quidem *agnus Dei, ferens peccata mundi* Joh. 1: 29. attamen *omne judicium illi datum eſt à Patre* Joh. 5: 22. *& definitus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum* Actor. 10: 42. confer Ezech. 21: 32. *uſque dum veniat: cujus eſt judicium, & dabo illud.* Igitur ſæpè *παιδεύει caſtigat* ſuos cum delinquunt: ita fecit Iſraëlitis. *Illi irritum fecerunt fœdus meum, & ego dominatus ſum in illos* Jerem. 31: 32. confer Hebr. 8: 9. Unde tot caſtigationes, fugæ, perſecutiones, captivitates Iſraëlitarum, niſi à manu Angeli æterni, non condonantis peccata? vid. Eſ. 63: 10. *Sed illi*, quos Angelus faciei tulit, *inobedientes exſtiterunt; & converſus eſt*, Angelus ille faciei, *illis in inimicum, & bellum movit in illos.* Ecce, Angelum, non condonantem peccata.

Nomen Dei in medio Angeli. §. 9. Addit Deus. *Nam nomen meum eſt in medio illius. Nomen Dei* in Sacris denotat omnia illa quæ de Deo noſcuntur naturaliter, & revelantur ſpiritualiter, & fide acceptantur. Igitur omne id quod Deus eſt, quod Deus nominatur, quod in Deo abſconditum eſt, *eſt in medio Angeli* hujus, non ea tantum ratione qua *lex Dei* dicitur eſſe *in medio viſcerum illius* Pſalm. 40: 9. quo notatur, legem Dei ab illo benè intelligi, ſanctiſſime amari, conſtantiſſime obſervari; ſed *οὐσιωδῶς*, hoc eſt, *eſſentialiter*, ita ut omne quod Deus eſt, & in Deo eſt, ille ſit, & in illo ſit. Id dicit Apoſtolus, *omnis plenitudo Deitatis in ipſo habitat corporaliter* Col. 2: 9. *σωματικῶς*, non umbratiliter, neque tantum inchoate, ſed pleniſſime & conſummatiſſime. Igitur ejuſdem eſt eſſentiæ cum Patre, & eadem illis voluntas, eadem gratia, eadem majeſtas: idcirco *ne rebelles in illum.* Et quia nomen Dei eſt in medio illius, omne nomen, quod Deo unquam tribuitur & tribui poteſt, etiam illi competit *ἐν δυνάμει in potentia*, & omni emphaſi.

Eximietas hujus teſtimonii. §. 10. Hoc Teſtimonium Dei Patris de Angelo, Filio ſuo, non multo minus eſt eo, quod vox è cælo detulit in montem, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo beneplacitum habeo: illum audite* Matth. 17: 5. Ita enim & valent hæc verba, *Hic eſt Angelus meus, in quo omne nomen meum eſt, quem è beneplacito meo mitto; ab illo vobis cavete, & vocem ejus audite.*

Solemnia ad montem Sina. §. 11. Per idem tempus ſolemnia quædam peracta ſunt ad montem Sina. Ibi enim 1. *ædificatur altare & duodecim cippi.* 2. *mittuntur juvenes filiorum Iſraël, & offerunt illi holocauſta, & mactant ſacrificia pacifica, Domino, juvencos* Exod. 24: 4.5. *μόσχους καὶ τράγους* Hebr. 9: 19. 3. *dimidium ſanguinis ſpargitur ſuper populum* Exod. 24: 6.8.

imo

imo & Paulo docente *ſuper librum* Hebr. 9: 19. Scripſerat enim Moſes omnia verba, quæ Dominus locutus erat; in libro, qui סֵפֶר הַבְּרִית *liber fœderis* vocatur Exod. 24: 7. Paulus docet in hac aſperſione non ſanguinem tantum, ſed & *aquam, lanam coccineam, & hyſſopum* adhibita fuiſſe Hebr. 9: 19. Solebant enim illa in ejuſmodi ceremoniis adhiberi Levit. 14: 49. Num. 19: 18. 4. De hoc ſanguine Moſes, præconis inſtar, emphatice & alta voce pronunciat, *Ecce ſanguis fœderis, quod ſecavit Dominus vobiſcum, ſuper omnibus verbis iſtis* Exod. 24: 8. Quæ verba ita tranſtulit Paulus Hebr. 9: 20. *Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.*

§. 12. Pulchram habent hæc omnia ſignificationem. *Altare* θυσιαςήριον, eſt id, in quo *δῶρον munus, oblatio* offertur, majus eſt τοῦ δώρου: *id* enim *ſanctificat* Matth. 23: 19. hoc eſt, dignitatem & valorem, ut *a Domino aſpiciatur*, illi conciliat. Ut ſacrificia ab initio, ita & altaria fuere. Noah Domino altare ædificat Geneſ. 8: verſ. 20. Etiam Abraam Geneſ. 12: 7. 13: 17. Etiam Deus Iſraeli jam de altari præceperat, *Altare terrenum facies mihi, & ſacrificabis ſuper illud* Exod. 20: 24. Ut autem victimæ oblatæ fuerunt *σκιὰ umbra* victimæ, *per quam Dominus Jeſus ſemel manifeſtatus eſt* Hebr. 9: 26. ita & *altare* reſpondet illi in Chriſto rei, quæ victimæ illius dignitatem addidit & efficaciam: id eſt *τὸ πνεῦμα αἰώνιον Spiritus æternus, per quem ſemet ipſum obtulit Deo* Hebr. 9: 14. *Spiritus ſanctitatis, ſecundum quem eſt Filius Dei* Rom. 1: 4. *Altare* igitur *divinitatis* Chriſti ſymbolum eſt, quæ niſi in Chriſto fuiſſet, nec *ſanguis* illius poſſet dici τὸ ἴδιον αἷμα τοῦ θεοῦ Actor. 20: 28. nec *juſtitia*, quam adduxit, appellari δικαιοσύνη θεοῦ Rom. 1: 17. nec *crux*, è qua pependit, vocari *Crux* τοῦ κυρίου τῆς δόξης 1 Cor. 2: 8. Inde & Chriſtus ipſe *altare* vocatur Hebr. 13: 10. *Habemus altare.* & Apoc. 6: 9. *Vidi ſub altari animas mactatorum propter ſermonem Dei.* Animæ beatæ in cælis ſub altari Chriſto ſunt: in illo gratæ & acceptæ Deo Patri: in illo adorant Apoc. 11: 1. quemadmodum & in illo ἐξουσίαν ἔλαβον ingrediendi in cœlum. Altare.

§. 13. Ea quæ in hoc Altari offerebantur, dicuntur. 1. עֹלוֹת *holocauſta*, h. e. tales oblationes, quæ totæ in altare aſcendunt & comburuntur Levit. 1. & notarunt integram oblationem & obedientiam illius, qui pro nobis mortuus eſt. Totum ſe obtulit, totum illum *zelus domus Dei comedit* Pſ. 69: 10. Imo & ſymbolum ſunt amoris, quo fideles corpora ſua offerunt Deo Rom. 12: 1. 2. זְבָחִים *ſacrificia*, h. e. talia quæ partim in altari offerebantur; partim à Sacerdotibus & offerentibus comedebantur. *Manducatio* illa communionem cum altari, & victima, & cum Sacerdote vero ſignificabat: *qui enim victimas comedunt*, κοινωνοὶ τοῦ θυσιαςηρίου εἰσί 1 Cor. 1: 18. imo etiam communionem mutuam & participationem omnium donorum ſanctis adumbrabat. 3. Offerentes vocantur *juvenes filiorum Iſrael*; ſive fuerint *primogeniti*, Deo ſanctificati Exod. 12: 2. ſive alii ad id officium electi, pollentes robore, pietate, fide. Tales videntur indicari per *ſacerdotes illos, qui accedebant ad Dominum* Exod. 19: 22. Aharon cum ſuis huculque nondum acceperat jus offerendi ſolus ſacrificia. Sacrificia in illo oblata.

§. 14. Sanguine victimarum *aſpergebatur* 1. *Altare*; notatur, divinitatem ſanguine reconciliari, *cum ſanguine venire* 1 Joh. 5: 6. ſanguinem à divinitate ſanctificari. 2. *Populus*; ſanguine lavanda eſt Eccleſia, ut *purgetur ab omni peccato* 1 Joh. 1: 7. Ad ritualem hanc aſperſionem ſæpe collimat Scriptura. Eſ. 52: 15. *Aſperget populos multos.* 1 Petr. 1: 1. 2. *electis ad aſperſionem ſanguinis Chriſti*, inde & illius *ſanguis*, αἷμα ῥαντισμοῦ Hebr. 12: 24. 3. *Liber*, cui fœdus inſcriptum erat. Fœdus enim ſanguine hoc, cum omnibus ſuis promiſſionibus ratificatur & firmatur: *Fœdus pangentes ſuper ſacrificio* Pſalm. 50: 5. hoc eſt, interveniente meliore victimâ. Sanguine victimarum fit aſperſio.

V §. 15. Aſ-

Modus aſperſionis.

§. 15. Aſperſio fit 1. *Hyſſopo*, *quæ exit in* vel *ſub pariete* 1 Reg. 4: 33. & arborum viliſſima eſt, ſymbolumque extenuationis & vilitatis Chriſti. 2. *Aquâ*, quæ obedientiæ & ſanguinis Chriſti puritatem & efficaciam auferendi ſordes ſignificat. 3. *Lanâ*, quæ ab agnis & ovibus tondetur, ut doceamur illum, qui offertur, eſſe *agnum Dei*, qui *peccata mundi portat* Johan. 1: 29. 36. 4. *Ligno cedrino*, confer Levit. 14: 49. ut notetur, Chriſtum eſſe germen, terræ fructum, pulchrum & præaltum. Præcipua enim arborum cedrus eſt.

Sanguis fœderis.

§. 16. Denique ut actus concludatur, exclamat Moſes, *ecce ſanguis fœderis*. pignori & umbræ nomen veritatis, cujus loco ad tempus ſubſtituebatur, imponens. Fœdus enim verum *ſanguine* fundatur, & *ſanguine* βεβαιοῦται: qui ſanguis potiori jure vocatur αἷμα διαθήκης *ſanguis teſtamenti* Hebr. 10: 29. τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης Matth. 26: 28. Luc. 22: 20.

Summa totius actionis.

§. 17. Ut paucis omnia colligamus, ſolemni hac actione indicatum eſt, Fœdus & Teſtamentum gratiæ, cujus Mediator eſt *Angelus in cujus medio eſt nomen Dei*, ſacrificio & ſanguine meliore ratificari: fideles ſanguine illo purgari & lavari: lotos & purgatos in jus fœderis & in communionem omnium bonorum & prærogativarum pleniſſime intrare.

Initiatio Veteris Teſtamenti.

§. 18. Sed inſuper animadvertit Paulus Apoſtolus hic factam initiationem prioris Teſtamenti. Hebr. 9: 18. *Unde nec primum ſine ſanguine initiatum eſt. Accepit Moſes ſanguinem, dicens, hic ſanguis Teſtamenti.* Conſiderat Paulus *ſanguinem vitulorum & hircorum*, ut *ſanguinem Teſtamenti prioris*, ſufficientem illius initiationi & dedicationi: *ſanguinem* autem *Chriſti*, ut *ſanguinem Teſtamenti Novi*, neceſſario requiſitum ad illius introductionem & βεβαίωσιν & κύρωσιν. Quare in illa ſolemni actione fuit aliquid præfigurans *futurum* τὸ μέλλον; aliquid initians *præſens* τὸ παρόν. Victimæ enim oblatæ & ſanguis hircorum fuſus initiant Teſtamentum Vetus, quod ab illo tempore incipit. Eædem adumbrant κρείττοσι θυσίαις & κρείττονι αἵματι ratificandum & confirmandum Novum, Poſterius, & Melius, quod introducitur אַחֲרֵי הַיָּמִים הָהֵם *longe poſt illos dies* Jerem. 31: 33.

§. 19. Ita jam manu ducimur, ut, quemadmodum libr. 1. cap. 1. §. 14. promiſimus, quid proprie *Vetus Teſtamentum ſit*, cujus initiatio facta ſanguine vitulorum, pro noſtra tenuitate ſecundum Scripturas exponamus.

Collectio illorum, quæ de T. V. in ſacris prædicantur.

§. 20. Teſtamentum hoc in Sacris vocatur *primum* Hebr. 8: 7. 13. 9: 15. *Vetus* 2 Cor. 3: 14. dicitur eſſe pactum inde ab exitu ex Ægypto Jerem. 31: 32. eſſe *a monte Sina* Gal. 4: 24. *pactum in Horeb* Deut. 5: 2. 3. *initiatum* cum Moſes populum ſanguine aſpergeret Hebr. 9: 18. 19. *generare in ſervitutem* Galat. 4: 24. *non eſſe* ἄμεμπτον *ſine querimonia* Hebr. 8: 7. *antiquari*, *ſeneſcere*, *aboleri* Hebr. 8: 13. Agar ſerva illius eſt figura & typus Galat. 4: 24. *unum a monte Sina*; *quod eſt Agar. Transgreſſiones*, quæ *ſub illo primo Teſtamento* fuerunt, nactæ ſunt ſuam ἀπολύτρωσιν *redemptionem in morte obita Chriſti* Hebr. 9: 15.

Quid Vetus Teſtamentum.

§. 21. *Teſtamentum* humanitus loquendo, eſt diſpoſitio & voluntas hominis de hæredibus bonorum. Igitur & hoc *Teſtamentum*, quod Deus ἐποίησε τοῖς πατράσιν *pepigit patribus* Iſraëlis (Hebr. 8: 9.) notat *Voluntatem Dei* de *danda hæreditate* & quidem *Iſraëli*, cum illo enim id pactum eſt. *Non cum patribus noſtris fecit Teſtamentum hoc*, hoc eſt, non cum Adamo, Noacho, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, quamvis tribus his poſterioribus promiſſio ejus fuerit facta, *ſed nobiſcum* Deut. 5: 3. Et quia hoc Teſtamentum eſt inde ab eductione ex Ægypto, à Sina, Horeb, erit Voluntas Dei de danda hæredi-

tate

tæ *terra Canaan.* Ut enim in illam introducerentur, ex Ægypto erant educti; & de illa in Sina ſermo fit, *ut prolongentur dies tui in terra, quam Dominus Deus dat tibi* Exod. 20: 11. Et fœdus, quod in Sina publicabatur, in terra illa debebat obſervari, & Iſraël ex illo vivere.

§. 22. Itaque proprie loquendo, Teſtamentum, cum Iſraële, inde ab exitu ex Ægypto pactum, Propoſitum Dei, quo Iſraelem hæredem terreſtris Canaan conſtituit, denotat & declarat.

§. 23. Dicitur autem hoc Teſtamentum *primum*, reſpectu *ſecundi* cujusdam; & *vetus*, reſpectu *novi* cujusdam, quod illi ſuccedit. *Primum* eſt, quia divina providentia ita diſpenſante, terreſtris Canaan prima quaſi hæreditas Iſraëlis, quam primo loco occupavit, facta eſt. Vetus eſt, quia Canaan non in perpetuum, ſed ad tempus, & *in generationes* tantum Iſraëlitarum, hoc eſt, quam diu eſſent populus peculiaris, ſecretus ab aliis gentibus & nationibus, habitari & poſſideri debuit; deinde ab illis quaſi evacuari. Dicitur, *antiquari*, & *aboleri*; quia Iſraëlitæ ex illa terra ejecti ſunt; id bene per multiplices transgreſſiones commeriti. Eſt *inde à Sina*, quamvis Abrahamo jam notificatum, *Semini tuo dabo terram peregrinationis tua:* quia ab illo tempore omnia quaſi parabantur & ſic diſponebantur, ut Iſraël in illam intraret, & poſſeſſionem illius terræ caperet. *Generat in ſervitutem*, quia hoc Teſtamento ſtante *ſervitus legalis* intravit, & Iſraël *in ſervitutem Elementorum mundi* redactus Gal. 4: 4. Non eſt ἄμεμπτον *ſine querimonia*, quia in illo μέμφεται αὐτοῖς ὁ θεὸς, hoc eſt, *queritur Deus* de Iſraele, hærede nominato Hebr. 8: 8. & cum onere moleſto, quod querimonias & gemitus effecit, ac quaſi expreſſit, hæreditas illa accepta eſt; denique ipſa illa hæreditas, non eſt *optima Iſraelis pars*, de qua Scriptura, *Non auferetur ab illis*. In *Hagar* ancilla Saræ fuit typus hujus Teſtamenti. 1. Ratione nominis. Τὸ γὰρ Ἄγαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ Galat. 4: 25. 2. Ratione conditionis. Hagar fuit ſerva. Hæredes hujus Teſtamenti, fuerunt ἔνοχοι δουλείας Hebr. 2: 15. 3. Ratione fœcunditatis. Hagar fœcunda prior peperit Iſmaelem. Hoc Teſtamentum multitudinem accepit hæredum. Totus Iſrael, etiam carnalis Iſrael in hæreditate hac terrena partem habuit. 4. Ratione exitus. Hagar ejecta è domo. Hæredes hujus Teſtamenti ejecti ſunt è terra hæreditatis, & diſperſi per totum orbem, & hæreditas ſubjecta fuit maledictioni, & inhabitata ab impuriſſimis. Denique, ut & hoc ſciatur, hoc Teſtamentum συστοιχεῖ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ *Hieroſolymæ*, quæ *nunc* eſt, hoc eſt, terreſtri Gal. 4: 25. Illa enim fuit civitas capitalis, ſedes Regni & ſacerdotii, quod viguit & obtinuit ſtante priore Teſtamento.

Explicatio illorum, quæ de V. Teſtamento dicuntur.

§. 24. Igitur quia *terra Canaan* hæreditas eſt, quam Deus Iſraeli hoc Teſtamento legavit & διέθετο, illa vocatur נחלת ישראל *hæreditas Iſraelis.* Ita portat titulum, qui tamen è rei veritate illi non competit: nulla enim terra poteſt eſſe aut eſt vera hæreditas filiorum Dei. Sed quia ſymbolum fuit veræ & melioris hæreditatis, quam Petrus vocat ἄφθαρτον, καὶ ἀμάραντον 1 Pet. 1. 4. cœleſtis nimirum Canaan, civitatis illius manentis, nomen τῆς ἀληθείας gerit. Dedit autem Deus populo ſuo terram hanc quaſi in hæredium, ut in illa habitaret, ſeclusus à contagione aliorum populorum, ut in illa cultum divinum exerceret, & impletionem promiſſionum divinarum, inter quas prima & præcipua eſt illa de apparitione Filii Dei in carne, expectaret & acciperet.

Terra Canaan hæreditas Iſraelis?

§. 25. Teſtamenti hujus διαθέμενος *Teſtator* eſt Deus. *Ego dabo ſemini tuo terram hanc. Mediator*, idem ille, qui in die concionis magnæ ſtetit inter Deum & populum, *in cujus manu lex addita eſt, qui unius non eſt*, Moſes Galat. 3: 19. *Sanguis*, quo

Teſtamenti Veteris Teſtator, Mediator,

ſanguis, hæreditas, hæredes, promiſſiones, legiſlatio.

initiatum eſt, eſt αἷμα μόσχων ϗ τράγων Hebr. 9: 18. 19. Illo Iſrael aſperſus fuit, tanquam purificatus carnaliter, ad intrandum in hæreditatem terreſtrem Exod. 24: 8. *Hæreditas* in illo legata, eſt *terra Canaan. Hæreditas* in illo ſcripti, *totus Iſrael.* Voluit Deus habere tunc *populum*, maxima parte *puerum & dura cervicis*, cum fidelibus & ſanctis in hæreditate terrena. Habuit etiam ſuas ἐπαγγελίας *promiſſiones.* Si enim *novum & melius Teſtamentum* ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται Hebr. 8: 6. ſane *vetus & prius* etiam habuit ἐπαγγελίας, quamvis non omnino κρείττονας, meliores & excellentiſſimas, certe tamen in ſuo genere bonas & optabiles. Illarum promiſſionum una eſt in quinto præcepto, *ut prolongentur dies tui in terra.* & Exod. 23: 25. 26. *Benedicet Dominus Deus pani tuo & aquæ tuæ, auferam morbum è medio tui. Non erit orba & ſterilis in terra tua, numerum dierum tuorum implebo.* Nec caruit ſua νομοθεσίᾳ, hoc eſt, *ſtipulationem* additam ſibi habuit Vetus Teſtamentum; quæ non tantum eſt præceptum converſionis & fidei; ſed & Lex præcepti carnalis, quæ poſtmodum τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, Gal. 3: 19.

Teſtamentum V. figura Novi.

§. 26. Teſtamentum hoc vetus fuit quaſi umbra & figura Novi: utrobique enim eſt Teſtator, ſanguis, hæreditas, hæres, promiſſio, legiſlatio; ſed in Novo Teſtamento omnia hæc ſunt meliora & glorioſiora. Corpus enim ſemper umbra excellentius eſt.

Teſtamentum V. à quibus diſtinguendum.

§. 27. Teſtamentum hoc vetus diſtinguendum eſt tum ab illis, quæ illud anteceſſerunt, & ante illud fuerunt, & illo ſtante ſemper manſerunt; tum ab illis, quæ ad id acceſſerunt, & illo ſtante addita ſunt.

Quænam fuerint ante introductionem. T. V.

§. 28. Ante promulgationem ſeu executionem Teſtamenti hujus Veteris jam fuit promulgatum Teſtamentum gratiæ: de quo Actor. cap. 3: verſ. 25. *Vos eſtis filii Teſtamenti, quod Deus diſpoſuit Patribus veſtris, dicens Abraamo, in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*, quod Teſtamentum eſt *ante ratificatum à Deo in Chriſtum*, quod ut *non Lex*, ita nec vetus Teſtamentum ἀκυροῖ *irritum facit.* Illud Teſtamentum in promiſſione prima Geneſ. cap. 3: verſ. 15. 16. eſt notificatum: & in omnibus illis gratioſiſſimis promiſſis, ab illo tempore πολυμερῶς Patribus dictis, repetitum. confer Galat. 3: verſ. 16. *Abrahamo autem dictæ ſunt promiſſiones.* Hoc gratiæ Teſtamentum ſalvavit Patres, & multos illos filios in gloriam introduxit, de quibus etiam Hebr. 2: verſ. 10. ſermo eſt. Vetus Teſtamentum ubi ſubintravit, minime abrogavit hoc prius, ſed potius ſtabilivit & confirmavit: hæreditas enim in veteri legata ſymbolum, ſignum & pignus fuit melioris & cœleſtis illius civitatis, quæ vi antecedentis & prioris Teſtamenti fidelibus donata eſt. Etiam *Circumciſio* ante Vetus Teſtamentum fuit, & per ſe ad id non pertinet. Unde dicitur, *à Moſe* quidem *data*, *non tamen eſſe è Moſe, ſed è Patribus* Joh. cap. 7: 22. *Data* tamen eſt à Moſe, hoc eſt, repetita, & cum Veteri Teſtamento ac ejus præceptis quaſi conjuncta & copulata arctius.

Quænam acceſſeſint ad V. T.

§. 29. Ea quæ acceſſerunt ad vetus Teſtamentum non ſunt pauciora. Sub initium illius fœdus pronunciatur de Sina, quod gratiam promittit & ſalutem; & obedientiam, ſanctitatem ſtipulatur ac reſipiſcentiam. Poſtmodum intervenientibus παραβάσει Iſraelitarum cœpit Deus in populum ſuum *dominari* rigidius, & illum ἀμελῆσαι *neglectius habere*: impoſuit enim illi *legem præcepti carnalis* cum omnibus ſuis circumſtantiis & dependentiis. Ita Teſtamentum Vetus valde aggravatum eſt, ut ita loquar, & hæreditas illa habitata ſub jugo δυσβαστάκτῳ.

§. 30. Igitur quæ diſtincta ſunt in ſe ab invicem probe diſtinguamus. Et firmiter teneamus *Vetus Teſtamentum* diſtingui debere & diſtinctum eſſe 1. à promiſſione Patribus data. 2. à ſi-

2. à ſignis, quæ acceperunt Patres, quale eſt circumciſio. 3. ab ipſo fœdere, quod Deus cùm Iſraëlitis pepigit, quale eſt illud in Sina. 4. ab ipſa lege præcepti carnalis, quæ poſtmodum addita per Moſen, ſubintravit. Et proprie ac per ſe ſignificare Propoſitum Dei de danda hæreditate terreſtris Canaan filiis Iſraël in pignus cœleſtis & permanentis. Ad priora igitur, quæ ab initio fuerunt, acceſſit Teſtamentum Vetus, ita ut de illis nil mutarit; & ad Teſtamentum Vetus acceſſerunt omnia illa, quæ omni tempore, quo illud duravit, obſervari debuerunt, quæ fuerunt præcepta de δώροις & θυσίαις, de βρώμασι καὶ πόμασι, καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς. &c. Hebr. 9: 9. 10.

§. 31. Neque etiam diffiteri poſſumus, Doctrinam de Veteri Teſtamento, de ejus initio, & propria illius eſſentia hactenus ſatis difficilem viſam: quibuſdam illud ante lapſum, quibuſdam ad lapſum Adami extendentibus; nonnullis per id intelligentibus placitum Dei, aut pactum, aut legem pacti; imo omne id, quicquid auditum & acceptum fuit ante Chriſti ἐπιδημίαν. Quæ opinionum diverſitas ſatis arguit defectum cognitæ hac de re veritatis. *Doctrina de V. T. difficilis.*

§. 32. Apparet autem è dictis *Vetus Teſtamentum* proprie & per ſe de *gratia* non diſponere, ſed de *hæreditate* terræ Canaan. *Antiquatur* enim & *aboletur*: quod de *gratia* dici non poteſt. *Gratia* in æternum manet, non amovetur, quamvis montes vacillent & dimoveantur Eſ. 54: 10. Neque commodum eſt dicere, Iſraëlitas habuiſſe ſpem gratiæ ſalutis & vitæ æternæ ex eo quod aboletur & ſeneſcit. Abrahamus, & filii ac nepotes illius, Iſaac & Jacob, non fuerunt ſub Veteri Teſtamento: nam & Abraham fuiſſet ſub *ſervitute*: primum enim Teſtamentum δουλεύει *ſervit* Galat. 4: 25. qui tamen eſt typus & exemplum ἐλευθερίας & *pater omnium noſtrum, qui libertate, qua Chriſtus nos liberavit, ſtamus* Galat. 5: 1. *Diſpoſitio V. T.*

§. 33. Si quis autem hanc doctrinam comparare velit cum Sociniana, docente, *Iſraëlitas caruiſſe promiſſionibus ſpiritualibus & cæleſtibus*, is parum candide aget, & falſum loquetur. Nos enim peſtilentem illum errorem toto corde abominari ſatis & abunde teſtamur, dum docemus Iſraëlitas, præter promiſſiones in Paradiſo, Patribuſque dictas, accepiſſe fœdus gratiæ de Sina; terram etiam Canaan è Teſtamento Veteri datam, viſibile fuiſſe pignus melioris & incorruptibilis hæreditatis, *aſſervatæ in cælis* 1 Pet. 1: 4. *Declinatio erroris.*

§. 34. Ad omnia autem hæc inſignia, quæ Deus hucuſque cum populo ſuo egit acceſſit adhuc aliud, nempe videndum ſe exhibuit Deus Moſi, Aharoni, Nadab & Abihu, & ſeptuaginta è ſenioribus Iſraël: idque alia planè ratione, quam fecerat in monte Sina, de quo *ſonum verborum audiverunt, & viderunt tonitrua, fulgura & fumum*, ſigna præſentiæ divinæ, *nullam* autem *ſpeciem & formam viderunt* זולתי קול *præter vocem* Deut. 4: 11. 12. Exod. 20: 18. De eo ita Moſes Exod. 24: 10. 11. *Et viderunt Deum Iſraëlis, & ſub pedibus ejus ut laterculus ſapphiri factus*, (vel *quadratum ex ſapphiro aut pyropo*) *& ut cælum ipſum puritate. Et ad delectos filiorum Iſraël* (hoc eſt, ad ſeptuaginta delectos de ſenioribus Iſraël) *non miſit manum ſuam, & viderunt Deum, & comederunt & biberunt.* *Apparitio Domini facta 70. Senioribus.*

§. 35. Is quem viderunt, fuit *Deus Iſraëlis*, nempe is, qui de Sina dixerat, *Ego Jehova Deus tuus*, quique Moſi in rubo apparuerat, hoc eſt, Dominus, Mediator, Angelus fœderis. Igitur Dominus Jeſus ſe illis videndum exhibuit.

§. 36. Viderunt illum, non γινόμενοι ἐν πνεύματι, ut Johannes Apoc. 1: 10. neque obruti ſomno, ut Abraham Gen. 15: 12. & Jacob Gen. 28: 11. & Daniel Dan. 10: 9. confer. Num. 12: 6. 7. Zach. 4: 1. ſed vigilantes. *Ederunt* enim *& biberunt*: quod eſt vigilantium. *Status & conditio 70. Seniorum.*

Ita & Moſes vigilavit apud rubum Exod. 3: 2. 3. Joſua in campis Jericho, ubi vidit virum cum gladio nudato ſeu extracto Joſ. 5: 13. forſan etiam Eſaias Eſ. 6: 1—4. & Ezechiel: ita enim de ſe ait Ezech. 1: 28. *Et vidi, & cecidi in faciem, & audivi vocem loquentis.*

§. 37. דְּמוּת *ſimilitudo*, μορφή *forma*, in qua illum viderunt, fuit externa & viſibilis, viderunt *pedes* habentem, atque adeo fuit illi דְּמוּת כְּמַרְאֵה אָדָם *ſimilitudo ut aſpectus hominis* Ezech. 1: 26. & apparuit in forma humana, ſeu in ſpecie ἐνσαρκωθέντος. Sub pedibus ejus fuit ut *opus laterculi ſapphir*. Σάπφειρος gemma eſt rubri coloris, ut nonnullis videtur ex Thren. 4: 7. *Puri erant Naſiræi ejus præ nive, candebant præ lacte; rubebant etiam præ Peninim*, סַפִּיר גִּזְרָתָם *Sapphir erat forma eorum.* Idem fuit purum ut puriſſimum quidvis, quale eſt *cœlum*, de quibus tamen eſt Job. 15: 15. *Cœli ipſi non ſunt puri in oculis ejus.* Quid aliud apparitio hæc illis poterat facere venire in mentem, quam Deum Iſraëlis aliquando hominem futurum, carnis, ſanguinis, pedum, aliorumque membrorum participem; oculo ad oculum videndum; veſtimenta ejus fore *rubra*, hoc eſt, ſanguine & omni paſſionum genere fœdanda.

Comparatio aliarum viſionum.

§. 38. Cum hac viſione comparentur aliæ viſiones. Eſ. 6: אֲדֹנָי *Dominus videtur in Solio excelſo ſedens, indutus talari: fimbriæ* enim *ejus totum implebant templum* Ezech. 1: 26. *erat ut aſpectus ſapphiri ſimilitudine Solii, & ſuper ſimilitudinem Solii, ſimilitudo ut aſpectus hominis ſuper illud ſuperne.* confer Ezech. 10: 1—10. Daniel *videt virum indutum talari, cinctum cingulo aureo, corpus habentem ut tarſis, faciem & oculos ut fulgur & flammas ignis; brachia ut æs terſum, vocem ut vocem multitudinis* Dan. 9: 5. 6.

Metus videntium. Securitas 70. Seniorum.

§. 39. In aliis viſionibus notatur metus videntium Exod. 3: 6. *Abſcondit Moſes faciem, quia timebat aſpicere Deum.* Eſ. 6: 5. *Væ mihi nam pereo.* Dan. 10: 8. *Non reliqua fuit in me vis, Vigor meus mutatus eſt apud me in corruptionem, & non tenui vires.* confer Apoc. 1: 17. Hic in ſpecie notatur hos ſeptuaginta non fuiſſe exterrefactos. *non miſit manum ſuam ad illos*, ut illos terreret: totus comis & φιλάνθρωπος illis viſus eſt; minime obſcuro indicio, illum fore non εἰς φόβον, ſed εἰς παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ Luc. 2: 25. *manſuetum & humilem* Matth. 11: 29. Ita abunde & ſufficienter *contemplati ſunt Deum.* וַיֶּחֱזוּ אֶת הָאֱלֹהִים: poſteà *comederunt & biberunt*, non in voluptatem cibis uſi, ſed in vitam, & in nomine Dei id facientes, & hac ipſa actione manifeſtantes, comiter illos à Deo Iſraëlis exceptos fuiſſe.

§. 40. Ita Deus, qui in ſe eſt ἀόρατος *inviſibilis* Col. 1: 16. 1 Tim. 1: 17. *quem nemo hominum vidit, neque videre poteſt* 1 Tim. 6: 16. Joh. 1: 18. à ſanctis ſuis viſus eſt: qui etiam in plenitudine temporis oculis ſpectatus, auribus auditus, & manibus illorum attrectatus eſt 1 Joh. 1: 1. Eſ. 40: 5. 52: 8. Ultimo & noviſſimo die clarius & plenius adhuc videndus: vide 1 Joh. 3: 2. *Videbimus illum* καθώς ἐστι. & Job 19: 26. 27. *Et e carne mea videbo Deum, quem ego videbo meum.* Pſalm. 17: 15. *Satiabor ſpecie tua.*

Caput Nonum.

Secundus aſcenſus Moſis in montem Sina §. 1. Voluntas Dei de faciendo ſanctuario, illiusque idea Moſi in monte monſtrata §. 2. 3. Cur ideam illam Deus Moſi conſpiciendam præbuerit §. 4-9. Arca fœderis §. 10-13. Menſa & panis faciei §. 14. Candelabrum aureum §. 15. Tabernaculum, Tentorium, Tegmen §. 16. Illius ſignificatio §. 17-19. Specialis conſideratio Sancti Sanctorum & Sancti §. 20-27. & Veli §. 28-35. Altare holocauſti §. 36-40. Altare ſuffitus §. 41-44. Labrum §. 45-47. Atrium §. 48-50. Sacerdotes ſummi §. 52-54. ἱερεῦς Aharon & Filii §. 51. Veſtes Sacerdotis Aharon typus Chriſti §. 55. Chriſtus Aharone major §. 56. Initiatio Aharonis & filiorum §. 57. 58. Sacrificia in die initiationis offerenda §. 59. Juvencus לחטאת §. 59-63. Aries לעלה §. 64. 65. Aries ſecundus לַמִּלֻּאִים §. 66-70. Initiationis ritus ſignificativi futurorum §. 72. Unctio altaris §. 73. 74. Sacrificium juge §. 75-80. Inſimul offerri debet מנחה Munus §. 81. imo & libamen §. 82. Argentum expiationum §. 83. illius δήλωσις §. 84. Moſes jejunavit 40. dies §. 86. Ἀνακεφαλαίωσις §. 87-91.

§. 1. Juſſu Dei aſcendit Moſes rurſum in montem Sina, accepturus *tabulas lapideas, ſcriptas a duabus ſuis partibus*, ſive *finibus*, מִזֶּה וּמִזֶּה *hinc & inde*, ita ut nulla parte vacuæ fuerint Exod. 32: 15. confer Ezech. 2: 10. Apoc. 5: 1. Tabulis illis inſcripta fuerunt *verba fœderis, decem verba* Exod. 34: 28. confer Exod. 24: 12. *Dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & preceptum, quod ſcripſi* לְהוֹרֹתָם *ad docendum illos.* Ita *Bonus eſt Dominus & rectus: docet enim peccatores viam.* יוֹרֶה חַטָּאִים בַּדָּרֶךְ Pſalm. 25: 8. In hoc monte voluntatem ſuam Deus aperit de faciendo ſanctuario. *Faciení mihi ſanctuarium, & habitabo in medio illorum* Exod. 25: 8. Hujus tabernaculi תַּבְנִית *ideam*, τύπον *exemplar* & *typum*, formamque, ut & omnium inſtrumentorum ejus monſtravit Deus Moſi. *Secundum omne, quod ego monſtro tibi formam* הַמִּשְׁכָּן *tabernaculi, & formam omnium inſtrumentorum ejus, & ſic facietis* Exod. 25: 9. confer ỳ. 40. *Et vide, & fac in forma illorum, quæ tibi monſtrata eſt in monte.* Id Apoſtolus ita enunciat Hebr. 8: 5. ὅρα ποιήσῃς πάντα κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει. confer Exod. 26: 30. Actor. 7. 44.

§. 2. Igitur quæ Moſes in terra exſtruxit; ea Deus ipſi in monte monſtravit. Tabernaculum exſtruxit: ejus typum & formam & exemplar in monte vidit. Arcam, propitiatorium, menſam, candelabrum fecit: horum omnium autem ideam & ſpeciem in monte conſpicatus eſt, fuitque typus ille cœleſtis terreni hujus tabernaculi quaſi ἀρχέτυπον; quamvis utrumque tantùm fuerit umbra altioris tabernaculi, & verioris σκιᾶς: adeoque id quod in terra exſtructum eſt, juxta typum in monte oſtenſum; umbræ umbra, & figuræ figura, & typi typus commodè dici poteſt.

§. 3. No-

Quadraginta dies inſumpti ad monſtrandum ideam tabernaculi.

§. 3. Noſtrum eſt de hiſce minimè tacere, quibus monſtrandis Deus, qui ſex diebus totum univerſum, cælum & terram condidit, quadraginta dies & quadraginta noctes inſumpſit Exod. 24: 18. imo de quibus divus Paulus pluribus agit Hebr. 8: 2. 5. 9: 1–24. quamvis ne cogatur omnia dicere, addat, περὶ ὧν οὐκ ἔστι νῦν λέγειν κατὰ μέρος. *de quibus non eſt dicere nunc ſigillatim* Hebr. 9: 5.

Cur Deus oſtenderit Moſi formam in monte. Et cur tam ſtrictè juſſerit omnia ſecundum illam fieri.

§. 4. Imprimis igitur ſciendum 1. per id, quod omnium quæ in terra debebant exſtrui, forma & idea Moſi monſtrata fuit in monte, edoctum Moſen & totum Iſraëlem, terreſtria illa eſſe τῶν ἐπουρανίων ὑποδείγματα *cæleſtium figuras* Hebr. 8: 5. & altioris tabernaculi eſſe typum illud, quod ſtrui debebat in terra. 2. quod Deus ita præcisè præmonſtravit omnia, quomodo & è quibuſnam rebus quidlibet deberet fieri, & vetuit quicquam aliter fieri, eo voluit Iſraëlem docere, nequaquam eſſe homini liberum, è proprio libitu & conſilio domus, altaria, arcam, aut cultum èxternum Deo ædificare, formare & componere. Idcirco ne quid Moſes de ſuo adderet, aut de Dei demeret, toties Deus ipſi inculcat, *Vide & fac in forma, quæ monſtrata tibi eſt.* Item, Deo ſoli cognitum, quænam res per ſtructuras illas ſignificentur, & ab illo hanc petendam eſſe notitiam.

§. 5. Deus *in templis manu factis non habitat: eſt enim Dominus cæli & terræ: neque à manibus hominum* θεραπεύεται Actor. 17: 24. 25. Et ille, *cujus cælum ſolium, & terra ſcabellum pedum* eſt, optima cum ratione rogat, *Quænam eſt domus, quam ædificabitis mihi?* Eſ. 66: 1. Igitur quando jubet templum materiale exſtrui, ut Moſen in monte juſſit, ipſe ſolus ordinare & præſcribere debuit & potuit, quomodo totum illud ædificium coaptari & formari vellet. Neque enim eum in finem id juſſit ædificari, ac ſi tali ſtructura delectaretur, aut tali ædificio indigeret, & non ſine tali hominibus manifeſtari poſſet; ſed ut ad tempus διορθώσεως duraret, & ὑπόδειγμα eſſet ac figura ejus templi, & earum rerum, in quibus eſt voluptas illius, & in quibus manet in perpetuum, quæ & ipſæ nunquam præterєunt, ſed manent לְעוֹלָם.

Id quod Moſes in monte vidit, ſpirituale potiſſimum fuit.

§. 6. Id quod Moſi in monte fuit monſtratum, fuit certè viſibile. *Vidit* enim id Moſes. *Spirituale* tamen id potius, quam materiale dicendum eſt: neque enim in montem ligna aut metalla congeſta ſunt, unde id efformatum. Etiam non fuit ullius hominis manu factum, nec ullius cura & induſtria elaboratum: neque enim à carne fieri aut factum eſſe potuit, quod carnale & corporale non fuit; quodque *Deus* monſtravit Moſi & non homo.

Id quod exſtruxit, materiale.

§. 7. Id autem quod Moſes juxta typum in monte oſtenſum, in terra exſtruxit, & viſibile fuit, & materiale, manibus factum, ſolertiaque humana exornatum.

Doctrina.

§. 8. Argumento palpabili, eas res, quas omnia illa, quæ Moſes in monte vidit, & in terra fieri juſſit, ſignificabant, eſſe in ſe ſpirituales, non ferri manibus, ab hominibus non habere originem & ſubſiſtentiam, Dei eſſe opus, Dei ποίημα, in Deo & apud Deum conſummari. Et tamen non excludere κοινωνίαν & μετοχὴν σαρκὸς καὶ αἵματος; atque adeo & de cælo & de terra participare.

§. 9. Hoc autem ut appareat, progrediemur ad conſiderationem quarumlibet partium, & de quolibet agemus eo ordine, quo Moſes ſingula enumerat.

Arca fœderis.

§. 10. Primum quod Deus jubet fieri, *Arca* eſt. אָרוֹן. Κιβωτὸς debuit fieri *è lignis Sittim*: per quæ notari videtur Cedrus optima, natura ſua oleoſa arbor & odora: *& induci auro*, quod ut inter metalla rariſſimum eſt, & ab *aura*, hoc eſt, ſplendore nomen habet, (αὐγὸς enim Græcis *fulgor* eſt) ita in ſacris ſymbolis notat, quod optimum precioſiſſimumque eſt, & lucem habet, & purum eſt ac perennans: ponitur pro *oleo claro*

Zach. 4:

Zach. 4:12. & Job. 37:22. metaphoricè dicitur *Lux jucunda oculis.* In illa debuit poni הָעֵדֻת *teſtimonium*, hoc eſt, Tabulæ Teſtamenti & fœderis, eſt ubi & pro *arca* ipſa ponitur Exod. 16:34. *Et poſuit eam*, urnam, *ante teſtimonium* ſeu arcam teſtimonii, *ſervandam.* Hebr. 9:4. videtur innui, *Urnam* illam *Mannæ*, ut & *Virgam Aharonis*, *quæ* fronduerat, etiam in arca fuiſſe; niſi velis quod Apoſtolus habet ἐν ᾗ vertere *cum quâ.* Super illam debebat poni כַּפֹּרֶת ἱλαστήριον *propitiatorium*, ita operculum Arcæ dicitur: & Deus ſuper illo quaſi videbatur, Lev. 16:2. & deſuper illo loquebatur: & id ipſum *totum aureum.* E duobus finibus operculi debebant fieri *duo Cherubim aurei*, expanſis alis ſupernè, tegentes alis propitiatorium, & faciebus in illud directis: confer Heb. 9:5. ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χερουβὶμ δόξης, κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον. *Cherubim* erant figura quatuor ani- Cherubim.
malium, quæ in unum conflata erant. 1. *Pedes* erant vitulini. 2. *Corpus* humanum, ut & *manus.* 3. *Facies* quatuor: Leonis, Bovis, Aquilæ, Hominis. 4. *Alæ* aquilinæ. Ezech. 1:5-10. 10:14-20. Vox כרב Syris & Arabibus valet *arare.* Ita *Cerub* notabit *arantem*, & tota figura ab uno animali, quod partem illius figuræ faciebat, videbitur denominari, nempe à *bove arante.* Ezech. 10:14. pro פְּנֵי שׁוֹר dicitur פְּנֵי כְּרוּב. Per Emblema τῶν χερουβὶμ ſignificati ſunt 1. *Angels.* Geneſ. cap. 3: verſ. 24. Pſalm. 18: 11. 2. *Electi fideles.* confer Apoc. 5:8.9.10. Ibi *quatuor animalia* (Johannes *quatuor* vocat animalia, unum animal, quod è figura quatuor animalium conſtabat) eadem oratione compellant *Sanctum, Sanctum, Sanctum Dominum*, quæ electis Chriſti fidelibus convenit. Hæ autem animalium formæ, è quibus Cherubim erant compoſiti, virtutes ſanctorum denotant. *Pedes* vitulini biſulci notant, quod ſtant immoti in ſpirituali fundamento: *forma humana* τὸ λογικὸν & ſapientiam: non ſunt ut pecudes, quæ non intelligunt & pereunt; Pſalm. 49: 21. *alæ* promtitudinem, qua Deo ſervire geſtiunt; & quod ſublimè volant; ſuperextendunt enim ſe ad cœleſtia: facies *Leonis* fortitudinem: *bovis* patientiam & perdurationem laborum: *aquilæ* ſagacitatem ad quærendum cadaver ſuum, quod eſt Chriſtus Dominus, panis vitæ. Vide Exod. 25:10-23. 37:1-9.

§. 11. Arca hæc cum propitiatorio & Cherubinis emblema fuit Mediatoris Dei & ho- Significatio Arcæ & Cherubim.
minum Chriſti Jeſu: qui 1. optimæ & divinæ eſt naturæ: ea notatur per *Aurum.* 2. terreſtris ſubſtantiæ factus eſt particeps; cum multitudine & copia donorum Spiritus Sancti: Eſa. 4:2. 61:1. 11:1. 2. illius ſymbolum eſt *lignum cedrinum*; terræ fructus, plenum ſuaviſſimi odoris & olei. 3. In cujus medio eſt Lex Dei: id tabulæ ſignificant *in arca poſitæ.* 4 In quo Deus invenitur propitius & reconciliatus; omnibus obvius, qui ad ipſum accedunt: id *inhabitatio* ſuper *Capporet, inter Cherubim*, unde *rogatus reſpondebat*, adumbrabat. 5. Qui in cœlo eſt, ubi videtur à ſanctis Angelis & beatis hominibus: id arcæ collocatio in *Sancto Sanctorum*, quod cœli typus fuit; & *faciei Cherubim in Capporet converſio* notavit. 6. Quique cum electis in terra communionem habet, in illis vivit, & in illis multas operatur virtutes. Id quod arca fuit in terra, & ſæpe Dux exercituum Iſraëlis fuit, ut in Jordane, & ante Jericho, & quod ex illa Deus rogantibus reſponſa dabat, ſubinnuit.

§. 12. Huc pertinet eximius locus Apoc. 11:19. *Et apertum eſt templum Dei in cœlo,* Locus Apoc. 11:19.
& viſa eſt Arca Teſtamenti ipſius in templo ipſius: hoc eſt, Eccleſia, cujus ὁ ναὸς ſymbolum, cognita eſt, & publicè declarata, ut habens πολίτευμα ſuum ἐν οὐρανοῖς Philip. 3:20. In hoc templo viſa eſt *Arca Teſtamenti*, hoc eſt, Chriſtus Dominus, illam ferens, regens, in illa prædicatus, & in illa creditus.

§. 13. Hæc de Arca & ejus ſignificatione dicta ſunto. Quamvis autem & de latitu- Cur non omnia arcæ ad myſterium referri debeant.
dine, longitudine, & profunditate arcæ; item de limbo ſive corona illius aurea; nec non de annulis ejus quatuor, deque vectibus, quibus ferebatur, quædam addi poſſent,

& in illis etiam myſterium ſignificans animadverti, nobis tamen ſatis fuit, præcipua tantum delibare, judicantibus, hæc & ſimilia, non in arca tantum, ſed & in aliis inſtrumentis,& ſanctuarii partibus, magis addita eſſe ad venuſtatem & ordinis perfectionem, & proportionis ac formæ pulchitudinem, quam ad myſterii cujusdam δήλωσιν ſeu ſignificationem, unde in illis diu multumque immorari non è re ducimus.

Menſa cum panibus. §. 14. Secundum eſt שֻׁלְחָן ἡ τράπεζα *menſa*, cui panes imponebantur. *Et pones ſuper menſam panem facierum ante faciem meam ſemper* Exod. 25:30. Duodecim erant panes Levit. 24:6. *Et pones eos*, panes, *duas ſtrues, ſex ſtruem. Thus purum* illis imponebatur: *ſingulis Sabbatis diſponebantur* panes: *edebantur* ab Aharone & filiis ejus ibid. ℣. 7. 8. 9. De hac menſa lege Exod. 25:23-31. 37:10-16. Vocatur illa etiam *Menſa faciei* Num. 4:7. Hæc Menſa cum panibus notavit, Fidelibus paratam fore menſam cum pane vitæ in perpetuum. Chriſtus eſt *panis vitæ, qui è cælo deſcendit* Joh. 6:48. 50. 51. Hic panis Deo gratus eſt; in illo εὐδοκησε: igitur verè *panis faciei*. Eccleſiæ menſam exſtruit Dominus: Pſalm. 23:5. *Sternis coram me menſam*. Prov. 9:2. *ſapientia apparavit menſam ſuam*. Beati menſæ hujus aſſeclæ: hæc abundans non parit faſtidia menſa. Hi panes Apoſtolo ſunt ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων Hebr. 9:2.

Candelabrum cum lucernis ſeptem. §. 15. Tertium eſt ἡ λυχνία *candelabrum aureum* cum *ſeptem* λύχνοις *lucernis*. vide Exod. 25:31-40. 37:17-24. Candelabrum emblema Eccleſiæ eſt. *Septem candelabra, quæ vidiſti, ſeptem Eccleſiæ* ſunt Apoc. 1:12. 20. 2:1. 5. Ut λυχνία fert λύχνον, cum lucet πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ Matth. 5:15. ita Eccleſia oſtendit Chriſtum, illumque confitetur, ejusque nomen & virtutes publicando celebrat. Eccleſia ἐπέχει τὸν λόγον τῆς ζωῆς *præfert ſermonem vitæ* Phil. 2:16. eſtque illa τὸ φῶς τοῦ κόσμου Matth. 5:14. Eccleſia eſt candelabrum *aureum*; maximi apud Deum pretii; imò τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως eſt πολὺ τιμιώτερον χρυσίου 1 Petr. 1:7. Quamvis autem Eccleſia *una* ſit & catholica, quemadmodum unus eſt Sponſor, Redemtor, Sacerdos & Mediator, tamen ut *ſeptem* candelabra, ita *ſeptem* dicuntur Eccleſiæ, reſpectu habito 1. Ad *ſeptem Spiritus*, qui *ſunt coram throno Dei* Apoc. 1: verſ. 4. quique effunduntur in Eccleſiam Joël. 2:28. Ut igitur cum tantum ſit ἓν πνεῦμα *unus Spiritus* Epheſ. 4: verſ. 4. 1 Cor. 12:11. 13. tamen ob varietatem donorum hic *unus & idem Spiritus* dicitur ἑπτὰ πνεύματα, ita, quamvis *una* tantum ſit Eccleſia, tamen ſermo eſt de ſeptem Eccleſiis, propter multitudinem membrorum, & civium, & domeſticorum ejus, qui ſunt *ex omni tribu, linguâ & natione* Apoc. 5:9. & propter communionem variorum illorum donorum, quæ τὰ ἑπτὰ πνεύματα in illis ἐνεργεῖ. 2. Ad tempus illud, quod Deus Eccleſiæ poſteriori aſſignavit, quod ſeptem periodis incluſum & comprehenſum eſt, & correſpondet ſeptem illis tubis, de quibus in Apocalypſi. confer. Zach. 4:2. ab illo etiam viſum eſt *candelabrum totum aureum cum ſeptem lucernis*.

Tabernaculum, Tentorium, Tegmen. §. 16. Quartum eſt *tabernaculum* ipſum, *tentorium tabernaculi*, & *tegmen tentorii*, de his vide Exod. caput 26. & 36. *Tabernaculum* מִשְׁכָּן conſtabat è decem cortinis byſſinis, (*Byſſus* genus lini ſubtiliſſimi & pretioſiſſimi) purpureis, coccineis, artificioſiſſimè factis. *Tentorium* אֹהֶל ex undecim cortinis עִזִּים, quo vocabulo aut *pelles*, aut *pili* notantur caprarum. Tegmen מִכְסֶה è pellibus arietum rubefactis. Ita internè aſpectus tabernaculi erat eximius & ſplendidus: nitebat auro & purpura: quod qui oculis non ſubjecerunt, animis vix concipere poſſunt. Externè autem horridus & aliquo modo deformis. Intus in tabernaculo ponebatur פָּרֹכֶת *καταπέτασμα velum diſterminans*. Id diſtinguebat inter duas tabernaculi partes, quarum una vocatur *Sanctum*, alia *Sanctum Sanctorum*. Apoſtolus duas has partes conſiderat ut duplicem σκηνὴν Hebr. cap. 9: verſ. 2. 3. 6. 7. Intra velum

lum erat *Area.* confer Hebr. 9:4. Extra velum. 1. *Menſa, ad latus aquilonis.* 2. *Candelabrum è regione menſæ ad latus meridiei.* 3. *Altare aureum* ad θυμιάματα, לִפְנֵי הַפָּרֹכֶת *proximè ante velum* Exod. 40:20-26. Denique factum eſt *velum, tegmen* מָסָךְ *oſtio tentorii.* Igitur ut פָּרֹכֶת impediebat, ne quis inſpiceret in ἅγια ἁγίων; ita hoc *tegmen* efficiebat, ne quis inſpicere poſſet in ἅγια. Ad hæc duo vela & tegmina reſpiciens Apoſtolus, dicit μετὰ δὲ τὸ δεύτερον καταπέτασμα Hebr. 9:3.

§. 17. Inquiramus autem, quid tabernaculum hoc ſignificaverit. Erigebatur, ut Deus habitaret in Iſraële. *Ego habitabo in medio filiorum Iſraël* Exod. 29:45. 46. Hæc שְׁכִינָה σκήνωσις fuit figura melioris illius σκηνώσεως de qua Zach. 2:10. *Ecce venio & habitabo in medio tui.* & Joh. 1:14. *Sermo caro factus eſt,* καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Illa in tabernaculo שכינה non erat veri nominis inhabitatio, ſed umbratilis tantum: non videbatur inhabitans Deus: inter Cherubinos latebat: nec audiebatur niſi à ſolo Sacerdote; in ſancta ſanctorum intrante.

Tabernaculum ad quid erectum.

§. 18. Sed quarum rerum ὑπόδειγμα fuit præcisè ipſum tabernaculum? Reſpondeo. 1. *Corpus* Chriſti comparatur cum *templo. Solvite* τὸν ναὸν τοῦτον Joh. 2:19. *loquebatur autem* περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ Ibid. ℣. 20. Eſ. 8:14. *Dominus*, qui factus eſt in lapidem offendiculi & petram ſcandali, (1 Petr. 2:7.) dicitur *fieri ſanctuarium.* וְהָיָה לְמִקְדָּשׁ nempe aſſumendo *Corpus, templum corporis,* quod ſanctificat, re ipſa fit & eſt viſibile ſanctuarium. 2. Eccleſia Dei ſæpe vocatur *domus Dei: ut ſcias, quomodo debeas in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia* 1 Tim. 3:15. *Vos ut lapides vivi ædificamini, domus ſpiritualis* 1 Petr. 2:5. Pſ. 46. 5. *Civitas Dei, ſanctum habitationum Altiſſimi.* 1 Cor. 3:16. *An neſcitis* ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε: *templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* 3. Deus & Agnus dicitur *templum* & σκηνή Apoc. 21:22. *Templum non vidi in illa,* ſancta Jeruſalem ℣. 10. *Nam Dominus Deus templum illius eſt, & Agnus.* Apoc. 21:3. *Ecce* ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ *tabernaculum Dei* μετὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ σκηνώσει μετ᾽ αὐτῶν.

Tabernaculum majorum rerum ὑπόδειγμα. 1. Corporis Chriſti. 2. Eccleſiæ. 3. Dei & Agni.

§. 19. Igitur 1. *Tabernaculum* fuit ὑπόδειγμα figura *Corporis* Chriſti. In tabernaculo habitavit Deus: *In Chriſto* homine *habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter* Col. 2:9. Tabernaculum plenum erat gloriæ Dei Exod. 40:34. *Sermo caro factus habitavit in nobis, & vidimus gloriam illius, gloriam ut unigeniti* Joh. 1:14. E tabernaculo loquebatur Deus: *Omnis caro vidit, quod os Chriſti Domini locutum eſt* Eſ. 40:5. Tabernaculum extrinſecè vile apparebat: Chriſti caro fuit ὁμοίωμα *ſimilitudo carnis peccati* Rom. 8:3. *forma, quam accepit, forma ſervi* Phil. 2:7. *Corruptus præ viro aſpectus ejus* Eſ. 52:14. Tabernaculum è rebus conſtabat materialibus: Chriſti corpus è *carne & ſanguine* Hebr. 2:14. *& oſſibus* Luc. 24:39. Tabernaculum purum & ſplendidum fuit in ſe: Chriſtus homo *ſanctus, ſine vitio, factus in ſanctuarium.* Tabernaculum ſæpe ſolvebatur; ſolutum iterum erigebatur: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud* Joh. 2:19. 2. ὑπόδειγμα *Eccleſiæ,* quæ & *Corpus* Chriſti Epheſ. 1:23. 5:23. & *domus Chriſti* eſt Heb. 3:6. Nam in Eccleſia habitat Deus & Spiritus Dei. In Eccleſia eſt revelatio Dei: quæ *auris non audivit, oculus non vidit, illa Deus per Spiritum Eccleſiæ revelavit* 1 Cor. 2:9. 10. Eccleſia tota pulchra eſt & ſplendida in ſe, *amicta ſole, lunam habens ſub pedibus, coronata duodecim ſtellis* Apoc. 12:1. *Tota glorioſa eſt filia Regis* פְּנִימָה *intrinſecè, è teſſellatis auri veſtimentum ejus* Pſal. 45:14. Externè humilis & *nigra. Ne aſpiciatis me, quod nigra ſum, quod me contuitus eſt Sol* Cantic. 1:5. 6. In Eccleſia viget & valet Teſtamentum Dei: in illa præbetur panis vitæ: in illa lucet lux & vita hominum. Et ut è variis cortinis fiebat *unum tabernaculum* Exod. 26:6. ita è variis membris, variis nationibus & populis fit *una, ſancta, catholica Eccleſia.* 3. Fuit

 etiam

etiam ὑπόδειγμα *divinitatis* & efficaciæ & virtutis, quæ & in Patre & in Filio eſt. *Dominus Deus* ὁ παντοκράτωρ ναὸς αὐτῆς ἐστι. Ut enim ſanctificantur per ſanctuarium, qui ad id accedunt; ita Deus fit ἁγιασμὸς *ſanctificatio* omnibus, qui ad illum confugiunt. Eſt igitur *Deus templum* ſuis, illos ſanctificans verè; cum altare & ſanctuarium accedentes & attingentes ſanctificarit tantum umbratiliter. Deinde ut in ſanctuario gloriæ & prærogativæ Iſraëlis reſervabantur: ita & in Deo omnis gloria noſtra, & *vita noſtra cum Chriſto abſcondita* eſt. Col. 3:4. Tabernaculum erat in medio Iſraëlis, perpetuus illius comes: Deus in medio Eccleſiæ, illam ferens & ſuſtentans. Tabernaculum *ſanctum* erat; erat enim in eo *ſanctum ſanctorum.* Deo acclamant Seraphim *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova* Eſ. 6:3.

Specialior conſideratio partium tabernaculi.

§. 20. Sed adhuc preſſius conſiderandum, quid ſignificaverit 1. *Sanctum Sanctorum.* 2. *Sanctum.* 3. καταπέτασμα *velum*, inter illa diſtinguens.

Sanctum Sanctorum, Sanctum.

§. 21. *Sanctum Sanctorum* potiſſima tabernaculi erat pars. *Sanctum* erat ſecundaria pars, & quoad dignitatem gradu uno inferior.

Quomodo notarint corpus Chriſti?

§. 22. Si hæc applicemus *templo corporis* Chriſti, notabitur, Chriſtum hominem non eſſe tantum ſanctum, ſanctitate aliquâ inferiori, qualis dici poteſt illa, quâ fidelium *liberi* dicuntur *ſancti*, 1 Cor. 7:14. ſed ſanctitate ſumma & puriſſima ac integerrima, ita ut ſit ab omnibus peccatis ſeparatus. Templum igitur corporis Chriſti non tantum *ſanctum* eſt, ſed eſt *Sanctum Sanctorum*, hoc eſt, omni modo ſanctiſſimum, confer. Hebr. 7:26. hinc & Angelus Luc. 1:35. τὸ γεννώμενον ἅγιον.

Quomodo Eccleſiam?

§. 23. Si autem *ſpirituali templo* Eccleſiæ id accommodemus, inveniemus in illo implementum plenius. Unde concludere licet, τὴν σκηνὴν, quam Moſes exſtruxit, imprimis Eccleſiæ eſſe ὑπόδειγμα. Conſtat duas Eccleſiæ eſſe partes, unam, quam potiorem dicemus, quæ vocatur *Eccleſia triumphans*; unam, quam uno gradu inferiorem appellabimus, quæ dicitur *Eccleſia militans.* Ita *Sanctum Sanctorum* reſpondebit *Eccleſiæ triumphanti*: *Sanctum, militanti.* Et pulchra hic eſt convenientia. In *Sancto Sanctorum* erat Arca, Propitiatorium, Cherubim; in illud tantum intrabat *ſacerdos ſummus*, præ omnibus aliis ſanctificatus: Eccleſia triumphans eſt in arctiſſima communione *Dei judicis*, *Jeſu Mediatoris*, & *myriadum Angelorum*; illa ipſa conſtat è *ſpiritibus juſtorum conſummatorum*, in quibus opus ſanctificationis plene eſt abſolutum; eſtque illa *civitas Dei vivi, Jeruſalem cœleſtis.* Hebr. 12:22. 23. 24. In *ſanctum* intrabant Sacerdotes omnes promiſcuè; in illo erat *menſa* & πρόθεσις τῶν ἄρτων, & *lucerna*, & *altare ſuffitus*: ad Eccleſiam militantem pertinent omnes ſancti & vocati, *omnes renati*, quamvis *in iis peccatum adhuc habitet*, unde *carnales*, *venditi ſub peccatum* dicuntur. Rom. 7:14. 17. 23. Illis menſa, referta & inſtructa Chriſti δόμασι & beneficiis, ſtrata eſt; illis lux gratiæ lucet; illique Domino ſunt *odor fragrantiæ.*

Explicatio Dan. 9:24.

§. 24. Scio quidem Dan. 9:24. ſub nomine *Sancti Sanctorum, ad ungendum Sanctum Sanctorum*, non intelligi tantum illam, quæ ſupernè triumphat, ſed & illam, quæ adhuc inferius militat, Eccleſiam. Nam omnis Eccleſia tum militans, tum triumphans, uncta *Spiritu filiationis, non è menſura dato* Joh. 3:34. *Sanctum Sanctorum* eſt. Et Eccleſiæ, etiam in terra adhuc agentis, πολίτευμα *in cœlis* eſt, Phil. 3:20. illaq; eadem cum cæleſti juſtitia, libertate, & redemtione gaudet; adeoque ad unum κεφαλαίωμα & ſimilitudinem unius ſtatus adducta ſunt, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς; Eph. 1:10. quamvis tamen multiplex etiam adhuc interſit differentia. Nam illa quæ hic infra eſt, περίκειται ἀσθένειαν Heb. 5:2 *luctam* ſentit Eph. 6:12. à quibus Eccleſia, quæ in cœlis vivit, libera eſt omni modo: hæc, quæ hic infra eſt, *gemit gravata, deſiderans ſuperindui*, & aliquo modo adhuc ἐκδημεῖ ἀπὸ τοῦ κυρίου. 2 Cor. 5:4. 6. Attamen ut omni-

omnibus Tabernaculi partibus aliquid reſpondeat, congruum eſt *in Sancto Sanctorum* Eccleſiam triumphantem; in *Sancto* Eccleſiam militantem agnoſcere adumbratam.

§. 25. Neque hoc dicentes movemur, quod per *Sanctum Sanctorum* videtur *cœlum, cœlum tertium*, in quod Chriſtus *receptus*, 1 Tim. 3:16. Actor. 3:21. & Paulus *raptus* fuit 2 Cor. 12:2. debere intelligi; ſiquidem Paulus Hebr. 9:24. dicit, Chriſtum *non intraſſe in ſancta manu facta*, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, *adumbrativa verorum, ſed in cœlum ipſum*; unde apparet τὸν οὐρανὸν *cœlum* eſſe illa ἀληθινὰ ἅγια, adumbrata per illa χειροποίητα. Nam quia ὁ οὐρανὸς *cœlum* eſt οἰκητήριον *domicilium* Eccleſiæ triumphantis, in quo illa μονὴν ποιεῖ *manſionem facit*, hoc eſt, commoratur, Chriſtus *intrando in cœlum, intravit* in Eccleſiæ triumphantis communionem; & intrando in hanc, in cœlum *intravit* εἰσῆλθεν. Sanctum Sanctorum figura cœli tertii.

§. 26. Indicat etiam Paulus viam, *per quam* Chriſtus *in hæc* ἅγια, hoc eſt, in cœlum tertium, & in communionem Eccleſiæ triumphantis *intravit*; nimirum διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς *per majus & perfectius tabernaculum*. Hebr. 9:11. Paulus non intelligit per illam phraſin *Chriſti corpus*: quamvis id in ſe ſit σκῆνος, ut noſtrum 2 Cor. 5:1. nam id ipſum eſt, quod *in ſancta intravit*. Igitur ſi id deberet intelligi, ſequeretur, Chriſti corpus per Chriſti corpus intraſſe in ſancta, quod non ſatis bene ſonat: neque etiam *cœlum viſibile*, quod Chriſtus διῆλθε *pertranſiit* Hebr. 4:14. quo demonſtratus eſt eſſe *ſublimior*, Hebr. 7:26. nam hoc cœlum non eſt verè *majus illud & perfectius tabernaculum*; & *id in die Domini* ῥοιζηδὸν *cum ſtridore præteribit*, 2 Petr. 3:10. ſed intelligit Paulus Eccleſiam in terris militantem; in qua Chriſtus natus, circumciſus, baptizatus; cujus membrum fuit in terra, ab illa *ſecundum carnem* olim cognitus. Per illam Chriſtus Dominus, Sacerdos verus ingreſſus eſt in cœlum, in Eccleſiam & Hieroſolymam cœleſtem, quam ipſam ſanguine ſuo ſanctificavit; cujus gloriam morte ſua fecit ratam; ad quam aditum nobis patefecit. Antequam in hanc ſupernam ut victor aſcenderet, debuit in hac militante ut ſervus & humilis & pauper apparere. Antequam in hac cœleſti, gloria & majeſtate coronaretur, in hac inferiori ignominiam & mortem guſtare debuit. Per illam igitur miſſus eſt ad ſupernam, qui cum fratribus ſuis militantibus debuit prius pati, quam cum ſpiritibus triumphantibus & conſummatis in gloria throni Dei jubilare. Et quemadmodum Chriſtus Sacerdos prius egit, qua homo, in Eccleſia militante, quam tranſiit & ſeceſſit ad triumphantem; ita nemo unquam civis triumphantis factus eſt aut fiet, qui non ante fuit membrum Eccleſiæ militantis. A militante Eccleſia tranſitur ad triumphantem: militia in triumphum exit. Nemo vivet & gaudebit cum electis in cælo, qui non cum iiſdem luxit & mortuus eſt in terra. Qua via Chriſtus in cœlum intravit.

§. 27. Docet etiam Paulus in primam σκηνὴν *ſemper intraſſe ſacerdotes, ſacra perſicientes; in ſecundum* autem *tabernaculum ſemel quotannis ſolum Sacerdotem ſummum, non ſine ſanguine.* Et *Spiritum Sanctum* illo ipſo *manifeſtaſſe, viam ſanctorum nondum fuiſſe manifeſtatam, primo tabernaculo ſtationem habente*, Hebr. 9:6.7.8. hoc eſt, ſanctos *nondum habuiſſe fiduciam, in introitum ſanctorum*, nempe ut gloriari poſſent, *ſanguinem* Jeſu *effuſum, peccatum abolitum, Deum* lytro poſito *reconciliatum*; & ſe accedere μετὰ παῤῥησίας, ſine ulla ſcriptione chirographi, aut ulla commemoratione peccati, ad *thronum gratiæ* poſſe. Hebr. 4:16. Abſit autem, ut Paulus docere velit, animas ſanctorum Veteris Teſtamenti, poſt diſſolutionem corporis, non introiviſſe in gloriam: quod dicere, eſt negare æternitatem fœderis gratiæ, & ſponſionis Mediatoris Chriſti; & *finem fidei*, qui eſt *ſalus animarum* 1 Pet. 1:9. irritum facere. Sacerdotes intrabant in ſancta: Sacerdos ſummus ſolus in ſanctiſſima.

Velum quotuplex.

§. 28. Καταπέτασμα *Velum* quod attinet, tum *ſancti ſanctorum*, tum *ſancti*, utrumque factum è purpura & dibapho, opere artificis Exod. 26: 36. 36: 37. 40: 28. id, inquam, duplex velum, erat impedimento, *unum*, ſacerdotibus, ne in ſanctiſſima viderent, alterum, omni populo, ne ſancta priora intrarent aut intuerentur. Oportet igitur ut illi velo aliquid reſpondeat, quod πάλαι *olim*, hoc eſt, anterioribus temporibus effecit, ut populus Dei non frueretur plena *libertate*, *fiducia*, *conſummatione*, & omni *redemptionis* fructu; & nondum haberet illam ἐξουσίαν, ut accederet μετὰ παῤῥησίας τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος Hebr. 4: 16. & ſe gererent mere ut τέκνα Θεοῦ Joh. 1: 12. Sed aliquo modo gravarentur, & procul ſtarent, & minus ac imperfectius omnia Dei myſteria & omnem ejus gratiam, (de qua *prophetæ prophetarunt*, ut *nobis* conferendam, ergo nondum *illis* collatam 1 Pet. 1: 10. 12.) cognoſcerent, guſtarent & perciperent.

Velum Symbolum carnis Christi.

§. 29. Apoſtolus Hebr. 10: 20. *velum* dicit fuiſſe ſymbolum *carnis* Chriſti: *per velum, hoc eſt, carnem ſuam.* Igitur *caro*, cujus Chriſtus μετέσχε, per velum tabernaculi fuit præfigurata & adumbrata. Nimirum, quamdiu illa *caro* adhuc erat integra, hoc eſt, nondum rupta, oblata & mortificata, non poterant fideles omni libertate & plenitudine divinæ gratiæ, & fiducia acceſſus frui. Non poterat quidem introitus in cælum & vitæ æternæ hæreditas fidelibus denegari: illum enim æterna Chriſti ſponſio ipſis patefecerat: & quod de *cauſis moralibus* vulgo dicitur, illas ſæpè effectu ſuo eſſe poſteriores, cum alias omnis *cauſa phyſica ſit prior effectu ſuo*, id & de *carne* Chriſti dici poteſt: Antequam illa eſſet actualiter rupta & oblata, fideles magna ex parte illos jam perceperunt fructus, quos illa rupta demum & oblata ratificavit, & permanentes ac ſtabiles & æternæ durationis eſſe fecit: qui nunquam potuiſſent percipi, niſi certum fuiſſet, Carnem Chriſti omnino offerendam & necis poteſtati committendam. Tamen quam diu Caro Chriſti actu nondum erat oblata, quemadmodum fideles adhuc *rei* erant, hoc eſt, debitores pœnæ, non actu ab illis ſuſtinendæ, ſed jure obligationis, ita adhuc parcius in hac vita illis exhibebatur fruitio divinorum beneficiorum. *Cognitio* erat multis modis obſcura. *Spiritus*, qui dabatur erat *Spiritus ſervitutis ad metum* Rom. 8: 15, hoc eſt, docebat illos moleſtam ſervitutem legalis jugi, multo cum timore, & multa cum ſcrupoloſitate διὰ παντὸς τοῦ ζῆν Hebr. 2: 15. ſuſcipere & obire. Erat *peccatorum remiſſio*; ſed non ſine fuſione ſanguinis, adeoque ſcriptione chirographi. Erat *acceſſus* ad altare & ad Deum, ſed per manus aliorum, qui & ipſi erant homines ex hominibus ſumpti, infirmitatem habentes adjacentem Hebr. 5: 12. Erat *jus filiorum & hæredum*, ſed ut *puerorum* adhuc, qui *nihil differunt a ſervis*, & ſunt ſub œconomis & tutoribus Gal. 4: 1. 2. 3.

Cur Caro Chriſti cum velo comparetur.

§. 30. Quia autem *Caro Chriſti*, non ante temporis plenitudinem oblata, in cauſa erat, ut ita loquar, quo minus Sancti omnes *promiſſiones & benedictiones* divinas, in hac etiam vita, plenius acciperent, ideo illa olim *veli* inſtar fuit, à fidelibus cohibens pleniorum intuitionem & fruitionem τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τῆς σωτηρίου (Tit. 2: 11.) *in hac autem vita* tantū: poſt illam enim fideles in cælum, ubi Sponſor illorum erat, evecti, *conſummati* ſunt; unde *Spiritus* illorum, quorum fuit in cælum intrare, (nam corpora vident διαφθορὰν huncuſque in diem Act. 2: 27. 29.) dicuntur *ſpiritus juſtorum conſummatorum* Hebr. 12: 23. qui omni beatitudine & pleniori Dei aſpectu, & juſtitiæ æternæ fruitione gaudent in perpetuum.

§. 31. Ut autem *Caro* Chriſti nondum rupta, & *peccatum* nec dum habens *in ſe condemnatum* Rom. 8: 3. imò nondum *peccatum facta* 2 Cor. 5: 21. quaſi *velum* fuit, occultans gratias & glorias Dei; ita eadem, rupta & oblata, exſtitit *cauſa* pleniſſimæ libertatis, juſtitiæ, redemptionis & ſalutis, non tantum poſt hanc vitam, ſed & in hac vita.

§. 32. Igi-

§. 32. Igitur illa rupta etiam velum manibus factum rumpi debuit: & ut debuit, ita & contigit ac evenit, narrantibus id unanimiter tribus Euangeliſtis Matth. 27: 51. Marc. 15: 38. Luc. 23: 45. quæ res evidens argumentum fuit, omnia Dei jam aperta, & publici omnium fidelium juris facta eſſe: cuilibet patere viam liberam: omnium oculis & animis gratias Dei eſſe expoſitas: differentiam Sacerdotis ſummi, Sacerdotum, & populi eſſe ſublatam: omnes jam eſſe ſacerdotes factos, & reges: melius & aliud jam eſſe Dei σκήνωμα ſeu tabernaculum. Igitur ad primam σκηνὴν non ſubſiſtendum amplius, &c. Ruptio veli.

§. 33. Neque tamen hoc tantum reſpectu *Caro* Chriſti *velum* eſt, quatenus nimirum olim fuit impedimentum plenioris libertatis, & liberioris acceſſus, ſed & alio. 1. Velum tum ſancti ſanctorum, tum oſtii tentorii erat è purpura & byſſo: *Corpus* Chriſti, quamvis ſanguine conſtet & carne, totum pretioſum eſt, ἀμίαντον, pulchrum, ſine peccato. 2. Velum occultabat gloriam Sanctuarii ab oculis populi: Caro Chriſti occultavit gloriam Filii Dei unigeniti ab externis oculis mundi. Nam quod in carne vili habitabat & ambulabat, imo in illa pateretur, is qui *eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ* Col. 1: 15. id *Judæis* & *Græcis ſcandalum* fuit & *ſtultitia* 1 Cor. 1: 23. Aliæ rationes, ob quas caro Chriſti comparatur cum velo.

§. 34. Docuit præterea *Velum* ſanctuarii manu facti, multa olim fuiſſe tecta & obſcura & occultata, quæ nunc ſunt detecta, manifeſtata, & in lucem producta. vide 2 Tim. 1: 10. Deut. 29: 29. Quid præterea Velum docuerit.

§. 35. Symbolum etiam fuit cæli inferioris, quod intereſt inter cælum empyreum, in quo cæleſtis Hieroſolyma, Eccleſia primogenitorum triumphat, & Terram, in qua Eccleſia inferior hactenus militat; quemadmodum velum intererat inter ἅγια ἁγίων & inter ἅγια. Et quemadmodum hoc velum faciebat, ne omnis Iſraël aperta viſione in ſanctum intueretur, ita Cælum hoc impedit, quo minus nobis in terra alluceat & appareat ὀφθαλμοφανὴς *gloria*, quæ ſuperius reſervata eſt. In hunc ſenſum videtur Apoſtolus dicere Hebr. 6: 18. 19. 20. *Habemus ſpem, quæ intrat in interius Veli, quo Præcurſor pro nobis intravit, Jeſus.* Jeſus autem intravit in cælum tertium: quod interius veli eſt. Ergo anterius ſeu exterius veli erit cælum id, quod inter illud & terram medium intereſt.

§. 36. Quintum eſt *Altare*: faciendum *è lignis cedrinis, quadratum*, cum *cornubus* Exod. 27: 1–9. 38: 1–7. Vocatur id *altare holocauſti*: quia in illo debebat offerri *holocauſtum & munus*. Poni debebat non in ſancto ſanctorum, ubi erat *Arca*; nec in ſancto, ubi erat *menſa, candelabrum*, & alterum altare, de quo mox; ſed *ante januam tabernaculi tentorii conventus* Exod. 40: 28. 29. Altare holocauſti.

§. 37. *Altare* ſymbolum Chriſti eſt. *Habemus altare* Hebr. 13: 10. quodnam? *Jeſum Chriſtum, qui eſt heri, hodie idem, & in ſecula* Ibid. ℣. 8. Sed quia altare *ſanctificat donum* Matth. 23: 19. & id facit valere apud Dominum; ejus in Chriſto naturæ umbra eſt, quæ victimam & paſſiones Chriſti ſanctificavit & extulit ad infiniti & excellentiſſimi, quale à nullo alio ſolvi potuit, pretii vim, hoc eſt, *divina*. *Crux*, à qua Chriſtus pependit, non eſt *altare*, quod Chriſti λύτρον ἁγιάζει, ſed eſt pars victimæ & paſſionis, & locus, in quo Chriſtus factus eſt κατάρα. Neque tantum in cruce Chriſtus oblatus eſt; quanquam in cruce offerri deſiit, & oblatio ejus abſoluta eſt: nam etiam, quæ, antequam è cruce ſuſpenderetur, ἔπαθε *paſſus eſt*, ad oblationem illius pertinent. Igitur nec Crux pretioſior victima Chriſti eſt, nec adoranda aut colenda: & *Chriſtus crucifixus*, non verò crux per ſe, eſt *Dei potentia & Dei ſapientia* 1 Cor. 1: 23. 24. Chriſti ſymbolum.

§. 38. Altare *è ligno* notat unionem & conjunctionem duarum in Chriſto naturarum, divinæ & humanæ. *Altare* enim per ſe divinitatem notat: Lignum fructus terræ, id quod Altare è ligno.

de

de terra eſt, humanitatem; ſed humanitatem Spiritus ſancti donis, & oleo hilaritatis abunde impletam. Lignum enim cedrinum ſuccoſum & oleoſum eſt.

Cornua altaris. §. 39. *Cornua* altaris notant *omnipotentiam* ejus, in quo eſt reconciliatio. Ita *cornua* pro robore, Amos.6: 13. *accepimus nobis cornua*, hoc eſt, acquiſivimus robur. Hab. 3: 4. *Cui ſunt cornua a manu ejus*, hoc eſt, cui eſt potentia ad debellandum hoſtes. confer Pſ.75:5. Etiam *cornua* notant *Regnum*, Dan. 7: 24. *decem cornua*, *decem reges*. confer cap. 8: 9. Idem cujus altare cum cornibus ſuis umbra fuit, ſæpè *cornu* vocatur; Pſalm. 132: 17. *Ibi faciam germinare Cornu Davidi*; τὸ σωτήριον 2 Sam. 22: 3. Pſalm. 18: 3. *Cornu ſalutis meum.* 1 Sam. 2: 10. *& extulit cornu Meſsiæ ſui.* Cornibus altaris ſanguis ſolebat aſpergi. Eo notabatur, *potentiam vitæ indiſſolubilis*, quæ in Chriſto eſt, vim & efficaciam dare ſanguini ipſius. Cornua altaris refugium erant homicidarum & eorum qui ſcelera perpetrarant, illa apprehendebant. 1 Reg. 1: 50. Ad hunc morem videtur reſpici Eſ. 27: 5. *Apprehendat arcem meam, & faciat pacem mecum.* confer. Eſ. 64: 7. *Non eſt qui ſe excitet ad apprehendendum te.*

Altare ante oſtium tentorii. §. 40. Altare erat *ante oſtium tentorii conventus.* Id videtur fuiſſe non tantum διὰ τὸ πρέπον, ne ſanctuarium cottidie cruore, fumo, & cineribus pollueretur; ſed videtur notaſſe 1. divinitatem etiam extra ſanctuarium terreſtre eſſe. 2. Chriſtum publicè & in conſpectu ferè totius mundi paſſionibus eſſe enecandum: quemadmodum victimæ in altari publicè, ſpectante toto Iſraële mactabantur. 3. altare & victimam non tantum pertinere ad τοὺς τῇ σκηνῇ λατρεύοντας.

Altare ſuffitus. §. 41. Sextum eſt *Altare ſuffitus*: id vocatur *aureum*, quia erat *auro* inductum; altare verò holocauſti ære Exod. 30: 1 – 10. 37: 25 – 29. Ponebatur *in tentorio conventus ante velum.* Exod. 40: 26. In illo mane & veſperi adolebatur *ſuffitus aromatum*, *munera*, & *holocauſta & libamina*, ut & קְטֹרֶת זָרָה *ſuffitus alienus*, id eſt, vapor alius, quàm Deus ordinaverat, non debebant in illo offerri. Singulis *annis ſemel* expiatio fiebat ſuper cornua ejus *de ſanguine pro peccato diei expiationis.*

Altare hoc Chriſtus erat. Suffitus quid ſignificaſint. §. 42. Altare hoc Chriſtus *erat. Erat* inquam, ut Paulus loquitur de Petra 1 Cor. 10: 4. θυμιάματα in illo offerenda ſunt *interceſsio* Chriſti, Rom. 8: 34. Hebr. 7: 25. & φρόνημα *ſenſus* Spiritus ſancti, Rom. 8: 15. 26. unde deſideria & preces ſanctorum efficaciam ſuam hauriunt. *Oratio* ſanctorum *ſuffitus* eſt *coram Deo*, Pſalm. 141: 2. quemadmodum etiam εὐποιΐα & κοινωνία illorum cum θυσίαις *victimis* comparatur; Hebr. 13: 15. 16. Apoc. 5: 8. *quatuor animalia* dicuntur habere *phialas plenas ſuffimentorum*: additur, *quæ ſunt orationes Sanctorum.* Mane & veſperi ſuffiebatur. Notatur continuatio interceſſionis Chriſti & Spiritus; & preces noſtras debere eſſe aſſiduas. Aromatum exuſtio *in altari*, notat, preces noſtras eſſe debere *in nomine Jeſu.* Joh. cap. 14: verſ. 13. 14. 16: 24. *Exuſtio* notat vim & zelum tum interceſſionis Chriſti & Spiritus; tum qui adeſſe debet precibus noſtris; preces noſtræ igneæ ſint.

In altare ſuffitus nulla victima aſcendit. §. 43. Altare hoc nulla victima debebat attingere: documento, poſt oblatam victimam unam, nullam aliam offerendam eſſe: *una oblatione conſummavit in perpetuum*, Heb. 10: 14. *vivit nunc in perpetuum, non ut ſe ſæpius offerat*, Hebr. 9: 25. ſed εἰς τὸ ἐντυγχάνειν *ut pro nobis intercedat.* Hebr. 7: 25.

Altare ponitur in ſancto. §. 44. In *ſancto* ponitur altare. Eccleſiæ preces ſolas placere Deo; & Eccleſiam, cujus ſanctuarium umbra, ſolam verè ſeu *in veritate & Spiritu*, *ſuffitus aromatum*, hoc eſt preces Deo gratas offerre docemur.

Labrum. §. 45. Septimum eſt כִּיּוֹר *labrum* ponendum *inter tentorium conventus & altare*

Erant

Erant in iſto *aquæ*, quibus lavaret Moſes, Aharon & filii ejus manus & pedes cum vellent intrare in tentorium, aut accedere ad altare Exod. 40: 30. 31. 32. confer Exod. 30: verſ. 18. 19. 38: 8.

Aqua cujus rei ſymbolum.

§. 46. *Aqua* ſymbolum ejus eſt *ex quo regeneramur* Joh. 3: 5. Chriſtus venit *cum aqua & ſanguine* 1 Joh. 5: 6. In cruce fluxit è latere illius *ſanguis & aqua* Joh. 19: 34. *Tres ſunt qui teſtantur in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis* 1 Joh. 5: verſ. 8. Chriſtus eſt מְקוֹר נִפְתָּח *labrum apertum* Zach. 13: 1. Lotio neceſſaria eſt. *Lavate vos & purgamini* Eſ. 1: 16. *loti eſtis, ſanctificati, juſtificati* 1 Cor. 6: 11. *ablue peccata tua* Actor. 22: 16. confer Joh. 13: 10. Hebr. 10: 23. Apoc. 1: 5.

Labrum inter altare & tentorium.

§. 47. Inter altare & tabernaculum ſtabat hoc labrum. Non datur communio nec *Chriſti*, qui per *altare*; nec *Eccleſiæ*, quæ per *Tabernaculum* notatur, niſi cor ſit lotum & fide purificatum. Impuræ ſues nec ſunt membra Chriſti, nec cives & domeſtici Eccleſiæ.

Atrium tabernaculi.

§. 48. Octavum eſt *Atrium tabernaculi circum* tabernaculum & altare Exod. 27: 9-18. 38: 9-20. 40: 33. In hoc atrio omnis Iſrael cottidie conveniebat. Ita ſanctum ſanctorum ſacerdoti ſummo; ſanctum ſacerdotibus; atrium omni patebat populo. In iſto erat *arca, propitiatorium, Cherubim.* In illo, *altare aureum, candelabrum, menſa cum panibus.* In hoc, *altare holocauſti & labrum.* Sanctum Sanctorum diſtinguebatur velo à Sancto; Sanctum item ab Atrio; Atrium à communi territorio; quod omnibus etiam non-Iſraelitis calcare liberum erat. Ita nulla eſt communio Deo cum mundo, luci cum tenebris, juſtitiæ cum injuſtitia.

Cur Iſraëlitæ in hoc atrium admiſſi.

§. 49. Iſraëlitæ in hoc admittebantur atrium; ut doceantur 1. Illorum eſſe & *legiſlationem, & cultum, & promiſſiones* Rom. 9: 4. 2. Eximia illa, per tabernaculum & vaſa illius adumbrata, diligentius illis eſſe meditanda, & ſecure exſpectanda, & ſuo tempore plenius manifeſtanda. 3. Illos indigere expiatione: ſunt enim in atrio apud altare & victimas.

Quid atrium præciſe ſignificarit non conſtat.

§. 50. Quid autem præciſe atrium ſignificarit, non in expedito eſt dicere: quidam putant illud adumbraſſe *communem ſtatum naturæ*; quidam *externum ſtatum Eccleſiæ*, cui nomen ſuum dant juſti & mali promiſcue, quemadmodum in hoc Atrium confluebat totus Iſraël, & qui erat Dei, & qui non erat Dei. Sed præſtat tacere, quam incerta narrare.

Sacerdotes Aharon & Filii.

§. 51. Sed æquum erat, ut templo ſive tabernaculo adjungerentur ſacerdotes, ἱερεῖς, τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες. Igitur & *Aharon & Filii ejus* nominantur à Domino, ut ſacerdotio fungantur Exod. cap. 28: verſ. 1. Quamvis jam eſſent in Iſraële *ſacerdotes accedentes ad Deum* Exod. cap. 19: verſ. 22. & *juvenes filiorum Iſraël offerentes holocauſta* Exod. cap. 24: 5. tamen nunc tabernaculo dantur ἴδιοι ἱερεῖς, & ſacerdotium ad familiam Aharonis alligatur. *Non* igitur Aharon ipſe *ſibi hunc honorem ſumſit, ſed vocatus eſt a Deo* Hebr. 5: 4.

Veſtes Aharonis.

§. 52. Primo jubet Deus de veſtibus faciendis ſacerdoti. *Et facies veſtes ſanctas Aharoni fratri tuo* לְכָבוֹד *in gloriam, & in ornamentum*, εἰς δόξαν ϗ κόσμον; Exod. cap. 28: verſ. 2. de quibus veſtibus, tum ſacerdotis ſummi, tum ſacerdotum lege integrum cap. 28. Exodi: item cap. 39: 1-32.

Ephod.

§. 53. In στολισμῷ ſive inveſtitura & ornatu, ſummi ſacerdotis imprimis memorabile eſt 1. *Ephod*: quod LXX. ἐπωμίδα *ſcapulare* vertunt: quali etiam David Rex cinctus fuit 2 Sam. 6: 14. 1 Chron. 15: verſ. 27. In *humeralibus* amiculi Ephod erant *duo lapides ſchoham*; in quorum unoquoque ſex nomina filiorum Iſraël inſculpta erant: unde illi vocantur *lapides memorialis*, i. *recordationis filiorum Iſraël*; & Aharon dicitur *ferre nomina filio-*

filiorum Iſraël coram Domino in memoriale Exod. 28: 6-14. Per hoc Ephod notabatur prophetia ſacerdotalis. Per *lapides*; Sacerdotem verum enarrare Domino nomina Electorum; & illorum ſemper recordari; imo illorum non pudere: publice enim illa geſtat in humeralibus. Non pudet Deum, Deus illorum vocari. Non pudet Sacerdotem noſtrum,
Choſchen Sacerdos noſter ἐπικαλεῖσθαι, & nos populum oveſque ſuas vocare. 2. חֹשֶׁן *Choſchen:* quod LXX. περιστήθιον *pectorale*, alibi, λόγιον vel λογεῖον. Complet id *Ephod* in anteriori parte. *Et non removebitur choſchen ab Ephod:* ſuſtinet duodecim gemmas ſignatas nominibus filiorum Iſraël. Vocatur autem חֹשֶׁן מִשְׁפָּט. *Pectorale judicii.* Fuit igitur *Chòſchen* ſymbolum poteſtatis judicialis in ſacerdote. Chriſtus Sacerdos ſummus & verus, accepit a Deo Patre *judicium. Donec veniat cujus eſt judicium, & dabo illud* Ezech. 21: 27. *judicat in juſtitia tenues* Eſ. 11: 4. hoc judicio condemnat mundum, ſed abſolvit ſuos, & in gloriam introducit. Idem gerit בְּלִבּוֹ *in corde ſuo* nomina Eccleſiæ, in libro vitæ deſcriptæ, ea repræſentans Deo Patri ut Sponſor & interceſſor. Dicuntur etiam fuiſſe in Choſen *Urim & Tummim.* Ita illæ duodecim gemmæ quibuſdam dici videntur: quia quod de gemmis, etiam de Urim & Tummim dicitur, *Et erunt ſuper cor Aharonis, cum intrat coram Domino.* & Levit. 8: verſ. 8. nulla fit mentio lapidum, ſed tantum Urim: *Et poſuit ſuper illum Choſen, & poſuit in Choſen Urim & Tummim* אֶת הָאוּרִים וְאֶת הַתֻּמִּים: Gemmas autem propter *lucem & ſplendorem* אוּרִים; propter *integritatem* & perfectam pulchritudinem dici תֻּמִּים; quicquid ſit, notatur in vero Sacerdote eſſe *Lucem*: eſt enim *Lux* Joh. 1: 4. Luc. 2: 23. *illuminat omnem hominem* Joh. 1: 9. etiam *vitam & incorruptionem* 2 Tim. 1: 10. & *integritatem:* eſt ſine peccato, macula, labe Epheſ. 5: 27. *Novit* præterea *ſuos*, quod *lucis* eſt; & *amat* ſuos; quod ſinceræ integritatis eſt. 3. מְעִיל LXX. ποδήρης: fuit tunica interior ſubter Ephod: inde מְעִיל הָאֵפוֹד *pallium Ephod.* Plenum erat *malogranatis*, quæ ſymbolum ſunt odoris & ſuavitatis, quæ in Vero ſacerdote noſtro eſt: & in illis *tintinnabula aurea*, ut vox Aharonis audiretur. Summus Sacerdos non tacet: tinnit ut audiatur: *loquitur verba Dei*
Cidaris. Joh. 3: 34. *teſtatur* τὴν καλὴν ὁμολογίαν 1 Tim. 3: 7. 4. מִצְנֶפֶת *Cidaris*: ſuper quam *lamina aurea*: in *fronte* Aharonis, cum his verbis קֹדֶשׁ לַיהוָה. *ſanctum Domino.* Verus Sacerdos è vero eſt *Sanctum Domini* Mal. 2: verſ. 11. non tantum qua Deus *Sanctus*, *Sanctus* Eſ. 6: 3. ſed etiam qua homo ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος Hebr. 7: 26. hanc ſanctitatem opere & verbis, & vivens & moriens abunde demonſtravit.

Veſtes Aharon ſignificativæ. §. 54. Igitur fuerunt veſtes Aharonis ſignificativæ earum virtutum, quæ ſummo Sacerdoti Jeſu Chriſto inſunt, & eorum officiorum, quibus ad ſalutem Eccleſiæ fungitur. Propheta eſt & Sacerdos, imo & Judex, imo & Rex. Portat enim Ephod, Choſen judicii, Cidarim, ſive coronam regiam.

Aharon typus Chriſti. §. 55. Nec tantum veſtes Aharonis aliquid præfigurant in Chriſto, ſed & ipſe Aharon cum ſuis nominatus ſacerdos, typus Chriſti eſt. 1. Quà ἀρχιερεύς. *Habemus Sacerdotem magnum* Hebr. 3: 1. 4: 14. 8: 1. 2. Quà *vocatus* Hebr. 5: 4. *Chriſtus non ſe ipſum glorificavit ut eſſet Sacerdos: ſed qui dixit ad illum, tu es Filius meus* Heb. 5: verſ. 5. 3. Quà μετριοπαθεῖν δυνάμενος Hebr. 5: 2. *Non habemus Sacerdotem* μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι Hebr. 4: 15. 4. *Qua conſtituitus* τὰ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ ἀνθρώπων Hebr. 5: 1. *Oportuit fratribus aſſimilari*, ut miſericors fieret & fidelis Sacerdos τὰ πρὸς τὸν Θεὸν Hebr. 2: 17. 5. Quà *offerens* θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν Hebr. 5: 1. *Neceſſum eſt & hunc habere*, ὃ προσενέγκῃ *quod offerat* Hebr. 8: 3.

Chriſtus Aharone major. §. 56. Attamen Chriſtus multo major & excellentior Sacerdos eſt Aharone, & omnibus

bus aliis. 1. Illi *ex hominibus ſumti* Hebr. 5: 1. *Nos habemus Sacerdotem magnum Jeſum filium Dei* Hebr. 4: 14. 4. Illi *περίκεινται ἀσθένειαν* Hebr. 5: 2. *debent* etiam *pro ſe ipſis offerre* Hebr. 5: 3. 7: 27. 28. 9: 7. Chriſtus *ſine peccato* & infirmitate Hebr. 7: 26. *non habet neceſſum pro ſuis peccatis offerre* Ibid. 27. 3. Illi *ſine jurejurando*; Chriſtus μετ᾽ ὁρκωμοσίας Hebr. 7: 21. 4. Illi *plures*; διὰ τῷ θανάτῳ κωλύεσθαι παραμένειν. Chriſtus *unus, habet Sacerdotium non digrediens* Hebr. 7: 23. 24. 5. Illi *quotidie offerunt*. Chriſtus *fecit illud ſemel* Hebr. 7: 27. 9: 25. 6. Illi *in terra*. Chriſtus ſi eſſet ἐπὶ γῆς, οὐκ ἂν ἦν ἱερεύς Hebr. 8: 4. 7. Illi per *ſanguinem hircorum*. Chriſtus διὰ δὲ ἰδίου αἵματος Hebr. 9: 12. 8. Illi per σκηνὴν τὴν χειροποίητον εἰς χειροποίητα ἅγια. Chriſtus *per majus tabernaculum intravit in ipſum cœlum* Heb. 9: 11. 24. 9. Illi *ſecundum legem præcepti carnalis*. Chriſtus *ſecundum potentiam vitæ indiſſolubilis* Hebr. 7: 16. 10. *Sanguis*, quem illi offerunt, *eſt ad carnis puritatem*. Chriſti *Sanguis purgat conſcientiam* Hebr. 9: 13. 14. 11. Illi *ſerviunt tabernaculo terreſtri, figuræ cœleſtium* Hebr. 8: 5. Chriſtus *Sanctorum miniſter*, ἐ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς Hebr. 8: 2. 12. Illi non ſine Chriſto, & per Chriſtum ſacerdotes, & heri, non hodie. Chriſtus ſine illis, ante illos, poſt illos: heri, hodie, & in ſecula. Hinc & Chriſtus non ſecundum illorum τάξιν *ordinem*, ſed ſecundum τάξιν Μελχισεδὲκ eſt Sacerdos, & eſt ἕτερος *alius* plane *Sacerdos*, quam illi qui ſunt κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρών Hebr. 7: 11. Eſt *Sacerdos futurorum bonorum* Hebr. 9: 11.

§. 57. Secundo jubet Deus, ut Aharon cum filiis *ſanctificetur*, לְכַהֵן לִי *ad Sacerdotio fungendum illi* Exod. 29: 1-35. confer caput octavum Levitici. Aharonis initiatio.

§. 58. Debebant autem Sacerdotes ſanctificandi & initiandi ad Sacerdotium 1. *Adduci ad oſtium tentorii conventus* Exod. 29: 4. Æquum ſane erat, ut qui debebant ſervire tabernaculo, ad oſtium tabernaculi, initiandi & devovendi cultui illius ſiſterentur. Siſtitur ante tentorium. 2. *Aqua lavari*. ibid. Hæc aquæ lotio jam una eſt è διαφόροις illis βαπτισμοῖς: de quibus Hebr. 9: 10. Lavatur. Commemorat autem illa non tantum internam animæ impuritatem, quæ omnibus è muliere natis ineſt, à qua etiamnum lavandi ſumus, ſed imprimus reatum & legalem illam impuritatem, quæ olim, ante adventum Chriſti, qui nos lavit ſanguine ſuo, fidelibus incubuit, ita ut indiguerint & actuali λύτρῳ, & actuali λουτρῷ, de quo per externas has lotiones commonebantur. 3. Aharon Sacerdos ſummus indui veſtes ſuas ſacerdotales, *Tunicam*, *Pallium*, *Ephod*, *Choſen*, *Cidarim* cum *inſigni Sanctuatis* Exod. cap. 29: verſ. 5. 6. Induitur. Veſtes reliquorum Sacerdotum ſunt *tunica*, *tiara*, *cinguli* Exod. cap. 29: verſ. 8. 9. Scilicet, non eſt verus Sacerdos, qui non geſtat inſignia Sacerdotis. 4. Idem Aharon debebat *ungi oleo unctionis*: *Et fundes ſuper caput illius* Exod. 29: 7. Ungitur. confer Pſ. 133: 2. *ut oleum bonum ſuper caput, deſcendens ſuper barbam, barbam Aharonis, quod deſcendit ſuper veſtimenta ejus*. Igitur non parce, ſed ad profuſionem uſque unctus fuit Aharon; & Aharon quidem ſolus. (Exod. 29: 7. Levit. cap. 8: verſ. 12.) Filii enim illius non ungebantur, ſed tantum *aſpergebantur* Exod. cap. 29: verſ. 21. Levit. cap. 8: verſ. 30. quæ tamen aſperſio etiam *unctio* dicitur Exod. cap. 30: verſ. 30. *Oleum unctionis* שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה factum erat è pretioſiſſimis ἀρώμασι & ἡδύσμασι, nimirum è מָר־דְּרוֹר *myrrha libera*, ſeu *libertatis*, q. d. *libera à ſordibus*, vel *liberis*, ut non examinetur amplius, nec reprobetur, ſed in commercio tranſeat; qualis dicitur *myrrha tranſiens* Cantic. 5: 5. 13. item è *calamo aromatico*, *cinnamomo*, *caſſia*. Oleum unctionis. In *proportione* ſ. *modo* hujus olei ſimile non fiebat unguentum. In nullius hominis id effundebatur carnem, præter Aharonis, & filiorum Aharonis. Ungebatur etiam illo tabernaculum, & inſtrumenta illius Exod. 30: 23-33. *Oleum* ſeu μύρον Spiritus Sancti emblema & ſymbolum eſt; ut enim Oleum emblema Spiritus Sancti.

enim illud 1. in intima hominis penetrat. 2. eum recreat & ἱλαρύνει *hilarat*. 3. eum facit jucunde olere; ita *Spiritus* 1. penitiſſima hominis pervadit. 2 gaudium & lætitiam in illo operatur: inde χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ Rom. 14:17. 3. facit bonis verbis & ἔργοις ἀγαθοῖς *operibus bonis* abundare, & gratum eſſe omni conſcientiæ. Sacerdos verus, cujus Aharon *ſignum*, non venit ſine *oleo*, hoc eſt, dono Spiritus. Niſi Spiritum ſuum dare poſſet, quo ſibi uniat eos, pro quibus ſe offert, ne Sacerdos quidem eſſet. Unctio myri honoris etiam & voluptatis eſt. Amos 6: 6. *& primariis myris ungunt ſe.* Ita in unctione

Manus Aharonis impletur. Sacerdotis eſt 1. intentio honoris. 2. ſignificatio chariſmatis divini Spiritus. 5. *Manus illius & filiorum impleri* Exod. 29:9. confer verſ. 35. *ſeptem diebus implebis manus illorum* Levit. 8:33. qui ſeptem dies vocantur יְמֵי מִלֻּאִים *dies impletionis*. Phraſis hæc ſimpliciſſime accepta, notabit, Moſen dediſſe illis facultatem & copiam res ſacras tractandi, *in ſanctuarium intrandi*, pro populo offerendi: imo illos juſſiſſe totos vacare cultui divino. Forſan etiam *rituale* aliquid adfuit: quale poteſt eſſe traditio in manum rerum tunc offerendarum, in ſignum futuri miniſterii, cujus præcipua pars futura erat oblatio hoſtiarum. Id videtur colligi poſſe ex Exod. 29:24. *Et pones omnia ſuper manus Aharonis & filiorum.* Potuerunt etiam addi nonnulla verba, Trado hæc tibi in manum, juſſu Dei Domini, ut ſcias & te debere & tibi licere cum hujuſmodi oblationibus imposterum accedere coram Domino. Legitur autem hæc phraſis etiam alibi 2 Chron. 29:31. dicit Jechiskias Levitis, *nunc impleviſtis manus veſtras Domino*, hoc eſt, nunc ſeriam ſanctamque Jehovæ operam dare incepiſtis. De *Caleb* dicitur Num. 14:24. *Et implevit poſt me.* וַיְמַלֵּא אַחֲרָי hoc eſt, plenum; totum, integrum ſe mihi impendit, plenam mihi obedientiam præſtitit.

Sacrificia in actu initiationis offerenda. §. 59. His ceremoniis peractis ſacrificia debebant offerri.

1. Juvencus. §. 60. Primo פַּר *juvencus*, *filius armenti*, hoc eſt, qui ſectatur matrem Exod. 29:1. tale animal eſt מַקְרִן מַפְרִיס hoc eſt, *cornua* habet & *ungulas* Pſalm. 69:32. Hic juvencus 1. *ſiſtitur ante tentorium conventus*. 2. *ſuper caput* illius *ponuntur manus* Aharonis & filiorum. 3. *mactatur ante oſtium tentorii* לִפְנֵי יְהוָה *coram Domino*, Domino vidente & ſpectante, habitabat enim Dominus in tabernaculo: fiebat autem illa *coram Domino mactatio*, *ad latus aquilonare altaris.* Id enim latus *locus* eſt *mactandi holocauſti*, & ſacrificiorum *pro peccato* Levit. 4:24. 29. 33. 4. *Sanguis* illius *datur ſuper cornua altaris:* nempe *altaris ſuffitus*, quod vocatur *altare aureum*, & poſitum erat in tentorio conventus Levit. 4:7. Ita hic *ſanguis* εἰσφέρεται εἰς τὰ ἅγια Hebr. 13:11. Reliquus autem omnis *effunditur ad fundamentum altaris*, nempe *altaris holocauſti*, quod erat ante tentorium Levit. 4:7. 5. *adeps & duo renes* ejus *adolentur* הַמִּזְבֵּחָה *in altari*; *holocauſti* ſcilicet Levit. 4: verſ. 10. Nam in altari ſuffitus non libabatur holocauſtum aut munus aut libamen: Exod. 30:8. *Adeps*, ut & *ſanguis cibus Dei* dicitur Ezech. 44:7. 15. לַחְמִי חֵלֶב וָדָם illius eſus Iſraeli interdictus Levit. 3:17. tamen verus Dei cibus is non eſt Pſalm. 50:13. 6. *caro*, *cutis*, *fimus igne comburitur extra caſtra:* confer Hebr. 13: verſ. 11. *quorum inferertur animalium ſanguis in ſancta*, *illorum corpora comburuntur extra caſtra.* 7. Ut ſciatur quale hoc ſacrificii genus ſit, additur חַטָּאת הוּא *peccatum eſt*, hoc eſt, ſacrificium pro peccato. Vox חַטָּאת ſignificat 1. *Peccatum.* 2. Id, quod pro peccato offertur; *ſacrificium.* Ita & ἁμαρτία 2 Cor. 5:21. Rom. 8:3. Vide nunc Exod. 29: 10-14. Inde eſt, quod juvencus hic dicitur *juvencus peccati* Levit. 8:14.

Significatio juvenci. §. 61. Quis negabit, hiſce ſpiritualia & majora ſignificata & adumbrata eſſe? Miſer juvencus mactatus, ſanguis illius fuſus, adeps illius incenſus, caro cutiſque combuſta, non eſt dignum ſacerdoti ſacrificium, neque cum Deo ἱλαστικόν, neque peccati expiativum.

§. 62. In

§. 62. In genere ſignificatum fuit hoc actu, verum Sacerdotem, cujus Aharon umbra, *manifeſtandum cum ſacrificio* Hebr. 9:26. *venturum cum ſanguine* 1 Joh. 5:6. *victimam & oblationem ſemetipſum daturum*: Epheſ. 5:2. per quam non initiandus ad ſacerdotium, ut Aharon per oblationem juvenci, ſed in officio ſacerdotali conſummandus eſſet, ut *conſummatus fieret cauſa ſalutis æternæ* Hebr. 5:9. In genere.

§. 63. In ſpecie notatur 1. *Sacerdotem verum* fore, cum ſe in terris offerret, infantem, juvenem, laborum patientem, cibum ſuis. Taurus enim juvencus, matrem ſectans, lacte indigens, qui natura factus eſt ad tolerandos labores, & ut cibus ſit hominibus, affertur. 2. Sacerdoti verò imponenda peccata omnium, quos *facit ſacerdotes Deo.* Aharon enim & filii imponunt capiti juvenci manus, quaſi ſe totos ipſos illi imponentes. 3. Sacerdotem verum *mactandum* & vita exuendum; juvencus enim mactatur: mactandum *coram Jehova*, τῇ ὡρισμένῃ αὐτοῦ βουλῇ ϗ προγνώσει Actor. 2: 23. *ante tentorium conventus*, Eccleſia id vidente; imò illis id imprimis poſtulantibus, qui ἄρχοντες *principes* tabernaculi erant, quique dici de ſe volebant, *templum Domini illi, templum Domini illi.* 4. Sanguinem Sacerdotis veri fore *fundamentum* Eccleſiæ, quæ ad *altare* verum, Jeſum Dominum, *adorat* Apoc. 11:1. & in qua fides, confeſſio & honor τοῦ θυσιαστηρίου viget & valet. Eccleſia ſanguine Chriſti τιμίῳ ut ἐλυτρώθη ita ἐθεμελιώθη *fundata* eſt; eſtque verè מוּסָד מוּסָּד *fundamentum fundatiſſimum* Eſ. 28: 16. Et quatenus Eccleſia *Altare* Chriſtum habet, & ſancto ſtudio ſervat, & pro illo contra ſatanam bella gerit, & omnibus modis firmare nititur, etiam illa Altaris *fundamentum* eſt, quemadmodum etiam ςύλος *columna veritatis* 1 Tim. 3: verſ. 15. Sanguis juvenci ad *fundamentum altaris* fuſus monſtravit, Eccleſiam ſanguine acquiſitam. 5. Sacerdotem verum, fuſo ſanguine, per reſurrectionem è mortuis, intraturum in Eccleſiam ſanguine purgatam & liberatam; imo & in ipſum cælum. Sanguis enim juvenci infertur *in ſancta*, quæ fuerunt typus & Eccleſiæ & cæli. 6. Interceſſionem, preceſque, quibus pro nobis Sacerdos noſter intercedit, *ad id* enim *vivit in perpetuum* Hebr. 7: 25. quibus etiam *Spiritus ſanctus ſecundum Deum pro ſanctis* ἐντυγχάνει Rom. 8: verſ. 27. quibuſque fideles vim ſanctam inferunt Deo, & per quas regnum cælorum βιάζονται *ad ſe rapiunt*, fore vi & efficacia ſanguinis effuſi ſummi Sacerdotis, & in nomine ejus, & in fide ſanguinis. Sanguis enim juvenci *cornubus altaris* θυμιαμάτων, quæ ſymbolum fuerunt *interceſſionis* Chriſti, & τοῦ φρονήματος *ſenſus Spiritus*, &. orationis fidelium, illinitur & inſpergitur. 7. Sacerdotem noſtrum omnem ſuam vim pro ſuis impenſurum: animam effuſurum in mortem, corpus doloribus maximis expoſiturum, adeoque totum quaſi comedendum, & ab igne legis, & zelo domus Dei comedendum. Nam & *adeps* juvenci, pinguiſſimum optimumque ejus, & cutis & caro & omnia incenduntur ac comburuntur. 8. Sacerdotem verum *paſſurum* ἔξω τῆς πύλης *extra portam* Hebr. 13: verſ. 12. Juvencus enim κατακαίεται ἔξω τῆς παρεμβολῆς. 9. Sacerdotem verum fore ἀληθῶς pro peccato victimam & ſacrificium; mittendum περὶ ἁμαρτίας *pro peccato* Rom. 8: verſ. 3. *faciendi a Deo* ἁμαρτίαν *peccatum* 2 Cor. 5: verſ. 21. Juvencus enim חַטָּאה dicitur. 10. Quod autem de *juvenco peccati* nemo comedebat; *comburitur* enim *totus*, notat, tabernaculo ſervientes non participare de lætitia, quæ ſequetur oblationem illius, qui devicta morte & aboliro ſatana, *iterum*, ut *primogenitus introducitur in habitabilem* Hebr. 1: verſ. 6. & ingreditur in Eccleſiam reconciliatam, & liberam, & in ipſum cælum. In ſpecie.

2. Aries. §. 64. Secundo offertur אַיִל *κριὸς aries.* Illi 1. imponuntur manus. 2. mactatur. 3. ſanguis ejus ſpargitur ſuper altare circumquaque. 4. diſſecatur in partes ſuas. 5. exta ejus & genua lavantur: deinde in altari aliis fruſtis & capiti ſuperimponuntur. 6. totus Aries ita diſſectus, lotus, diſpoſitus incenditur in altari. 7. dicitur עֹלָה *holocauſtum*, & *Aries holocauſti, in odorem acquieſcentiæ*, אִשֶּׁה Κάρπωμα, Κάρπωσις, ὁλοκαύτωμα, *igne adolendum Domino* Exod. 29: 15 -- 18. Levit. 8: 18 – 21. Hujus ſacrificii ſanguis non infertur in ſancta: nec caro & cutis comburitur extra caſtra, nec vocatur חַטָּאת *pro peccato*, ſed עֹלָה; & totum in altare aſcendit. confer Levit. 1: 3 – 10.

Significatio Arietis. §. 65. Clarum pariter, hoc ipſo ſignificatum, Sacerdotem noſtrum 1. participem fore naturæ quaſi ovinæ. Arietes enim ex ovibus ſunt, hoc eſt, mitem, qui neminem lædat; & patientem, qui omnia perferat & obduret. 2. totum conſumendum, & ſecundum omnes partes ſeſe oblaturum. Ita Aries in fruſta ſecatur: Nihil in Chriſto eſt, quod non ſenſit παθήματα. *Anima* ſenſit *terrores Dei*, & fuit περίλυπος Matth. 26: 38. *facies ignominiam & ſputum, tergum plagas, maxillæ alapas* receperunt Eſ. 50: 6. *cor ejus liquefactum fuit ut cera; manus perforatæ & pedes. Vis ejus exaruit ut teſta: lingua agglutinata palato.* Denique *in pulvere mortis poſitus fuit* Pſalm. 22: 15. 16. 17. Ita integram exhibuit & perfectam obedientiam, & ad omnia ſe obtulit, quæcunque juſtitia Dei exigebat, & ſapientia definiverat ſuſtinenda. 3. *zelum domus Dei illum comediſſe* Pſalm. 69: 10. & amore, qui aquis multis fortior, & inſtar ignis eſt clare urentis, ad tanta patienda commotum fuiſſe. Aries enim holocauſti igne comburitur. 4. Chriſtum in puritate & ſanctitate animæ paſſurum, nulla ſua culpa, ergo benè lotum & purum; Aries enim abluitur; ſed noſtra culpa, & quod *iniquitas omnium facta eſſet incurrere in illum* Eſ. 53: 6. Arietis enim capiti manus imponuntur; ac ſi omne peccatum, ab ariete ferendum, manibus quaſi illi imponeretur.

3. Aries. ſecundus. §. 66. Tertio offertur alius adhuc aries, adeoque הָאַיִל הַשֵּׁנִי *aries ſecundus:* hic vocatur אֵיל מִלֻּאִים *aries initiationis:* quia Aharon & filii ejus per hoc ſacrificium initiabantur & ἐτελειοῦντο, ut idonei viderentur, qui pro populo ordinaria & vulgaria ſacrificia offerrent. Ita & dies illi, in quibus mactatio juvenci, & arietis primi & ſecundi fiebat, vocantur *dies initiationis*; quibus Aharon & filii ſacerdotium capeſſebant, & res ſacras tractare incipiebant Levit. 8: 33.

§. 67. Circa hunc Arietem fiebant illa, quæ ſequuntur. 1. *imponunt Aharon* & filii illius manus capiti illius: id & fiebat in juvenco & primo ariete. 2. *mactatur*: ita & juvencus & aries primus. 3. de *ſanguine illius* datur *ſuper molle* auriculæ dextræ, & pollicem manuum & pedum dextrum Aharonis & filiorum: id non factum de ſanguine juvenci & arietis primi. 4. reliquus ſanguis *aſpergitur ſuper altare*. 5. de hoc ſanguine, qui ſuper altare, & de oleo unctionis ſumitur & aſpergitur Aharon & filii ejus, una cum veſtimentis. 6. *Adeps & cauda & armus dexter* & panis ac placenta oleoſa azyma, impoſita manibus Aharonis & filiorum, *agitantur agitatione coram Domino*, hoc eſt, offeruntur (dicitur enim illa phraſis de oblatione, & conſecratione 1. *rerum* Exod. 35: 5. 29: 24. Levit. 8: 27. 2. *hominum* Num. 8: 11. 13. ubi ita de Levitis וְהֵנִיף אַהֲרֹן אֶת הַלְוִיִּם תְּנוּפָה לִפְנֵי יְהוָה *& exhibuit Aharon Levitas agitatione coram Domino*) deinde per Moſen in altari, עַל הָעֹלָה *ſuper holocauſto adolentur.* 7. *Caro* arietis hujus *coquitur in loco ſancto*, hoc eſt, ut eſt Levit. 8: 31. *ante januam tentorii conventus*; cocta *comeditur* una *cum pane* (qui in *corbe* ſive caniſtro oblatus erat; unde illa corbis סַל הַמִּלֻּאִים dicitur) ab Aharone & filiis ejus. 8. Quod reliquum manet בְּבְשַׂר הַמִּלֻּאִים *a carne initiationis* & a pane, *in craſtinum*,

ſtinum, hoc eſt, ſequentem diem, non comeditur, ſed igne comburitur. Ita *comederunt*, Aharon & filii ejus, *illa* אֲשֶׁר כֻּפַּר בָּהֶם *pro quibus*, vel, *per quæ expiatio facta erat, ad implendum manus illorum, ad ſanctificandum illos* Exod. 29: 19 – 35. Levit. 8: 22 – 33.

§. 68. Quæ hic aries communia habet cum juvenco & ariete primo non repetimus: idem enim ſignificant. Quæ autem peculiariter cum illo & circa illum acta ſunt, paucis expediemus. Significatio arietis ſecundi.

§. 69. Igitur 1. quod *ſanguine* illius *auris*, *manus*, *pedes* Aharonis & filiorum *allinuntur*, ſignificat, *ſanguine melioris hoſtiæ*, non animam tantum, ſed & corpus & omnia ejus membra redimi, purgari, ſanctificari; ut *auris* cum gaudio accipiat τ̀ λόγον τ̃ ἀκοῆς; *manus* opus Dei faciat in puritate; *pes* promptus ſit in viis Domini, & non offendat. Ita non tantum τὸ πνεῦμα, ſed & τὸ σῶμα factum eſt τ̃ θεῦ 1 Cor. 6: 20. 2. quod *ſanguine & oleo aſpergitur* Aharon cum filiis, ſignificat, *ſanguinem & Spiritum*, cujus ſymbolum *oleum*, ſalutem noſtram efficere & *operari*. *Sanguis* eſt *pretium*, quo empti ſumus; *Spiritus* eſt, qui per fidem illud nobis applicat. *Sanguis* meritoria cauſa eſt noſtræ ſanctificationis; *Spiritus* eſt cauſa efficiens. Non daretur Spiritus, niſi ſanguis effunderetur. Non prodeſſet ſanguis, niſi Spiritus mitteretur, *fide* ſanguinis corda purificans. 3. quod *caro* arietis *comeditur*, ſignificat communionem cum victima meliori, quam manducamus, non ore, ſed fide. *Caro* Sacerdotis ſummi *vere cibus* eſt. Ut qui *comedunt victimas*, κοινωνοὶ τ̃ θυσιαςηρίου εἰσί 1 Cor. 10: 18. ita qui Chriſtum comedunt, ii demum communionem cum illo habent. Sed caro comeditur *in loco ſancto*: In Eccleſia & non extra illam communio Chriſti habetur. 4. quod cum carne *panis* comeditur, notat Chriſtum eſſe cibum efficaciſſimum. Panis enim cibus efficaciſſimus eſt, omnium ciborum condimentum. Chriſtus *panis vitæ* eſt. Ita ſanctæ epulæ, ad quas Sacerdos ſummus nos invitavit, quas paravit, perfectæ ſunt & abundant omni modo, & carnem exhibent & panem. 5. quod *reliquum de pane igne comburitur*, notat forſan, extremo die, ubi Dominus de cælo *in igne* revelabitur, infirmitates omnes noſtras, quæ faciunt, ut non totam comedamus & comprehendamus Victimam cæleſtem, auferendas vi *ignis*, hoc eſt, majore abundantia Spiritus & charitatis.

§. 70. Cæterum, ut *juvencus* erat de illo ſacrificiorum genere, quæ vocantur חַטָּאת περὶ ἁμαρτίας *pro peccato*; *aries primus* de illis, quæ dicuntur עֹלָה *holocauſtum*; ita hic *ſecundus* de illis eſt, quæ nominantur זְבָחִים שְׁלָמִים *ſacrificia pacifica*. Illorum enim adeps & renes incenduntur, caro comeditur: ut patet Levit. cap. 3. Sacrificiorum genera.

§. 71. Videmus in hac initiatione & ſanctificatione Aharonis ad ſacerdotium præcipue & unice oſtenſam fuiſſe neceſſitatem ſacrificii; & naturam veri ſacrificii: & eſt *pro peccato*; & *totum comburitur*, hoc eſt, perfecte obedit, integre ſatisfacit: denique etiam *comeditur*, hoc eſt, communio ejus habetur & donatur ad ſatietatem ſpiritualem & ſalutem veram: ſine tali ſacrificio fœdus Dei non poſſet pangi: ſine tali ſanguine vincti è fovea, quæ aquas non habet, non poſſent dimitti: ſine tali morte & cæde, vita nobis non poſſet donari. In initiatione Aharonis oſtenſa neceſſitas & natura veri ſacrificii.

§. 72. Et ut ſacrificia oblata in hoc actu initiationis præmonſtrant & præfigurant τὰς κρείττονας θυσίας *meliores hoſtias* Domini noſtri Jeſu (dico *meliores* Hebr. 9: 23. cum *una* tantum ſit Hebr. 10: 14. ſed hæc una, habito reſpectu, quod eſt חַטָּאת, & עֹלָה, & זֶבַח poteſt ſub numero plurium proponi, & aliquo modo multiplex ſtatui) ita & quæ cum Aharone ipſo acta ſunt, fuerunt ſignificativa τ̃ μελλόντων. Nam 1. quod Aharon initiandus *adducitur ad januam tentorii conventus*, notavit *introductionem primogeniti* εἰς τὴν οἰκουμένην *in habitabilem* Hebr. 1: 6. 2. quod *lavatur*, notat Sacerdotem noſtrum benè lotum eſſe, Ea quæ porro cum Aharone acta ſunt, ſignificant. 1. Adductio ante tentorium 2. lotio.

eſſe, hoc eſt, purum ab omnibus ſordibus: imo *purgatus* dici poteſt τῷ λυτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι Eph. 5: 26. baptizatus nimirum ob eandem cauſam, ob quam circumciſus. 3. quod *induitur*, notat, Sacerdotem magnum noſtrum omni ſacerdotali & prophetico ornatu compti ſſime indutum apparuiſſe. 4. quod *ungitur*, notat, unctionem in Chriſto Domino eſſe. *Unctus eſt à ſæculo* Prov. 8: 23. Divinitas jungens ſibi intime humanitatem, illam excellentiſſime unxit, & ſupra omnem aliam carnem evexit: facta enim eſt λῆμμα, & templum, & caro Filii Dei: is nulli alii carni honos contigit. Cæterum illa ipſa caro *uncta eſt oleo alacritatis præ conſortibus* Pſalm. 45: 8. *unxit* enim *Deus* Jeſum *Spiritu & potentia* Actor. 10: 38. quare κατ' ἀλήθειαν eſt מָשִׁיחַ, hoc eſt, *unctus* Pſalm. 2: 2. Reliqui omnes externe & cum menſura, & in tempore uncti ſunt, quicunque ſacerdotes & Reges ſunt uncti: hic ſolus interne, non cum menſura, ante omnia tempora. Propter illum & per illum *unctio* donata eſt aliis. 5. quod *manus illius impletur*, notat Chriſtum à Deo definitum & poſitum eſſe Sacerdotem, Prophetam, Regem. *Ego unxi Regem meum* Pſal. 2: 6. *Chriſtus non glorificavit ſe ipſum, ut fieret Sacerdos, ſed qui ad illum dixit, Tu es Filius meus* Hebr. 5: 5. *Ego dedi te lucem gentium, fœdus populi* Eſ. 49: 6.

(Margin: 3. indutio. — 4. unctio. — 5. manus impletio.)

Unctio altaris. §. 73. Porro jubet Deus, ut *altare* ipſum, nempe holocauſti, ungatur & ſanctificetur. *Et unges illud ad ſanctificandum: ſeptem diebus expiabis ſuper altare, & ſanctificabis illud: & erit altare ſanctitas ſanctitatum: omnis qui attingit altare, ſanctus erit* Exod. 29: 36. 37.

quid ſignificarit? §. 74. *Unctio* altaris quid ſignificat niſi *unctionem ſapientiæ*? Prov. 8: 23. *Sanctificatio altaris in ſanguine* quid præfiguravit, niſi Filium Dei *in ſanguine ſanctificandum?* Hebr. 10: 29. *& ſanguinem Teſtamenti impurum æſtimans, in quo ſanctificatus eſt*, nimirum Filius Dei. *Filius Dei in ſanguine ſuo ſanctificatus* eſt, hoc eſt, morte ſua & paſſionibus & ſanguinis effuſione demonſtratus eſt eſſe *Sanctum Jehovæ, quod amat* Malach. 2: 11. Igitur in ſanguine eſt ſanctificatus, qui *in Spiritu eſt juſtificatus* 1 Timoth. 3: 16.

Sacrificium juge. §. 75. Denique ordinat Deus, quid velit *fieri*, hoc eſt, offerri *ſuper altare* לַיּוֹם תָּמִיד *indies jugiter.* nimirum *agnos anniculos duos: unum mane; ſecundum inter duas veſperas*, hoc eſt, inter meridiem & veſperam. Tempus quod eſt inter meridiem & veſperam, dicitur בֵּין הָעַרְבַּיִם nam inter duas veſperas clauditur; unam præcedentis, unam præſentis diei. Et quamvis etiam *mane*, imò *meridies* ſit inter duas veſperas, tamen tempus pomeridianum, ut veſperæ proximius, & in veſperam exiens, cum *mane* terminetur in meridiem; & *meridies* in illam periodum, quæ dicitur בֵּין הָעַרְבַּיִם; præcipue hoc nomine meretur exprimi. confer Num. 28: 3. ibid. verſ. 6. hoc ſacrificium vocatur עֹלַת תמיד *ſacrificium juge.*

Agni emblema Chriſti. §. 76. Agni hi fuerunt emblema Chriſti; quemadmodum & Paſcha. Igitur ut Chriſtus vocatur *Paſcha* 1 Cor. 5: 7. ita & *Agnus* Joh. 1: 29. 36. 1 Pet. 1: 19. Apoc. 5: 12. ſignificanti & genuina certè adumbratione. Eſt enim *Agnus* 1. ratione lenitatis & probitatis. Agnus lene & mite animal eſt: neminem ferit aut lædit: Chriſtus πρᾷος *manſuetus & humilis* Matth. 11: 29. *non fecit injuriam, & non fuit fraus in ore illius* Eſ. 53: 9. *Non clamavit, non extulit, non fecit audire foris vocem ſuam* Eſ. 42: 2. 2. ratione patientiæ. Agnus patienter fert, quæcunque illi fiunt. *Et non aperuit os: ut ovis ad mactationem ducitur, & ut agnus coram tonſoribus ſuis obmuteſcit* Eſ. 53: 7. confer Apoc. 1: 9. ἐν τῇ ὑπομονῇ Ἰησοῦ χριστοῦ. 3. ratione utilitatis. Non tantum oves carnem comedendam, & lac bibendum præbent, ſed & lanam veſtibus accommodam Prov. 27: 26. *agnos in veſtitum tuum.* Chriſtus non tantum *panis* eſt, qui panis *caro* illius eſt Joh. 6: 48. 51. nec

tantum

tantum *vere potus* ibid. verſ. 55. ſed etiam eſt ἔνδυμα *veſtis* noſtra: Rom. 13:14. *induite Dominum Jeſum Chriſtum.* 2 Cor. 5:3. Gal. 3:27. *Chriſtum induiſtis.* 4. Ratione aberrationis. Agnus aberrans animalculum eſt. *Omnes nos ut oves aberravimus*, Eſ. 53:6. ἦτε ὡς πρόβατα πλανώμενα, 1 Pet. 2:25. *Erravi, ut ovis periens.* Pſalm. 119:176. Quis ignorat Chriſtum in terris ſine certa erraſſe ſede? è loco in locum fugit: mox in Ægyptum, *terram inimici*, mox aliorſum. Imo & noſtræ aberrationes ipſi imputatæ, & noſtra peccata illi impacta ſunt. *Dominus fecit incurrere in illum pravitatem omnium noſtrum*, Eſ. 53:6. factus eſt igitur noſtra vice ovis aberrans, qui etiam pro nobis traditus, & ut *ſerpens* in ligno *exaltatus eſt.* Joh. 3:14.

§. 77. Quod autem hi agni *mactabantur*, docuit, Chriſtum *Dei agnum* mactandum fuiſſe. *Ut ovis ad mactationem ducebatur*, Eſ. 53:7. τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγμένον. Apoc. 5:12. Unus autem agnus *mane*, alter *ante veſperam* mactari debebat. Chriſtus agnus *manè*, cum eſſe, ὥρα τρίτη *hora tertia*, quæ ſecundum noſtrum calculum fuit *nona* matutina cruci affixus: *horâ nonâ*, quæ noſtra *tertia* pomeridiana eſt, ἐξέπνευσε. Marc. 15:25. 37. Ita Chriſtus paſſione & morte ſua utrumque quaſi tempus *Sacrificii jugis* emenſus eſt & implevit. Angelus Gabriël Daniëli indicaturus, quod *Meßias* deberet *exſcindi*, attigit Daniëlem *ſecundum tempus muneris veſpertini*, Dan. 9:21. quaſi illum inſimul commonefacturus de tempore & hora mortis Chriſti: nam tempore muneris veſpertini, quo Agnus ſecundus ſolebat offerri, Chriſtus in cruce pendens animam emiſit, & ita vere mortem guſtavit, quæ fuit omnium paſſionum τελείωσις: unde & moriens exclamavit, τετέλεσται *conſummatum eſt.* Joh. 19:30.

Mactatio Agnorum docuit mactandum Chriſtum. Tempus mactationis.

§. 78. Sed quod cottidie bini agni, mane & veſperi offeruntur, id docuit 1. oblationem & mortem Chriſti agni & ſæpe & ſemper animis & cogitationibus ſanctorum debere obverſari. Igitur mane oblatus eſt agnus, ut mane de illo cogitaret Iſraël; & veſpera, ut nec inclinante die cogitare de illo deſineret, ſed ejus myſteria meditaretur interdiu & noctu. 2. Chriſtum ſemper, & heri & hodie, & mane & veſpere valere, efficacem eſſe & ſufficere ad ſalutem, imo *ſemper vivere.* Hebr. 9:24. 10:14. Ne quis putet Chriſtum mane tantum prodeſſe, idcirco agnus inter veſperas offertur: & ne quis putet illum tantum veſperi ſalutem afferre, ideo agnus etiam mane offertur.

Bini Agni.

§. 79. Illa autem toties repetita agnorum oblatio, ſignavit etiam, non eſſe agnos perfectas & meliores hoſtias, ſufficientes expiationi peccati & reconciliationi Dei: quod enim ſæpius offertur, id conſummare non poteſt & infirmum eſt. Igitur ut perfectio & ſufficientia cœleſtis agni agnoſceretur, non obtulit ſe ipſum Chriſtus *ſæpius*, Heb. 9: verſ. 25. Sed *ſemel* tantum; Hebr. cap. 9:26. & *unica oblatione* conſummavit omnia. Hebr. 10: verſ. 14.

Repetita agnorum oblatio ſignavit illorum infirmitatem.

§. 80. Tamen quia Chriſti agni ἀμώμου καὶ ἀσπίλου (1 Petr. 1:19.) ſanguis & mors *valet*, hoc eſt, purgat, redimit, reconciliat πάντοτε *ſemper*, Hebr. 7:25. & eſt *piamentum pro peccatis totius mundi*, 1 Joh. 2:2. Chriſtus vere *ſacrificium juge* eſt: non quod cottidie de novo offeratur, (*ſi enim nunc deberet ſæpius ſe ipſum offerre, debuiſſet etiam ſæpius pati* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, Hebr. 9:25. 26.) ſed quod cottidie novas vires ſuppeditat miſeris, & novam vim ac efficaciam exercet in illis; idque propter ſacrificium ſemel ab ipſo peractum. Igitur & nos credentes in Chriſtum crucifixum, & nulla alia in re gloriantes, adhuc cottidie offerimus *ſacrificium juge, ſacrificium confeßionis*, juxta prædictionem, quæ eſt Ezech. 46:13. 14. 15. *& facient agnum & munus, in manè & mane*, hoc eſt, ſingulis matutinis, *holocauſtum juge.* Quod qui non faciunt, ſed *dant abominabile ſtupentis*, & falſum ſacrificium amplectun-

Chriſtus vere ſacrificium juge.

plectuntur, quod à ſtupentibus & *αἰνόοις* confictum eſt, illorum reſpectu *ſacrificium juge aufertur*, Dan. 12:11. imo illi, quantum in ſe eſt, illud auferunt.

Munus offerendum cum jugi ſacrificio.

§. 81. Cum *holocauſto jugi* debebat inſimul offerri מִנְחָה *munus*, quod *oblationis* genus è *farina* cum *oleo* fiebat. Quid hoc? niſi illos qui fide offerunt ſacrificium juge, hoc eſt, qui in Chriſtum mactatum credunt, *operari cibum Dei*, hoc eſt, facere id, in quo Deo eſt *εὐδοκία beneplacitum*. Cibus enim pro eo quod placet & ſapit, ſumitur: Joh. 4: ỷ. 34. *Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem mittentis me. Oleum* ſignificat *hilaritatem*, qua debemus in Chriſto gaudere; & *cibum Dei ἐργάζεσθαι μετὰ χαρᾶς operari cum gaudio*: confer. Phil. 4:4. Imo & hoc notatum per *Munus* cum *oleo*, credentes in Chriſtum, & fœdus cum Deo pangentes ſuper ſacrificio, debere cum lætitia & hilaritate corpus ſuum, & omnes res ſuas Deo offerre, & Agno, qui pro illis mactatus eſt.

Etiam libamen.

§. 82. Nec tantum מִנְחָה *munus*, ſed & נֶסֶךְ *libamen è vino* aut *ſicera*. Ita notatur, Chriſti ſacrificio addi paſſiones Eccleſiæ & martyria, quæ cum lætitia ſubeuntur. Paulus 2 Tim. 4:6. *ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι. Ego enim jam libor*. Phil. 2:17. *Etiamſi libor ſuper ſacrificio fidei veſtræ*. confer, Exod. 29:39-43. Num. 28:3-8.

Numeratio Iſraëlitarum. Dimidum ſicli lytrum animæ.

§. 83. Id etiam memorabile eſt, quod Moſes jubetur, ut *cum tolleret caput filiorum Iſrael quoad cenſus eorum*, hoc eſt, quum eos numeraret, *unusquiſque illorum, qui tranſit per recenſitos, à filio viginti annorum & ſupra, daret dimidium ſicli ſanctuarii, dives non magis, pauper non minus*. Id vocatur *lytrum animæ*: diciturque *expiare animas*: & *argentum expiationum*. Exod. 30: 11. 17.

Explicatio myſterii.

§. 84. Inde potuit Iſraël diſcere 1. omnem animam indigere כֹּפֶר *lytro*, *ἀντάλλαγμα*, *ἀντιλύτρῳ*. 2. Id lytrum debere eſſe *pretioſum*. Argentum enim inter res pretioſiores eſt. Igitur & veritas vocatur *τιμὴ*, 1 Cor. 6:20. *Emti eſtis pretio*. confer, 1 Pet. 1:19. 3. Hoc argentum, quod ab Iſraëlitis exigebatur, non eſſe ipſiſſimum verum *lytrum*, nam quomodo poſſet nummus argenteus, dimidium ſicli, eſſe animarum miſerarum λύτρωσις? *Argentum & aurum* ſunt inter *φθαρτὰ corruptibilia* illa, quibus *non redemti ſumus*, 1 Petr. 1:18. & Deus ipſe docet Eſ. 52:3. *Non argento aſſeremini*, ſeu recuperabimini. Qui argento gratiam Dei, aut communionem Spiritus & beneficiorum cæleſtium prætendit emere, ei Petrus dixerit Actor. 8:20. *Τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν*. Igitur dum argentum hoc *lytrum* vocatur, cogitandum fuit, illud eſſe pignus & umbram melioris pretii, quod in veritate & omni impletione כֹּפֶר λύτρον eſt; quod eſt *τίμιον αἷμα*, 1 Petr. 1:19. *κρείττων θυσία* Hebr. 9:23. *ἱλασμὸς*, 1 Joh. 2:2. *ἀπολύτρωσις* 1 Cor. 1:30. *ἀντίλυτρον* 1 Tim. 2:6. 4. Quod à divite non plus poſtulatur quam à paupere, monſtrat, nullas opes aut hominis dignitatem, aut carnis prærogativam, aut externam æſtimationem coram Deo quid valere; & Lytrum verum non conſiſtere in profuſa multitudine argenti, ſed in oblatione & fide ejus, quod omni corruptibili argento infinito melius eſt. 5. Quod Deus æque dimidium ſiclum à paupere poſtulat quam à divite, docuit, omnes ex æquo lytro indigere; & omnibus eandem libertatem eſſe, & eundem acceſſum patere. 6. Quod ab illis tantum hoc argentum ſolvi debet, qui ad perfectionem quandam pervenerant annorum, oſtendit, provectiores imprimis debere *φέρεσθαι ἐπὶ τὴν τελειότητα*, Hebr. 6:1. & debere eſſe *ſemper paratos ad apologiam omni rationem roganti de illa, quam habent ſpe*, 1 Petr. 3:15. 7. *Recenſiti* debebant argentum hoc ſolvere. Chriſti lytrum, quamvis plurimorum impendio & utilitati, igitur & eorum, qui pereunt, ſit expenſum, confer Hebr. cap. 6: verſ. 4. 5. tamen illorum eſſe tantum, qui *recenſiti* ſunt, hoc eſt, *ordinati ad vitam æternam* Actor. 13:48. *in cœlis deſcripti*, Hebr. 12:23. *& electi ante mundi fundamenta*, Epheſ. 1: verſ. 4.

8. Ar-

8. Argento hoc ſoluto Iſrael tutus erat à נֶגֶף *plaga. Et non erit in illis plaga*, Exod. 30:12. Lytro Chriſti expenſo *nulla* ſupereſt *condemnatio, nullus accuſans, nullus condemnans*, nullus *ab amore Dei ſeparans*, Rom. 8:1.33.34.35. 9. Argentum hoc adhibebatur עַל עֲבֹדַת *ad ſervitium tentorii conventus*, Exod. 30:16. Eccleſia tum in cœlis triumphans, tum in terris militans ad ſalutem ſempiternam gaudet uſu & fructu lytri & expiationis Chriſti Domini. Ut illa *creſceret in templum ſanctum in Domino, & ædificaretur habitaculum Dei Spiritu*, Epheſ. 2:21.22. illud expenſum eſt.

§. 85. Et hæc ſunt quoad maximam partem illa, quæ integris 40. diebus & totidem noctibus Moſes in monte Sina vidit, audivit, & ἀπὸ τοῦ κυρίου παρέλαβε *à Domino accepit*: quæ etiam ut *fidelis ſervus in tota domo Dei*, Num. 12:7. Hebr. 3:2. fideliter Iſraëlitis παρέδωκε *tradidit*. Viſa retulit fideliter.

§. 86. Teſtatur autem Moſes ſe omni illo tempore, quod in monte fuit, nec *ediſſe panem, nec bibiſſe aquam*, Deut. 9: verſ. 9. Ita in ipſo verificatum, *non ſolo pane vivere hominem*. Deut. 8:3. Chriſtus Dominus, tentatus à Diabolo, cum jejunaſſet 40. dies & noctes ὕστερον ἐπείνασε, Matth. cap. 4: verſ. 2. de Moſe non extat, an ejuſmodi defectum ſenſerit. Et Chriſtum quidem quod attinet, factum id, ut ita in omnibus paſſio illius adimpleretur, & ut nihil eſſet defectûs in natura, quod non ſentiret. At Moſes in montem citatus, ut eſſet divinæ gloriæ ſpectator, à talibus defectibus, & ab illorum ſenſu ſine dubio liber fuit. Moſes jejunavit. Chriſtus etiam.

§. 87. Si autem Petrus in monte videns τὸ ὅραμα *viſionem*, de qua Matth. 17:1-10. tanta capiebatur delectatione, ut diceret, κύριε, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι; quam non putabimus Moſen cepiſſe integri ſpiritus & mentis delectationem ex hac tam familiari & propinqua converſatione cum Deo ſuo, & ex oculari quaſi intuitu admirabilium illius.

§. 88. Abunde autem è dictis conſtat, omnia quæ in monte viſa ſunt, in Chriſtum & Eccleſiam collimare; ita ut hic ad imitationem Pauli dicere liceat, *Myſteria*, quæ à Moſe ſpectata ſunt, *magna ſunt*, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, Epheſ. cap. 5: verſ. 32.

§. 89. Quid enim ſignificavit *tabernaculum?* Chriſtum, qui factus eſt ſanctuarium: quid *prior*, quid *poſterior* σκηνή? Chriſti Eccleſiam, quæ poſt militiam hujus vitæ, gloriam hæriditat cæli: quid *arca*, quid *propitiatorium, Cherubini*, & divina inter illos *inhabitatio?* Chriſtum Mediatorem Teſtamenti, propoſitum propitiatorium; Eccleſiam primogenitorum, in Chriſtum credentium; futuram denique habitationem τοῦ λόγου ut fratris inter fratres, ut carnis inter carnem: quid *velum* tum *atrii*, tum *ſancti*, tum *Sancti Sanctorum?* carnem Chriſti nondum ruptam; ſublimitatem myſteriorum Dei, quæ oculis humanis ſunt imperſcrutabilia, & cogitationibus imperveſtigabilia; viam ſanctorum necdum manifeſtatam: quid *menſa* cum *panibus, candelabrum* cum *lucernis?* Chriſtum, qui pane vitæ ſatiat miſeros; Chriſti populum, lucentem claritate divinæ veritatis, eamque oſtendentem mundo: quid *altare holocauſti, altare ſuffitus, labrum?* Chriſti divinitatem, hoſtiam, & oblationem, interceſſionem, & καθαρισμὸν peccatorum, quem fecit per ſe ipſum: quid *Aharon ſacerdos* in pontificalibus, ejuſque *unctio?* Chriſtum ſupremum Sacerdotem, Prophetam, Judicem; à Patre unctum, vocatum, glorificatum; Spiritus χαρίσμασι totum totum impletum: quid *juvencus peccati, aries holocauſti*, & *initiationis?* Verum Sacerdotem & pro peccato offerri, & zelo Dei ſe conſumere, & omne Fœdus & Teſtamentum Dei, & integrum opus redemtionis, per mortem & ſanguinem ratificare.

 §. 90. Hæc

§. 90. Hæc ſunt ita clara & certa & ſapientiæ plena, ut qui in hiſce inſtitutis aliud quid ſpectat & quærit, ſe ipſum miſere fallat, Deo omnipotenti & ſapienti indigna affingat, Eccleſiam Iſraëlis maximis excellentiis privet, & fidem ac ſpem illius in dubio collocet.

§. 91. Quamvis autem hæc particula operis velut formam propoſiti exceſſerit: imo & intelligamus, in hac tam præcipiti feſtinatione, pœne magis neceſſaria prætereunda, quam ſupervacua amplectenda, non tamen potuimus temperare nobis, quin res, ſæpe agitatas animo, prolixiori ſignaverimus ſtylo. Deſcendamus nunc cum Moſe de monte, & redeamus ad caſtra Iſraëlis.

Caput Decimum.

Iſraël vult ſibi fieri Deos §. 1. 2. Autores illius conſilii §. 3. Aharon conſulitur §. 4. Vituli Ægyptiis in veneratione §. 5. 6. Honor vitulo collatus §. 7. Feſtum indictum Domino §. 8. Enormitas hujus ſceleris §. 9. 10. Moſis interceſſio §. 11. De libro Dei, & quid ſit ex illo deleri §. 12-16. Liber vitæ §. 17. 18. Angelus alius, diverſuſque ab Angelo fœderis, promittitur dux populi, inde luctus §. 20. 21. 22. Moſes tentorium tendit extra caſtra §. 23-25. Viæ Dei §. 26-28. Gloria Dei viſa à Moſe §. 29-36. ibi agitur de viſione Dei. Nomen Jehovæ proclamatum à Jehova, ex Exod. 34: 5-8. §. 37. 38. Explicatur illud §. 39-51. Coruſcatio faciei Moſis §. 52-54. Velum faciei Moſis impoſitum, ejuſque remotio §. 55-57. Dominus, cum quo Moſes locutus eſt, *τὸ πνεῦμα* Spiritus ſanctus fuit §. 58. 59. Tabernaculi erectio §. 60.

§. 1. POpulus Iſraël longam Moſis abſentiam pertæſus, & ignarus *τῶ αὐτῷ γεγονότων*, accurrit ad Aharonem, & vult *Deos* ſibi fieri, *ποίησον ἡμῖν θεοὺς*, *Fac nobis Deos, qui eant ante nos.* Exod. 32: 1. 2. Act. 7: 40. Stupenda certe inſania. Vix prætericrat Omnipotentis Dei viva vox & divinis adhuc reſonabat clamoribus æther, *Non erit tibi Deus alius coram me: Non facies tibi ſculptile: Deos aureos & argenteos non facietis mihi*, Exod. 20: 2. 3. 22. & ſtupidi hi in tam impia conſilia ruunt præcipites.

§. 2. Non ad eam proceſſerunt inſaniam, ut putarent, Deum verum manibus hominum formari poſſe; aut *divinitatem argento, auro, aut lapidi ſimilem eſſe*, quod ne gentiles quidem *debuerunt νομίζειν æſtimare*, Act. 17: 29. ſed *inviſibilis Dei* viſibile voluerunt ſtatuere ſymbolum, quod vicem Dei in terra ſubiret, & quaſi pignus eſſet præſentis Dei: dicunt enim, *Fac nobis Deos*, hoc eſt, tale quid efforma, finge & effigia, quod nobis ſit inſtar Dei; nobiſque pro arrha ſit, Deum eſſe & ire ante nos. Ita in horrenda hac amentia agnoſcunt, ſe indigere ductore Deo.

§. 3. Hujus conſilii Autores fuerunt non pauci aliqui, ſed integer *populus* הָעָם Exod. 32: 1. Ita univerſi in hanc delabuntur turpitudinem: fuerunt tamen multi pernicioſis his conſiliis intacti, quos Moſes hortatus eſt, ut ſe ſequerentur: *Qui cum Domino* eſt (confer Joſ. 5: 13.) *ad me* accedat, Exod. cap. 32: verſ. 26. *& collecti ſunt ad illum omnes filii*

Levi;

Levi: quo reſpiciens Paulus ait, *Ne fiatis idololatræ, quemadmodum quidam illorum*, 1 Cor. 10:7. Ergo non omnes ad illam deſciverunt idololatriam.

§. 4. Et ne quid præter ordinem fiat, Aharon ipſe conſulitur, Aharon inquam, Dei legatus, Moſis os, ejuſque illo tempore locum tenens; ut non ſine illius autoritate res nova fiat. Conſulitur igitur quidem Aharon, ſed ita ut cogatur: adeo hæc conſultatio plena coactionis fuit: dicunt enim, *ſurge, fac nobis*; ita volumus, ita jubemus, ita facies. Debuiſſet Aharon mille potius mortes ſubire, & mortem præferre vitæ, & infinita perpeti martyria, quam tanto ſceleri manum addere, & in tam præruptum atque anceps periculum adducere Eccleſiam. Jubet ut *inaures aureæ*, ſive monilia aurea avellantur: quod cùm populus mira alacritate feciſſet, *fecit ille vitulum fuſum*: de quo ipſe poſteà, *Dederunt mihi aurum, & projeci illud in ignem, & prodiit vitulus hic*, Exod. 32:24. non me invito, ſed me fuſionem illam ad id præparante & aptante. Aharon conſulitur.

§. 5. Vituli & boves Ægyptiis olim in veneratione fuerunt. In urbe *Memphis*, quæ omnium ante Alexandriam fuit clariſſima, regia aliquamdiu, fuit *Apis*, maximus Ægyptiorum Deus, *bos* ſive ſub figura bovis ab iiſdem cultus. Lucanus. Vituli Ægyptiis in veneratione.

Et ſacer in cineres magnus mactabitur Apis.

Qui *Apis*, an idem fuerit, qui Serapis & Oſyris, de quibus verſus exſtat,

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſyrim.

adhuc controvertitur. Præter Ἆπιν, etiam Μνεῦιν, qui fuit in civitate *Heliopoli*, Apiſque Pater habebatur, ſub figura bovis coluerunt. Hinc boves & vitulos, ac alia animalia ſacrificare *abominatio* fuit *Ægyptiorum*, Exod. 8:26.

§. 6. Ad imitationem Ægyptiorum, quorum *Deos* ut Iſraëlitæ *coluerant in Ægypto* Joſ. 24:14. ita illorum cultum cum vero & divino voluerunt commiſcere in deſerto, vitulum hunc factum, non videtur improbabile. Illorum Iſraëlitæ imitatores.

§. 7. Vitulo facto, una omnes voce dicunt, *Hi ſunt Dii tui Iſraël, qui te eduxerunt ex Ægypto*, Exod. 32:4. Blaſphema vox! Deus dixerat, *Ego Deus, qui te eduxi*, Exod. 20:2. hanc gloriam *aureo vitulo*, qui tunc nondum exſtiterat, nunc tribuunt, aut ad minimum illam Deum inter & vitulum partiuntur. Deinde *offerunt* hiſce Diis novis victimas: Actor. 7:41. ἀνήγαγον θυσίαν εἰδώλῳ confer 1 Cor. 10:7. *Fecerunt vitulum, incurvaverunt ſe illi, & ſacrificarunt illi, & dixerunt, Illi Dii tui Iſraël* Exod. 32:8. De uno vitulo loquuntur pluraliter, *Illi Dii tui*, quaſi dicant, Hic unus erit & ſit tibi inſtar plurium & omnium, qui fieri per manum noſtram poſſent. Cultus vituli.

§. 8. Aharon, qui non volens, ſed coactus à populo אֲשֶׁר בְּרָע הוּא *qui in malo erat*, Exod. 32:22. (confer 1 Joh. 5:19. ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται) vitulum fecerat, extructo ante illum altari, indicit *feſtum*, at non vitulo, ſed *Domino*. *Et dixit, Feſtum Domino cras*, Exod. 32:5. ſi forte an hac ratione Populus defector ad Deum ſuum reduci poſſet paulatim. Aharon indicit Feſtum.

§. 9. Fuit hic *vitulus* verè εἴδωλον Act. 7:41. & cultores illius εἰδωλολάτραι 1 Cor. 10:7. & tota hæc actio eſt חֲטָאָה גְדֹלָה *peccatum magnum* Exod. 32:21. imo peſſimum factum. *Corruptiſſime egit populus tuus*, Ibid. ℣. 7. & receſſio à via, *Celeriter receſſerunt à via, quam præcepi illis*, ibid. ℣. 8. Deut. 9:12, ruptio fœderis, *Et illi irritum fecerunt fœdus meum*; Jerem. 31:32. & *denudatio* Iſraëlis, hoc eſt, evidens manifeſtatio, & manifeſta comprobatio Iſraëlem eſſe nudum ac vacuum fide, charitate, & ſapientiæ notitia ac amore. Exod. 32:25. *Vidit Moſes populum, quod denudatus eſſet*, כִּי פָרֻעַ הוּא, non tantum *monilibus ſuis, auro ſuo* & ornatu, ſed imprimis τῷ ἀφθάρτῳ τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος, Vituli fuſio enormè peccatum.

 1 Pet.

1 Pet. 3:verſ. 4. *quia denudaverat illum Aharon* לְשִׁמְצָה בְּקָמֵיהֶם *in infamiam in inſurgentibus contra ipſos*: qui nunc occaſionem adepti erant illudendi Iſraëlem, & pari illum pede ſecum metiendi: vel in *infamiam in ſurgentibus pro illis*, hoc eſt, in poſteris illorum, qui Patribus ſurgendo quaſi ſuccedunt, & locum occupant, quem illi deſerunt, quique hoc peccatum ſine infamiæ nota non poterant recordari. Phraſis eadem videbitur cum illa quæ eſt Exod. 1: 8. *Et ſurrexit Rex novus*, id eſt, exſtitit, exortus eſt. confer Matth. 11: 11. *inter natos mulierum non ſurrexit major Johanne baptiſta.*

§. 10. Miſeri Iſraëlitæ ſic enormiter peccantes, *mutarunt* כְּבוֹדָם *gloriam ſuam*, hoc eſt, illum, qui gloriam ab illis accipere dignus eſt, Apoc. 5: 12. qui eſt δόξα τοῦ Ἰσραήλ, Luc. 2: verſ. 32. *in ſimilitudinem bovis comedentis gramen*, Pſalm. 106: 20. pares ſimileſque facti gentilibus, qui *mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis, & volucrium & quadrupedum* &c. Rom. 1: verſ. 23.

Moſis ira; interceſſio. §. 11. Moſes juſtiſſima ira accenſus, viſo vitulo, confringit tabulas fœderis, vitulum ipſum comburit igne, & objurgato caſtigatoque ſeverius Aharone, jubet Levitas cædem facere in populo: Ita morte trium millium culpa piatur, Exod. 32: 21 -- 28. Denique tamen σπλαγχνισθεὶς ἐπὶ τὸν λαὸν aſcendit ad Dominum in montem, interceſſione ſua iram Omnipotentis placaturus.

Explicatio loci Exod. 32: 32. 33. §. 12. Hic memorabile occurrit verbum, *Si non condonabis peccatum illorum, dele me, age, de libro tuo, quem ſcripſiſti*; Exod. 32: 32. Reſpondet Dominus, *Qui peccaverit mihi, eum delebo de libro meo*, ℣. 33.

LIBER DEI. §. 13. *Dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, inquit Moſes. Conſilium & propoſitum fecit Deus, in quo nominavit & poſuit non tantum hæredes beneficiorum, ſed & beneficia ipſa, beneficiariis Dei conferenda. Hoc conſilium, quia optimo ordine eſt diſpoſitum, & non aboletur, & quum ad executionem venit, publice quaſi legitur, *Libri* inſtar eſt, in quo quæ ſcribuntur, optimo ordine & pulchra ſolent conſtare diſpoſitione, & firma ſunt ac non abolentur, & ab obviis leguntur. Igitur *eſſe in libro Dei ſcriptum* eſt, à Deo nominatum eſſe hæredem beneficiorum divinorum. *Deleri è libro* Dei eſt privari beneficiis Dei. Ita in illo eſt emolumentum: in hoc detrimentum. Beneficia autem Dei non ſunt unius generis. Vel enim ſunt πρόσκαιρα *temporaria*, qualia ſunt hæc βλεπόμενα *viſibilia*: ad quæ pertinent, quæ in hoc mundo conferuntur; & ut in hoc mundo incipiunt, ita & in illo deſinunt, ut ſunt opes, honos, robur, vita longa &c. Vel ſunt αἰώνια *æterna*, *ſpiritualia*, qualia ſunt τὰ μὴ βλεπόμενα *illa, quæ non videntur* 2 Cor. 4: 18. quo pertinent omnes illæ *benedictiones Dei ſpirituales in ſupercœleſtibus*, Epheſ. 1: 3. juſtitia, ſanctificatio, redemptio, vita, ſalus, pax. Hæc ſpiritualia beneficia non amittuntur: quibuſque illa in hac vita cœperunt conferri, in illis conſummantur in futura: poſſunt minui, & parcius exhiberi, & quaſi auferri; non poſſunt plene amitti. ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ, Rom. 11: 29. Gratiæ Dei ſunt *gratiæ fideles*, quæ manent, Eſ. 55: 3. τὰ ὅσια τὰ πιστά, Actor. 13: 34. *fœdus pacis*, è quo illa conferuntur, *non recedit, non vacillat*, Eſ. 54: 10. eſt *fœdus æternum, diſpoſitum in omnibus & obſervatum.* 2 Sam. 23: 5.

Deleri è libro Dei quid? §. 14. Jam cum Moſes cupit *deleri è libro Dei*, cupit quidem privari communione Dei & beneficiorum ejus, ſed non communione illa ſpirituali & beneficiis ſpiritualibus, illa enim amitti & auferri non poſſunt; ſed communione illa temporali, & beneficiis temporali-

poralibus, hoc eſt, cupit à Deo tractari durius, anguſtiis & tribulationibus tentari, miſeriis & ſollicitudinibus caſtigari, imo in carne tangi, imo & crudeliter interfici, ita ut paratus eſſet, omnia temporalia amittere, bona, honores, ſanguinem & vitam ipſam, & pari modo tractari, ut Hiob, qui de ſalute ſua certus, *noverat* enim *redemptorem ſuum vivere*, tamen conqueritur, *Deus me pervertit*; *rete ſuo me circumdedit*; *in ſemitis meis ponit tenebras*; *gloriam meam à me detraxit*; *iram ſuam fecit in me ardere*; *& æſtimavit me ſibi ut unum hoſtium ſuorum*, Job. 19: 6. 7. 8. 9. 11. Ita Moſes non tantum exhibuit exemplum talis amoris, de quo Rom. 5: 7. *Vix enim pro juſto quis moriatur: pro bono forſan quis mori ſuſtineat*; ſed majoris etiam. Nam ille offert ſe, ad patiendum ultima, & ut deleatur è libro Dei, non pro *juſtis & bonis*, ſed pro iis, qui inſigniter peccaverant, & rebelles exſtiterant, & fœdus Dei ruperant, & corruptiſſime egerant, & à via Dei bona celeriter receſſerant.

§. 15. Quod ſi autem hanc phraſin, *dele me è libro tuo*, in omni ſua latitudine capere velimus, ut intelligatur Moſes petiiſſe penitus & omni modo, tum temporaliter tum in æternum deleri, id neceſſario ſub hac conditione intelligendum eſt, *Si ſit poſſibile, & fieri poſſit ſalva Dei juſtitia & gloria*, & *Deus decenter facere poſſit.* Ita Chriſtus petebat *poculum à ſe transferri*, εἰ δυνατὸν ἐςι. Matth. 26: 39. Et eundem in modum intelligendus eſt Paulus Rom. 9: 3. *Optarim enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Nam ut pius petat à communione Dei, juſtitiæ, ſalutis & vitæ æternæ, penitus & abſolute ſeparari, id non poteſt ſine nota crudelitatis & injuriæ. Amor piorum debet eſſe intenſus, non tamen impius: neque poteſt eſſe benè ordinatus, niſi incipiat à ſe ipſo; neque poteſt proximo prodeſſe, ſi per illum datur nobis ipſis obeſſe. Neque talis petitio poſſet inſtitui ſine crimine ignorantiæ & incogitantiæ. Quomodo peteres à Deo ſeparari *à cujus charitate, neque profunditas, neque altitudo, neque ulla alia creatura nos* δυνήσεται *χωρίσαι* unquam *poterit ſeparare*, Rom. 8: 39.

§. 16. Quod autem Deus dicit, *Qui peccavit mihi eum delebo*, inde non ſequitur, *deleri poſſe è libro Dei*, qui in illo ſcripti ſunt; ſed tantum Deum ſuos, ſi & quum peccant, privaturum multis beneficiis, in libro Dei deſcriptis: id 2 Sam. 7: verſ. 14. ita dicitur; *cum impie egerit ſemen tuum, caſtigabo illud virgis hominum, & plagis filiorum hominis.* Aut etiam Deum manifeſtos & pertinaces peccatores penitus deleturum & ſeparaturum à communione divinæ gratiæ, quam hactenus guſtârunt, Hebr. 6: verſ. 4. 5. & publice oſtenſurum, illos in libro Dei non eſſe ſcriptos, imo & nunquam fuiſſe ſcriptos; quamvis ſecundum externam apparentiam in illo ſcripti fuiſſe viſi fuerint.

§. 17. Hic *liber*, quem ſcripſit Deus, non eſt diverſus *à libro vitæ*, cujus toties in ſacris mentio. *Liber* enim *Dei*, *liber vitæ* eſt: & ut vita alia eſt temporalis, alia æterna, ita in hoc libro utraque vita legata & aſſignata eſt. Quid autem eſt *liber vitæ* aliud quam ipſiſſima Dei æterna *electio*, qua *ordinavit ad vitam æternam* illos, quos *præagnovit*, & *præordinavit & vocavit*? Actor. 13: 48. Rom. 8: 29. 30. Ut autem *electio non* eſt *omnium*, quemadmodum & πίςις 2 Theſſ. 3: 2. alias non eſſet ἐκλογή *electio*; & *pauci* ſunt *electi*, Matth. 20: 16. 22: 14. ita etiam *non omnes* in libro vitæ ſcripti ſunt, Apoc. 13: 8. *Omnes, quorum non ſcripta ſunt nomina in libro vitæ agni.* Et ut omnes ſancti ſunt electi: electi enim ſunt, *ut ſint ſancti*, Eph. 1: 4. ita *quorum nomina ſunt in libro vitæ*, ſunt *ſancti*, *cooperarii ſanctorum*, Phil. 4: 3. Et quemadmodum *electi, vocati, præordinati non ſeparantur à Dei amore*, Rom. 8: verſ. 39. ita ſemel ſcripti non delentur: *non delebo nomen* Liber Dei, Liber vitæ.

illius

illius è libro vitæ, Apoc. 3: 5. Et ut illorum, qui *non inveniuntur ſcripti in libro vitæ*, portio eſt *ſtagnum ignis*, Apoc. 20: 10. ita illorum, qui ſcripti ſunt, portio & hæreditas eſt *honor, gloria, pax*. Rom. 2: 7. 8.

Deleri è libro vitæ quid?

§. 18. Quod autem dicitur Apoc. 22: 19. *Si quis auferat à ſermonibus prophetiæ, auferet Deus partem illius è libro vitæ, & è ſcriptis in libro illo*, & Pſalm. 69: 29. *deleantur è libro vitæ*, id intelligendum eſt non de inſcriptione, qua Deus illos inſcripſit; ita enim nunquam fuerunt inſcripti; ſed qua ipſi ſe inſcripſerunt, falſa perſuaſione ſibi blandientes, & attribuentes id, in quo nunquam habuerunt μέρος *partem*. Igitur illi nomina ſua in librum vitæ retulerunt *ſua manu*; *Dei manus* autem non retulit. Deus autem falſo relata nomina *ἀφαιρέσει auferet*, publicè teſtando, definiendo, demonſtrando, illos in libro vitæ nec partem, nec conſortium habere.

§. 19. Hæc Moſis interceſſio, quæ munita ſine dubio fuit aliis & pluribus rationibus, quales ſunt Exod. 32: 11. 12. 13. non fuit inefficax. Jubetur enim ire Moſes, & porro deducere populum. Exod. 32: 34. 33: 1.

Verbum malum, de Angelo.

§. 20. Verbum tamen unum addit Deus, quod populo mœrorem injecit. *Ecce*, inquit, *Angelus meus ibit ante te*, Exod. 32: 34. *Mittam ante te* מַלְאָךְ *Angelum*. Exod. 33: 2. Rationem addit, *nam non aſcendam in medio tui, quia populus durus cervice tu, ne conſumam te in via.* Hoc Dei *verbum* viſum eſt populo רָע *malum*, hoc eſt, grave & rationem pœnæ habens: ideo *& luctum teſtantur*, וַיִּתְאַבָּלוּ Exod. 33: 4.

Angelus miniſter.

§. 21. Hunc Angelum non eſſe illum, qui *in flamma ignis in rubo viſus erat Moſi*, Actor. 7: 30. neque qui illi *locutus erat in monte Sina*, Actor. 7: 38. neque de quo Deus *ἐμφατικώτερον teſtatus erat*, dicens, *Nomen meum in medio illius*, Exod. 23: 21. facile patet. Nam Angelus, qui inhabitavit rubum, & deſcendit in Sina, non ſimpliciter Angelus eſt, ſed Angelorum omnium Dominus, & ἓν *unum* cum Deo, unde & de ſeipſo dicit, *Ego ſum Deus Abraam &c. Ego Jehova Deus tuus.* Hic autem Angelus, de quo nunc loquitur Deus, non eſt unum cum Deo: illo enim miſſo videtur Deus non aſcendere in medio Iſraëlis. Ergo fuit unus ex Angelis, qui ad miniſteria Dei ſunt creati, qui ſunt Spiritus, ſed finiti, *potentes viribus ad faciendum verbum illius.* Pſalm. 103: 20. Id ipſum vox מַלְאָךְ ſine articulo, Exod. 33: 2. videtur etiam ſubindicare.

Populus jure merito mœſtus.

§. 22. Habuit autem Populus cauſas lugendi. Quamvis enim Angeli ſint Creaturæ Dei, & mittantur ad miniſteria hominum, tamen longè melius, tutius & honorabilius eſt conſortium & ductus ac aſſiſtentia Dei ipſius cui huc uſque aſſueverat Iſraël, quam ſervorum Dei: illo igitur orbari triſtitiæ excitandæ ſufficiens cauſa erat. Quid quod populus animo prævidere & præſentiſcere videtur, fore hac ratione, ut illi ſubjicerentur Angelis, in quorum διαταγὰς *diſpoſitiones legem acceperunt*, Actor. 7: 53. & quibus *habitabilem futuram Deus non ſubjecit*, Hebr. 2: 5.

Moſes tendit Tentoriũ.

§. 23. Per idem tempus *accepit Moſes* אֶת־הָאֹהֶל *tentorium aliquod, & tetendit ſibi extra caſtra, & vocavit id* אֹהֶל מוֹעֵד *tentorium conventus*, Exod. 33: 7.

Diſtinguendum id à tabernaculo tentorii.

§. 24. Diſtinguendum eſt tentorium hoc à *tabernaculo tentorii conventus* cujus idea Moſi in monte monſtrata, quodque demum *menſe primo, anno ſecundo, primo die menſis erectum eſt.* Exod. 40: 2. 17. Neque enim hoc tentorium è caris & pretioſis illis materialibus extructum legitur, neque ad illum modum & formam; non enim conſtitiſſe videtur tabernaculo, tentorio, atrio: Et *coram oſtio hujus tentorii ſtetit columna nubis, & locuta eſt cum Moſe*; *& Moſes in illud intravit, & miniſter ejus Jehoſuas è medio tentorii hujus non receſſit.* Exod. 33: 9. 11. Tabernaculum autem tentorii conventus aliter

habuit:

habuit: *nubes tentorium texit: gloria Domini tabernaculum implevit:* propter inhabitantem nubem, & gloriam omnia complentem *non poterat Moſes intrare in tentorium conventus.* Exod. 40: ℣. 34. 35. Hoc tentorium tenditur *extra caſtra*, *procul a caſtris*, Exod. 33:7. Tabernaculum tentorii non ita. Hoc tentorium dicitur Moſes tetendiſſe ſibi וְנָטָה לו *& tetendit ſibi*, hoc eſt, uſui ſuo, ut in illo habitaret ſolus, ſeparatus ab aliis. Videtur Moſes exprobrare voluiſſe Iſraëli impuritatem & fœditatem. Malus & in malo erat Iſraël: non vult Moſes inter illos habitare: quapropter procul à caſtris tentorium figit, ſedem habitationis ſibi ipſi, & Jehoſuæ miniſtro.

§. 25. Quod autem dicitur, *& fuit omnis quærens Dominum, exivit ad tentorium conventus, quod erat extra caſtra*, Exod. 33: ℣. 7. eo notatur, Dominum ad hoc tentorium, quod Moſes ſibi tetenderat, manifeſtaſſe publica divinæ ſuæ præſentiæ ſigna; ita ut & in nube ante illius oſtium deſcenderit, & ibi cum Moſe *facie ad faciem, & ut vir cum ſocio ſuo locutus ſit.* Exod. 33: 11. Unde concludere licet, Moſen hoc tentorium non motu proprio, ſed jubente Deo ſtatuiſſe: ſi enim præter voluntatem Dei hoc tentorium fuiſſet erectum, nec nubes, Dei vehiculum, nec Dei familiare conſortium & colloquium ſe illi aſſociaſſet.

§. 26. In hoc tentorio ſive extra illud eximia quædam petit Moſes. Primum eſt. *Notifica mihi vias tuas, & cognoſcam te*, Exod. 33: 13. Id certe verum eſt heri, hodie & in ſecula, *hanc eſſe vitam æternam ut cognoſcant ſolum verum Deum*, & quem olim miſſurus erat, nunc *miſit Ieſum Chriſtum*, Joh. 17: verſ. 3. Ideo & Moſes dicit, *Cognoſcam te.* In ſpecie meminit *Viarum* Dei: *fac me cognoſcere vias tuas.* Omne id quod Deus agit, ut glorificetur in creaturis, maxime in hominibus, *Via Dei* eſt. Igitur Teſtamentum Dei, promiſſio, electio, legislatio, redemtio, vocatio per Evangelium, remiſſio peccatorum, damnatio & induratio reproborum, tentatio Eccleſiæ, & liberatio ejus ac conſolatio, ſub nomine *viarum Dei* comprehenduntur. *Viæ* Dei ſunt *integræ* Pſalm. 18: verſ. 31. *rectæ*, Hoſ. 14: 10. *ſublimes* Eſ. 55: 9. *imperveſtigabiles*, Rom. 11: 33. Sanctorum oblectatio; improborum faſtidium, Job. 21: 14. Moſes petens cognitionem ſeu notificationem viarum Dei, petit, ut Deus illi *det illuminatos oculos mentis εἰς τὸ εἰδέναι ad cognoſcendum* Dei mirabilia & opera, & in ſpecie ea, quæ porro in Iſraële, cujus ductor conſtitutus erat Moſes, executurus eſſet. *Moſis petitio.* *Viæ Dei.*

§. 27. Ad hanc petitionem Moſis non reſpondet Deus, *Notificabo tibi vias meas*, ſed *Facies mea ibunt, & faciam tibi quietem contingere.* Exod. 33: 14. Non habet *faciem* Deus ut homo, nam non eſt homo: *num oculi carnis ſunt tibi? num ut videt homo, vides?* Job. 10: 4. ut non habet oculos carnis, ita nec faciem carnis. *Facies*, quæ Deo tribuitur in Sacris, notat vel *Deum ipſum*: *Facies mea ibit*, hoc eſt, Ego ipſe vobis adero, & me conſpiciendum vobis præbebo: ita de Abſolomo 2 Sam. 17: 11. *Et facies tua intrabunt prælium*, hoc eſt, tu ipſe præſens prælium inibis. Vel illum, in quo Deus videtur oculo ad oculum, qui eſt *Angelus faciei*, Eſ. 63: 9. non tantum quia ſemper ante faciem Dei eſt, & in ſinu Patris; ſed quia facies Dei in illo expreſſa eſt, illeque eſt *imago Dei*, Col. 1: 15. *reſplendeſcentia gloriæ & character ſubſiſtentiæ illius*, Hebr. 1: 3. & in illo videtur Pater. Ita ſenſus erit, *Facies mea ibunt*, hoc eſt, *Angelus faciei meæ*, ſive *meus*, qui viſus tibi eſt in rubo, qui locutus eſt de Sina, quem miſſurum me promiſi (Exod. 23: 20.) *ibit*, ducet & cuſtodiet vos in via. *Reſponſum Domini.* *Facies Dei.*

§. 28. *Quies*, quam Dominus promittit, *Et faciam te quieſcere*, eſt tum *animæ* ſive interna Matt. 11: 29. *& invenietis requiem animabus veſtris*, tum *corporis* ſ. externa, Joſ. 21: 44. *Quies promiſſa.*

 23: 1. *Et*

23:1. *Et requiem dedit Deus ipſis ab undique.* Et bene ad quæſtionem ſeu petitionem Moſis quadrat hæc Dei reſponſio: ſiquidem hæc non eſt infima viarum Dei pars; imo eſt ipſa illa pars viæ, quam tunc calcabat; erat opus, quod tunc moliebatur; nimirum ut Iſraëlem è medio Ægypti eductum, duceret, & omnia bona illi, imprimis *quietem*, quæ omnia bona tum corporalia, tum ſpiritualia, latitudine ſignificatus ſui complectitur, procuraret.

[Gloria Dei.] §. 29. Secundo petit Moſes. *Da mihi videre gloriam tuam.* Exod. 33:18. Quod Moſes petit, id in Euangelio ex parte eſt impletum. Et *contemplati ſumus gloriam illius, gloriam ut unigeniti à Patre.* Moſes hac petitione mentis ſuæ vota indicavit. Viderat gloriam Dei in Sina: viderat illam, cum videret ſub *pedibus Dei Iſraël ut pavimentum ſapphir,* Exod. 24:10. quemadmodum & Eſaias in ſimili fere viſione dicitur *vidiſſe gloriam illius,* Joh. 12:41. viderat illam, cum ſecunda vice aſcenderet accepturus legem ſcriptam, Exod. 24:16. 17. *& habitavit gloria Domini in monte: & aſpectus gloriæ Domini ut ignis comedens.* Nondum tamen his contentus. Moſes adhuc petit, *Fac me videre gloriam tuam.* Gloriam Dei ſummam, faciem Dei, pleniſſimam illius majeſtatem cernere cupiit. Ex eo enim, quod Dominus dicit, non potes *videre faciem meam; nam non videbit me homo & vivet,* Exod. 33:20. liquet, Moſen petiiſſe *videre faciem Dei,* hoc eſt, Deum ipſum in excellentiſſima ſua majeſtate, & infinita gloriæ plenitudine: qui ſi fuiſſet cum Petro, Jacobo, & Johanne ἐπόπτης τῆς μεγαλειότητος *ſpectator magnificentiæ Domini*, audiviſſetque *vocem ipſi latam* ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης *per magnificam illam gloriam, hic eſt Filius meus dilectus,* 2 Petr. 1:17. deſiderii ſui compotem ſe factum forſan prædicaſſet.

[Bonitas Dei.] §. 30. Ita autem reſpondet Deus ad hanc petitionem Moſis. *Ego tranſire faciam omnem bonitatem meam ante faciem tuam; & nominabo nomen Jehova coram te. Et clemens ero, cui clemens ero, & miſerebor ejus, cujus miſerebor.* 1. Libere. 2. Conſtanter, Exod. 33:19. confer Rom. 9:15. 16. 17. 18.

[Tranſiit coram Moſe.] §. 31. Igitur Deus *bonitatem ſuam*, (ita vocat id, quod Moſes *gloriam*, quod tamen & ipſe poſtea verſ. 22. ita vocat, *Et erit cum tranſibit gloria mea*) fecit tranſire coram Moſe, in forma & ſpecie viſibili: quæ quia non deſcripta eſt, ut factum, Exod. 24. in viſione 70. ſeniorum, non poteſt verbis enarrari. Certe *omnis Dei bonitas, gloria* ante faciem Moſis tranſiit, ita ut Moſes illam potuerit intueri oculis; imo & *nomen Dei,* de quo, Exod. 34:6. alta voce à Domino ipſo proclamatum fuit; & gratiæ propoſitum, ſimulque gratiæ exercendæ libertas indicata.

§. 32. Ita tamen vidit Moſes bonitatem & gloriam Dei, ut verum maneat, *non videbit me homo & vivet.* Ideo non faciem ipſam, ſed poſtquam manu divina tectus fuiſſet aliquamdiu, poſteriora Dei tantum vidit. *Et videbis poſteriora mea, & anteriora mea non*

[Poſteriora & anteriora Dei.] *conſpicientur,* Exod. 33:23.

[Viſio Dei.] §. 33. Deus eſt ἀόρατος *inviſibilis,* 1 Tim. 1:17. *lucem habitat inacceſſam: nemo hominum illum vidit, neque videre poteſt.* 1 Tim. 6:16. Eſt quædam viſio Dei, qua homo in hac vita non potitur; illa nempe quæ *aſſervata eſt in cœlis.* 1 Petr. 1:4. eſſentia autem Dei infinita, æterna, omnipræſens, neque in hac vita, neque in futura, neque ab Angelis, neque ab hominibus perfecte cognoſcitur. Quo magis cognoſcetur Deus, eo magis cognoſcetur, non cognoſci nec comprehendi poſſe eum, qui incomprehenſibilis eſt. Igitur optime reſpondet Moſi Deus; *non poteris videre faciem meam. Facies mea non videntur* 1. in hac vita non perfecte. 2. Quamvis in futura vita clarior erit viſio, & aſpectus plenior, (*ambulabimus* enim διὰ εἴδους *per aſpectum,* 2 Cor. cap. 5:7. *videbimus facie ad faciem,* 1 Cor. cap. 13: verſ. 12. *videbimus illum, ſicut eſt,*

1 Joh.

1 Joh. 3: 2. neque erit velum ullum, quod Dei gloriam à nobis occultet, quemadmodum nunc *cæli velum* ſunt, impedientes, ne in cœlum cœlorum inſpiciamus, neque indigebimus mediis illis, quæ in hac vita adhibemus, ut Dei communione fruamur, præconio verbi, & Sacramentorum uſu; ſed *retecta facie gloriam Domini* κατοπτριζόμεθα *ſpeculabimur*, 2 Cor. 3: 18. & *ad eandem imaginem transformabimur à gloria in gloriam*, ibid.) tamen nos nondum ſcimus perfecte, qualis illa viſio futura ſit: *nondum enim manifeſtatum eſt*, τί ἐσόμεθα; ergo nec quid & quomodo ὀψόμεθα *videbimus*, 1 Joh. 3: 2. & ut ut viſio illa Dei & agnitio erit clara & plena, tamen ſemper erit finita, nec adæquabit menſuram infiniti. Neque enim finitum capax eſt infiniti.

§. 34. Quamvis autem facies Dei non videantur, quam ob cauſam etiam Moſi *anteriora* Poſteriora Dei quid?
Dei in viſibili illo tranſitu videre non contigit, tamen *poſteriora ejus* videntur. *In creaturis cernuntur inviſibilia illius*, Rom. 1: 20. *cœli enarrant gloriam Dei.* Pſal. 19: 1. In verbo gratiæ cognoſcitur voluntas, & Teſtamentum & propoſitum Dei. In Chriſto, imagine Dei inviſibilis, videtur Patris voluntas, charitas, bonitas, ſapientia, ſanctitas, juſtitia, veritas. Igitur *poſteriora Dei* videntur, h. e. ea quæ de Deo cognoſci poſſunt, & ad ſalutem cognoſci debent, quæ Deus in operibus demonſtravit, & in verbo revelavit, patent oculis & cognitioni hominum, imprimis fidelium. Manet tamen ſemper Deus *inviſibilis, incomprehenſibilis, inacceſſibilis*.

§. 35. Igitur Moſes viſibiliter tranſeuntem videns *gloriam Dei*, videnſque non anteriora ſed poſteriora, edoctus fuit, eſſentiam Dei eſſe incomprehenſibilem, lucem ejus inacceſſibilem, vias imperveſtigabiles, Deum tamen ex operibus cognoſci; in Chriſto videri; in verbo gratiæ manifeſtari; videndum plenius *cum veneris*. Divina hæc apparitio quid docuerit?

§. 36. Sed adhuc aliud quid apparitio hæc divina, & quod Moſes manu Dei tranſeuntis tegitur, qua ablata poſteriora ejus tantum vidit, ſignificavit; nimirum dum Deus intuetur peccatorem & peccatum, non poſſe hominem ſuſtinere ipſius vultum, quippe iræ plenum, hoc eſt quod dicitur: *facies mea non videntur*, ideoque tegendum eſſe manu Dei. Ita Moſes *tegitur*. Neque debere hominem accedere ad Deum in peccato ſuo, tanquam qui aliquid ab ipſo impetrare poſſit: ideo Moſes aliquamdiu *in caverna petræ* occultatur. At Deum averſum à peccatore & peccato, & illi poſteriora ſua quaſi obvertentem, videri & ſic adiri à peccatore.

§. 37. Sed & dixerat Deus, *Proclamabo nomen Iehova:* ut dixit, ita & fecit. Exod. Nomen Jehovæ.
34: 5. 6. 7. *Et tranſivit Iehova coram facie Moſis, & clamavit: Iehova, Iehova, Deus, miſericors & gratioſus, longanimis & multus gratia & veritate, ſervans gratiam in millenos, condonans pravitatem, & defectionem, & peccatum, & omnino non dimittet impunitum, viſitans iniquitatem patrum in filios, & in filios filiorum, in tertiam, & in quartam progeniem.*

§. 38. Ita Deus Proclamator nominis ſui factus eſt. Nomen Dei magnum eſt & mirabile. Prov. 30:4. מַה שְּׁמוֹ *quodnam*, id eſt, quantum eſt *nomen illius*, כִּי תֵדָע *ut cognoſcas*, & omnes ejus profunditates ſcruteris. Judic. 13: 18. *Et dixit illi* Manoæh, *Quare inquiris in nomen meum?* וְהוּא פֶלְאִי *& id eſt, Mirabilis.* Geneſ. 32: 29. dicit *Angelus luctator* Jacobo, *Quid rogas nomen meum?* Moſi autem roganti, *ſi dicant, quodnam nomen illius, quid dicam*, ita inquit, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *Ero qui ſum*, Exod. 3: 13. 14. Exod. 6: 2. *Ego apparui in Deo ſufficiente, & nomine meo Iehova non ſum cognitus illis.* Eſ. 42: 8. *Ego Iehova, hoc nomen meum. Nomen filii*, qui nobis datus eſt, ita habet, *Mirabilis, conſiliarius, Deus potens, Victor, Pater æternus, Princeps Pacis*, Eſ. 9: 5. atqui *in medio illius eſt*

nomen Dei, Exod. 23:21. Jerem. 23:6. *hoc eſt nomen illius, quo nuncupabit illum*, ſive *quod invocabit*, proclamabit quilibet, *Iehova juſtitia noſtra.*

§. 39. Ut autem conſtet, quinam ſenſus, quænam emphaſis & quæ ſignificatio ſit hujus, quod ipſe proclamavit Dominus, nominis, diſtinćte & ordine conſideremus verba omnia.

Jehova. §. 40. JEHOVA, JEHOVA. Qui in hoc nomine Patribus non innotuerat jam volens & incipiens Iſraëli in illos innoteſcere, bis dicit & proclamat, *Iehova, Iehova.* Vocem יְהֹוָה derivari ab היה ſive, הוה quod notat τὸ εἶναι *eſſe* ſive *exiſtere*, nemo eſt qui ignoret. Igitur ſimpliciſſimus, qui ad pronunciationem hujus nominis formari debet conceptus, hic erit, Deum *eſſe*, eſſe *Ens entium.* Cicero lib. 1. Tuſcul. cap. 24. obſervat, *Eſſe*, ſecundum Platonem, de iis tantum dici, quæ æterna ſunt, nec oriuntur, nec occidunt. Si igitur Deus *eſt* & ab *eſſe* nominatur, oportet ut *ſit omnia*, & quidem *omnia in omnibus*, nam ſi aliquid non ſit in illo, jam non poteſt audire ὁ ὢν *qui eſt*, nam non eſt ſecundum illud, quod illi deeſt. Ergo hoc nomine excluditur omnis defećtus, & docetur, quod omne πλήρωμα *plenitudo* habitat in Deo. Deinde ut quod *eſt* maneat, & ſit ſemper ac in ſeculum. Si enim non manet id quod eſt, ſed mutatur, jam non poteſt dici *eſſe*, non enim fuit id, in quod mutatur. Igitur inde apparet immutabilitas tum divinæ eſſentiæ tum divini conſilii. Denique quod etiam omnibus aliis, quibus *eſſe* dedit, *ſit* bonum & ultimus finis. Neque enim *eſt*, ſi non omnibus dat eſſe, & quid poſſet ſine illo, & non per illum eſſe? Omnes alii per illum habent τὸ εἶναι. Ergo omnes alii habent dependenter τὸ εἶναι; ille ſolus independenter. Et quia omnes alii habuerunt τὸ μὴ εἶναι, antequam ab illo acciperent τὸ εἶναι, & poſtquam id acceperunt, nondum habent τὸ πᾶν εἶναι *omne eſſe*, quia in multis deficiunt, & mutantur, & deſinunt, clarum eſt, nemini præter illum hoc attributum ἐν δυνάμει, hoc eſt, omni ſignificationis emphaſi competere, illumque ſolum vere eſſe τὸ ὄντα & neminem cum illo commune habere poſſe nomen *Iehova.* Ne autem aćtum agamus, & quæ jam dićta ſunt, citra neceſſitatem repetamus, conferatur cap. 2:32. & cap. 3: 2-9.

אֵל Deus. §. 41. אֵל *Deus* ab אֱיָל *facultas, potentia*, Pſalm. 88:5. Notatur hoc nomine, Deum habere omnem potentiam & ſufficientiam; ſine ullo defećtu habere & poſſe omnia. Eſ. 46:9. *Ego ſum* אֵל *Deus omnipotens.* Vere Deus eſt אֵל *apud quem nulla res eſt impoſſibilis.* Luc. 1:37. Hæc *potentia* elucet non tantum in creatione Univerſi, quod *verbo* produćtum eſt, Hebr. 11:3. nec tantum in conſervatione rerum univerſarum, quæ eadem potentia ſuſtinentur, qua ſunt produćtæ; ſed imprimis in redemtione & juſtificatione hominis lapſi. Hoc opus majore certe potentia & ſufficientia opus habuit creatione & conſervatione totius univerſi. Cum enim hæc facta ſit ῥήματι, exegit illud manifeſtationem τοῦ λόγου *ſermonis* ἐν σαρκὶ *in carne*, ejuſque paſſionem & obedientiam ad mortem uſque. In creatione Deus & in rebus creatis monſtrat *æternam* ſuam *potentiam* & *divinitatem*, imo & ſapientiam & bonitatem. In redemtione humani generis lapſi oſtendit præter hæc omnia etiam juſtitiam ſuam & divitias & ſanćtitatem, miſericordiam, gratiam, veritatem. Vere igitur Deus eſt אֵל *omnipotens*, qui tam immenſum opus potuit moliri & conſummare. Major potentia eſt id, quod perditum eſt, reſtituere (hic enim lućtandum eſt cum lege, imponente execrationem; cum ira Dei, perſequente malum; cum Satana, habente imperium mortis; cum natura ita corrupta, ut tantum malum cogitet & faciat omni die; cum peccato & concupiſcentia ne regnet, ſed ut coërceatur) quam è nihilo aliquid producere. confer, Exod. 6:2. Geneſ. 17:1.

§. 42. רַחוּם *οἰκτίρμων, ἐλεήμων miſericors.* Pſalm. cap. 86: verſ. 15. 103:8. Nehem. 9: 17. Etiam Jeſus Dominus eſt *ἐλεήμων καὶ πιστὸς,* Hebr. 2: 17. Notatur autem hac voce; Deum miſeris peccatoribus ſuccurrere, ut ſalventur; hocque decenter facere velle. In hac autem divina miſericordia, quam Petrus vocat *τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος* 1 Epiſt. 1: verſ. 3. notetur 1. libertas; 2. conſtantia; juxta dictum Exod. 33: 19. Rom. 9: verſ. 15. *ἐλεήσω ὃν ἐλεῶ.* Ab hac proprietate dicitur Deus *ἐλεεῖν, οἰκτείρειν miſereri.* Pſalm. 103: 13. *quemadmodum Pater liberorum, Dominus miſeretur timentium ſe.* Confer Pſ. 116:5. Deut. 13:17. Habac. 3: 2. Hoſ. 1: 6. 8. 14: 4. Miſericors.

§. 43. חַנּוּן *gratioſus,* cupidus ad benefaciendum, *dans omnibus ἁπλῶς ſimpliciter & μὴ ὀνειδίζων non exprobrans.* Jacob. 1: 5. Græce verteris non *ἐλεήμων,* ut LXX. ſed potius *χαριζόμενος* quod ipſius *εὐδοκία* eſt, liberali & ſpontaneo dono juſtitiæ & ſalutis gloriam ſuam manifeſtare. Hic *gratioſus* Deus Moſi, ſanctiſque ſuis ſæpius dixit, *Inveniſti gratiam in oculis meis.* Exod. 33: 17. hoc eſt, *εὐδόκησα* tibi me benignum exhibere. Gratioſus.

§. 44. אֶרֶךְ אַפַּיִם *μακρόθυμος longanimis,* differt Deus iram; non pro merito & jure perſequitur peccatum; diu tolerat impios, & vocat ad pœnitentiam antequam puniat. *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis,* Pſalm. 103: vſ. 10. *in diebus Noë ſemel exſpectavit Dei longanimitas,* 1 Petr. 3: 20. Hæc Dei longanimitas viam quaſi parat gratiæ & miſericordiæ, & illius quaſi præcurſor eſt: poteſt etiam *τοῖς νοοῦσι attendentibus* ſuſpicionem facere gratiæ exercendæ, ſine qua omnis longanimitas fruſtra eſt, nempe eatenus ut ad ſalutem non poſſit perducere: ſola non ſufficit ad converſionem peccatoris, qui ea plerumque abutitur, putans, quia Deus longanimis *ſilet,* & non ſtatim increpat & punit, *illum ſimilem eſſe peccatori,* Pſalm. 50: 21. ſufficit tamen ut peccator conſtituatur *ἀναπολόγητος inexcuſabilis,* Rom. 2: 1. *contemnit* enim *divitias bonitatis Dei & tolerantiæ & longanimitatis.* Rom. 2: 4. Longanimis.

§. 45. רַב חֶסֶד וֶאֱמֶת *πολύχαρις, πολυέλεος,* & ut interpretamentum hujus nominis ſumamus ex Euangelio Joh. 1: 14. *πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, plenus gratiæ & veritatis.* confer. Num. 14: 18. 19. Deut. 7: 9. Pſalm. 103: 8. חֶסֶד *χάρις gratia* ſignificat voluntatem Dei efficacem afficiendi bono vero: illa æterno amore, & mirabili potentia, atque ineffabili impenſa electos perducit ad ſalutem. *Veritas* gratiæ juncta, notat gratiam Dei & dilectionem non eſſe inanem aut fallacem, ſed *gratiam veritatis,* hoc eſt, gratiam veriſſimam & ſolidiſſimam; imo indicat, Deum eſſe *Veracem,* non mentiri; ideo & promiſſa implere; & umbras & figuras commutare cum corpore & imagine rerum. Omne *Verbum* Dei *veritas* eſt, *ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι.* Joh. 17: 17. Igitur & *Euangelium Dei,* Rom. 1: 1. *audientes ſermonem veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ.* Epheſ. 1: 13. confer Gal. 2: 5. 3: 1: Col. 1: 5. 1 Petr. 1: 22. Etiam *τὸ κρίμα τοῦ θεοῦ judicium Dei eſt ſecundum veritatem,* Rom. 2: 2. Ut Deus multus gratia eſt & veritate, ita *gratia* & *veritas* per Jeſum, filium Dei *ἐγένετο exſtitit,* Joh. 1: 14. 17. qui de ſe dicit *Ego ſum Veritas,* Joh. 14: 6, qui *ad hoc natus eſt, & venit in mundum ut teſtimonium diceret veritati.* Quinimo, *Spiritus* Dei Patris & Filii, Spiritus *gratiæ* eſt, Zach. 12: 10. & *veritatis, ducens in omnem veritatem,* Joh. 16: 13. Eccleſia Dei eſt *ἑδραίωμα ἀληθείας* 1 Tim. 3: 15. à veritate fulcitur & firmatur. Veritas illius liberatrix eſt: *& veritas liberos vos faciet,* Joh. 8: 32. *In veritate* illa *ſanctificata eſt,* Joh. 17: 17. *In veritate* eſt omnis cultus illius: *qui adorant Deum, in Spiritu & veritate debent adorare* Joh. 4: 24. De חֶסֶד *gratia* Dei notabilis eſt locus Pſal. 63: 4. *melior eſt gratia tua quam vita:* h. e. majus bonum exſpecto à gratia tua, quam vita. confer Prov. 16: 6. *Per gratiam & veritatem,* (cujus adductor & autor Chriſtus) *expiatur pravitas.* Multus gratia & veritate.

Tenens gratiam.

§. 46. נֹצֵר חֶסֶד לָאֲלָפִים *tenens gratiam millibus.* confer Exod. 20: 6. *faciens gratiam.* Gratia Dei manet, ut verbum Dei; in æternum. Eſ. 40: 8. *Montes recedent, ſed gratia mea à te non recedet,* Eſ. 54: 10. *& pangam vobis fœdus æternum, gratias Davidis permanentes,* Eſ. 55: 3. hoc eſt, gratias Davidi promiſſas, quæ permanent & ſtabiles ſunt. Et ut χάρις *gratia Dei manet*, ita & χαρίσματα *gratiæ dona*, Rom. 11: 29. ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ. Igitur quia Dei gratia permanens eſt & firma, clarum eſt, Deum illam *millibus ſervare*; & non relaxare. Ita agnoſcitur, quod ἡ χάρις τοῦ θεοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε *in multos redundavit*, Rom. 5: 15. & quod *illa illuxit* πᾶσιν ἀνθρώποις *omnibus hominibus*. Tit. 2: 11. Si gratiam ſervat millibus Deus, ergo & fidelium *ſemini*, juxta promiſſionem, *Ego ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Gratia igitur Dei cum non ſit parca, utpote ſervata millibus, *accedamus cum fiducia trono gratiæ, ut inveniamus* χάριν *gratiam* εἰς εὔκαιρον βοήθειαν *in tempeſtivum auxilium.* Hebr. 4: verſ. 16.

Condonans peccatum.

§. 47. נֹשֵׂא עָוֹן וָפֶשַׁע וְחַטָּאָה *condonans pravitatem & defectionem & peccatum.* Omnis mala actio, ſive mente fiat, ſive ore, ſive opere eſt *pravitas*, perverſa in ſe, contraria naturali rectitudini, in qua primus Adam ἐκτίσθη, & ad quam in Chriſto renovamur; imo *defectio* & excuſſio jugi Dei vivi & ruptio funium illius; denique *peccatum*, aberratio à via & meta ſalutis; unde & ἁμαρτία dicitur. Ex hiſce aliiſque nominibus, quibus actio mala deſcribitur, turpitudo & dedecus mali agnoſcatur. Dei gloria eſt, quod *condonat* pravitatem, Nehem. 9: 17. *Et tu es Deus condonationum*, Pſalm. 130: 4. *Tecum eſt condonatio.* Pſalm. 103: 3. Pſalm. 32: 1. 2. *Condonat* autem, hoc eſt, pœnam peccati remittit, & peccatores ac improbos à reatu liberat, imò juſtificat, hoc eſt, juſtos pronunciat, & vitam ac ſalutem æternam donat, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα. 2 Cor. 5: 19. Ut autem ſub fœdere typico *ſine ſanguinis fuſione non fiebat* ἄφεσις *remiſſio* Hebr. 9: 22. ita nec Deus nobis condonat peccata ſine ſanguine. Igitur non noſtro quidem ſanguine, qui totus pollutus eſt & polluit; nec ſanguine taurorum & hircorum, qui non poteſt ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας *auferre peccata* Hebr. 10: 4. fit remiſſio, ſed *ſanguine aſperſionis loquente meliora* παρὰ τὸν Ἄβελ Hebr. 12: 24. vide Epheſ. 1: 7. *In quo habemus redemtionem per ſanguinem illius, remiſſionem transgreſſionum.* Col. 1: 14. Matth. cap. 26: verſ. 28. Unde & *ſanguis illius* dicitur *purgare nos ab omni peccato.* 1 Joh. 1: 7. Quoties igitur *condonatio peccati* promittitur in Sacris, ſemper in mentem veniat τὸ τίμιον αἷμα *pretioſiſſimus ſanguis agni integri & immaculati, quo redemti ſumus.* 1 Petr. 1: 19. Propter illum & non ſine illo peccata condonantur. Hæc peccatorum *condonatio* excludit & tollit omnem peccatorum commemorationem per oblationes & ſacrificia, Hebr. 10: 16. 17. & includit ac comprehendit in ſe, non tantum remiſſionem pœnæ & culpæ, nec tantum donationem ſanctitatis, ſed imprimis plenam cum Deo reconciliationem, legis per actualem lytri veri ſolutionem impletionem, non-imputationem lapſuum, caſſationem chirographi, & donationem ac exhibitionem omnis juſtitiæ & δικαιώματος. Unde liquet, remiſſionem peccatorum fuiſſe omni tempore, & non fuiſſe: quemadmodum & de *Spiritu Sancto* Scriptura loquitur, Joh. 7: 39. *nondum erat Spiritus Sanctus.* Act. 19: 2. *nondum audivimus* εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐστιν; cum tamen Spiritus fuerit ab initio, & fidelibus datus; unde & David Pſ. 143: 10. *Spiritus tuus bonus ducat me.* confer Pſ. 51: 13. Ita & fuit ἄφεσις omni tempore, quia fideles omnium temporum à pœna peccati fuerunt liberi, vocati, ſanctificati, in gloriam poſt hanc vitam introducti. Adduxit illam demum Chriſtus in plenitudine temporis per ſanguinem ſuum effuſum:

quia

quia illo fuſo omne jus filiorum Dei adductum, omne *δικαίωμα τοῦ νόμου* in illis impletum, omnis juſtitia completa & cauſa ſalutis conſummata eſt.

§. 48. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *& non habet impunitum*, non exercet impunitatem ſeu diſſimulationem peccati, non communicat cum peccato, ſed pœnam illius exigit, nec ſinit illud impune abire. Hæc eſt Dei ὀργὴ & ἐπιτίμια & δικαίωμα, ut peccatum judicet, etiamſi ſit longanimis & miſericors. Unde diſcimus, quemnam ſervet Deus modum in condonatione peccati. Condonat quidem peccata, ſed non ſine demonſtratione iræ, non ſine ſacrificio, ad ſanctificationem ſui, & demonſtrationem, quod *ſit juſtus, juſtificans impium* Rom. 3: 25. 26. non ſine exactione peccati. Ergo condonat quidem peccata miſeris & reis, quia in illorum perſona id non punit, ſed dat illis gaudere libertate & juſtitia; non tamen dimittit illa impunita, quia illa punit in Sponſore miſerorum, Filio unigenito, *in quem fecit incurrere pravitatem omnium noſtrum*, qui *ſe ſubmiſit, non aperiens os, & in mortem effudit animam.* Eſ. 53:6. 7. Indicatur præterea hac phraſi Dei judicium & ἀποτομία *ſeveritas*, quam vult exercere in eos, quos præterit & poſuit ad iram, qui veritatem Dei detinent in mendacio. Phraſis נקה לא ינקה comparetur cum 1 Reg. 2: 9. *Et nunc* אַל תְּנַקֵּהוּ *ne ſinas eum liberum abire.* Joh. 9: 28. *Novi, quod non* תְנַקֵּנִי *immunem me ſis habiturus*, ſeu *liberum me dimiſſurus.* Jerem. 30: 11. *Tecum non faciam conſummationem, tamen caſtigabo te cum judicio*, וְנַקֵּה לֹא אֲנַקֶּךָּ *& non patiar te liberum & immunem eſſe*; ſanctificabor in te. confer Num. 14: 17. 18. 19. Nahum. 1: 3.

Non habet impunitum.

§. 49. *Viſitans pravitatem patrum in filios, in filios filiorum, in nepotes & pronepotes*; confer Exod. 20: 4. ubi etiam eſt קַנָּא *Zelotes.* Gratiam facit Deus in millenos; ſed non ita viſitat peccatum, ſed nunc in filiis, nunc in neptibus, nunc in pronepotibus demonſtrat juſtitiam & iram ſuam. Id ipſi ſatis eſt. Caveant igitur ſibi Patres à peccatis, ne Deus illa ulciſcatur & viſitet in illorum liberis. Ita Deus peccatum Chami, qui Parentem irriſit Noachum, in poſteris, Cananitis viſitavit. Peccatum Pharaonis renuentis mittere Iſraëlem in Primogenitis Ægypti.

Viſitans pravitatem.

§. 50. Ex hoc nomine Dei apparet, qualis Deus velit à ſanctis ſuis haberi, quomodo nominari, invocari, honorari. Nimirum, hæc eſt *gloria illius, quam alteri non dabit*, ut exerceat *gratiam & miſericordiam, longanimitatem & veritatem*, ut *condonet peccatum*; tamen etiam demonſtret juſtitiam *in peccati punitione*, ejuſque ſæpe *in filiis & poſteris viſitatione.* Ita miſericordia juſtitiam non tollit, nec juſtitia miſericordiam excludit: quinimo demonſtrando juſtitiam exercet ſimul miſericordiam, & exercendo miſericordiam juſtitiæ ſuæ non obliviſcitur. Igitur æqualiter in timore profundo honoremus Deum noſtri miſerentem, & tamen peccata noſtra punientem: Deum peccata condonantem & tamen peccatum non impune dimittentem: Deum in juſtitia ſanctificatum, in miſericordia exaltatum, in veritate glorificatum, in gratiæ conſtantia & immutabilitate manifeſtatum.

Nomen Dei indicat, quid de Deo Sancti ſentire debeant.

§. 51. Quis nunc porro dubitabit, an Iſraëlitæ fuerint fœderis gratiæ conſortes, quibus Nomen Jehovæ, gratiæ plenum, miſericordia probatiſſimum, omniaque charitatis officia liberaliſſime promittens innotuit & prædicatum eſt?

Iſraël hæres fœderis gratiæ.

§. 52. Hæc notificatio nominis divini facta eſt in monte Sina, de quo cum Moſes ſecunda vice cum ſecundis tabulis deſcenderet, deprehenſum eſt ab Aharone omnibuſque filiis Iſraël, quod *cutis faciei illius coruſcaret*, ipſo Moſe id adhuc ignorante, Exod. 34: 29. 30. 31. LXX. *δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ.* Inde exſtitit timor in illis ad accedendum ad Moſen, & neceſſitas, ut Moſes poneret *ſuper vultum ſuum* מַסְוֶה *κάλυμμα Velum*, quod removebat, quoties accedebat ad Dominum, Exod. 34: 35. 2 Cor. 3: 16.

Cutis faciei Moſis coruſcat; & quid notarit?

§. 53. Cor-

§. 53. Coruſcavit itaque cutis faciei Moſis. Chriſti *faciem luxiſſe inſtar ſolis*, cum transfiguraretur in monte, conſtat è Matth. 17:2. Etiam ſancti aliquando *lucebunt*, *ut ſtellæ*, *& luce implebuntur*, *qualis eſt candentia firmamenti*, Dan. 12:3. Ad eundem modum, quamvis minore menſura, vultus Moſis coruſcare cœpit; & ut flamma inter nubes coruſcat, ita illius facies inter Iſraëlitas coruſcavit. Vultus autem ille coruſcus, in quem filii Iſraël non potuerunt ἀτενίσαι, propter ingentem illius *δόξαν gloriam*, hoc eſt, ſplendorem, præterquam quod notavit, quanta lux & illuminatio, quænam claritas & gloria ſit exſpectanda ambulantibus cum Deo, in ſpecie id effecit, ut *miniſterium mortis in literis*, *inſculptum in lapidibus*, eſſet in eo majore gloria & autoritate, notante id Apoſtolo. 2 Cor. cap. 3: verſ. 7. Si enim *Miniſter condemnationis*, Moſes fuit in tanta gloria, ut nemo intueri illum poſſet, ſane ipſum illud quod Moſes *miniſtravit*, aut cujus miniſter fuit, non potuit eſſe in minori gloria.

§. 54. Vocat autem Apoſtolus *gloriam faciei Moſis τὴν καταργουμένην*, hoc eſt, *eam quæ aboletur* 2 Cor. 3:7. confer verſ. 11. non tantum, quia dubium eſt, an Moſis facies per omnes reliquos dies vitæ ſuæ ita coruſcarit; & indubitatum eſt, illam poſt mortem corporis non amplius coruſcaſſe; neque enim in pulvere & φθορᾷ *corruptione* coruſcare potuit; ſed etiam, quia omne id *miniſterium mortis & condemnationis*, alias *legis*, quod à gloria faciei Moſis gloriam accepit, καταργεῖται *aboletur*, τέλος *finem* habet & eſt tantum *uſque ad tempus emendationis*, Hebr. 9: 10. Ita & gloria vultus Moſaici & gloria miniſterii Moſaici ſuam habet *κατάργησιν abolitionem*.

Velum Moſis. §. 55. *Velum* autem, quod Moſes debuit vultui imponere, de quo Paulus 2 Cor. 3: verſ. 13. 16. non notavit id, quod καταπέτασμα *velum ſanctuarii*, nimirum *carnem* Domini, nondum ruptam, ſed adhuc rumpendam Hebr. cap. 10: verſ. 20. ſed nondum datum eſſe Iſraëli, *retecta facie gloriam Domini introſpicere* 2 Cor. 3: 18. ſed velo & velamine indigere, nimirum velamine figurarum, umbrarum, ceremoniarum, quæ jam ab hoc tempore, ut videbimus, ponuntur ἐπὶ τὸν τράχηλον *ſuper cervicem* Iſraëlis, ut velum imponebatur ſuper vultum Moſis.

Velum hoc adhuc jacet ſuper cor Judæorum. §. 56. Porro quia Judæi uſque in tempora Apoſtoli, imo & in hæc noſtra pertinaciter ceremoniis & umbris his inhærebant, & mittere illas nolebant, quæ in Chriſto habent finem, & deſinunt, & abolentur, utpote quæ in ipſo implentur & verificantur, docet Paulus, *idem velum* Moſis, hoc eſt, id quod per velum Moſis fuit adumbratum, *jacere*, *quoties Moſes legitur ſuper cor illorum*, adeoque miſeris illis *manere in lectione Veteris Teſtamenti* 2 Cor. 3: 14. 15. illoſque hoc eſſe præjudicio oneratos & excæcatos, cultum ceremoniarum & umbrarum debere manere in æternum; unde nec Chriſtum, *legis finem* agnoſcunt, nec Moſen, fidelem Chriſti ſervum, intelligunt.

Remotio veli. §. 57. *Remotio* autem veli (removebat enim id Moſes, quoties accedebat ad Dominum) præmonſtravit, quanam aliquando *uſuri* eſſent ſancti filii Dei *libertate & fiducia*, ita ut *omnes gloriam Domini cominus intuentes juxta eandem imaginem transformentur à gloria in gloriam*. 2 Cor. 3: 12. 18.

Spiritus Sanctus Dominus. §. 58. Denique quandoquidem Exod. 34: 34. fit mentio יְהֹוָה *Domini*, ad quem Moſes remoto velo ſe convertebat, oportune dicit Apoſtolus, ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν *Dominus autem ille*, ad quem accedebat Moſes, *Spiritus eſt* 2 Cor. 3: 17. Unde docemur, etiam *Spiritum S.* eſſe *Dominum*, illique nomen *Iehova*, quod eſt omnibus creaturis incommunicabile, competere, adeoque, quemadmodum & *in Filio Angeli*, *in medio illius eſſe*, & per infallibilem conſequentiam eſſe *verum Deum* cum Patre & Filio. Notandum enim,

enim, Paulum dicere τὸ πνεῦμα cum articulo, ne putetur dixiſſe, *Dominus autem ille Spiritus eſt*, hoc eſt, eſſentia ejus ſpiritualis eſt, in quem ſenſum dicitur Joh. 4: 24. *Spiritus eſt Deus*, πνεῦμα ὁ Θεὸς; ſed id vult docere, illumque ſenſum native verba illa ſignificant, Dominus ille, eſt illa Deitatis perſona, quæ πνεῦμα *Spiritus* vocatur, & quæ erat in initio, *incubuit enim ſuper facies aquarum*, Geneſ. 1: 2. Igitur & hinc diſcimus, non Deum Patrem tantum, neque Deum Filium, ſed & Spiritum Sanctum Iſraëlem duxiſſe, cum Moſe locutum eſſe, totique cœtui optime innotuiſſe.

§. 59. Poſtquam Paulus dixiſſet, *Dominus autem ille*, τὸ πνεῦμά ἐστιν *Spiritus eſt*, addit, *ubi autem eſt ille Spiritus Domini* (etiam ex hoc loquendi modo magis adhuc apparet, per τὸ πνεῦμα hoc in loco non debere intelligi eſſentiam Dei ſpiritualem; nam tunc non fuiſſet dicendum, *ubi autem eſt Spiritus Domini*, ſed, *ubi autem eſt Dominus Spiritus*, hoc eſt, qui eſt ſpiritus) *ibi eſt Libertas*, 2 Cor. 3: 17. quibus verbis docere Paulus voluit, Libertatem plenam, non tantum à peccato, ſed & à ceremoniarum jugo eventuram, dandamque eſſe, quando *Spiritus Domini in corda* ſanctorum, ut *Spiritus adoptionis*, *non* vero *ſervitutis ad metum emitteretur*, Rom. 8: 15. Gal. 4: 6. Spiritus. Libertas.

§. 60. Sed nunc tempus erat, ut tabernaculum, cujus idea in monte exhibita, cuique ne ſtatim admoveretur manus, Vituli formatio videtur obfuiſſe, una cum vaſis ſuis exſtrueretur. Quod ut factum & abſolutum, ſtatim juſſu Dei *erectum eſt*, Exod. 40: 17-33. *Nubesque tentorium texit, & gloria Domini tabernaculum implevit*, Exod. 40: 34-38. Quæ autem ex hoc tabernaculo, ſive *tentorio conventus locutus eſt Dominus* Levit. 1: 1. nunc veniunt conſideranda. Tabernaculum conventus erigitur.

CAPUT UNDECIMUM.

De Sacrificiis, cibis, feſtis, lotionibus. Itemque de triplici Lege data per Moſen; ut & de Ducibus Politiæ, & Eccleſiæ Iſraëlis.

§. 1. ACturi de iis, quæ inde ab erecto tentorio conventus, Deus locutus eſt, ordinavit, inſtituit, & juſſit, quæ multa ſunt, & ſparſim in libris deſcripta Moſis, ut ordo ſervetur, & confuſio vitetur, certos fingemus titulos, ad quos pleraque referri poſſe videntur. Itaque ergo agemus 1. de *donis & oblationibus*. 2. De βρώμασι καὶ πόμασι, hoc eſt, de differentia *ciborum & potus*. 3. De *obſervationibus dierum*, *menſium*, *temporum*, *annorum*, *feſtorum*, *Sabbatorum*. 4. De διαφόροις βαπτισμοῖς *diverſis lotionibus*. 5. De δικαιώμασι σαρκὸς, aliis cæteriſque *carnis inſtitutis* ſeu *juſtificationibus*, Hebr. 9: verſ. 9. 10. Col. 2: 16. Gal. 4: 10. Ordo rerum tractandarum.

§. 2. Primum teneant locum δῶρα καὶ προσφοραί *dona & oblationes*. Omne donum, omniſque ſacra oblatio Hebræis קָרְבָּן dicitur, Marc. 7: 11. κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον. Species illius primariæ ſunt 1. עֹלָה *holocauſtum*. 2. זֶבַח *Sacrificium*. 3. מִנְחָה *munus*. 4. חַטָּאָה Item חַטָּאת *pro peccato*. 5. אָשָׁם *pro reatu*. Habet autem quælibet ſpecies ſuum תּוֹרָה certum modum, certam legem & conſtitutionem. Oblationes; & illarum ſpecies.

§. 3. תּוֹרַת הָעֹלָה *Lex* & ratio *holocauſti* ita habet. Sumitur *ex armento*; nonnunquam è *grege*; *Maſculus integer*: ſiſtitur *ante oſtium tentorii conventus*: *manus capiti illius imponitur*: *mactatur ad latus altaris aquilonare coram Domino*: *ſanguis ſpargitur ſuper altare* Lex holocauſti.

holocauſti undique, excoriatur: ſecatur in fruſta: inteſtina & genua lavantur aqua. Totum deinde *adoletur & comburitur in altari. Cinis educitur extra caſtra. Cutis* non comburitur, ſed cedit *Sacerdoti offerenti.* Sumitur etiam *è volucribus*, nimirum *è turturibus* aut *pullis columbinis.* Levit. 1: 1-17. 6: 2-6. 7: 8.

Lex ſacrificii. §. 4. תּוֹרַת זֶבַח *Lex ſacrificii* hæc eſt. Sumitur *ex armento*, ſive *è grege mas vel fœmina*: ſed *ſine vitio: ſiſtitur coram Domino, ante tentorium conventus: manus imponitur capiti: mactatur: ſanguis ſuper altare ſpargitur.* Id non comburitur *totum*, ut holocauſtum; ſed *adeps* tantum & *renes.* De illo accipit partem *altare*, ſanguinem, adipem & renes; partem *ſacerdos*, pectus & armum; partem *offerens*, omne reliquum. Dicitur hoc ſacrificium offerri עַל תּוֹדָה *ſuper confeſſione:* vel נֶדֶר *ob votum*; vel לִנְדָבָה *per ſpontaneam oblationem*, quæ fit ultro ac ſponte. Si eſt עַל תּוֹדָה eodem die, quo offertur, caro illius comedenda eſt, & nil de illa relinquendum uſque in matutinum. Si erat נֶדֶר aut נְדָבָה eodem die comedebatur & poſtridie, quod reliquum manebat in diem tertium, igne debebat comburi. Super *ſacrificium confeſſionis* offerebantur *placentæ azymæ*, & *panis fermentatus.* Hoc oblationis genus non ſimpliciter vocatur זֶבַח *ſacrificium*, ſed זֶבַח שְׁלָמִים *θυσία σωτηρίου ſacrificium pacificationis.* Levit. 3: 1-16. 7: 11-20. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 22: 19. 20. 27.

Lex muneris. §. 5. תּוֹרַת הַמִּנְחָה *Lex muneris* ita comparata eſt. *Farina*, cum *oleo* & *thure* adducitur: capiunt inde *Filii Aharon plenitudinem pugilli*, hoc eſt, quantum pugillo capi poteſt; id *adoletur in altari*, & dicitur אַזְכָּרָתָהּ quæ vox aut ſignificat *ſuavitatem odoris*, perſeverantis & gratam ſui recordationem relinquentis. confer Hoſ. 14: 8. זִכְרוֹ *Memoriale ejus, ut vini Libani*, hoc eſt, odor ejus; ut notetur tale donum ſuaviter Deo olere; aut indicat, id quod de *munere* offertur ad cultum Dei ſpectare, ad *commemorationem* nimirum laudis divinæ, & officii Deo debiti. Reliquum muneris comedi debebat ab Aharone & filiis illius *in loco ſancto*, hoc eſt, *in atrio tentorii conventus. Omne fermentum, & omne mel* abeſſe debebat à munere: *ſale* denique id ſaliri. Levit. 2: 1 - 16. 6: 7-12. 7: 9. 10. Talem oblationem è farre, oleo, thure, Aharon & Filii, *in die unctionis* debebant offerre; ita tamen ut totum munus adoleretur, & nil de illo comederetur. Omne munus ſacerdotis כָּלִיל תִּהְיֶה *integrum erit: non comedetur.* Levit. cap. 6: verſ. 19-23. Eſt & ubi *Munus è farina* offertur לְחַטָּאת *in ſacrificium pro peccato*; ſed ſine *oleo & thure*, Levit. 5: 11. etiam *primogenita gregis* oblata ab Abele dicuntur מִנְחָתוֹ *munus illius.* Geneſ. 4: 4.

Lex pro peccato. §. 6. תּוֹרַת הַחַטָּאת ὁ νόμος τῆς ἁμαρτίας *Lex ſacrificii pro peccato* ita deſcribitur. Sumitur vel *juvencus*; vel *hircus*, ſive mas, ſive fœmina; vel etiam *ovis: adducitur ante tentorium: manus capiti imponitur: mactatur: Sanguinem* ſacrificiorum horum quod attinet, quorundam *infertur in ſancta*, hoc eſt, *in tentorium conventus:* inde *ſepties aſpergitur velum ſanctuaris:* inde etiam *datur ſuper cornua altaris ſuffitus: reliquus autem omnis effunditur ad fundamentum altaris holocauſti*, quorundam autem *non introducitur* אֶל הַקֹּדֶשׁ פְּנִימָה *in ſanctuarium intrinſecus*; ſed *datur* tantum *ſuper cornua altaris holocauſti, & effunditur ad fundamentum illius.* Inde emergit differentia. *Quorum ſanguis infertur in ſancta per ſacerdotem ſummum*, eorum *caro* non comeditur, ſed *extra caſtra corpora illorum* educta *in loco puro comburuntur: adeps* autem in altari holocauſti comburitur. Quorum autem ſanguis non introfertur in ſancta, illorum quidem *adeps omnis* adoletur; *caro* autem *in ſancto*, hoc eſt, *in atrio tentorii comeditur.* Is qui comedit eſt *Sacerdos* הַמְחַטֵּא אוֹתָהּ *qui expiavit per illud.* Cauſa ſive ratio, ob quam Deus dedit ſacrificium pro

pec-

peccato comedendum ſacerdotibus, hæc eſt; *ut ferant iniquitatem cœtus ad expiandum ſuper illos, coram Domino.* Igitur ſacerdotes comedentes ſacrificia pro peccato, cenſentur ferre & bajulanda in ſe ſuſcipere peccata populi. Levit. 4: 1-35. 6: 16. 17. 10: 16. 17. 18. 19. In die Kippurim *ſanguis* juvenci pro peccato εἰσφέρεται *introfertur* non tantum εἰς τὴν πρώτην σκηνὴν *in prius tabernaculum*, ad aſpergendum *ſepties facies veli ſanctuarii*; ſed etiam εἰς τὴν δευτέραν *in ſecundum tabernaculum*, hoc eſt, in Sanctum Sanctorum, מִבֵּית לַפָּרֹכֶת *in interius veli*, & ſepties ſpargitur עַל פְּנֵי הַכַּפֹּרֶת & לִפְנֵי הַכַּפֹּרֶת *ante propitiatorium & coram propitiatorio.* Lev. 16: 14. 15. confer Hebr. 9: 6. 7. 13: 11.

Lex pro reatu.

§. 7. תּוֹרַת הָאָשָׁם *Lex pro reatu* ſive ſacrificii pro reatu eſt ut Lex ſacrificii pro peccato, כַּחַטָּאת כָּאָשָׁם *ut pro peccato, ita & pro reatu* victima eſt. תּוֹרָה אַחַת לָהֶם *Lex una* & eadem *illis* eſt. *Sacerdos, qui expiabit per illud, illius erit. In loco ſancto comeditur.* Ergo ſacrificium, quod vocatur אָשָׁם convenit cum illo genere ſacrificii pro peccato, cujus ſanguis non infertur in ſancta, & cujus caro non comburitur igne, ſed comeditur in loco ſancto. Levit. 7: verſ. 1-8. Solet plerumque אַיִל *aries integer* offerri, cum offertur אָשָׁם Levit. cap. 5: verſ. 15. 19. qui etiam אֵיל אָשָׁם *aries pro reatu* dicitur Levit. cap. 19. verſ. 21. Solet etiam *agna*, & *hircus fœmina* oblata *in ſacrificium pro peccato* dici אָשָׁם *ſacrificium pro reatu* contracto à quoquam. Levit. 5: verſ. 6. Igitur ſi accurate loqui velimus, חַטָּאת & אָשָׁם utrumque tale ſacrificii genus eſt, quod datur ad ſatisfaciendum pro peccato, & ad expiandum illud; niſi quod חַטָּאת videtur offerri pro peccatis commiſſis בִּשְׁגָגָה *per errorem, ignorantiam*, inadvertentiam: quod alibi dicitur בְּהֶעְלֵם דָּבָר *in ignorantia* ſeu *ignoratione verbi*, Levit. cap. 4: verſ. 2. 13. 22. אָשָׁם autem pro illis etiam peccatis adducitur, quæ ſtudio & perverſa voluntate facta & perpetrata ſunt. Levit. 4: 31. 14. 23. 29. 33.

Convenientia & differentia Sacrificiorum.

§. 8. Sacrificia hæc, quæ Deo ita jubente offerri fierique debuerunt, in multis conveniunt: in multis etiam differunt. *Conveniunt.* Illa, quæ è pecudibus ſumebantur, *integra* debebant eſſe & ſine vitio animantia, Levit. 22: 20. *Omne, in quo eſt vitium non offeretis.* Deut. 17: 1. *Non ſacrificabis Domino bovem aut ovem, cui ineſt vitium, aut ulla res mala, nam abominatio Domini Dei tui illud eſt.* Omnia & univerſa ſiſtuntur ante oſtium tentorii: manus imponitur omnibus: mactantur: ſanguis altari inſpergitur: adeps Domino cedit. *Differunt.* Holocauſtum totum comburitur in altari: Pacifica partim comburuntur, partim comeduntur, & à ſacerdotibus & ab offerentibus. Sacrificia pro peccato aut comburuntur tota; at non in altari tota, ſed partim in altari, partim extra caſtra; aut comeduntur ex parte; at non ab offerentibus, ſed à Sacerdotibus ſolis per illa expiantibus.

Locus, ubi ſacrificia offerri debebant.

§. 9. Diligenter autem cavit Deus, ne ſacrificia alio in loco offerrentur quam *ante oſtium tentorii conventus*, quod dicitur לִפְנֵי יְהוָה Levit. 1: 3. Hinc edictum Levit. 17: 3. 4. *Vir qui mactabit bovem aut ovem aut capram & ad oſtium tentorii non adduxerit, ad offerendum ablationem Domino coram tabernaculo Domini, ſanguis imputabitur Viro illi; ſanguinem fudit: exſcindetur vir ille è medio populi ſui.* confer ṽ. 8. 9. & Deut. 12: 13. *Cave tibi, ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videbis*, h. e. in quibus libet locis, qui oculis tuis grati videbuntur. Hoc edicto impedire Deus voluit, ne Iſraëlitæ *ſacrificarent ſuper facie agri, & ne amplius ſacrificarent* לַשְּׂעִירִם *hircis, poſt quos illi ſcortabantur.* Levit. 17: 5. 7. Unde intelligitur corruptus & perverſus ſacrificiorum uſus, quæ Deo debebant offerri, offerebantur *hircis*, hoc eſt, dæmoniis. Vocantur autem dæmones *hirci*; quia, ut olim Satanas in forma ſerpentis ſe manifeſtavit in Paradiſo, ita ſub ſpecie *hirci* ſæpe deinde

Hircis olim oblata ſacrificia.

hominibus apparuit: inde ſine dubio eſt; quod cæca gentilitas coluit Panas, & Faunos, & Satyros lucipedes; imo quod Ægyptii hircos & vitulos in ſingulari habuerunt veneratione. Quod attinet vocem שְׂעִירִים de illa confer 2 Chron. 11:15. *Et conſtituit Sacerdotes ſibi*, Rex Jeroboam, לַבָּמוֹת וְלַשְּׂעִירִים *fanorum & hircorum*, hoc eſt, dæmoniorum, *& vitulorum, quos fecerat.* Et quod eſt Eſ. 34:14. וְשָׂעִיר *& hircus ſocium ſuum inclamabit*, LXX. verterunt *δαιμόνια.*

Sacrificia per manus Aharonis debebant offerri.

§. 10. Pariter cavit Deus, ne per manus alias, quam Aharonis & Filiorum illius offerrentur. Num. 3:10. *Aharonem & filios ejus conſtitues, & obſervabunt Sacerdotium*, hoc eſt, omnia officia ſacerdotalia, ad quæ pertinet *offerre victimas*, curabunt. *Et peregrinus qui accedit*, nempe ad altare, ad offerendum, *interficietur.* confer Num. 8: ℣. 19. Num. 16:40. *Memoriale filiis Iſraël, ut non accedat* אִישׁ זָר *vir alius, qui non eſt è ſemine Aharon, ad adolendum ſuffitum coram Domino, & non fit ut Korah & cœtus ejus*, conſ. ℣. 46. 4-9. & Num. 18:5. 6. *& non erit adhuc* קֶצֶף *indignatio, fervor in filios Iſrael.* Igitur curare ſanctuarium, agere quæ in altari erant agenda, adolere ſuffitum, ſolis mandatum erat ſacerdotibus; & interdictum *omni populo*, ſub pœna mortis, imo vehementiſſimæ indignationis, quam vox קֶצֶף notat; imo & *Levitis* ipſis, quos Deus ſumſit in locum primogenitorum; quoſque Aharoni dedit & Filiis, ut illorum uterentur ſervitio. De ordinatione Levitarum, de illorum conſecratione, imo & officio ac munere lege Num. cap. 1: verſ. 50. 51. 3:7. 8. 9. 12. 8:1-24. 16:8. 9. 18:2. 3. 4. Deut. 10:8. 9.

Multitudo ſacrificiorum.

§. 11. Sacrificia Deus & ſæpe & ſemper, & publice à tota univerſitate & communione Populi; & privatim à ſingulis fieri voluit. Hinc inſtituit *Sacrificium juge, duas oves*, ſingulis diebus, unam mane, alteram veſperi, *in omnes generationes filiorum Iſrael* offerendas *cum munere & libamine*, quod præceptum jam Moſi dedit, cum eſſet in monte, conſpicaturus typum tabernaculi, Exod. 29:38-44. Nullus dies, ſive Feſtus, ſive profeſtus, ab illius oblatione immunis fuit, Num. 28:2-7. In die ſabbati *duos agnos, cum munere & libamine, præter juge*, offerri voluit: id vocatur *holocauſtum ſabbati in ſabbato*, hoc eſt, peragendum ſingulis & continuis Sabbatis, Num. 28:9. 10. Quot denique arietes, juvencos, oves, hircos, *in noviluniis; in ſeptem diebus feſti azymorum*; in *die primitiarum*, quo offeruntur πρωτογεννήματα; imo in ipſo *die Kippurim*; denique & in *feſto tabernaculorum* mactari in ſacrificia, & publice ac ſolemniter offerri voluerit, legere eſt Num. 28. & 29. capite.

§. 12. Sacrificia, quæ privatim à ſingulis offerri debuerunt, ſæpiſſime fuerunt iterata & repetita. *Omnis fœmina*, quæ pepererat, poſt impletos dies purificationis, debebat offerre *agnum in holocauſtum*; *turturem* לְחַטָּאת *in pro peccato.* Levit. 12:6. 7. *Leproſus*, purificandus à lepra, debebat adducere *oves & agnam, & farinam, & oleum*, לְאָשָׁם *in pro reatu.* Levit. 14:10. 11. 12. *Nazireus*, impletis diebus abſtinentiæ ſuæ tenebatur offerre *Agnum in holocauſtum*; *Agnam in pro peccato*; *Arietem in pacifica.* Num. cap. 6:13. 14. Si quis peccaverat בִּשְׁגָגָה *per errorem* & inadvertentiam, ſive *ſacerdos unctus*, ſive *totus cœtus Iſrael*, ſive *princeps populi*, ſive *unus è populo terræ*, tenebantur omnes hi pro peccato, quod peccarant, offerre aut *juvencum*, aut *hircum caprarum*, aut *capellam*, aut *agnam*, לְחַטָּאת *in ſacrificium pro peccato.* Lev. 4:1. 2. 13. 22. 23. 28. Si quis autem ſcienter peccarat & data opera, *negando depoſitum, non reſtituendo inventum, fraudando proximum, jurando in falſum, non indicando auditam vocem adjurationis*, &c. debebat offerre אֲשָׁמוֹ *arietem integrum è grege.* Levit. 6:1-6. Si quis concubuiſſet cum ancilla deſponſata, nondum tamen manu-miſſa, expiandus erat בְּאֵיל אָשָׁם *ariete pro reatu.* Levit. 19:20. Imo

ad

ad tale ſacrificium obligatus erat quilibet, qui attigerat *rem immundam*; *cadaver animalis immundi*; aut *beſtiæ immundæ*; aut *reptilis immundi*; imo etiam qui attigerat immunditiem ullam *hominis*; aut qui *juraverat* לְבַטֵּא בִשְׂפָתַיִם *inconſiderate labiis pronunciando* &c. Lev. 5: 1-4. Sacrificium, quod עֹלָה *holocauſtum* vocatur, ſæpè adducebatur ad expiandum peccatum commiſſum, Lev. 5: 6. ut & in die Kippurim offerebatur, Levit. 16. ſæpius tamen offerebatur לִרְצֹנוֹ *juxta beneplacitum* offerentis, *ſponte* ſcilicet illius, nulla quaſi exſtante obligatione, nulloque ſpeciali commiſſo peccato Levit. 1: 3. Ita & dicitur *de ſacrificio pacificorum*, Levit. 19: 5. *Cum ſacrificabitis ſacrificium pacificorum*, לִרְצֹנְכֶם *ſponte veſtra* ſeu juxta beneplacitum veſtrum *ſacrificabitis illud*: confer Levit. 22: 19. 29. quod tamen etiam offerebatur nonnunquam לְפַלֵּא נֶדֶר *propter expreſſum*, vel *diſtinctum votum*, Levit. 22: 21. Num. 16: 3. vel ad faciendum תּוֹדָה *confeßionem*, tum gratiæ divinæ, tum peccati commiſſi.

§. 13. Sacrificia hæc peculiari dignatus eſt Deus magnis encomiis; illa nominando לֶחֶם אִשֵּׁה יְהוָה *panem, cibum, ignitum Domini*, Levit. 3: 11. 16. imo dicendo, illa ipſi eſſe לְרֵיחַ נִיחֹחַ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *in odorem acquieſcentiæ*, Lev. 1: 9. 13. 17. 2: 2. 3: 5. 4: 31. imo attribuendo illis vim & efficaciam faciendi hominem Deo gratum, expiandi peccata, impetrandi condonationem peccatorum, Lev. 1: 4. וְנִרְצָה לוֹ לְכַפֵּר עָלָיו *& acceptabitur illi, ad expiandum ſuper illum*. Lev. 4: 20. *Et expiabit ſuper illos Sacerdos*, וְנִסְלַח לָהֶם *& condonabitur illis*; confer, ℣. 26. 31. 35. Lev. 5: 10. 13. 16. Lev. 19. 22. Lev. 9: 7. dicit Moſes ad Aharonem, *Offer holocauſtum tuum & pro peccato tuo*, וְכַפֵּר *& expia pro te & pro populo*. Lev. 16: 33. dicitur de ſacrificio offerendo in die Kippurim: *Et expiabit* Sacerdos magnus *Sanctuarium Sancti, & tentorium conventus, imo & altare expiabit, quinimo Sacerdotes & totum populum Eccleſiæ*, hoc eſt, totam Eccleſiam *expiabit*.

Encomia ſacrificiorum.

§. 14. Sacrificia in altari oblata ignis divinus, à Deo immiſſus, comedit. Levit. 9: 24. *Et exivit ignis inde a facie Jehovæ, & comedit ſuper altari holocauſtum & adipes; & vidit totus populus, & jubilarunt, & proſtraverunt ſe in faciem*. Igitur totus populus ſpectator fuit ignis divinitus in altare immiſſi. Hic ignis in altari jugiter conſervatus eſt, ne unquam exſtingueretur, ita jubente Deo Lev. 6: 9. *Ignis altaris aletur in eo*. ℣. 12. *ignis jugis aletur, non exſtinguetur*: ſacrificia à fidelibus etiam ante diluvium oblata ignis cæleſtis conſumpſit: id *Libro primo, capite quarto*, ubi de ſacrificio Abelis egimus, oſtenſum. An verò ignis ille, ſemel è cælo emiſſus, jugi lignorum impoſitione & combuſtione, ut hic Iſraël jubetur facere, ſit nutritus & conſervatus inde ab Adamo & Abele uſque ad diluvium, & durante diluvio à Noacho intra Arcam; & an *Ignis* ille, quem Abraham Iſaacum immolaturus, *ſumpſiſſe* dicitur Gen. 22: 6. de aſſervato illo igne ſacro fuerit; item an Iſraëlitæ, Abrahami nepotes eundem ab Abrahamo patre acceptum, toto exilio Ægyptiaco cuſtodiverint, & illo uſi ſint in altari, quod Moſes exſtruxiſſe legitur Exod. 17: 15. imo in holocauſtis & pacificis illis, ad quæ offerenda mittebantur juvenes filiorum Iſraël Exod. 24: 5. id maxima certitudine affirmari non poteſt. Ad rem præſentem ſcire ſufficit, ignem, quem Deus in ſacrificia Iſraëlitarum in deſerto immiſit, aſſervatum, nutritum & jugi lignorum exuſtione, & holocauſtorum oblatione cuſtoditum eſſe. Cum deinde longo interjacente intervallo templum Solomonis exſtructum eſt, fecit Deus *ignem* deſcendere מֵהַשָּׁמַיִם *è cælo, qui comedit holocauſta*, quæ tunc Solomon offerebat, 2 Chron. 7: 1. Et non eſt dubium, quin ignis ille diligenter in uſum & oblationum conſumptionem nutritus ſit, ut hic in deſerto è juſſu Dei cuſtoditus fuit. Legimus præterea 1 Chron. 21: 26. Davidem exſtructo altari in area Ornan Jebuſitæ obtuliſſe holocauſta & pacifica, & ibi invocaſſe Dominum, & quod *Deus ipſi reſponderit*:

Ignis cæleſtis conſumpſit ſacrificia.

derit בָּאֵשׁ *in igne è cælo ſuper altare*, cui holocauſtum impoſuerat. Pariter Elia offerente in monte Carmel *cecidit ignis Domini*, *& comedit holocauſtum* Eliæ: ita *reſpondit* Deus בָּאֵשׁ *in igne* Eliæ magno niſu clamanti, עֲנֵנִי יְהוָה עֲנֵנִי, *reſponde mihi*, *Domine*, *reſponde.* 1 Reg. 18: verſ. 24. 37. Unde apparet, Deum in caſibus extraordinariis ignem cœlitus in ſacrificia ſanctorum, quamvis haut oblata in altari ordinario, immiſiſſe. Addamus, ſuffimenta, quæ ſuffiri coram Deo olim debebant, nullo alio igne, quam illo, qui in altari alebatur jugiter, incenſa fuiſſe: hinc graviter luunt Nadab & Abihu ob impoſitum trullis אֵשׁ זָרָה *ignem alienum*, hoc eſt, qui ab altari non erat ſumptus. Levit. 10: 1. 2. Videtur ex hac *ignis* è cælo immiſſione, cujus hiſtoria indubie per traditionem ad gentes delata eſt, adoratio ignis inter gentiles orta eſſe. Reges Perſarum ignem ut numen, aræ argenteæ impoſitum, quæ ab equo candido ante ipſos Reges in publicis proceſſionibus portabatur, adorarunt; imò ignem ſacrum in caſtris præferri juſſerunt; fuerunt etiam Virgines Veſtales, ſacri ignis cuſtodes. Quinimò ſacrificia gentium non Deo, ſed *hircis*, hoc eſt, Diabolo oblata, ſæpè conſumpſit ignis ſuperne delapſus: tantum permittit Deus Satanæ *mundi hujus Deo*, 2 Cor. 4: 4. imò tantum ſtudet æmulari & imitari Deum ſpiritus *inimicus & vindex*. Solinus ita de *ſacris collis Vulcanii* prodidit: *Ibi*, *qui divinæ rei operantur*, *ſuper aras ligna ſtruunt*, *nec ignis apponitur in hanc congeriem*, *cùm porriceas*, hoc eſt, res ſacrificandas, cruda exta & victimas cæſas, *intulerint. Si adeſt Deus ſic ſacrum probatur. Sarmenta licet viridia ignem ſponte concipiunt*, *& nullo inflammante à litato numine fit incendium. Ibi epulantibus alludit flamma*, *quæ flexuoſis exceſſibus*, *vagabunda*, *quem contigerit*, *non adurit*; *nec aliud eſt*, *quam imago nuncia perfecti rite voti.* Ita Satanas admirandum ſe exhibuit miſeris gentilibus. Attamen in monte Carmel Prophetis illum invocantibus, *O Baal reſponde nobis*, nimirum בָּאֵשׁ *per ignem* 1 Reg. 18: 26. opem nullam ferre potuit: ita quamvis ſit *potens* cedere debuit *Omnipotenti.*

Sacrificiorum impotentia & infirmitas.

§. 15. Hiſce præmiſſis, propius ad rem accedamus. Sacrificia pecuina dicuntur *eſſe*, quod *non ſunt*; *facere* quod *non poſſunt*: dicuntur *cibus Dei*, *odor acquieſcentiæ*; non tamen ſunt cibus Dei: dicuntur *expiare*; non tamen poſſunt expiare. *Non ſunt*, inquam, *cibus Dei*: nam cibis Deus, Spiritus æternus & immenſus non utitur; *nec moraliter* cibus illius eſſe poſſunt, hoc eſt, id, quo delectatur, quod illi placet, in quo acquieſcit, quod ſufficit ad ſanctificationem illius, & ut juſtus ſit, juſtificans impium. Gentiles putabant, Deos κνίσσῃ *nidore* delectari, & δαιτὶ παρῆσθαι, καὶ αἰγλάεν ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης *aſſidere epulo*, & cum benevolentia *occurrere hecatombis taurorum & agnorum*; quamvis ſaniores inter illos agnoverint, non eſſe illa θῦμα κάλλιστον καὶ θεραπείαν μεγίστην *pulcherrimum ſacrificium & cultum maximum*; illoſque *qui ſe juſtiſſimos & optimos exhibent*, pluta bona conſecututos παρὰ τῶν θεῶν *à Diis*, ἢ τοὺς ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας *quam qui multas victimas proſternunt*; quæ Iſocratis verba ſunt ad Nicoclem. Sed audiatur Deus ipſe. *Nunquid ego ederem carnem boum*, *& ſanguinem arietum biberem*? Pſalm. 50: 13. *Ad quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum*, *inquit Dominus. Saturatus ſum holocauſtis arietum*, *& ſanguine juvencorum non oblector.* Eſ. 1: 11. Audiatur Filius Dei, *de quo in volumine ſcriptum* eſt. *Is veniens in mundum dicit*, *Sacrificio & munere non oblectaberis. Holocauſtum & Peccatum non poſtulaſti.* Pſalm. 40: 7. 8. 9. Hebr. 10: 5—8. Audiatur denique ſancta Dei Eccleſia. *Qua cum re*, inquit, *occurram Domino*? *num occurram illi cum holocauſtis*, *cum vitulis anniculis*? *numquid oblectabitur Dominus millibus arietum*? Mich. 6: 6. 7. *Neque etiam*

poſſunt

poſſunt expiare. Si enim *frater non* poteſt *redimere virum*; *nec Deo dare expiationis pretium*, ſed *deficeret in ſeculum*, *quia pretioſa* eſt nimis *animarum redemptio* Pſal. 49: 8. 9. quomodo irrationale *pecus*, notitia recti carens, aut *ſanguis* illius, qui manus & veſtes fœdat & polluit, poſſit eſſe lytrum expiationis, aut pretium redemptionis? quinimo de illo veriſſime enuntiabitur, וְחָדַל לְעֹלָם *deficit etiam atque etiam.* Aſtipulatur Paulus Hebr. 10:4. *Impoßibile eſt ſanguinem taurorum & hircorum auferre peccata.* ℣. 11. *Omnis Sacerdos eaſdem ſæpè offert victimas, quæ nunquam poſſunt* περιελεῖν ἁμαρτίας *peccata auferre*. confer Hebr. 9: 9. *quæ non poſſunt ſecundum conſcientiam conſummare.* confer Hebr. 10:1.2. Iterata illorum repetitio ſatis docet illorum τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές, Hebr. 7: 18. alias enim *deſiiſſent offerri.* Hebr. 10:2. Sique ut Apoſtolus docet Hebr. 7:11. *non fuit conſummatio per Leviticum Sacerdotium*; utique nec *conſummatio* fuit per *Leviticas victimas.*

§. 16. Igitur cum irrationalia ſacrificia non ſint, nec poſſint eſſe, nec *cibus Dei*, nec *expiatio animarum*, nec cauſa condonationis peccatorum, quærenda eſt vera ratio, ob quam illis prædicatis & encomiis inſigniantur. Hic quidem nulla alia occurrit, quam quod ſunt *umbra futurorum* Col. 2: 17. Hebr. 10: 1. & ἐνέχυρα *pignora* & ſymbola κρειττόνων θυσιῶν *meliorum ſacrificiorum*, pro quibus ſubſtituta, *uſque ad tempus emendationis* Hebr. 9: 10. 23. illorum gerunt nomen, & illorum accipiunt prædicata. Sacrificia ſymbola & pignora meliorum hoſtiarum.

§. 17. Filium Dei unigenitum, *magnum illum Deum & Servatorem*, Tit. 2: 13. *veniſſe in mundum*, 1 Tim. 1:15. *è muliere natum*, Gal. 4: 4. *carnis & ſanguinis factum eſſe participem*, Hebr. 2: 14. omnis chorus Prophetarum & Apoſtolorum docet unanimiter. Hic quandoquidem *per Spiritum æternum ſeipſum obtulerat Deo*, Hebr. 9: 14. quemadmodum *præcognitus erat ante jacta mundi fundamenta*, 1 Pet. 1:20. imo & *mactatus*, Apoc. 13: 8. debuit *in plenitudine temporis* Gal. 4: 4. *carne occidi*, 1 Pet. 3: 18. *mortem guſtare*, Hebr. 2: 9. *ſanguinem effundere* Matth. 26: 28. *tradi propter lapſus*, Rom. 4: 25. *fieri* ἁμαρτίαν *peccatum*, 2 Cor. 5:21. περὶ ἁμαρτίας Rom. 8: 3. κατάρα *maledictio*, Gal. 3: 13. *tradere ſe ipſum* προσφορὰν καὶ θυσίαν *oblationem & ſacrificium*, Eph. 5: 2. *offerre unam pro peccatis victimam*, Hebr. 10: 12. 14. *ponere* אָשָׁם *ſatisfactionis pretium*, Eſ. 53: 10. ut ita *adduceretur remißio peccatorum*, *redemtio lapſuum*, Eph. 1: 7. Col. 1: 14. καταλλαγή *reconciliatio* Rom. 5: 11. 2 Cor. 5: 18. 19. εἰρήνη *pax*, Col. 1: 20. imo *impletum* cerneretur τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου Rom. 8: 3. propter ſolutum λύτρον, ἀντίλυτρον, Matth. 20: 28. Marc. 10: 45. 1 Tim. 2: 6. ἱλασμόν, 1 Joh. 2: 2. adeoque præſtitam ſatisfactionem φερώνυμον. Cum igitur hic Dei Filius factus ſit *victima*, *ſacrificium*, *oblatio*, & *pro peccato*, imo אָשָׁם *poſuerit*, cogit nos ipſa fateri veritas, quicquid olim oblatum fuit *victimarum*, *ſacrificiorum pro peccato & reatu*, ſacrarum denique *oblationum* intendiſſe & præfiguraſſe ac præmonſtraſſe Chriſtum Jeſum, qui eſt potior illa victima, & melior hoſtia, vere Dei cibus, & *odor fragrantiæ.* Igitur ut *legis*, ita & ſacrificiorum τέλος *finis* χριστὸς *Chriſtus* Rom. 10: 4. non in illo tantum finiuntur & terminantur, ſed & ad illum ducunt, collimant, tendunt, ut ad metam ſagitta. Et optime ſacrificia dicuntur σκιὰ τῶν μελλόντων *umbra futurorum*, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ *corpus autem Chriſti* eſt Col. 2: 17. Id & exinde firmiter probatur, quod Apoſtolus docet ea, quæ in victimis pecorinis fuerunt obſervata, in Chriſto etiam eſſe adimpleta. Hebr. 13: 11. 12. 13. *Quorum ſanguis introfertur in ſancta, illorum corpora comburuntur extra caſtra. Ideo & Jeſus extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad illum extra caſtra.* Imo quod docet oblationem Chriſti ſuccedere in locum victimarum priorum, quemadmodum corpus ſuccedit *in locum* umbræ; & τὸ πρῶτον *primum auferri*, hoc eſt, oblationes pecudum 1. Sacrificii oblati per Chriſtum.

dum abrogari, ἵνα τὸ δεύτερον στήσῃ *ut ſecundum ſtatuat*, hoc eſt, ut *oblatio* ſiſtatur *corporis Jeſu.* Hinc poſtquam dixiſſet, *Sacrificium & holocauſta non voluiſti, non oblectabaris, tunc dixit, Ecce veni facere voluntatem tuam: in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu*, Hebr. 10: 7 – 10. Denique quod ſanguinem pecudum cum ſanguine Chriſti ſæpè confert, & comparationem inter illa inſtituit, tanquam inter præfigurans & præfiguratum ratione virtutis & efficaciæ, quam uterque operatur. Hebr. 9: 13. 14. *Si enim ſanguis taurorum & hircorum ſanctificat ad carnis puritatem; quanto magis ſanguis Chriſti purgabit conſcientiam noſtram*; & rurſum ℣. 23. *Neceſſum igitur figuras eorum, quæ ſunt in cælis, hiſce purgari*; ſanguine nimirum pecuino: *cæleſtia autem melioribus victimis.*

2. Spiritualium victimarum, quas Sancti Deo offerunt. §. 18. Attamen quia Chriſtus non tantum eſt Sacerdos, *manifeſtatus* διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ Hebr. 9: 26. ſed & omnes illi, *quos lavit a peccatis in ſanguine ſuo facti ſunt Reges & ſacerdotes Deo*, Apoc. 1: 5. 6. *ſacerdotium ſanctum* 1 Petr. 2: 5. *& offerunt ſpirituales victimas* 1 Petr. 2: 5. *ſiſtentes corpora ſua victimam vivam, ſanctam, bene placentem Deo* Rom. 12: 1. imo & *offerentes victimam laudis*, nec *obliviſcuntur* τῆς εὐποιΐας καὶ κοινωνίας, *qualibus ſacrificiis colitur Deus*, Hebr. 13: 15. 16. quemadmodum & Apoſtolus τὸ δόμα *donum*, quod Philippenſes *in uſum illi miſerant*, vocat *odorem fragrantiæ, victimam gratam, acceptam Deo* Phil. 4: 18. inquirendum eſt, annon & dona illa ac oblationes, quæ κατὰ τὸν νόμον *juxta legem* olim offerebantur, ſpiritualium noſtrarum victimarum umbræ, figuræ fuerint & indices. Paulus ſeipſum cum *libamine* & *victima* comparat Phil. 2: 17. *Sed ſi &* σπένδομαι *libor*, aut *pro libamento offeror ſuper hoſtia ſacrificioque fidei veſtræ.* confer 2 Tim. 4: 6. & Rom. 15: 16. loquitur de oblatione gentium: *ut fiat oblatio gentium accepta, ſanctificata per Spiritum ſanctum.*

Demonſtratio prioris, ſumpta. §. 19. Videamus autem *primo*, quomodo ſacrificia Veteris Teſtamenti fuerint *umbra* & ὑποδείγματα *figuræ* ſacrificii & victimæ, quam *ſe pro nobis tradidit* Filius Dei unigenitus. Eph. 5: 2. Quamvis autem in omnibus ſacrificiis ſit typus, in quibuſdam tamen cernitur plenior & evidentior & perfectior, quam in aliis.

1. à pecudibus, ad ſacrificia oblatis. §. 20. Sacrificia pecuina erant vel è bobus, vel ex ovibus, vel ex hircis, vel ex arietibus, vel ex avibus, turturibus & columbis. *Boves* ſeu *juvenci* ſunt emblema roboris & laboris. *Oves*, patientiæ, utilitatis & aberrationis. *Hirci*, petulantiæ & laſciviæ.

Florentem cythiſum ſequitur laſciva capella.

Arietes principatus & potentiæ ad debellandum. Dan. 8. exhibetur in figura Arietis imperium Medorum & Perſarum. *Columbæ & Turtures*, ſimplicitatis, integritatis, caſtitatis & fidelitatis. Itaque in *juvenco* adumbratus eſt labos & robur illius, qui pro nobis victima oblatus eſt; in *Ove & Agno* patientia illius, & quod inſigniter prodeſt omnibus, & vice noſtra ut ovis aberravit; in *hirco*, ſimilitudo peccati; in *ariete*, Principatus, humeris illius incumbens; in *columbis* Probitas illius ſine malo; Veritas ſine mendacio; Fidelitas ſine perfidia.

2. à ritibus in oblatione ſacrificiorum obſervatis. §. 21. Omnes pecudes, offerendæ in ſacrificium, cujus generis etiam illud eſſet, debebant 1. eſſe *integræ*, ſine labe & vitio. Is, qui peccatum factus eſt pro nobis, debuit eſſe ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, Hebr. 7: 26. 2. *adduci ad oſtium tentorii.* Noſtra Victima debuit *intrare* εἰς τὴν οἰκουμένην *in habitabilem* Hebr. 1: 6. & ſiſti coram illis, quibus cura incumbebat tentorii, hoc eſt, ſacerdotibus tradi & ſcribis. 3. *manus capiti illarum imponi.* Noſtræ Victimæ omnium manus ſunt impoſitæ: *omnium peccata in illam ſunt conjecta. Morbos noſtros tulit, & dolores noſtros bajulavit*, Eſ. 53: 4. 6. 1 Pet. 2: 24. 4. *Mactari.*

Ut

Ut *ovis ad mactationem ducitur*, Eſ. 53:7. *dignus es accipere, quia mactatus es.* Apoc. 5: verſ. 9. 12. 5. Mactari לִפְנֵי יְהוָה *coram Domino*, illo vidente & ordinante. Notatur, illum, qui pro nobis paſſus eſt, *definito conſilio & præagnitione Dei traditum eſſe*, Act. 2: 23. illique facta, *quæ manus Dei & voluntas Dei* προώρισε γενέσθαι *prædefinivit ut illi fierent.* Actor. 4: 28. 6. *Sanguis ſpargitur ſuper altare undiquaque.* Sanguinem ſacrificiorum omnem ſibi poſtulavit Deus Lev. 17: 11. *Ego dedi vobis ſanguinem ſuper altare ad expiandum animas veſtras: nam ſanguis animas expiabit.* Nimirum, ſanguis pro nobis effuſus, eſt *ſanguis pretioſus.* 1 Pet. 1: 19. *ſanguis aſperſionis.* Heb. 12:24. *purgat.* 1 Joh. 1:9. Apoc. 1: 5. Hebr. 9: 14. *redimit.* 1 Pet. 1: 18. *acquirit Deo.* Actor. 20: 28. *juſtificat*, Rom. 5: 9. *pacem facit.* Col. 1: 20. *prope facit eſſe.* Epheſ. 2: 13. *libertatem dat in introitum ſanctorum*, Hebr. 10: 19. & ita veriſſime ac pleniſſime יְכַפֵּר *expiat.* Sanguinis *aſperſio in altari*, Divinitatis, cujus altare ſymbolum, per ſanguinem notat reconciliationem.

§. 22. In hiſce conſiſtit victimarum ſimilitudo: ſequitur nunc diſſimilitudo. Holocauſtum *totum ſecatur in partes*, totum *comburitur*, *ignis* abſumit totum. Totus Chriſtus παθητὸς adumbratur. Totum ſe obtulit. *Anima* tanta tulit, quanta mens nulla aſſequi poteſt: ſenſit *horrores Dei. Cor liquefactum eſt ut cera. Corporis* nulla pars immunis fuit à παθήμασι. Imo veſtes ipſæ, ſorte diſtributæ & laceratæ, in communionem videntur intraſſe paſſionum. *Ignis*, qui Chriſtum comedit, eſt ignis *charitatis*, quæ fortis eſt, ut ignis, fortior aquis, quæ fuit in Patre, Filium dante; & in Filio ſponte ſe offerente, & cum voluptate dicente: *Ecce venio facere voluntatem tuam*, hoc eſt, humiliari, tentari, mori, *voluptas mihi eſt.* Pſalm. 40. Imo & ignis *Ira divina* in peccatum. Ignea illa ira Chriſtum uſtulavit & abſumſit. *Igni* reſpondet in Apoſtolis *Spiritus Dei* de cœlo datus, in forma ignis, Act. 2: 3. Chriſtus *baptizavit in Spiritu Sancto & igne.* Matth. 3: 11.

In ſpecie id demonſtratur. 1. In holocauſto.

§. 23. Sacrificia, *pacifica* dicta, quia Pax maximum & ingens bonum eſt, quod adducit ille, qui pro nobis ſacrificatus eſt, non offeruntur tota, ſed *adeps* tantum & *renes*, una cum ſanguine. Ut *ſanguinem*, ita & *adipem* in ſacrificiis ſibi vendicavit Deus. Levit. cap. 3: verſ. 16. *Omnis adeps Domino.* Adeps pinguiſſimum & molliſſimum eſt in animalibus. *Hoſtia pacis* noſtræ Chriſtus Dominus, optimum & præſtantiſſimum ſui, in acquiſitionem pacis noſtræ impendit, omnem & perfectiſſimam obedientiam, charitatem ſummam, mortem pretioſiſſimam, laborem animæ intenſiſſimum præſtando, guſtando, exantlando. *Caro* comedebatur. Hi comedentes videbantur comedere de altari: & *communionem* accipere *Altaris.* 1 Cor. cap. 10: verſ. 18. Notabatur communio habenda cum Altari & Victima & Sacerdote vero. Illa communio ſpiritualis in Scripturis vocabulo *manducandi*, quod corporale eſt & carnis opus, & reſpectum habet ad ceremonialem ſacrificiorum manducationem, non ſemel exprimitur, Joh. 6: 54. *qui manducat carnem meam, habet vitam æternam.* Hæc ſacrificia pacifica aut erant עַל תּוֹדָה *cum confeſſione.* Confeſſio, ὁμολογία & agnitio gratiæ divinæ & doni divini unice poſtulatur ab iis, qui *participes facti* ſunt τοῦ χριστοῦ, qui *Apoſtolus* dicitur & *Sacerdos* τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. Hebr. cap. 3: verſ. 1. *Qui ſacrificat* תּוֹדָה *confeſſionem glorificat me.* Pſ. 50: 23. *Magnificabo nomen Dei*, בְּתוֹדָה *& melius id erit præ bove cornua habente.* Pſ. 69: 31. 32. 100: 4. Hæc confeſſio nil aliud eſt, quam fides in Chriſti ſacrificium; Fiducia in Mediatorem; applicatio meriti & λύτρου, in agnitione proprii peccati, debiti, & miſeriæ. Aut propter נֶדֶר *votum.* Ubi eſt *fides* & *confeſſio* Mediatoris, ibi eſt *charitas*, per quam

2. In pacificis.

fides

fides operoſa eſt. Galat. 5:6. *Charitas*, fidei fructus, vovet Deo ſanctam obedientiam, conſtantem in omni bono perſeverantiam, boni electionem, mali fugam; & ſacrificat Domino τὸ ὁλόκληρον, *omne id*, quod in homine eſt, *Spiritum, animum, corpus*, ut homo ὁλοτελής ſanctus ſit Deo Creatori & Redemtori. 1 Theſſ. 5:23. Ita tota fidelium vita unum perpetuum *Votum* eſt, quo ſe totos obligant Deo, & totus illorum cultus conſiſtit in his duobus, *ſacrifica Deo confeſſionem, & ſolve Altiſſimo Vota tua*. Pſalm. 50:14. Tali voto debent teneri, qui pacificum Chriſti ſacrificium volunt manducare. Aut לִנְדָבָה *ob ſpontaneam oblationem*, ultro & ſponte. Imprimis requiritur ab iis, qui ſanguine ſacrificii ſunt aſperſi, ut ſint ſpontanea oblatio; & liberrimo motu ſe Deo tradant, non violenter coacti, aut crudeliter attracti, ſed amore in intimo cordium effuſo per Spiritum ſanctum moti & impulſi: qui amor maximam & inſuperabilem vim habet, ſuaviter & modo plane ineffabili cogendi corda immorigera Deo in obſequium & ſubjectionem veritatis, unde illi attribuuntur עֲבֹתוֹת *denſi funes*, Hoſ. 11:4. confer Pſalm. 110:3. *Populus tuus* נְדָבוֹת *voluntariæ* ſeu *ſpontaneæ oblationes*, Pſalm. 51:14. *Spiritus ſpontaneus ſuſtentet me. Sacrificium* תּוֹדָה *confeſſionis* totum eodem debebat comedi die, neque ab illo quid ſuperſtitare in craſtinum. Fides non aliquid Chriſti ſibi applicat; non aliquid rejicit & faſtidit; id enim eſſet Chriſtum mutilare, & in Chriſtum mutilum credere; ſed *totum* Chriſtum, omne illius meritum, omnem ſatisfactionem, omne illius bonum, prima quaſi fronte amplectitur, & firmiſſima tenet fiducia. Sacrificia votiva aut ſpontanea etiam *poſtridie* comedebantur; non tamen *in diem tertium*. Fidem *charitas* ſequitur, & ex illa fluit. Illa incipit & pergit: non ſtatim omnia facit, quæ facere debebat: in poſterum etiam diem ſupereſt, quod operetur: non tamen differenda eſt in tertium: ut enim ſera pœnitentia, ita ſera & in dies dilata charitas raro ſeria eſt. In ſacrificiis confeſſionis Deus panes quoque fermentatos adeſſe voluit. Oſtenſum, noſtram quoque infirmitatem à Deo ferri, & dignitate Chriſti obtegi.

9 In pro peccato. Ritus hujus oblationis diverſi. §. 24. Sacrificia *pro peccato* dicta, ſi offerebantur *pro peccato Sacerdotis uncti*, qui *peccare* dicitur לְאַשְׁמַת הָעָם *ad reatum populi*, hoc eſt, ut totus populus illo peccante reus fiat & obnoxius judicio, & teneatur ad edendum כַּפָּרָה *expiationem* Levit. 4:3. aut *pro peccato totius cœtus Iſrael* Levit. 4:13. non comedebantur, quemadmodum pacifica; nec
1. Quando fit pro peccato totius cœtus. comburebantur tota in altari, quemadmodum holocauſta; nec ſanguis illorum omnis ſpargebatur ſuper altare holocauſti, ut in aliis fiebat ſacrificiis, ſed 1. *de ſanguine illius adducitur in tentorium conventus*. 2. *De illo aſpergitur ſepties velum*, quod *Sanctum Sanctorum* diſtinguebat *à ſancto*. 3. De illo *datur ſuper cornua altaris ſuffitus*, quod ſtabat in tentorio conventus; & de quo exſtabat præceptum. *Non offeretis ſuper illud holocauſtum & munus; & libamen non libabitis ſuper illud*. Exod. 30:9:4. *Totum illius corpus*, ne excepta quidem cute, excepto tamen adipe & renibus, qui *adolebantur ſuper altare holocauſti, comburitur extra caſtra in loco puro*. Levit. 4:3-13. Hebr. 13:11.

§. 25. Quod ſanguis hujus victimæ ſpargitur & in altare holocauſti, & in velum, & ſuper cornua Altaris ſuffitus, atque ita pluries & pluribus in locis, non tantum notavit, Chriſtum in multis & pluribus locis ac vicibus ſanguinem fuſurum, ut in horto, ubi *ſudor ejus* exſtitit *ut grumi ſanguinis* Luc. 22:44. & cum flagellis cæſus, ac ſpinis coronatus eſt; item quando in cruce manus & pedes perforati, & latus apertum eſt: Joh. 19:34. ſed imprimis notavit, τὰ ἐπουράνια *cæleſtia ipſa*, quorum typus fuit τὸ ἅγιον *Sanctuarium*, *hoc ſanguine, melioris victimæ*, καθαρίζεσθαι *purgari* Hebr. 9:23. *viam ſanctorum manifeſtari* Heb. 9:8. *introitum ſanctorum, &* acceſſum *cum fiducia ad thronum gratiæ, in ſangui-*

ne

ne Jeſu patere & acquiſitum eſſe. Hebr. 4: 16. 10: 19. Imo illatio illa ſanguinis in ſanctuarium *per manus ſummi Pontificis* Hebr. 13; 11. notavit, ſummum noſtrum Pontificem, effuſo ſanguine, & reddito ſpiritu, ſpiritum & vitam & ſanguinem recepturum, & vivum, ut qui è mortuis reſurrexerat, πάλιν *rurſum* & ſecunda vice *intraturum in habitabilem*, & tandem aſcenſurum cum anima & corpore & omni ſuo ſanguine in cœlum ipſum. *Sanctum* enim, in quod ſanguis typicus inferebatur, ἀντίδειγμα eſt & *Eccleſiæ* & *Cœli*. In illud ſanguis infertur, ut notentur relurrectio è mortuis; converſatio poſt mortem in terris; & denique poſt paucorum dierum in terris converſationem, aſcenſus in cœlos ſummi & æterni Sacerdotis, Domini noſtri Jeſu Chriſti.

§. 26. Quod *ſanguis* ſuper *altare ſuffitus* ſpargitur, notat, *ſuffitum interceſſionis* Chriſti, qua pro nobis intercedit *ſemper*. Hebr. 7: 25. Imo & *ſenſum Spiritus Sancti, qui ſecundum Deum intercedit pro ſanctis* Rom. 8: 27. cujusque interceſſio coram facie Omnipotentis ſuffitus eſt ſuaviſſimus; denique *preces* fidelium, quæ & ipſæ ſunt odor fragrantiæ Altiſſimo, Pſalm. 141: 2. à Sanguine effuſo Chriſti habere ſuam efficaciam: qui niſi fuſus eſſet, jure nullo pro peccatoribus & natura condemnatis Chriſtus poſſet intercedere; nec Spiritus Sanctus *in illis clamare, Abba Pater*, Rom. 8: 15. *Fudit* Chriſtas *Sanguinem*, ut intercedere poſſet tanquam pro illis, quos *per illum* περιεποιήσατο Actor. 20: 28. Tıt. 2: 4. *Intercedit*, quia jure poteſt ob ſanguinem fuſum, & ſolutum lytrum; & quia ex officio debet. Eſt enim Mediator noſter & Sacerdos apud Deum.

§. 27. Quod ab hoc ſacrificio nullus debebat comedere, nec ſacerdos offerens, nec ii, pro quorum peccato offerebatur, notavit, ſacerdotem populumque Veterem, qui terreſtri cogebatur ſervire tabernaculo, & victimas offerre cottidie & annuatim, nondum habere omnimodam partem & pleniſſimam communionem bonorum & gaudiorum, partorum & adductorum, tunc adhuc pariendorum & adducendorum per ſanguinem & oblationem illius, qui devicta morte & abolito peccato ſanguinem viresque recipit & recolligit, reſurgendo è mortuis, oſtendendo ſe vivum Eccleſiæ in terra; aſcendendo denique in cælum, & in id pretioſum ſuum ſanguinem, & ſanctiſſimam carnem inferendo, ut ibi vivat in gloria ſemper.

§. 28. Quod pecus *extra caſtra* comburitur, non tantum clariſſime præmonſtravit locum paſſionis dominicæ, non in urbe Hieroſolyma, ſed *extra portam* illius Hebr. 13: 12. ſed etiam notavit relinquendam aliquando Hieroſolymam; exeundum eſſe aliquando è tabernaculo terreſtri; deſerendum cultum carnalem ſacrificiorum; & recta procedendum *extra caſtra* ad Dominum Jeſum; in quo eſt libertas *ab omnibus* ſacrificiis & inſtitutis legalibus, *quibus in lege Moſis juſtificari nemo potuit*. Act. 13: 38. 39. Igitur ſi quis ad communionem *Jeſu crucifixi* adſpirat, ne ſubſiſtat in Hieroſolyma terreſtri, nec inſiſtat & inhæreat umbratili illius cultui, oblationi ſacrificiorum, &c. nam talibus Chriſtus οὐδὲν ὠφελήσει Gal. 5: 2. ſed exeat ad Chriſtum extra caſtra, & *maneat in libertate, qua Chriſtus illum liberavit*, Gal. 5: 1.

§. 29. Attamen ſacrificia *pro peccato* dicta, quando non offerebantur pro peccato *ſacerdotis ſummi*, aut *totius Eccleſiæ Iſrael*; ſed tantum pro peccato unius privati hominis, ſive eſſet *Princeps*, ſive *unus è populo terræ*, tunc non inferebatur ſanguis illorum *in Sanctum*, ſed effundebatur tantum in altari holocauſti, Levit. 4: 25. 30. 34. neque comburebantur illorum corpora extra caſtra, ſed *comedebantur* à ſacerdote, qui per illa expiaverat, Levit. 6: 21, 27. 10: 18. & tunc habebatur ſacerdos ille & æſtimabatur *ferre peccatum illorum* pro quibus obtulerat Ibid. verſ. 17.

2. Quando fit pro peccato unius privati.

 §. 30. Cur

§. 30. Cur non omnium *pro peccato* victimarum ſanguinem in ſanctuarium Deus inferri voluerit, non eſt ut operoſe inveſtigemus. Satis habuit Deus in quarundam victimarum ſanguinis illatione in ſancta teſtari reſurrectionem, & aſcenſionem Filii unigeniti, qui in omnibus victimis mortem illius adumbrari & præſignificari voluit. Id tantum obſervemus, *ſacerdotem*, qui victimam pro peccato comedit, dici *ferre peccata populi, ad expiandum eum.* Sacerdos typicus *fert* peccata populi; & illa auferendo à populo in ſe ſuſcipit bajulanda; ut ita populus *expietur*, ne veniat in judicium, neque illi imputetur peccatum. Quomodo ergo negabimus, Sacerdotem verum, Agnum Dei, vere *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν portare peccata populi* ſui; pœnam pro illo peccati ferre, & vere poſito ſufficientiſſimo lytro expiare ac redimere? Et ut Sacerdos typicus agnoſcatur *ferre peccatum*, jubetur comedere de victima pro peccato. Ita idem animal cedit & in cibum, & in hoſtiam. Cibus, qui comeditur, vertitur in ſubſtantiam corporis. Igitur ſacerdos offerens de illa victima, quæ ipſi in cibum datur, & ut in illius mutetur ſubſtantiam, videtur corpus ipſe ſuum offerre, & altari committere; eſtque adeo typus expreſſiſſimus Veri Sacerdotis, qui *corpus* ſuum in necem dedit pro ſuis, & *in corpore ſuo peccata illorum tulit in lignum.* 1 Petr. 2: 24.

Hoſtia pro peccato è farina. §. 31. Cum autem is, qui hoſtiam *pro peccato* offerre debebat, pauper eſſet, ut ovem aut capellam emere non poſſet, licitum erat offerre *ſimilam* ſeu *farinam*, (quæ alias in oblationibus, quæ dicuntur, מִנְחָה afferri ſolet) לְחַטָּאת *in hoſtiam pro peccato*; ſine *oleo* tamen, & *thure*; quod in Mincha ordinaria fiebat. Levit. 5: 11. 12. Sacrificio enim pro peccato non convenit lætitia, cujus ſymbola ſunt oleum & thus, ſed triſtitia.

Dies Kippurim. Sacrificia illius diei. §. 32. Neque hic, ubi de holocauſto & victima pro peccato agimus incommodum erit, addere quæ de ſacrificiis in die Kippurim offerendis Scriptura enarravit. *Dies Kippurim* erat *decimus dies menſis ſeptimi*: in illo אַחַת בַּשָּׁנָה *ſemel in anno* expiabatur *ſanctuarium ſancti*, hoc eſt, ſanctum ſanctorum, & *tentorium conventus*, & *Altare*; imo *Aharon* ipſe & *Sacerdotes* omnes, & *omnis Eccleſia* Iſraëlis. Exod. 30: 10. Levit. 16: verſ. 33. 34. Sacrificia, per quæ expiatio fiebat erant *pro Aharone & domo illius*, *juvencus* לְחַטָּאת & *Aries*: לְעֹלָה pro *toto* autem *cœtu Iſrael*, *Aries in holocauſtum*; & *duo Hirci.* Super hos duos hircos diſponi debebant *ſortes*; *ſors una* לַיהוָה *Domino*, & *ſors una* לַעֲזָאזֵל *Aſaſeli.* In quem autem hircum cadebat ſors *Domino*, is *fiebat* חַטָּאת *pro peccato. Hircum* emblema eſſe petulantiæ, ſupra monuimus. Ut *ſerpens ſuſpenſus*, ita & *hircus* figura Chriſti fuit; qui non tantum *miſſus eſt in ſimilitudine carnis peccati*, ut cum Iſidoro Auguſtinus loquitur, ſed etiam apparuit coram Deo, ut peccatum factus, & peccata humani generis bajulans, & ut *κατάρα exſecratio*, ac condemnatus pro peccatore. Eadem hic omnia ſunt, quæ in ordinariis hoſtiis pro peccato; niſi quod Aharon in ſolemni hoc die expiationum, *ſanguinem* hoſtiæ *pro peccato*, non tantum intulit in priora ſancta, ſed in ipſum *ſanctiſſimum*, *in interius veli*, *uſque ad faciem Propitiatorii, ſuper quo in nube Dominus apparebat:* quo Aharon non audebat intrare בְּכָל־עֵת *omni tempore*, quando volebat, quemadmodum *in prius tabernaculum* διαπαντὸς *ſemper intrabant ſacerdotes*, *ſed ſemel* tantum *in anno*, nimirum in ipſo hoc die Kippurim, idque *ſolus*, ita ut ne ullus quidem homo auderet eſſe *in tentorio conventus*, cum *intraret in ſanctiſſimum*, *uſque dum* rurſum *exiret*; nec *ſine ſanguine* quem *offerebat pro ſe & populi ignorantiis*, Heb. 9: 7. h. e. *impuritatibus, defectionibus & peccatis populi Iſrael.* Lev. 16: 16. Per hæc quid *manifeſtaverit Spiritus Sanctus*, & per ſe clarum eſt, & Paulus innuit Heb. 9: 7. 8. Supereſt igitur, ut de illo hirco, *ſuper quem aſcendit ſors Aſaſeli*, paulo plenius agamus.

§. 33. *Hir-*

§. 33. *Hircus* hic *adducitur & ſiſtitur* חַי *vivus* , לִפְנֵי יְהוָה *coram Domino*, hoc eſt, *ante tentorium conventus.* Levit. 1: 3. Siſtitur autem *poſt expiatum ſanctuarium* , *& tentorium* , *& altare* , Lev. 16:20. hoc eſt, poſt oblationem victimarum *pro peccato. Holocauſta* enim poſt dimiſſionem hirci vivi demum offeruntur. Levit. 16: 24. *Aharon imponit duas manus ſuas ſuper caput hirci vivi. Et confitetur ſuper illum omnes pravitates, defectiones, & peccata filiorum Iſraël ; & ponit illa ſuper caput hirci :* deinde *mittit illum* בְּיַד אִישׁ עִתִּי *in manu hominis opportuni* LXX. ἑτοίμȣ, *in deſertum :* diciturque *hic hircus ferre ſuper ſe omnes pravitates* Iſraelis אֶל־אֶרֶץ גְּזֵרָה *in terram abſciſſam.* LXX. εἰς γῆν ἄβατον. Onkelos לַאֲרַע לָא יָתְבָא : denique dicitur *coram Domino ſiſti* לְכַפֵּר עָלָיו *ad expiandum ſuper illum.* Is autem vir, qui *dimiſerat hircum Aſazeli*, lotis veſtibus & carne, *redit ad caſtra.* Levit. 16: 20. 21. 22. 26. Hircus לַעֲזָאזֵל Aſaſeli.

§. 34. Hircus primus deſignatus fuit *ſorte Domino.* Chriſtus Filius Dei à Deo Patre *unctus, vocatus, præagnitus* , *miſſus* eſt. confer Pſalm. 16: 5. *Tu tenes ſortem meam.* Hircus ſecundus non Domino, ſed *Azazeli* : nec tamen hoc forte fortuna, ſed ſorte divina, τῇ ὡρισμένῃ βȣλῇ καὶ προγνώσει θεȣ̃. Act. 2: 23.

§. 35. De *Azazel* diverſæ ſunt ſententiæ: quidam id nomen *montis* cujuſdam volunt eſſe. עֲזָאזֵל ita videtur poſſe ἀποφερέζεσθ. עֵז אֲשֶׁר אָזְלָה *Capra qua diſceſſit.* Igitur *Azazel* notabit illum, qui *à principio ſuo* abiit, & id *non tenuit.* Jud. ✝. 6. Diabolus eſt ἀποστάτης, qui à Deo defecit; eſt סָפָאֵל quaſi סָר מֵאֵל *recedens à Deo.* Angeli Satanæ comparantur cum capris & hircis. Levit. 17: 7. Sit igitur עזאזל *Diabolus*, alias dictus *Inimicus & vindex ſui.* Pſalm. 8: 3. LXX. verterunt ἀποπομπαῖος, id eſt, *emiſſarius* : ſunt qui לעזאזל dicunt eſſe εἰς τὰς ἀποχωρήσεις. Huic Azazeli hircus unus attributus eſt.

§. 36. Si conſideremus prædicata illa. *Ponet ſuper caput hirci omnia peccata* ; *Portabit hircus ſuper ſe omnes iniquitates illorum* , quæ propriiſſime competunt Chriſto, Agno Dei, *portanti peccata mundi* , proclive eſt putare etiam *Hircum* hunc Chriſti Domini figuram fuiſſe, & in Chriſto eſſe impletum id, quod in hirco hoc fuit præfiguratum. Hircus emiſſarius figura Chriſti.

§. 37. Chriſtum in diebus humiliationis aliqua ratione *Azazeli*, hoc eſt, diaboli poteſtati ſubjectum fuiſſe, negari non poteſt. Agnoſcit enim ipſe *poteſtatem tenebrarum.* Luc. 22: 13. Tribuitur etiam Diabolo *poteſtas mortis*, infligendæ etiam *Principi Vitæ*, Hebr. 2: 14. *Draco ſtetit ante mulierem, ut cum pareret*, τὸ τέκνον αὐτῆς καταφάγῃ, Apoc. 12: 4. *Serpens calcaneum pupugit ſeminis mulieris* , Geneſ. 3: 15. *tentavit* illum diu multumque Matth. 4: 1 -- 10. Sit igitur Chriſtus hircus hic, portans peccata, traditus aliquo modo *Azazeli*, hoc eſt , Diabolo.

§. 38. Ducitur autem hic hircus *in deſertum. In deſerto* tentatus eſt à Diabolo. Matth. 4: 1. Marc. 1: 13. Mundus, cum Chriſtus in illum venit, habuit faciem *deſerti.* Vox clamantis *in deſerto*, Eſ. 40: 3. nulla in illo meſſis fidei, veritatis, pietatis ; omnia infrugifera, ſpinarum plena. *Roma*, omnis idololatriæ mater , orbi terrarum imperabat. *Judæi* illorum in poteſtatem redacti, *introducti erant in deſertum populorum*, Ezech. 20: 35. ipſi ob depravatam veritatem, occultatam cognitionis clavem , admixtum doctrinæ fermentum, receſſionem cordis à corde ſanctorum Patrum deſerto infrugifero quam ſimillimi. Ita hircus hic emiſſarius ducitur Azazeli in deſertum ; ut in hoc mundi *deſerto*, per manum hominum, qui omnem pietatem deſeruerant, quam *manum* Scriptura vocat *manum peccatorum* in necem traderetur; & ab Azazele in deſerto acerbiſſimum in modum tentaretur.

§. 39. *Manus hominis opportuni*, per quam hic hircus mittitur in deſertum, tanquam donum Azazeli, eſt potentia illorum, qui contra hircum hunc divinum ſurrexerunt, & ſanguinem ac interitum illius ſitierunt: de quibus Actor. 4: 26. *Conſtiterunt Reges terræ, & Principes congregati ſunt contra Dominum & Unctum illius. Congregati ſunt in veritate contra ſanctum puerum tuum.* confer. Pſalm. 2: 1. 2.

§. 40. Igitur dupliciter Chriſtus conſiderari poteſt, vel ut hircus mactatus & ſanguinem effundens ad reconciliationem Dei & expiationem peccati; ita prior hircus illius figura fuit: vel ut hircus, per manum potentium hujus ſeculi, in deſerto Mundi idololatræ, furori & libidini Satanæ ſeu Diaboli traditus, ad patiendum maxima & diriſſima; qua in paſſione demonſtratus eſt *portare in capite ſuo peccata & iniquitates* non *Iſraelis* tantum, ſed *totius mundi*, 1 Joh. 2: 2. ita hircus ὁ ἀποπομπαῖος illum adumbravit.

Hircus emiſſarius figura etiam rebellantium Judæorum.

§. 41. Poteramus hiſce contenti pergere ad alia. Attamen conſiderantes *Hircum* hunc Azazeli mitti, ita ut illius omnimoda ſit portio; & forte deſignari non *Domino*, ſed *Azazeli*; atque adeo illum *Azazelis* eſſe, non *Domini*; præterea *hircum* hunc dimitti, poſtquam jam *expiata eſſent omnia*, videmur non ſine ratione, nec citra neceſſitatem inquirere, annon aliud ſit ſubjectum, cujus hircus hic fuerit typus & figura. Quamvis Chriſtus utcunque furorem & violentiam ac impetum Diaboli ſuſtinere debuerit, tamen non ceſſit ſorte divina Diabolo, nec illius mancipium factus eſt. Abſit! Contriverit Satanas *calcaneum* Chriſti, at Chriſtus illius contrivit *caput*. Inflixerit Satan illi *mortem*; at per ipſam illam *mortem* Chriſtus illum abolevit. Quæſiverit illum Satan καταφαγεῖν; at *raptus* eſt Chriſtus ad *Deum & thronum illius*, Apoc. 12: 5. hinc dicit Chriſtus Joh. 14: 30. *Venit Princeps hujus mundi, & in me nihil habet.* Denique *ad hoc manifeſtatus eſt Filius Dei, ut ſolveret opera Diaboli*, 1 Joh. 3: 8. Non igitur pleno ſenſu dici poteſt, Chriſtum miſſum traditumque τῷ *Aſaſel.*

§. 42. *Improbi* in Sacris *hirci* vocantur. In noviſſimo die ſtabunt *oves à dextra* Dei judicis; *hirci autem à ſiniſtra*, Matth. 25: 33. confer Ezech. 34: 17. *Et vos oves meæ, dicit Dominus. Ecce ego judico inter oves & oves, uſque ad arietes & hircos.* Quid igitur obſtat, quo minus per hircum hunc emiſſarium intelligamus cœtum quendam improborum, Deo Chriſtoque illius rebellantium?

§. 43. Judæos Chriſtum ſpreviſſe, *rupem ſalutis ſcelerate tractaſſe, Sanctum Domini profanaſſe, aliumque dotaſſe*; Architectos *lapidem reprobaſſe*, quis ignorat? Sint igitur Judæi rebelles, Cœtus Pontificum, *filii hi degeneres* adumbrati per hircum hunc emiſſarium.

§. 44. Id lubentius fatebimur, ſi oſtendi poſſit, omnia, quæ de illo prædicantur, in Judæos immorigeros non incommode applicari. Non dicam propter petulantiam, laſciviam, libidinem malam, animumque feriendi illos optime cum hirco comparari: accedo ad alia. Hircus emiſſarius dicitur *ſiſti vivus coram Domino.* Annon Judæi ſoli *vivere Deo* olim viſi ſunt; vitam longam, juxta promiſſionem quinti Præcepti, in terra exſpectantes? Hircus *mittitur in deſertum Azazeli.* Annon Judæi immorigeri *ſeparati ſunt in malum ab omnibus tribubus Iſraelis, juxta omnes adjurationes fœderis?* Deut. 29: 21. Annon dimiſſi ſunt & diſperſi per gentes? & quod olim de gentilibus, id nunc de illis dici poteſt, *illos eſſe ſine Chriſto, ſine Deo in mundo.* Eph. 2: 12. Cui nunc obediunt? non Deo; illum enim blaſphemant in Filio: certe *Deo hujus mundi*, hoc eſt, Azazeli, qui *mentes illorum* ἐτύφλωσε *excæcavit*, 2 Cor. 4: 4. Ita in mundo miſeri pereunt extra regnum Dei. Mittitur hircus *per manum Viri opportuni.* Romanus Cæſar, præter quem

nullum alium habere volebant Regem Joh. 19: 15. qui fuit quaſi *Amaſius* illorum, *cum quo ſcortati ſunt, & pudenda egerunt* Hoſ. 2: 4. non incommodè intelligitur. Sub Romanis Imperatoribus leges illorum violatæ, urbes captæ, tandemque Arx omnium Hieroſolyma, una cum Templo occupata & ſolo æquata eſt. Ita Judæi ſedibus ſuis expulſi, per totum terrarum orbem diſperſi ſunt, in quo hunc uſque in diem, ſubjecti gentibus & nationibus, *ſedent ſine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio*, Hoſ. 3: 4. & præda ſunt ac portio Diabolo, Azazeli, cujus opera faciunt,

§. 45. Nec minus id Judæis accommodari poteſt, quod de hirco emiſſario dicitur; *Feret, portabit ſuper ſe omnes pravitates, defectiones, & omnia peccata filiorum Iſrael.* Sanè Judæi non ita illa portant, ut Agnus Dei. Sed *in illis, ut vaſis ira* cernitur vindicativa Dei juſtitia; & revelatur ſuper illos ira Dei è cælo: exemplum facti ſunt ſeveritatis, quam merentur pravitates & peccata; & ita inſigniter ac tam longo intervallo pro peccatis luunt, ac ſi pro omnium Iſraelitarum ſceleribus & peccatis, unquam commiſſis, luerent & pœnas ferrent. Item, *ſiſtetur hircus ad expiandum ſuper illum.* Scimus multa beneficia è morte Chriſti Domini etiam reprobis & incredulis obtingere; illoſque quaſi *in ſanguine Teſtamenti ſanctificari*, ut in communem modum locum hunc nunc accipiamus, Hebr, 10: 29. Cauſa expiationis & ſalutis in ſanguine Jeſu annunciatur omnibus. Judæi immorigeri *in radice* ſanctificati & expiati ſunt. *Semen ſanctum*, verè expiationis particeps, ex illis germinavit, Eſ. 6: 13. ſpeſque eſt, fore, ut totus adhuc Iſrael *ſalvetur*, & ita per Sacerdotem Chriſtum expiatus cernatur aliquando: Rom. 11: 26. 27. *Veniet enim è Zione liberator; & avertet impietates a Jacob, Et hoc eſt illis per me Teſtamentum, cum abſtulero peccata illorum.* Apparet, populum immorigerum *expiandum* in poſteris. Utinam mox veniat è *Zione hæc ſalus Iſrael!* Pſalm. 14: 7.

§. 46. Ultimum oblationis genus מִנְחָה *munus* dicitur, eſt è *farina*, aut alio fructu terræ, cum *oleo, thure, ſale*. Etiam hæc oblatio, ut aliæ omnes, umbra Chriſti fuit. Is, *fructus terræ*, Eſ. 4: 2. *panis vitæ* Joh. 6: 48. 50. plenus donorum Spiritus ſancti, qui *oleum hilaritatis* dicitur Pſalm. 45: 8. *ſale* ignis & afflictionum benè ſalitus, incorruptibilis & immutabilis, optimè in oblatione *farinæ, olei, ſalis* adumbratus fuit. Munus è farina ſæpè coquebatur; coctum frangebatur, fractum edebatur. Meminerimus *corporis Chriſti pro nobis fracti, edendi in illius memoriam*, 1 Cor, 11: 24. 26. 4. in Mincha munere.

§. 47. Videamus nunc *ſecundo*, quomodo ſacrificia legalia etiam fuerint indices *ſacrificiorum ſpiritualium*, quæ pii ſanctique Deo debent offerre. Sacrificia Veteris legis ceſſant poſt oblatum ſacrificium Chriſti, ut & ceremoniæ omnes: qui ab illo tempore *bovem mactat* in ſacrificium, reus habetur, ac ſi *occidiſſet Virum: qui ſacrificat pecus, eſt ut decervicans canem: qui offert munus* perinde facit ac ſi *ſanguinem porci*, quod olim animal inter impura erat, offerret: *qui adolet thus* eſt ut *adorans Idolum*, Eſ. 66: 3. Tamen ut *fœdus* cum Deo *pangitur ſuper ſacrificio* Pſalm. 50: 5. quod Chriſti eſt: ita fœderati Dei omni tempore, ad finem uſque ſeculi, grata Deo ſacrificia offerunt: non tamen è pecudibus, ſed ſpiritualia, ut ita illorum *cultus* ſit λατρεία λογική *rationalis*, Rom. 12: 1. confer Deut. 33: 19. *ibi ſacrificabunt ſacrificia juſtitiæ.* Demonſtratio poſterioris. confer §. 18.

§. 48. Præcipuum quod electi ſacrificium offerre debent, eſt תּוֹדָה *fides*, confeſſio gratiæ cœleſtis. Pſalm. 116: 17. *Tibi ſacrificabo ſacrificium confeſſionis.* confer Pſalm. 50: 14. 23. Sacrificia illorum ſunt *corpora illorum*, Rom. 12: 1. *Spiritus fractus, cor attritum*, Pſalm. 51: 19. *Vituli*, quos offerunt & *retribuunt*, ſunt *labia illorum*, Hoſ. 14: 3. *Suffitus*, quem adolent, *munuſque juge*, quod offerunt, eſt *oratio* illorum. *Diſponatur* Sacrificia ſanctorum perpetua.

oratio mea ſuffitus coram te; elevatio palmarum mearum munus veſpertinum. Pſalm. 141: verſ. 2. *Charitas* & *obedientia* illorum potiora ſunt omnibus victimis. *Charitate delector & non ſacrificio, & agnitione Dei præ holocauſtis.* Hoſ. 6: 6. *Audire eſt melius ſacrificio*, hoc eſt, obedire; *& auſcultare præ adipe arietum.* 1 Sam. 15: 22. Hæc ſacrificia grata ſuaviaque, ſuccedentia in locum priorum, nominibus illorum, ut figurarum, inſigniuntur, Pſalm. 51: 21. *Tunc delectaberis holocauſto, & ſacerdotali munere integro. Tunc aſcendent in Altare Tuum juvenci.* confer Eſ. 56: 7.

Qualia illa eſſe debeant docent legalia ſacrificia.

§. 49. Ut autem ſancti electique ſciant, quomodo ſacrificia illorum ſpiritualia comparata eſſe debeant, ut ſint digna juſtificatis, & *ſacrificia juſtitiæ, quibus Deus delectatur*, Pſalm. 51: 21. ante oculos habeant leges de legalibus ſacrificiis.

§. 50. Holocauſtum comburebatur totum. Totus homo, omneſque illius facultates conſecrandæ ſunt Deo. Etiam meminerit peccator, quemadmodum totum pecus deſtruitur, ſic omnes teneri ad totalem deſtructionem & animæ & corporis, ob defectum naturalem totius juſtitiæ, niſi *condonatio eſſet apud Deum.* Pſalm. 130: 4.

§. 51. *Munus* offertur cum *oleo*; cum lætitia corpus & res noſtræ offerendæ ſunt Deo: cum *azymis*: *expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova maſſa*, καθώς ἐστε ἄζυμοι. *Feſtum agamus in azymis ſinceritatis & veritatis*, 1 Cor. 5: 7. 8. cum *ſale*, ut agnoſcamus τὸ ἄσηπτον, hoc eſt, τὸ ἄφθαρτον καὶ ἀμετάθετον fœderis Dei, quod eſt *fœdus ſalis*, hoc eſt, perpetuum, Num. 18: 19. *igne* electi, ut ſale, ſalientur: Marc. 9: 49. *Omnis enim igne ſalietur*, quemadmodum *omne munus ſale ſaliebatur.* Ad æternitatem non niſi per ignem aditus eſt. 1 Cor. 3: 13. 2 Pet. 3: 7. 10. Ignis igitur electis pro ſale erit, quia ἀφθαρσίας πρόξενος.

§. 52. Sacrificia pacifica comedebantur & à Sacerdotibus & ab offerentibus. Ita datur communio membrorum ejusdem corporis, & communis amor, & ſui atque omnium donorum participatio.

§. 53. Etiam ex pecudibus, quæ offerebantur, diſcant fideles, quales non debeant eſſe, & quales debeant eſſe. Ne ſit in illis torvitas boum, prava affectio caprarum, ſtoliditas ovium, luxuries vitulorum, laſcivia hædorum, imprudentia columbarum. Sectentur autem boum laborioſitatem, caprarum agilitatem, ovium ſimplicitatem, vitulorum vigorem, mutuum turturum amorem, columbarum integritatem. Studeant denique ſinceritati azymorum, odori ſuavi precum, *ſali*, hoc eſt, conſtantiæ ſanctæ vitæ.

Socini error.

§. 54. Cum igitur ſacrificia legalia adumbrarint & Chriſti hoſtiam, & fidelium victimas, fallitur Socinus, dum negat, cottidiana ſacrificia repræſentaſſe mortem Chriſti; adumbraſſe tantum ſpiritualia noſtra, quæ vocat *ſacrificia mentis noſtræ*, dicitque eſſe *preces & pœnitentiam.*

Sacrificia cur toties repetita.

§. 55. Voluit autem Deus Sacrificia magno numero offerri, tum ut fides & ſpes ſacrificii Chriſti, in poſtremo dierum offerendi, cottidie his quaſi fomentis aleretur & firmaretur, quemadmodum corpus cibis firmari oportet; tum ut perfectio *unius* illius, *melioris* & *veri* ſacrificii magis magisque innoteſceret. Ut enim in multis plurimisque creaturis perfectio divinæ potentiæ, quæ illas vocavit, & produxit, & conſervat, cernitur; ita è cottidianis & annuis ſacrificiis abſolutiſſimam & ſufficientiſſimam perfectionem veri Sacrificii, quod unum ſatis eſt *expiandis peccatis totius mundi*, 1 Joh. 2: 2. cum numeroſiſſima illa ſacrificia, ne minimum quidem peccatum ἀφαιρεῖν *auferre* potuerint, quamvis quia fuerunt ἐνέχυρα *pignora* & ſacramenta, & ipſa *expiare*, ac procurare סְלִיחָה ἄφεσιν *condonationem* dicantur: Hebr. 9: 22. concludere facile fuit.

§. 56. Hæc illorum *infirmitas* è frequenti corundem iteratione liquido apparet.

Si enim vere peccatum abſtuliſſent, aboleviſſent, expiaſſent, non potuiſſent nec debuiſſent repeti & reiterari: id docet Paulus, Hebr. 10: 1. 2. *Lex annuatim iisdem ſacrificiis, quæ offerunt continuo, nunquam poteſt accedentes conſummare, quandoquidem alias ceſſaſſent offerri.* Inſigne hoc eſt perfectionis argumentum noſtri Sacerdotis, eodem annotante Apoſtolo, quod ἅπαξ, *ſemel* tantum *per victimam ſuam manifeſtatus eſt; & una illa oblatione conſummavit omnia*, quodque *non* πολλάκις *ſæpe ſe ipſum offert, quemadmodum Sacerdos Aharon intrat in ſancta* κατ' ἐνιαυτὸν *annuatim*; quia ſi id Chriſto incumberet, *debuiſſet ſæpius pati inde à condito mundo*, Hebr. 9: 25. 26. 10: 12. 14. Inde apparet illorum infirmitas.

§. 57. Neque minus obſcure ex eo, quod Deus illis terminum fixit, quem non debuerunt ſupergredi; quique cum expiraſſet, plane abrogari: de quo termino Paulus, Heb. 9: 10. *uſque ad tempus emendationis incumbentia*, loquitur de *donis & ſacrificiis* verſ. 9. unde inſimul diſcimus, tempus illud, quo ſacrificia viguerunt, multa emendatione eguiſſe, neque adeo fuiſſe tempus optimum & beatiſſimum: adde Gal. 3: 19. *Lex addita eſt*, adeoque & ſacrificia non minima pars *legis præcepti carnalis, uſque dum veniret Semen, cui promiſſum eſt*, hoc eſt, Chriſtus, de quo prima loquitur promiſſio. Geneſ. 3: 15. confer ỽ. 24. *Lex pædagogus noſter exſtitit in Chriſtum uſque*, non ultra. Docemur Legem inſtar *pædagogi* eſſe, qui pueros ducit docetque, non ſemper leniter illos habendo, ſed & rigide ac ſevere. Ita in obſervatione legis & ſacrificiorum exercitium quoddam rigoris fuit & ſeveritatis. Et è Prophetis idem conſtat. Habetur enim in illis, *Arcam fœderis Domini* aliquando *non nominandam* amplius, nec *viſitandam*, nec de illa *cogitandum*, nec de novo *faciendam*. Jer. 3: 16. Cum ſublatione Arcæ, quæ in tabernaculo collocata erat ceremoniali, una conjunctum eſſe & indigitari ſublationem ſacrificiorum ceremonialium, quorum ſanguis ante *propitiatorium*, hoc eſt, operculum arcæ ſpargi ſolebat; nemo non videt. Clarius id dicitur, Jerem. 11: 15. *Caro ſancta tranſibunt à te*, hoc eſt, ſacrificia; quorum caro ſancta erat, & comedebatur *in loco ſancto*. confer, Hag. 2: 13. Imo & Deus dicit, Pſalm. 50: 8. *Non ob ſacrificia tua redarguo te, & holocauſta tua coram me ſunt ſemper*; indicans fore tempus, ubi ſacrificiorum nullus erit amplius uſus; ubique non amplius illa exacturus, aut ob neglectum illorum, aut ſiniſtram oblationem culpaturus eſſet. Is igitur cultus, qui in tempore incipit, & in tempore deſinit, non poteſt eſſe optimus, & vere Deo ἀρεστός. Sacrificia non ſemper manent, & quouſque.

§. 58. Imo & ex eo, quod Deus ſacrificia, quamvis à ſe inſtituta, toties ſpernit. Eſ. 1: 11. 12. *Ad quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum? Satur ſum: ne addatis adducere munus vanitatis*, hoc eſt, ſacrificia & dona. *Suffitus, abominatio mihi eſt*, 66: 3. Amos. 5: 21. 22. *Odi, reprobo feſta veſtra. Etiamſi offeratis holocauſta non acceptabo, & pacificum pinguium veſtrorum non aſpiciam*, confer Pſalm. 50: 8-12. 51: 18. *Non delectaris ſacrificio, nam darem: holocauſtum non gratum habes.* Non enim ſpernit tantum, quod Iſraelitæ illis abuſi eſſent, & non in fide obtuliſſent, ſed quia non ſunt *optima pars*, quam Deus elegit; non verum *bonum*, quod naturæ ipſius congruum eſt. Id & diſcere eſt è Mich. cap. 6. Poſtquam Eccleſia dixiſſet verſ. 7. *Numquid delectabitur Deus millibus arietum?* qua quæſtione tacite negat, delectari illis Deum; ſtatim addit ỽ. 8. *Indicavit tibi, homo, quid bonum, & quid à te poſtulat, amare gratiam*, &c. innuens non obſcure, arietum oblationes *bonum* in ſe non eſſe; quo cum convenit, quod ſtatuta illa de ſacrificiis & ceremonialibus in Scriptura appellantur חֻקִּים לֹא טוֹבִים *ſtatuta non bona*, Ezech. 20: 25. Igitur quia ſacrificia à Deo ſpernuntur, imo *non-bona* dicuntur, illorum ſatis conſtat τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές, Hebr. 7: 18. *Sacrificia juſtitiæ* Deus nunquam ſpernit: ſacrificium à Filio oblatum eſt illi *odor fragrantiæ* à nunc in ſeculum. *Cor contritum, ô Deus*, לֹא תִבְזֶה *nunquam* Sacrificia ſæpe Deus ſpernit.

quam ſerpens, Pſalm. 51:18. 19. *Fides* eſt id, per quod ſemper illi εὐαρεστοῦμεν. Hebr. 11:6. *Dilectio Dei & proximi, bona opera*, fidei fructus, dicuntur θυσίαι αἷς εὐαρεστεῖται ὁ Θεός. Hebr. 13:16.

Sanctificarunt ad carnis puritatem.

§. 59. Quantum valuerint ſacrificia docet Paulus Hebr. 9:13. *Si enim ſanguis taurorum & hircorum, & cinis vaccæ, aſpergens pollutos, ſanctificat ad carnis puritatem. Sanctificavit* quidem ſanguis ſacrificiorum, ſed externe tantum, non *animam*, quæ intus eſt, cujus *purgationem* attribuit verſ. 14. *ſanguini Chriſti*; ſed *carnem*, quæ externe videtur. Eatenus nempe, ut quis ceremonialiter purus eſſet, & libertatem haberet in caſtris Iſraëlis converſandi, ad atrium tabernaculi accedendi, & hæreditatem terreſtrem occupandi. Infirma certe ſacrificia, quæ *ſanctificant*, ſed ceremonialiter tantum, imo *carnem* tantum. Ideo & ἄφεσις, quæ ſanguini pecudum attribuitur, Hebr. 9:22. *Sine ſanguinis fuſione* οὐ γίνεται ἄφεσις *non fit remiſſio* ullius peccati, aut ullius impuritatis externe attractæ, externa potiſſimum eſt; ut nimirum quis iterum habeatur externe purus, & membrum politiæ, & hæres terræ Canaan.

Fuit in illis ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν.

§. 60. Imo docet Paulus, in ſacrificiis fuiſſe ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν *memoriam* ſeu commonefactionem *peccatorum*, & τοὺς λατρεύοντας, *qui illum* ſacrificiorum *uſum obierunt*, *habuiſſe* ἔτι *adhuc* aliquam συνείδησιν ἁμαρτιῶν *conſcientiam peccatorum*, & necdum fuiſſe κεκαθαρμένους *purgatos*, Hebr. 10:2. 3. Ergo in ſacrificiis eſt *peccati commonefactio*, non grata, ſed aliquo modo ſeverior & rigidior, ſimilis ὀνειδισμῷ *exprobrationi* debiti. Inſtituit Chriſtus Dominus ſacroſanctam cænam, faciendam εἰς ἀνάμνησιν *in recordationem*, ſed non, quod ſacrificia faciebant εἰς ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν, ſed εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν dicit, *in mei recordationem*. 1 Cor. 11:24. 25. Quæ recordatio longe dulciſſima & ſuaviſſima eſt. Eſt enim *recordatio* Chriſti miſſi, per paſſionem mortis conſummati, in gloriam aſſumti. Eſt *recordatio* ſoluti lytri, expiati peccati, devictæ mortis, aboliti Satanæ, reconciliati Dei, placatæ legis, adductæ juſtitiæ æternæ, acquiſiti Spiritus filiationis, manifeſtatæ viæ ſanctorum, caſſati chirographi, & conſummationis totius operis redemtionis. In ſacrificiis pecuinis fuit etiam ἀνάμνησις, ſed non ἀνάμνησις maximorum horum beneficiorum, ut jam exſtantium actu, ſed adhuc adducendorum, manifeſtandorum, conſummandorum. Fuit in illis ἀνάμνησις *recordatio* Chriſti adhuc mactandi, peccati ſanguine meliore melioris adhuc hoſtiæ expiandi, viæ ſanctorum adhuc manifeſtandæ; adeoque *recordatio peccatorum*, tum illius, quod Adam commiſit, *in quo omnes peccavimus*, Rom. 5:12. adeoque & Iſraëlitæ: tum illius, in quo omnes ſine diſcrimine concipiuntur & naſcuntur, quod *originale* appellari ſolet, Pſalm. 51:7. tum illorum, quæ per totam vitam committuntur, etiam à ſanctiſſimis, qualia *actualia* vocari ſolent; Horum *peccatorum* omnium fuit in ſacrificiis *recordatio*: nimirum illa eſſe commiſſa, mereri mortem & iram ac maledictionem; à Chriſto quidem Sponſore ſuſcepta, nondum tamen actuali lytro expiata; adeoque *reatum* adhuc exſtare, hoc eſt, pœnam & ſolutionem adhuc deberi; nec tantum Chriſtum eſſe debitorem, ſolvendi id, quod ſpopondit; ſed ſanctos ipſos nondum habere, & actu obtinere id lytrum & piamentum, quod pro peccatis debebatur; adeoque ſi poſſibile eſſet, Chriſtum Sponſorem non venire, (quod tamen impoſſibile erat propter *veritatem Dei*, & propter *æternum Spiritum, per quem ſe Chriſtus Patri inculpatum obtulerat*, Hebr. 9:14.) illi ipſi tenerentur ad patiendum & ferendum omnia, quæ peccatum ut ὀψώνια *ſtipendia* poſtulat & imponit illis, qui peccarunt. Rom. 6:23. Talis *recordatio* non excitat ſummam lætitiam, ſed in fidelibus excitat magnam *ſitim*, quæ oritur ex ingenti deſiderio, ut *veniendo veniat, & non tardet* is, qui peccata omnium bajulaturus, *ſua cognitione juſtificat multos*, Habac.

bac. 2: 3. Eſ. 53: 11. imo *metum* quendam & ſollicitudinem, ut non ſine timore, & *facie retecta* auſint accedere ad Deum; & μετὰ παῤῥησίας cum maxima pleniſſimaque *fiducia appropinquare ad thronum gratiæ*, Hebr. 4: 16. & τέκνα θεοῦ γενέσθαι *gerere ſe inſtar filiorum*, Joh. 1: 12. imo fecit, ut fideles ſtarent μακρὰν *procul*, Epheſ. 2: 13. & eminus quaſi cum Deo Patre ſuo agerent, ut cum illo, apud quem eſſet quidem *Angelus interceſſor* illorum, *ferens illos verbo potentiæ*, nondum tamen in qualitate *Sacerdotis per paſſiones conſummati*, Hebr. 2: 10. qui *pertranſierat cœlos*, poſtquam ad ſolvendum omnia, quæ pro peccatoribus debebat, ex illis *deſcenderat*, Epheſ. 4: 9. 10. Hebr. 4: 14. & *oblata una pro peccatis victima, in æternum ſedet ad dextram Dei.* Hebr. 10: 12. Neque tantum in ſacrificiis fuit hæc *peccatorum* ἀνάμνησις, hoc eſt, ſacrificia fecerunt ſua natura & indole fideles peccatorum memores eſſe: ſed etiam *Sancti* habuerunt συνείδησιν *conſcientiam peccatorum*, hoc eſt, conſcientia illorum, teſtis veraciſſimus, mentiri & fallere neſcius, dictavit & indicavit ac in memoriam revocavit illis, peccata adhuc eſſe expianda actuali lytro & victima; Sacerdotem & Sponſorem adhuc animam ſuam pro illis in mortem effuſurum, adhuc humiliandum, adhuc è terra viventium exſcindendum eſſe. Et quamvis hæc συνείδησις *conſcientia* fuerit in illis, etiamſi nunquam ſacrificia impoſita fuiſſent, tamen accedentibus illis, non potuit non illa magis excitari, ut ſæpe mentibus pluriesque & crebrius injiceret cogitationes ſerias & humillimas, de peccato adhuc exſtante, deque debito adhuc actualiter ſolvendo. Hi autem, *qui conſcientiam* adhuc habuerunt *peccatorum*, quæ per oblationes excitata & ſæpius expergefacta fuit ſacrificiorum, dicuntur necdum κεκαθαρμένοι *purgati*; non ut putemus illos à macula & labe & ſervitute peccati non fuiſſe liberatos: *ſanctificati* enim ſunt, & *introducti in gloriam* cæleſtem, in quam *non intrat* πᾶν κοινὸν, Apoc. 21:27. confer Hebr. 12: 14. & dicuntur *Spiritus illorum conſummati*, Hebr. 2: 10. 12:23. ſed ut ſciamus à *reatu peccati*, & debitione pœnæ, nondum *purgatos*, hoc eſt, re ipſa, & ut fit, quando lytrum actu ſolutum eſt, liberatos fuiſſe; quamvis interea nil minus certi fuerint de ſalute & æterna beatitudine. Et hoc demum eſt pleniſſime à peccato *purgari*, non tantum à ſervitute illius liberari, ſed & à debito & pœna peccati abſolvi. Utroque hoc modo καθαρίζει ἡμᾶς *purgat nos Sanguis Jeſu Chriſti ab omni peccato.* 1 Joh. 1:7. Cum igitur in ſacrificiis talis fuerit *peccati commemoratio*, & debiti exprobratio, facile eſt judicare, ſacrificia *infirma* & *inutilia* fuiſſe ad condemnandum peccatum, & juſtificandum peccatorem, & exhilarandum animam.

Conſcientia peccatorum.

§. 61. Imo hanc ob cauſam Lex ſacrificiorum & ceremoniarum comparatur cum *Jugo*, quod *Patribus* difficile *portatu* fuit, Actor. 15: 10. confer Eſ. 9: 3. cui opponitur *jugum onuſque Chriſti dulce & leve.* Matth. 11: 30. Nam quamvis grave & ſervile eſſet jugum, obligatum eſſe ad emendum & alendum pecora, illa gratis adducere ad altare, ibique in manus Sacerdotum tradere, ſanguinem illorum fundere, cruore illorum pollui; fœtore, qui ex combuſtione oriebatur, nares offendere, tamen id longe maximum nondum erat jugum, ſed id in eo proprie conſiſtit: 1. Quod debebant ſacrificia *ſæpius* offerre pro *maximis* & *minimis* etiam peccatis. 2. Quod id non libere faciebant & è mero ſpontaneo motu, quamvis quædam ſacrificia offerri dicebantur לִנְדָבָה *ultro & ſponte*, non è legis præcepto, ut *pacifica*, Levit. 22: 21. & quædam etiam *holocauſta*, Levit. 1: 3. 19: 5. 22: 19. 29. ſed vi præcepti divini, ſanciti pœna & comminatione maledictionis, Deut. 27: 26. *Maledictus, qui non tenet verba legis ad faciendum illa*, quæ verba ſunt extenſa ad omnia illa, quæ in omnibus libris Moſis ſunt mandata; adeoque ſimul ad ſacrificiorum leges ſervandas, omnes & ſingulos, poſt peccata aliqua commiſſa, ſingulari ratione obſtrinxere; ita ut qui

Fuerunt jugum.

 ſacri-

ſacrificia petulanter omittebat, non deberet aliter judicare, quam ſe illo ipſo incidiſſe in maledictionem, quæ jam naturaliter illi incumbebat, ut poſt peccatum omnibus. Magna igitur certe ſeveritate præcepit Deus ſacrificia, ut maledictos pronunciaverit omnes, qui illa omitterent, aut ſpernerent בְּזָדוֹן *cum protervia.* (Deut. 17: 12.) 3. Quod in illis ſciebant, non eſſe veram expiationem, ſed tantum recordationem peccati: qualis recordatio, ut jam jam oſtendimus, nec lætitiam nec libertatem parere potuit: atque adeo illa erant quaſi χειρόγραφον καθ' αὐτῶν *chirographum contra* offerentes Col. 2: 14. quo publice fatebantur, ſe adhuc debere Deo pro peccatis victimam meliorem. Notabile eſt, quod Paulus addit, *Chirographum* id fuiſſe ὑπεναντίον *ſubcontrarium illis*; non *omnino contrarium*: faciebant enim etiam ſacrificia ad fovendum ſpem & fidem in ſponſorem, qui venturus erat; certa faciebant ut ſacramenta de gratia & amore Dei; obſignabant ſalutem & vitam propter æternam Sponſoris oblationem, & certiſſimum illius in terris adventum, ad ſolvendum, quod in ſe ſuſceperat; ergo *ſubcontrarium* tantum, hoc eſt, aliquatenus & ſingulari aliquo modo, quatenus exprobrabant & commemorabant etiam reatū, & quod peccata adhuc deberent expiari actualiter. 4. Quod ſacrificia quidem debebant emere, & ad tabernaculum adducere; tamen nec mactare illa, nec in altari offerre audebant; ſed debebant illa tradere in manus hominum, *ſumtorum ex hominibus*, qui & ipſi erant peccatores, & *infirmitatem habebant adjacentem* Hebr. 5: 1. 2. idque ſub pœna mortis præſentiſſimæ, ſi ſecus facerent. confer §. 10. Cum Deus illis promiſiſſet Exod. 19: 6. *Eritis mihi regnum Sacerdotum*, tamen illos ab altari arcet; ut illis hac ratione exprobret illorum impuritatem, quæ prohibeat, quo minus è manibus illorum munus accipere velit. Si enim Deus *impuros illos declaravit cum muneribus illorum, cum faceret tranſire omnem primogenitum*, Ezech. 20: verſ. 26. hoc eſt, cum Primogenitos omnes ſibi conſecrari & ſanctificari juſſit, Exod. 13: 12. quidni impuri declarati ſint, cum rejectis etiam primogenitis, & in locum illorum electis Levitis, Num. 3: 12. imo ne illis quidem dignis habitis, ut *ad inſtrumenta ſancta, & ad altare accederent*, Num. 18: 2. 3. ſolus Aharon cum filiis ſuis nominatus eſt *ad obſervandum obſervationem ſanctuaris, & altaris, in rebus altaris, & iis, quæ in interiore veli agenda erant*, Num. 18: 5. 6. idque eum in finem, ne eſſet קֶצֶף *fervor* & ira Dei *in filios Iſrael*. ibid. Quamvis & propterea Deus *ſacerdotium* adſtrinxerit ad *unum* Virum Aharonem, & familiam illius, ut oſtenderetur *Unitas* Sacerdotis & *Mediatoris Dei hominumque hominis Jeſu Chriſti.* 1 Tim. 2: 5. 5. Etiam hoc ad aggravationem jugi fecit, quod tantus delectus habitus in pecoribus offerendis; quodque maxime & ſollicita cura cavendum fuit, ne pecus offerretur, in quo eſſet כָּל־מוּם *vel minimum vitium.* Levit. cap. 22: verſ. 20-26.

Inutilitas & utilitas, impotentia & potentiā ſacrificiorum.

§. 62. Ut rem concludamus, *Sacrificia illa pecunia*, quæ impotentia fuerunt ad juſtificandum Deum, qui juſtificat impium; ad condemnandum peccatum; ad implendum legem; ad purgandum animam; ad manifeſtandum ſanctum; ad ſanctificandum conſcientiam; in quibus fuit peccati commemoratio, chirographi ſcriptio, lapſus accuſatio, ſervitutis grave jugum, ſitis excitatio, futuri præmonſtratio, non exhibitio; umbra, non corpus; quæ ad tempus tantum debuerunt durare, & deinde plane & in univerſum abrogari; quæ Deus toties ſpernit & contemnit; *illa*, inquit, *ſacrificia* vere dicuntur ἀσθενῆ *infirma*; & cultus illorum in ſe fuit aliquo modo ἀνωφελὴς *inutilis*, nempe quatenus per ſe non potuit comparare maximum bonum, nec pacare mentem aut tranquillare cor, nec parare juſtitiam, quæ valet in judicio: quamvis non deſineret interea *utilis*, imo *utiliſſimus* eſſe. 1. Ad humiliandum populum, eumque in-

includendum intra carceres pietatis & ſanctæ modeſtiæ, & profundi timoris, qui eſt initium omnis ſapientiæ. 2. Ad excitandum ſpem, & fovendum fidem, ac ponendum ante oculos Chriſtum venturum, paſſurum, reſurrecturum, in gloriam aſſumendum. 3. Ad exercendam mentem in cogitatione & meditatione myſteriorum Dei, & ſcrutatione rerum, quæ per terreſtria adumbrabantur, adeoque ad expellendum ex animis illorum negligentiam carnis & peccati illecebras. 4. Ad conſtituendum Iſraëlem populum Dei peculiarem, eumque ſeparandum ab omnibus nationibus mundi; quatenus non fide tantum ab illis diſtinctus eſſet & doctrina, ſed & moribus, & judiciis, & ſtatutis, & externo cultu.

§. 63. Rogantibus, an Iſraëlitæ omnes naturam ſacrificiorum benè perſpexerint; inque illis intuiti ſint Chriſtum Dominum, illis reſpondere non eſt difficile. Quemadmodum hoc tempore multi ſunt, qui perverſa docent de ſacrificiis Judaicis, illorumque verò uſu & indole, quales ſunt Sociniani, negantes cottidiana ſacrificia adumbraſſe Chriſtum, ſolummodo publica illa & anniverſaria, ut in die Kippurim; Levit. 16. quæ nominant *ſacrificia ſacerdotis*, peregrine ſatis, cum tamen in omnibus & quibuslibet ſacrificiis, & in modo oblationis, ſit clariſſima adumbratio Chriſti, qua *Sacerdotis*, ſe ipſum offerentis; qua *victimæ* oblatæ; qua *altaris* victimam ſanctificantis; qua *ignis* illam conſumentis; qua *ſanguinis* ſeſe effundentis; qua *corporis* mere perpetientis; ita non eſt dubium, fuiſſe multos in Iſraële *carnales*, *terreſtria* tantum *ſentientes*, *in carne* confidentes, Phil. 3: 2. 3. 19. qui non attenderunt, nec ſcrutati ſunt, quid ſub his ſacrificiorum umbris lateret; qui putarunt ſatis eſſe ad expiandum peccatum, & acquirendum juſtitiam, ſi ſacrificia è præſcripto divino offerent; & ſe fuſione ſanguinis irrationalis placare Deum poſſe, quemadmodum Kain in initio primi mundi falſo ſacrificio, manipulo frugum ſe placere Deo ſibi videtur perſuaſiſſe. Hos & tales ſæpè redarguit Deus, imo & illorum reſpectu ſacrificia toties rejicit & ſpernit; illique ſunt qui culpantur, Mal. 1: 7. quod *attulerint ſuper altare panem contaminatum*, imo *cœcum*, *claudum*, *ægritudine abſumptum*, ℣. 8. in quos maledictionem vibrat Dominus. Mal. cap. 1: verſ. 14. *Maledictus doloſe agens, & in cujus grege eſt maſculus, & qui ſacrificat corruptum Domino.* Omnes enim, qui non in fide ſacrificia obtulerunt, etiamſi integras obtulerint ſine vitio pecudes, tamen claudas & cæcas & mutilas obtuliſſe cenſendi ſunt; imò quod magis, ſunt habendi, ac ſi plane nulla obtuliſſent. Hinc quamvis in deſerto Iſraëlitæ ſæpius ſacrificarint Domino, tamen quia multi id fecerunt non in fide, negat Deus, ſacrificia ipſi in deſerto oblata. Amos. 5: 25. *An ſacrificia & munus obtuliſtis mihi in deſerto, quadraginta annis, Domus Iſraël?* Hi miſeri, qui tam perverſa mente & pravo ſenſu ſacrificia obtulerunt, illis cultus ille nihil profuit, ſed plurimum obfuit; illique maledictionem, mortem & iram omni ſua munificentia, liberalitate & ſumptibus ſibi accumularunt. Et illorum reſpectu Moſis *miniſterium* pleniſſime fuit διακονία θανάτου & κατακρίσεως. 2 Cor. 3: 7. 9.

An Iſraëlitæ omnes rite intellexerint, quid ſibi velent ſacrificia?

§. 64. Non obſtantibus tamen miſeris his fuerunt multi & plurimi acti & ſanctificati à Spiritu ſancto, inter quos maxime reputandi ſunt Moſes, Aharon, omneſque illi Seniores, qui acceperunt de Spiritu Moſis & prophetarunt, Num. 11. qui memores verbi promiſſionis, tum factæ Adamo de *Semine* cujus *conteruntur calces*, tum repetitæ Abrahamo, cui dictum, *In Semine tuo benedicentur gentes*, quæ benedictio ad illas non potuit pervenire, niſi Semen illud ante factum fuiſſet κατάρα *exſecratio*, Gal. 3: 13. 14. hæredes fœderis gratiæ, *credentes ſalvari per gratiam Domini Jeſu Chriſti*, *quemadmodum*

& nos, Actor. 15: 11. in ſacrificiis omnibus, ſine dubio contemplati ſunt Filium Dei, crucifigendum & in mortem tradendum, illuminante illos Spiritu ſancto, & diligenter informante & inſtituente Moſe *ſervo fideli in tota domo Dei*. Num. 12: 7. Acceſſerunt deinde Prophetæ, qui *ſcrutati ſunt, in quod & quale tempus Spiritus Chriſti manifeſtaret paßiones illius & glorias*, 1 Pet. 1: 11. quæ prophetiæ *luculenti* umbrarum & figurarum ac ceremoniarum *commentarii* non dicentur abſurde. In cœcos autem illos Iſraëlis, qui tam *multa viderant*, & tamen *non obſervabant*; *audiverant*, & *non auſcultabant*, quibus *legem*, *doctrinam*, inſtitutionem *magnificaverat & eximiam fecerat Dominus*, optime quadrat illa Dei querela Eſ. 42: 19. 20. 21. *Quis cæcus, ut ſervus meus? quis ſurdus, ut legatus meus?*

Oblatio manipuli. §. 65. Præterea & id ad *δῶρα dona* ſeu oblationes referendum eſt, quod Deus juſſit in tempore *meßis adducere manipulum initii* ſeu *primitiarum meſſis*, & *ut* ille manipulus *agitaretur coram Domino a ſacerdote*, hoc eſt, exhiberetur & repræſentaretur coram Jehova, ita ut citra adolitionem ſtaret illius oblatio. Qui manipulus ab illa oblatione dicitur עֹמֶר הַתְּנוּפָה *manipulus oblationis*, dicitur offerri *ad acceptationem* Iſraëlis, לִרְצֹנְכֶם, hoc eſt, ut grati ſint Domino & accepti. Fiebat id *poſtridie Sabbati*, hoc eſt, die, qui Sabbatum ſequitur, quique ſeptimanæ primus eſt, nobis dictus *Solis*, ſeu *Dominicus*. *Panem* è frumento nimirum novo, & כַּרְמֶל *novam frugem* nemo debebat edere aut guſtare, uſque dum oblatio manipuli facta eſſet. Lev. 23: 10. 13. 14.

§. 66. Manipulus ille fuit primitiæ ſeminum, quæ in terram projecta, videbantur mortua, poſtquam autem è terra prodierant, & incrementum ſuum acceperant, iterum è morte reviviſcentia. 1 Cor. 15: 36. *quod tu ſeminas non vivificatur, niſi mortuum fuerit.* Apparet manipulum illum typum eſſe Chriſti, poſt mortem è morte reſurgentis. Vocatur Chriſtus *ἀπαρχὴ primitiæ*. 1 Cor. 15: 20. *primitiæ eorum qui obdormiverunt exſtitit.* ỷ. 23. *primitiæ Chriſtus.* Vere ille eſt manipulus primitiarum, qui *primogenitus eſt è mortuis.* Col. 1: 18. Manipulus *offertur Domino*; reſurrexit Chriſtus, *ut ſedeat ad dextram Dei*. Hebr. 10: 12. Manipulus offertur *poſtridie Sabbati*; is præciſe eſt dies reſurrectionis Domini: offertur *ad acceptationem Iſraëlis*; Chriſtus *reſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtram.* Rom. 4: 25. Ante oblationem manipuli nemini de *primis frugibus guſtare* licebat: ante reſurrectionem Chriſti *non accepimus primitias Spiritus*, Rom. 8: 23. nimirum *Spiritus adoptionis filiorum*, ibid. ỷ. 15. ſed poſt illam. Si Chriſtus non reſurrexiſſet, ut nos de noſtra certi non fuiſſemus reſurrectione, 1 Cor. 15: 12. 13. ita nec bona & dona Chriſti guſtare potuiſſemus. Reſurgendo enim & aſcendendo in altum *accepit dona in hominibus* Pſalm. 68. hoc eſt, *danda hominibus*. Eph. 4: 8.

Munus novum. §. 67. *Quinquaginta dies* poſt oblatum manipulum debebat offerri *munus novum* מִנְחָה חֲדָשָׁה; *Panis oblationis*, לֶחֶם תְּנוּפָה *fermentatus*: diciturque ille panis בִּכּוּרִים לַיהוָה *πρωτογεννήματα primitiæ Domino*, & לֶחֶם הַבִּכּוּרִים *panis primitiarum*. Levit. 23: verſ. 15 -- 20.

§. 68. Quinquaginta dies à reſurrectione Domini miſſus eſt & effuſus Spiritus ſeu è cælo, *in die Pentecoſtes*, Actor. 2: 1 -- 16. qui eſt vere *munus novum*, utpote qui dicebatur *ante non fuiſſe*, Joh. 7: 39. Actor. 19: 2. eſtque inter illa munera, quæ Dominus Jeſus accepit danda hominibus, primum & maximum, Spiritus *fidei*, *gratiæ*, *precum*, *ſolatii*; *alter* ille *advocatus*, Joh. 14: 16. מַגִּיד מִשְׁנֶה *index alter*. Zach. 9: 12. *Spiritus* optime ſub figura *panis* proponitur. Ut enim panis intrat in hominem, ita Spiritus in animam & corpus. *Spiritus Dei habitat in vobis*. 1 Cor. 3: 16. & ut panis roborat, ita & Spiritus in

ſuis

ſuis eſt *Spiritus roboris*. Eſ. 11:2. Spiritus hic, qui facit ſanctos *feſtum agere* ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας ϗ ἀληθείας. 1 Cor. 5:verſ. 8. cum *fermento*, hoc eſt, corruptione & infirmitate noſtra luctari neceſſum habet.

Cibi & potiones.

§. 69. Poſtulat autem ordo, ut poſtquam ſatis de donis & oblationibus diximus, de βρώμασι ϗ πόμασι agamus.

Animalia pura & impura:

§. 70. Non omnibus veſci animalibus liberum erat Iſraëli: habebantur quædam impura, quædam pura, ut & aves, imo & piſces. Levit. 20:25. *Et diſcernetis inter animal purum & impurum, & inter avem immundam ac mundam.* Lege de his Levit. cap. 11. & Deut. 14: 4–20. Omne animal *findens ungulas*, & *ruminans purum* habebatur; & liberum erat, ut ederetur. Omnia alia erant *impura*, inter quæ λαγὼς, δασύπους *lepus*, & *porcus*: de illis eſt Levit. 11: 8. *A carne illorum non comedetis, cadaver illorum non attingetis; impura enim ſunt vobis.* confer ꝟ. 11. 25. 27. 28. Ante diluvium jam videtur fuiſſe animalium purorum & impurorum diſcrimen. Gen. 7:2. 8.

Animalia quæ non ſunt eſui.

§. 71. Sunt animalia, à quorum eſu natura abhorret, qualia illa, quæ carnibus veſcuntur; canes, lupi, aquilæ: & quæ venena gerunt noxia, ut ſerpentes & baſiliſci; & quæ quolibet ſtercore & cœno aluntur, ut ranæ, & mures: denique quorum caro difficillima eſt ad concoquendum, ut equorum, elephantorum, urſorum; quorum carnes in uſum non niſi ingens neceſſitas vertit. At Deus T. O. M. interdicit populo ſuo eſu illorum etiam animalium, quæ eſui ſunt, & in deliciis habentur, ut ſunt porci & lepores, & illa *impura* dicit.

Nihil impurum per ſe.

§. 72. *Novi*, inquit Paulus, *& perſuaſus ſum in Domino Jeſu*, ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ, *quod nihil pollutum* ſive *fœdum eſt per ſe.* Rom. 14: 14. *Non id quod ingreditur in os polluit hominem, abit enim in ventrem*, (ϗ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται), inquit Servator Matth. 15: 11. 17. *Omnis creatura Dei eſt bona, & nihil rejiciendum.* 1 Tim. 4: 4. Inquirendum igitur, quem in finem Deus quaſdam creaturas *immundas* dixerit, & *immundare* ac *polluere animas.* Levit. 11: 43. 44.

Diſcrimen ciborum pars jugi.

§. 73. Cum tempore Apoſtolorum, in Eccleſia Antiochena quidam ſurrexiſſent, docentes, gentes eſſe circumcidendas, & debere *obſervare legem Moſis*, adeoque & diſcrimen ciborum, judicavit Apoſtolus Petrus, *Non eſſe imponendum jugum cervici diſcipulorum*, Jacobus, *non eſſe moleſtiam faciendam gentibus*, Apoſtoli denique omnes, *nullum magis illis imponendum onus.* Act. 15:5. 10. 19. 28. Unde docemur, diſtinctionem illam ciborum & animalium pertinere ad *onus*, & eſſe partem *jugi*, quod Eccleſia Iſraëlis olim bajulavit.

Puris omnia pura.

§. 74. *Omnia ſunt pura puris.* Tit. 1: 15. Ergo puris omnia etiam animalia ſunt pura, & nulli cibi impuri. Quos Chriſti *ſanguis purgavit*, hoc eſt, liberavit à peccati reatu & conſcientia, atque à peccati labe & macula illi vere *puri* ſunt. Illis etiam omnia *pura* ſunt, hoc eſt, illis licet omnibus creaturis uti, omnibusque cibis veſci *cum gratiarum actione.* 1 Tim. 4: 3. 4. Dominium enim in creaturas, quod Adam in prima creatione accepit, ſed per peccatum amiſit, in Chriſto & per Chriſtum recuperant: id quod dicitur, Pſalm. 8: 7. 8. 9. *Facis illum dominari in opera manuum tuarum, omne poſuiſti ſub pedibus ejus, oves, boves, pecudes agri, aves celi, piſces maris*; adeo illis nulla animalia impura amplius ſunt. Ut autem puris omnia ſunt pura, ita impuris ſunt omnia impura; ideoque quod animalia quædam olim dicta ſunt impura, id non factum vitio illorum ſeu vitio proprio (nil enim in ſe impuriora erant pleraque animalia, dicta impura, illis, quæ dicebantur pura) ſed reſpectu hominis, & propter hominem impura nominantur. Fuitne igitur totus Iſraël *impurus?* Certe

docet

docet Paulus, Hebr. 10: 1. 2. *legi ſervientes adhuc habuiſſe conſcientiam peccatorum*, & *nondum fuiſſe κεκαθαρμένους purgatos*. *Purus* fuit Iſraël, quatenus vocatus, ſanctificatus, glorificatus. *Nonpurus*, & *necdum purgatus*, quatenus conſcientiam adhuc habuit peccati, & fateri cogebatur *reatum* adhuc exſtare, eatenus, ut Filius Dei ejus abolendi cauſa neceſſum haberet deſcendere è cælo, & fieri peccatum, & tradi in mortem. Igitur quia Iſrael, electus Dei populus, hoc ſenſu adhuc erat *impurus*, nondum plene purgatus, ut commonefieret de illa impuritate, placuit Deo animalia quædam impura vocare, & illorum eſui interdicere. Quod & moleſtum & oneroſum fuit; imo illa abſtinentia ab uſu tot pecudum fuit quaſi *chirographum illis ſubcontrarium*, quo fatebantur, cauſam purgationis illorum nondum *actualiter* exſtare, adeoque *jus* dominii in creaturas nondum illis *actu* acquiſitum.

Excluſio animalium, figura excluſionis gentium.

§. 75. Fuit etiam excluſio tot animalium & tantus delectus ciborum figura & adumbratio excluſarum olim gentium à gloriis Iſraël. Ut enim attingere non debebat Iſraël animalia illa impura, nec edere, ſic nec ad communionem admittere gentes, nec habere illas pro *concivibus ſanctorum & domeſticis Dei*. Eph. 2: 19. Hinc poſtquam vidiſſet Petrus *cælum apertum, & vas ad ſe deſcendens, in quo erant aves cæli, & reptilia, & pecudes ac audiviſſet vocem Petre, macta & ede, quod Deus purificavit, tu ne impurum dicas*, ſtatim deinde aperiens os fatetur, *In veritate deprehendo, quod in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, gratus Deo eſt*. Act. 10: 11. 12. 34. 35. Ita viſio illa, & mandatum edendi τὸ κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον, ℣. 14. utpote ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, docuit illum, diſtinctionem & excluſionem gentium nunc ceſſare & ablatam eſſe, & *in omni gente*, hoc eſt, in Judæis & Græcis, habere Deum δεκτὸς αὐτῷ.

Pura animalia typum habuerunt ſanctorum.

§. 76. Habuerunt autem animalia in eſum conceſſa, *ruminantia*, & *fiſſas ungulas habentia*, quæ *pura* dicebantur, habuerunt illa, inquam, typum *Sanctorum*, & *Cordis* per fidem purgati. *Ruminatio* adumbrat ruminationem myſteriorum legis, & verbi Dei, quod meditantur Sancti interdiu & noctu. *Fiſſa ungula*, quæ firmos figunt greſſus, conſtantiam & perſeverantiam in agnita veritate. In corde ſanctificato eſt meditatio cum conſtantia; non conſtantia temeraria, quæ eſt pertinacia; neque meditatio cum veloci greſſu, quæ eſt meditatio doloſi; ſed meditatio ad veſtigia figendum. Tales homines, qui cogitant & ſcrutantur, in quo ſibi manendum eſt, & in eo manent, & à bono non recedunt, pro *puris* à nobis aſſumi, & pabulum ac *cibus* noſter, hoc eſt, delectatio ac voluptas eſſe, & *unum* cum ſanctis, quemadmodum caro, quæ comeditur, fit unum cum carne noſtra, cum ſanctis inquam, qui & ipſi ſancta conſilia habent cum firma conſtantia, & nunquam deſinente perſeverantia, eſſe debent.

Impura impurorum.

§. 77. Viciſſim Animalia *impura* dicta, typum habent hominum, qui nec delectantur agnitione Dei, nec in veritate perſiſtunt, quique a ſanctis fugiendi ſunt: *quibus contigit id, quod in vero illo eſt proverbio, canis rediens ad proprium vomitum*, &, *ſus lota, ad volutabrum cœni*, 2 Pet. 2: 22. quique verè ſunt κακὰ θηρία *mala* ſeu impura *animalia*. Tit. 1: 12.

Sententia quorundam de cibis antediluvianis.

§. 78. Licuit igitur Iſraelitis animalia & carnes comedere, quamvis non omnes. Sunt qui ſtatuunt, homines ante diluvium carnes plane nullas comediſſe, donec tandem olerum pertæſi, & τῆς ὀπώρας τροφῆς, cœperunt illis veſci; imo Adamo in ſtatu innocentiæ *herbas* tantum arboreſque in cibum datas, quod è loco, Geneſ. 1: 29. 30. non ſatis dextre intellecto concludunt; & Noachum poſt diluvium demum expreſſum accepiſſe mandatum de jungendis in cibum reptilibus cum herbis; quo detorquent locum Gen. 9: 3. *Omne ſe movens, quod vitam habet, erit in cibum vobis; ut viridem herbam dedi vobis omnia.* Sed hæc aliena ſunt à ſcopo noſtro.

§. 79. Ab

§. 79. Ab eſu *adipis* abſtinere etiam debuerunt Iſraëlitæ. Levit. 3: 16. 17. Levit. 7: 23. *Omnem adipem boum, ovium & caprarum non comedetis*, confer verſ. 24. & 25. *omnis comedens adipem, exſcindetur anima illa è populo ſuo.* confer §. 23. Adumbrare divina voluit ſapientia hominem *Deo* ſuo dare & largiri debere *adipem*, hoc eſt, optimum & præſtantiſſimum ſui. Ita dicitur ænigmatice Ezech. 44: 15. *Sacerdotes, Levitas, filios Zadok, ſtare coram Domino ad offerendum illi adipem.*

Interdictum de adipe.

§. 80. Etiam ab eſu & potu *ſanguinis*. Levit. 3: 17. *Statutum ſeculi in generationibus veſtris in omnibus manſionibus veſtris, omnem ſanguinem non comedetis.* Levit. 7: ℣. 26. Levit. 17: 10. 12. *Omnis anima è vobis non comedet ſanguinem.* Deut. 12: 16. *Sanguinem non comedetis, in terram effundetis illum, ut aquas.* confer verſ. 24. 25. 26. Imo juſſit Deus, ne comederent עַל הַדָּם *ſuper ſanguine*, Lev. 19: 26. hoc eſt, in loco, ubi ſanguis eſſet fuſus, & pulvere non adobrutus. Lev. 17: 13. 1 Sam. 14: 32. 33. Et quod maximum eſt, ſanguinem *cibum* ſuum vocat, Ezech. 44: 7. לַחְמִי חֵלֶב וָדָם *cibus meus eſt adeps & ſanguis.*

Interdictum de ſanguine.

§. 81. *Sanguis* dicitur *anima* animalium, hoc eſt, vita illorum, & principium omnis motus. *Vis animi eſt ſanguis circa præcordia*, Empedoclis dictum. Sanguis per venas ab ipſo corde in omne corpus diffuſus, in illo plus cæteris humoribus operatur, & quaſi principatum in illo gerit. Ubicunque vulnus infligitur, ſanguis omnium primus effluit & procedit. vide Deut. 12: 23. הַדָּם הוּא הַנָּפֶשׁ *Sanguis eſt anima, non comedes animam cum carne.* Gen. 9: 4. *Carnem cum anima ſua, ſanguine ſuo, non comedetis.* Lev. 17: 11. *Anima carnis, h. e. animalis, eſt in ſanguine.* confer ℣. 14. Porro de ſanguine dicit Deus Lev. 17: 11. *Quia anima carnis in ſanguine eſt, ideo ego dedi illum vobis ſuper altare ad expiandum ſuper animas veſtras. Nam ſanguis animam expiabit.*

Sanguis eſt anima, expiat animas.

§. 82. Scilicet quamdiu *ſanguis aſperſionis, meliora loquens*, Hebr. 12: ℣. 24. effuſus nondum erat, ſed adhuc debebatur *Deo*, noluit Deus *ſanguinem pecudum*, quem in typum illius ordinaverat, comedi, ſed altari & Deo reſervari, ut ita perpetua eſſet *ἀνάμνησις commemoratio ſanguinis*, ad reconciliationem Dei, & expiationem peccati effundendi. In ſacra cœna accipimus *calicem*, de quo Servator, *Hic eſt ſanguis meus, qui effunditur pro multis*, Matth. cap. 26: verſ. 28. quem *bibimus in recordationem Domini.* 1 Cor. cap. 11: verſ. 25. In hoc calice eſt commemoratio ſanguinis effuſi. In ſanguine pecudum ſanguinis, ut adhuc effundendi. In calice eſt *communio ſanguinis Chriſti.* 1 Cor. 10: 16. In ſacrificiis pecudum excluduntur quaſi offerentes à communione ſanguinis: nam nec comedere nec potare ullum licebat. Unde cernitur, quam illa commemoratio ſanguinis Filii Dei, quæ erat in ſanguine pecudum, fuerit imperfecta, exprobranſque debitum, & communionem ſanguinis, hoc eſt, beneficiorum, quæ ſanguis melior acquirit & parat, nondum conſummatum.

§. 83. Pariter quia ſanguis pecudum oblatus reſpondet *animæ* ſive inſtrumento vitæ corporis humani, Deus ſanguinem ſibi poſtulando, commonefacere voluit, vitam animamque hominum deberi Deo, & obnoxiam fore judicio & mactationi, niſi *anima* juſti Dei ſervi, *effundenda eſſet in mortem.* Eſ. 53: 12.

§. 84. Igitur quod *ſanguis* pecudum dicitur *cibus Dei*, cum tamen alibi Deus proteſtetur, *numquid bibam ſanguinem hircorum?* Item *expiare animas*, cum impoſſibile ſit, *illum auferre peccata*, id non alio ſenſu accipiendum eſt, quam quatenus umbra fuit & ſacramentum *pretioſi ſanguinis*, qui vere *cibus* Dei eſt, in quo *εὐδοκεῖ beneplacitum habet*; quippe eſt לְרָצֹן *in acceptationem*, quo *redemti ſumus*, 1 Petr. 1: 19. & *purgati* 1 Joh. 1: 7. Hebr. 9: 14.

 §. 85. Præ-

Interdictum de ſanguine Noacho latum; & an nos obliget.

§. 85. Præceptum de non edendo ſanguine etiam Noachus accepit, Geneſ. 9: 4. unde multi in eam delabuntur ſententiam, *abſtinentiam à ſanguine* debere eſſe perpetuæ obſervationis; & quod Apoſtoli Antiochenis olim conſuluerunt, *abſtinere a ſanguine*, Actor. 15: 28. 29. id totam Eccleſiam obligare ad finem uſque mundi; neque adeo nobis ſolutum aut liberum eſſe ſanguinis uſum; attamen, quia ſcimus *non id polluere hominem, quod in os ingreditur*, Matth. 15: 11. *omnem creaturam Dei eſſe bonam, nec rejiciendam, cum gratiarum actione aſſumendam*, 1 Tim. 4: 4. imo non debere fideles, *ut viventes in mundo*, novis rurſum *dogmatibus*, inter quæ unum eſt, *μὴ γεύσῃ ne guſtes, onerari*, Col. 2: 20. 21. non poſſumus *ſanguinem*, ut creaturam Dei, ab uſu noſtro rejicere, nec dogma adverſum in humeros noſtros ſuſcipere.

Satanas lambere ſolitus ſanguinem in gentilium ſacrificiis profuſum.

§. 86. Ut Satanas gentes ad mactandum ſacrificia olim impulit, ita & *ſanguinem* ab illis profuſum ſingulariter amavit, idque lambendo & lingendo ſanguinem teſtatus eſt. Narrat Maimonides *in Moreh* lib. 3: cap. 46. *gentem* הצאבה *Zabiorum* æſtimaſſe, *ſanguinem eſſe* מזון השדים *alimentum dæmonum*, & quod *omnis comedens ſanguinem*, השתתף עם השדים *in ſocietatem & communionem intret Dæmonum*, quodque tali *indicent res futuras*, quia autem אכילת הדם *eſus ſanguinis*, ſit res, שימאסהו טבע האדם *quam faſtidit natura humana* illos collegiſſe *ſanguinem* mactatarum animantium בכלי או בחפירה *in vas* quoddam, aut *in foveam*; circa quam aſſidentes & comedentes carnem mactatam, ſibi perſuaſerint, quod *dæmones ſanguinem comederent*, eo quod הוא מזונם *ſit cibus illorum*. Quando gentiles *mortuorum manes*, ut ex iis futura ſciſcitarentur, evocare volebant, ſanguinem fundebant, ut illò allicerentur: illuc reſpicit illud Horatii libr. 1. Serm. ſat. 8. de veneficio Canidiæ,

—— Cruor in foſſam confuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.

Convenit illud Homeri Odyſſ. λ. 36. τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα Ἐς βόθρον, ῥέε δ᾽ αἷμα κελαινεφὲς αἱ δ᾽ ἀγέροντο ψυχαὶ ὑπ᾽ ἐξ ἐρέβευς, *accepi oves, cervicem amputavi in fovea, fluxit ſanguis nubes offuſcans, animæ autem excitabantur ex inferno.*

Gentes humanum bibere ſolitæ ſanguinem.

§. 87. Imo eouſque miſeras Satan ſæpe præcipitavit gentes, ut nec ab humano ſanguine abſtinerent. Ita ſolebant *Sordiſci*, Thraciæ populus, humanum ſanguinem in capitum captivorum oſſibus potare. *Scytharum & Medorum* diſciplina uſitata fuit, mutui ſanguinis uti hauſtu fœdera ſancirent, qualis potus *aſſiratus* dicebatur, ab antiquo *aſſir*, quod eſt *αἷμα*. Humaniores tamen multæ fuerunt, quæ adeo ab hac crudelitate abhorruerunt, ut infamiæ notam Chriſtianis inuſturæ illis humani ſanguinis potum exprobrarent, à quo crimine illos purgaturus Minutius Felix in Octavio hunc in modum ait, *tantum nos humano ab ſanguine cavemus, ut nec in cibis noverimus ſanguinem.*

Abſtinentia à vino.

§. 88. Debebant nonnunquam Iſraëlitæ abſtinere à *vino*, ut in voto נָזִיר *Nazirai*, de quo vide, Num. 6: 2. 3. *à vino & ſicera abſtinebit. Acetum non bibet*; *& omnem ſolutionem uvarum non bibet*, hoc eſt, quicquid ex uvis fluit, ſive preſſis ſive maceratis. Etiam Aharon & Filii *vini* debebant eſſe abſtemii, cum *venirent ad tentorium conventus, ut ne morerentur*. Levit. 10: 9.

Potus ſuſpectæ mulieris.

§. 89. Uxori, quam maritus ſuſpectam habebat, præparabatur potus ex *aquis ſanctis & pulvere, qui erat in ſolo ſanctuarii*, de quo ſuſpecta haurire debebat. Eæ aquæ dicebantur מֵי הַמָּרִים הַמְאָרְרִים *aquæ amaræ maledicentes*. vide Num. 5: 12 - 31.

Feſta.

§. 90. Pervenimus nunc ad obſervationes dierum, menſium, feſtorum, Sabbatorum, de quibus tertio nos loco acturos promiſimus §. 1.

Dies ſtati Jehovæ.

§. 91. *Tempora* obſervanda ab Iſraële vocantur מוֹעֲדִים Levit. 23: 2. מוֹעֲדֵי יְהוָה *Dies ſtati Iebo-*

Iehovæ. Illi cum illuxerant, præconis voce publicè proclamabantur; imo & tuba. Id dicitur Levit. 23:2. *indicetis indictionibus Sancti.* Num. 10:10. *In feſtis veſtris, & noviluniis veſtris clangetis buccinis.* Eum autem tempora illa habent ordinem.

§. 92. Septimus quilibet dies erat *Sabbatum Domino:* de illius prima inſtitutione, præcepto, indole & ſignificatione egimus *capite ſeptimo* §. 43-63. vide Levit. cap. 23: ℣. 3. Num. 28:9. 10. Sabbatum.

§. 93. ראשׁי חדשׁים *capita menſium*, hoc eſt, primus dies menſis, quo nova conſpicitur luna, feſtus erat. Id dicitur Græcis νεομηνία, Latinis *novilunium*, Hebræis, חדשׁ quod ex etymo *innovationem* ſignificat, luminis nimirum nocturni, quod in tenebris lucet. Amos. 8: 5. *quando tranſibit novilunium* החדשׁ *ut vendamus annonam.* Videntur ea feſta nonnunquam continuata fuiſſe, 1 Sam. 20: 24. 27. 34. etiam buccinarum clangore notificabantur, Num. cap. 10: 10. erat in illis שׁבתון *ceſſatio* ab operibus, Levit. 23:24. ſacrificia ſolemnia offerebantur, Num. cap. 28: verſ. 11-15. *Novilunia* hæc numerat Paulus inter *umbras futurorum.* Col. 2: 16. 17. Symbolum fuerunt *novæ lucis*, quam Chriſtus, *Lux hominum, veniens in mundum*, Joh. cap. 1: verſ. 4. 9. Luc. 2: verſ. 32. accendit, poſt ſpiſſas tenebras, quæ omnium impleverant corda; Eſ. cap. 9: verſ. 1. *Sedentes in tenebris, viderunt lucem magnam, ambulantes in terra umbræ mortis, lux ſplenduit ſuper illos.* Eſ. 60: 1. *Surge, luce, nam venit lux tua.* Joh. 1: 4. *Lux in tenebris lucet:* confer 2 Tim. 1: 10. Epheſ. 3: 9. 5: 14. *Surge dormiens*, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστός. Hoc tempus *novæ lucis*, per novilunia adumbratum, in Prophetis ſæpe *Novilunium* vocatur, uſitata figura, qua nomen figuræ datur rei figuratæ; umbræ veritati. Pſalm. 81: 4. *clangite in novilunio tuba.* Eſ. 66: 23. *Et erit è novilunio in novilunium veniet omnis caro ad adorandum.* confer. Ezech. 46: 1. 6. Qua ratione etiam tempus *veræ quietis*, adumbratum per Sabbatum hebdomadale, *Sabbatum* vocari conſtat Eſ. 56: 4. 6. 58: 13. 66: 23. & *oblationes juſtitiæ*, quæ Deo dignæ ſunt, per vetera ſacrificia repræſentatæ, *ſacrificia* dicuntur. Pſalm. 51: 21. Eſ. 56: 7. 60: 7. Hoſ. 14: 3. Heb. 13: 10. 15. 16. Si autem Novilunia vetera, umbra & figuræ meliorum, ſanctâ quiete, & multorum oblatione ſacrificiorum debuerunt ornari; quanto magis decet eos, quibus Lux nova, *Sol juſtitiæ* ortus eſt, & *in quorum cordibus* ἔλαμψεν *luxit Deus*, 2 Cor. 4: 6. perſeverantes *exiſtere in ſanctis converſationibus & officiis pietatis?* 2 Pet. 3: 11. Novilunia.

§. 94. *Menſe primo, decimo quarto Menſis* eſt *Paſcha Domino*, & *die decimo quinto Feſtum azymorum*, cui *ſeptem dies* aſſignantur, Levit. 23: 5. 8. de utroque multis egimus ſupra *capite quarto* §. 4. 22. De ſacrificiis, quæ durante hoc feſto publice fieri debebant, vide. Num. cap. 28: verſ. 16-25. Quomodo Paſcha celebratum ſit *in deſerto*, lege, Num. cap. 9: verſ. 1-8. ubi illis, qui ob impuritatem contractam ab attactu hominis mortui, Paſcha *die ſuo* comedere non poterant, permittitur, ut id comedant *menſe ſecundo, die decimo quarto*, ℣. 10-14. In die Paſchatis fiebat *oblatio manipuli*, de qua ſupra §. 65. 66. Paſcha. Feſtum azymorum.

§. 95. Feſtum azymorum excipit *dies primitiarum*, quinquaginta elapſis diebus ab oblatione manipuli, faciunt illi *ſeptem Sabbata plena*, hoc eſt, ſeptimanas plenas. Illo die offertur *Munus novum*, de quo actum §. 67. 68. confer Lev. 23: 15-21. Num. 28: 26-30. Feſtum hoc unius tantum videtur fuiſſe diei. Vocatur etiam *feſtum ſeptimanarum*, Deut. 16: 9. 10. 11. à ſeptem illis ſeptimanis, quibus diſtabat ab oblatione manipuli. Item *feſtum meſſis*, Exod. 23: 16. quia in id incidebat tempus, quo fuerat *falx meſſoria in ſegete.* Deut. 16: 9. Dies primitiarum. πεντηκοστή.

Primus dies menſis ſeptimi, dies jubilationis.

§. 96. *Primus dies menſis ſeptimi*, quanquam is ob novilunium feſtus eſſet, imprimis tamen feſtivus haberi debebat. Cui præter ſacrificia ordinaria, quæ ſemper in noviluniis fiebant, & tunc etiam fieri debebant, adhuc alia, & dici illi peculiaria, aſſignantur. vide Num. cap. 29: verſ. 6. De illo dicitur, יוֹם תְּרוּעָה *dies jubilationis erit is vobis*, Num. cap. verſ. 1. item, *memoriale clangoris* ſive *jubili*. Levit. cap. 23: verſ. 24. Hic menſis ſeptimus vocatur *menſis Etanim*. 1 Reg. cap. 8: verſ. 2. Eſt autem hic menſis ſecundum computum politicum, cujus in formandis contractibus, & curandis communibus vulgaribuſque negociis ratio ſemper habebatur, *primus* omnium menſium; fuitque in illo רֹאשׁ הַשָּׁנָה *initium novi anni*: dicitur autem *ſeptimus*, propter computum menſium Eccleſiaſticum, ſub finem habitationis in Ægypto à Deo inſtitutum. Exod. cap. 12: verſ. 2. Igitur hic *dies jubilationis* in ipſo novi anni initio celebratus eſt. Non obſcure docemur *jubilationem Sanctorum*, de qua eſt, Num. cap. 23: verſ. 21. תְּרוּעַת מֶלֶךְ *jubilatio Regis in illo eſt*, nimirum Jacobo & Iſraële, cujus *anima Dominum magnificat*, & *cujus ſpiritus exultat in Servatore Deo*, Luc. cap. 1. verſ. 46. 47. plenius incepturam cum initio anni melioris, quem Prophetia vocat *annum acceptationis*, annum gratiæ, quo *conſolationem* accipiunt *lugentes Zion*, quibus *datur ornatus in locum pulveris*; *oleum alacritatis in locum luctus*. Eſ. cap. 61: verſ. 2. 3. Vere ſunt tempora illa, quæ ſequuntur mortem, reſurrectionem & aſcenſionem Dei Servatoris, qui dicitur *aſcendiſſe* בִּתְרוּעָה *cum clangore* & jubilo. Pſalm. cap. 47. verſ. 6. tempora & dies ἀλαλαγμῶ *jubili* & gaudii. Sancti enim *benedicti omni benedictione ſpirituali*, Epheſ. cap. 1: verſ. 3. filii *Regni*, quod eſt *pax* & *gaudium*, Rom. cap. 14: verſ. 17. gaudent in Deo ſuo, canunt canticum novum Agno pro illis mactato, lætantur in deliciis Salvatoris, juxta monitum Pauli, *Lætamini in Domino ſemper, rurſum dico, lætamini*. Phil. 4: 4.

Dies Kippurim.

§. 97. *Die decimo menſis ſeptimi* eſt יוֹם הַכִּפֻּרִים *dies expiationum*. De ſacrificiis in illo die offerendis vide ſupra §. 32-46. Alia tamen adhuc præter illa illo die fieri debebant. Num. cap. 28: verſ. 7-11. In ſpecie juſſit Deus in hoc die *animas ſubigere*. *Et ſubigetis* ſeu *debilitabitis animas veſtras*, Levit. cap. 16: verſ. 29. 31. cap. 23: verſ. 27. hoc eſt, jejunare, nam jejunio debilitatur anima, vireſque carnis minuuntur: Pſalm. 35: verſ. 13. *debilitavi in jejunio animam meam*. Ii, qui *expiantur* ſanguine Chriſti, carnem & vetuſtum hominem, omneſque animæ concupiſcentias ſubigere & domare debent. Rom. cap. 6: verſ. 12. Non vivunt mundo, nec curant ea quæ ſunt carnis, ſed *vivunt Chriſto*, qui pro illis mortuus eſt; cujuſque regnum non eſt eſus & potus, nec voluptas mundana, ſed *triſtitia*, *quæ eſt ſecundum Deum*. 2 Cor. cap. 7: verſ. 10. 11. Sanctorum expiatorum eſt jubilare ac gaudere in Domino, deinde etiam lugere & flere. Zach. cap. 12: verſ. 10. *Vacare jejunio* & *precibus*, omnino ſanctos decet. Paulus & Barnabas dicuntur *oraſſe* μετὰ νηστειῶν. Actor. cap. 14: verſ. 23.

Feſtum tabernaculorum.

§. 98. *In diem decimum quintum* ejuſdem menſis ſeptimi incidit חַג הַסֻּכּוֹת ἑορτὴ σκηνῶν, ſeu σκηνοπηγίας *feſtum tabernaculorum*, *ſeptem dierum*: hoc dierum intervallo *habitare* debebant *in tabernaculis*. Levit. 23: 34-36. 39. 40. 41. Plura durante hoc feſto, quam unquam alias, ſacrificia Deus offerri voluit. Num. 29: 12-28. Vocatur id etiam *feſtum collectionis*, Exod. 23: 16. quia illo tempore *omnes proventus terræ*, *ex area*, & *è torculari* comportabantur. De hoc feſto lege Deut. 16: 13-15. Cur Deus populum voluerit habitare in tabernaculis, ipſe indicat, Levit. 23: 43. *Ut ſciant generationes veſtræ, quod in taber-*

tabernaculis feci bibitare filios Iſraël, cum eduxi illos è terra Ægypti. Sed ut cætera feſta fuerunt σκιὰ *umbra*, ita & hoc: id apparet è Zach. cap. 14: verſ. 16. *Et erit omnis ſuperſtes ex omnibus gentibus, quæ venerunt contra Hieroſolymam, & aſcendent ex anno in annum, ad adorandum Dominum, & ad agendum feſtum tabernaculorum. Eterit, qui non aſcendet, non erit ſuper illos pluvia*, quæ myſticè intelligi debere clarum eſt. Feſtum tabernaculorum ultimum fuit anni Eccleſiaſtici. Fideles Novi Teſtamenti, *in quos ultima ſeculorum inciderunt*, 1 Cor. cap. 10: 11. confer 1 Joh. cap. 2: verſ. 18. *Filioli, ultima hora eſt*, inde diſcere habent, illorum eſſe *habitare in tabernaculis*, hoc eſt, agnoſcere, quod non habeant *hic civitatem manentem*, Hebr. cap. 13: verſ. 14. quod ſint *hoſpites & peregrini in terra*, Hebr. cap. 11: verſ. 13. quod illorum πολίτευμα non ſit in hoc mundo, Phil. cap. 3: verſ. 20. quod illorum ſit anhelare ad cœleſtem Canaan, quæ *civitas eſt fundamenta habens*, Hebr. 11:10. quemadmodum Patres Iſraëlitarum, in deſerto in tentoriis habitantes, anhelarunt ad intrandum in terram Canaan illis promiſſam; quodque debeant prompti eſſe ad exeundum ex hoc mundo, quemadmodum, qui in tentoriis habitant, cito ſedem transferre, & alio ſe conferre poſſunt. Quod autem Prophetia docet, *omnes ſuperſtitem ex omnibus gentibus* feſtum hoc acturum, illo notatur, fore aliquando, ut reliquiæ illarum gentium, quæ contra ſanctam pugnarunt Hieroſolymam, hoc eſt, Eccleſiam, quæque militarunt pro *magna illa & valida civitate, quæ omnes gentes potavit vino ſcortationis ſuæ*, quæ dicitur *Babylon* Apoc. 18:3. 10. derelicta urbe hac viſibili, agnoſcant, illos, qui *Regem exercituum* adorant, non autem amplius *Beſtiam*, *habitare* debere *in tabernaculis*, & non intrare in *civitatem* illam, quæ gloriatur *ſedeo Regina*, Apoc. 18:7. & non debere ædificare domos in hoc mundo, in quibus ſe manſuros putent perpetuo, ſed inſtar peregrinantium, & in via tentoria ſua tendentium affectos eſſe debere; hoc eſt, ad patriam & portum anhelare, & ſuperna quærere. Id non facientibus minatur Prophetia defectum *pluviæ*, hoc eſt, gratiæ divinæ & ſanctificationis, qua ut campi aquis, corda ſuaviter humectantur, ad ferendum fructus juſtitiæ.

§. 99. *Quinquageſimus* quilibet *annus* etiam *ſanctificari* debebat. *Et ſanctificabitis annum quinquageſimum, & promulgabitis* דרור *libertatem in terra, & redbitis quiſque ad poſſeſſionem & familiam ſuam.* Levit. 25: 10. 11. Igitur quolibet quinquageſimo anno obtigit Iſraëlitis *libertas* ἐλευθερία quæ ſervituti, captivitati, debitioni, & omni obnoxioſitati opponitur. Vocatur autem is annus יובל *jobel*. Levit. 25: 10. *Jobel hoc erit vobis. Jobel erit vobis annus quinquageſimus.* verſ. 13. *in anno Jobel hoc*. Vox יובל naturaliter *arietem* ſignificat, deinde ponitur pro σάλπιγγι *tuba*, *buccina*, Exod. 19: 13. quia buccinæ è *cornibus* arietum, quæ Plinius docet lib. 11:37. *cava eſſe, & in mucrone demum concreta* fieri ſolent. Quia autem annus quinquageſimus publicabatur *ſonitu buccinæ*, ut apparet, *arietinæ*, vocatur ille *Annus Jobel*, quaſi dicas *Arietis*, per ſonitum buccinæ arietinæ promulgatus. Neque hoc caret myſterio. *Libertas*, quæ publicabatur & concedebatur omnibus, fuit umbra melioris & *ſpiritualis libertatis*, quam Scriptura, ut bonum eximium & ſingulare à Filio Dei acquiſitum & paratum, deprædicat. Ioh. 8:36. *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Gal. 5: 1. *Libertate igitur, qua Chriſtus vos liberavit, ſtate*: de qua etiam ſermo eſt, Eſ. 61: 1. *miſit me ad prædicandum captivis* דרור *libertatem. Buccina* notat claram altamq; *vocem*, qua libertas hæc annunciari debuit. *Vox ſpeculatorum tuorum, extulerunt vocem.* Eſ. 52:8. Buccina *Jobel*, h.e. arietina, è cornu facta *arietis*, notavit, merito, efficacia & juſſione illius, qui ſub figura arietis toties monſtratus erat, qui *ut ovis, ut* Annus Jobel.

Aries ad mactationem יֻבָל *ductus eſt* Eſ. 53:7. (N B. יֹבֵל יוּבַל) factam & promulgatam *libertatis* prædicationem. *Dominus*, qui *aſcendit in altum*, hoc eſt, Chriſtus, *dedit* אֹמֶר *verbum*, hoc eſt, mandatum. *Evangelizantium*, libertatem nim. & juſtitiam, *exercitus magnus eſt*, Pſalm. 68: 12. Agnoſcamus igitur *buccina arietina* proclamatam eſſe *Libertatis*, & *Pacis*, & *Regni cœlorum* περιποίησιν *acquiſitionem*, hoc eſt, ſonora voce Agni Dei, & Apoſtolorum, quos ire juſſit εἰς ὅλην τὴν οἰκουμένην.

Sabbatum Terræ. §. 100. Etiam *Terra* ordinavit Deus feſta & Sabbata. Levit. 25: 2. 3. 4. *Tunc ceſſabit terra Sabbatum Domino. Sex annis ſeminabis agrum. Sed anno ſeptimo, Sabbatum, ceſſatio erit terræ. Agrum tuum non ſeminabis.* Hæc quum legimus, non abs re in mentem nobis veniet ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως *exſpectatio rerum creatarum, quæ vanitati ſubjecta ſperant liberari a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Rom. 8: 19. 20. 21. Hæc liberatio cum advenerit, tum deſinet *creatura vanitati ſubjecta* eſſe, & *ceſſabit* in veritate, ὄντως, *Sabbatum Domino.*

Feſta pars jugi. §. 101. Et hæc de feſtis, noviluniis, ac ſabbatis dicta ſunto, quæ Deus, cum abſtinentia ab omni omnino opere, ſub pœna exterminii, in terra Canaan, cum magna multitudine oblationum pecuniarum, obſervari voluit. Paulus illa numerat *inter egena & infirma elementa, quibus* Iſraëlitæ olim *ſubjecti* fuerunt, Gal. 4: 3. 9. & de illis pronunciat Col. 2: 17. *quæ ſunt umbra futurorum.* Unde liquet, quod Deus, injungendo Iſraëli tot feſta, tam ſollicitè, cautè & tanta cum fuſione ſanguinis pecudum agenda, non recommendarit populo τὴν ἀγαθὴν μερίδα *optimam partem*, ut ita loquar è Luc. 10: 42. quippe ipſe ſæpe illa ſprevit, & ſe illa aboliturum dixit, Eſ. 1: 13. 14. *Novilunium & Sabbatum, indicere indictionem, non poſſum pravitatem ferre. Novilunia & ſtata tempora veſtra odit anima mea.* Amos 5: 21. *Odi, reprobo feſta veſtra.* Hoſ. 2: 10. *Abolebo feſtum ejus, novilunium ejus, & Sabbatum ejus.* Quare & id ſecure dicere poſſumus, obſervantiam tot feſtorum eſſe partem non minimam τοῦ βάρους *oneris*, & ζυγοῦ *jugi*, quod olim Patres *portarunt* Actor. 15: 10. 28. & quamvis in illis fuerit *umbra bonorum futurorum*, Hebr. 10: 1. quæ Deus περὶ ἡμῶν κρεῖττόν τι προβλεψάμενος Hebr. 11: 40. nobis donavit, tamen in illorum παρατηρήσει fuit multa moleſtia, cura, anxietas. Profuit igitur illorum obſervantia, *niſi fide* illa agentibus, ad ſpei roboramentum, & fiduciæ incentivum, & exſpectationis fulcimentum. *Fide* autem deſtitutis non profuerunt, niſi ut a laboribus cottidianis reſpirandi haberent tempora, & externa ſpecie Deum viderentur coluiſſe, & mandati tenorem extrinſece impleviſſe. Sine fide autem feſta illa acta vix magis placere potuerunt Deo, quam feſta gentilium, *ſacra Eleuſinia*, quorum, teſte Suetonio, tanta religio erat, ut non niſi integri & ſceleris nullius ſibi conſcii intereſſe poſſent, aut quicquid ſolennium conviviorum, ludorum, & feriarum unquam celebrarunt, & magna cum pompa ac ſingulari devotione agitarunt. Et quamvis *fides* feſta olim fecerit utilia & multum docentia, tamen illa talia ſunt, ut quemadmodum ſacrificia, ita & illa in Chriſto abrogata ſint, & nunc piaculum foret, *velle* πάλιν ἄνωθεν *rurſum de novo illis ſervire*, Gal. 4: 9. aut pati, ut *quis* Eccleſiam ἐν μέρει *in ulla illarum parte judicet.* Col. 2: 16.

Variæ lotiones. §. 102. Sequitur nunc quartum tractationis noſtræ caput, quod de διαφόροις βαπτισμοῖς *diverſis lotionibus* aget.

§. 103. Lotiones variæ fuerunt & multæ. Ante tentorium in *labro* erant *aqua ad lavandum.* Lavabant ſacerdotes *manus & pedes*, quoties *accedebant ad altare.* Exod. 40: 30. 31. 32. *Holocauſtorum* lavabantur *genua & exta.* Levit. 1: 9. 13. Qui *ederat morticinum, veſtes & carnem* lavare debebat; &, ni faceret, *iniquitatem ſuam portare* dicebatur.

Levit. 17: 15. 16. *Omnis profluvio*, ſive *ſanguinis*, ſive *ſeminis*, *laborans*, purgare veſtes & lavare totum corpus debebat *aquis vivis*, Lev. 15: 13. 16.

§. 104. Omnis aqua vim mundandi & auferendi ſordes habet. Igitur in lotionibus illis fuit σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου *depoſitio ſordium carnis* & externe ita loti *puritatem carnis* adepti ſunt, hoc eſt, ut à communione altaris, & tabernaculi, & civium non excluderentur. At aqua illa externa ad animam penetrare non potuit, nec purgare à peccatis, nec auferre inquinamenta cordis; nedum ut profuerit ad gratiam & juſtitiam: fuitque potius in lotionibus illis *profeſſio* impuritatis perpetua; ſed & *commonefactio*, ut illas quærerent *aquas*, quas Scriptura *mundas* vocat, quibus Deus ſe *aſperſurum* promittit domum Iſraël, Ezech. 36: 25. de quibus Servator Joh. 3: 5. & Apoſtolus, Hebr. 10: 22. 23. Ut enim non *redempti* ſumus *corruptibilibus*, *auro & argento*, ſic nec *loti* corruptibilibus aquis, ſed *ſanguine Agni pretioſo*, & *Spiritu promiſſionis ſancto*. Significatio lotionum.

§. 105. Qui *ſaucium gladio*, aut *mortuum*, aut *oſſa hominis mortui*, aut *ſepulchrum* attigerat, *ſeptem dies impurus erat*; deinde lavabatur *aquis*, quæ dicebantur מֵי נִדָּה *aquæ fœditatis*, hoc eſt, ad purificandum à fœditate: de illis aquis agitur Num. cap. 19. Aquæ fœditatis.

§. 106. Sumitur *vacca rubra*, *ſine vitio*, *expers jugi*: ducitur *à ſacerdote extra caſtra*: ubi *mactatur*: de *ſanguine* illius *ſpargit contra tentorium ſepties*: *alius quidam Vir comburit vaccam ante oculos illius*, hoc eſt, aſpiciente Sacerdote: *Sacerdos* in incendium vaccæ conjicit *lignum cedrinum*, *hyſſopum*, *coccinum*: dein *lavat ſe*, & *redit ad caſtra*, *impurus uſque ad veſperam*. Ita & *Vacca cremator cineres vaccæ colligit*, & *ponit extra caſtra*, *in loco puro*, *vir* aliquis *purus*. *Cinis* vaccæ eſt *in aquas fœditatis*, & חַטָּאת *expiatio*. *Colligens* cinerem *lavat ſe*, & *impurus* eſt uſque ad veſperam. Si quis mortuum hominem tetigerat, *ſeptem dies erat impurus*. Ita autem purgabatur: ſuper *pulverem* vaccæ fundebant *aquas vivas*, *vir purus*, hoc eſt, qui non tetigerat mortuum, *tingit* in illis *hyſſopum*, *aſpergit* impurum, *bis*, *die* nimirum *tertio* & *ſeptimo*; ita *expiatur* impurus, & *ſeptimo* demum *die*, *lotis* ante veſtibus & carne, *purus eſt in veſpera*: ſi quis negligeret ita *expiari*, dicitur *polluiſſe ſanctuarium Domini*, & *exſcindi* debuit. Ita ob hominem mortuum expiari & purgari, dicitur Paulo 1 Cor. 15: 29. βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *lavari propter mortuos*: ſumit Apoſtolus ex hoc ritu argumentum pro reſurrectione mortuorum: *Si omnino mortui non reſurgunt*, *quid igitur baptizantur* ſeu *lavantur propter mortuos*? Vacca rubra. Baptiſmus propter mortuos.

§. 107. *Vacca* hæc umbra & figura Chriſti fuit. 1. Ratione fœcunditatis. Omnis divina proles, *in cælis & terra* Chriſti partus eſt, Eph. 3: 15. 2. Ratione lactis & nutrimenti. Chriſtus ſuis *cibus* eſt, & *potus*: ubera ſolatii, gratiæ, veritatis diſtentat ſanctis. *Rubedo* vaccæ notavit 1. *Communionem ſanguinis*, cujus *cœpit eſſe particeps*, Hebr. 2: 14. 2. *Effuſionem ſanguinis*, quem pro nobis dedit. 3. Bajulationem noſtrorum *peccatorum*, quæ *rubent ut coccus*. Eſ. 1: 18. Vacca *ſine vitio* notat Chriſti ὁσιότητα καὶ ἀκακίαν. Hebr. 7: 26. *Jugi expers*, illius *gloriam & libertatem*: liberrime, nulla cogente neceſſitate, pro nobis ſpopondit. Veniens in mundum, oneratus eſt demum *jugo*, *factus ſub legem*. Gal. 4: 4. Rom. 15: 8. Matth. 3: 15. Vacca *mactatur*: Chriſtus *mactatus* eſt, Apoc. 5: 9. *extra caſtra*: Chriſtus *extra portam*. Hebr. 13: 12. *Sanguine* vaccæ *aſpergitur tabernaculum*: Sanguine Chriſti aſpergitur Eccleſia. Eſ. 52: 15. Vacca *comburitur*: Chriſtum flamma & ignis charitatis *comedit*. Comburitur *in cineres*: Chriſtus extrema & maxima paſſus eſt; ita ut videretur redactus in nihilum. *Exciſus eſt Meſſias*, וְאֵין לוֹ *& nihil illi* quaſi ſuperfuit. Dan. 9: 26. Cum vacca comburitur *lignum cedrinum*, *hyſſopus*, *coccinum*: Paſſio Chriſti eſt *odor fragrantiæ*, in omni *humilitate*, & cum multo *ſanguinis* fluxu. Cineres Vacca umbra Chriſti.

ponuntur *in loco puro*. Chriſtus *cum divite in mortibus ſuis ſepulchrum accipit*. Eſ. 53:9. Joſephus corpus illius poſuit ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ. Mat. 27:60. *Sancti in cineribus* Chriſti, hoc eſt, in morte & cruce illius gloriantur. Gal. 6:14. Cinis fuit לְמִשְׁמֶרֶת *in obſervationem*. Cineres, mors & ſanguis Chriſti valent in perpetuum. *Mactans* vaccam eſt *ſacerdos*. Chriſtus, *Sacerdos* Altiſſimi, *tradidit ſeipſum*. Epheſ. 5:2. *Comburens, vir alius* Judæi Chriſtum *per manus improborum* exſciderunt. *Colligens cineres* dicitur *vir purus*. Fideles, ſancti, vocati *agnoſcunt Chriſtum crucifixum*. 1 Cor. 2:2. Sacerdos *impurus erat uſque ad veſperam*. Chriſtus ad finem vitæ uſque fuit pro nobis ἁμαρτία *peccatum* 2 Cor. 5:21. Sacerdos *lavat ſe aquis*. Chriſtus *juſtificatus eſt* per reſurrectionem è mortuis. Rom. cap. 1: verſ. 4. 1 Tim. cap. 3: verſ. 16. Etiam combuſtor *impurus* erat. Judæi, qui *Dominum gloriæ crucifixerunt*, *concluſi* ſunt in impuritatem & *inobedientiam*, Rom. cap. 11: verſ. 32. ſed & *lavatur* ac *purgatur*. Subinnuitur ſpes miſerationis & converſionis Judæorum. Etiam *colligens cineres impurus* eſt, & *lavari* debet. Sanctis ineſt peccati labes, & cottidie ſanguine Agni purgari debent. Cinis collectus ponitur *extra caſtra*. Exeundum eſt ad Chriſtum ἔξω τῆς παρεμβολῆς. Hebr. cap. 13: verſ. 13. Super cinerem datur *aqua*. In Chriſto conjuncta ſunt, *ſanguis, aqua, ſpiritus*, 1 Joh. 5:8. Cinere aſperguntur *polluti*. confer Hebr. 9:13. *Cinis juncis aſpergens pollutos*. Chriſti mors vivificat in peccatis mortuos; ſanguis purificat *à mortuis operibus*. Hebr. 9; verſ. 14. Obſervandum, pollutos ex attactu mortuorum hoc cinere *purgari*. Qui mortuos tangunt, videntur in communionem venire mortis, & in ſocietatem intrare mortuorum; adeoque ipſi ferè mori. Mors *polluit*. Corpus enim, quod moritur, fœtor conſumit & putredo. Igitur notatur, Chriſti ſanguinem & Spiritum efficere, ut corpora noſtra à morte & corruptione *purgentur*, hoc eſt, reſurgant. Chriſto & Spiritui illius ſæpius adſcribitur *reſurrectio* ſeu mortuorum vivificatio. Polluti è mortuis ita *aſperſi, puri* iterum erant, ut in cœtum & Eccleſiam iterum liceret intrare. Expergefacti è mortuis, per Chriſtum & Spiritum introducuntur in glorias cæli. Igitur ex hiſce conjicere facile eſt, quid *ſancti* cogitarint olim, cum propter mortuos baptizarentur, & cinere junicis & aqua aſpergerentur. Nempe ex attactu mortuorum conſiderabant ſe ut mortuos. Sed aſperſi cinere, & ita purgati, ut ad cœtum liceret redire, conſiderarunt ſe, ut è morte vivos, & παλιγγενεσίαν (Matth. 19:28.) futuram *corporum*, tum ſuorum, ubi hora adveniſſet exuendorum & deponendorum, tum beatorum defunctorum ſibi poſuerunt ob oculos. Igitur bene concludit Paulus, *ſi mortui non reſurgunt*, fruſtra fuiſſe illos, qui olim loti ſunt propter illos. Aſperſio cineris fit *tertio die & ſeptimo*. Notatur, & ſæpe & ſemper ad finem uſque quærendam communionem mortis & ſanguinis Domini; *ſanctoſque* vi ſanguinis Chriſti, & tertio die reſurgere, & ſeptimo: duplex enim eſt reſurrectio, una ſpiritualis, hujus vitæ; una corporum, in *ſeptimo*, hoc eſt, ultimo & noviſſimo die. Qui cineris aſperſionem negligebant, dicuntur *inquinaſſe ſanctuarium*. Qui communionem ſanguinis Jeſu ſpernunt, & reſurrectionem mortuorum negant, *templum Dei perdunt*, & illos φθερεῖ ὁ Θεός. 1 Cor. 3:17.

LEPRA. §. 108. Notabilis eſt ritus purificationis à *Lepra*; de qua lege Levit. cap. 13. Leproſi *veſtes* debebant eſſe *laceræ*; *caput ejus detectum*: *myſtacem*, hoc eſt, *os operiet*, *& exclamabit*, *Impurus, Impurus ſum*: *Solus habitabit*, *extra caſtra erit habitatio illius*. Levit. 13:45. 46. *Lepra* typus *peccati* dici poteſt, id totum hominem inquinat. Omne genus humanum ſpiritualiter leproſum eſt.

Purificatio à lepra. §. 109. Leproſus ita purificabatur. Adducebatur *ad ſacerdotem extra caſtra*: ſumebantur *duæ aves*, *& lignum cedrinum*, *& coccinum & hyſſopus*: fiebat inde aſpergillum,

cujus

cujus manubrium è cedro erat, illique filo coccineo alligabatur hyſſopi faſciculus: *una avis mactatur ſuper aquas vivas: viva avis* una cum aſpergillo *tingitur in ſanguine mactatæ:* inde *aſpergitur* purificandus *ſepties: avis* autem *viva dimittitur in facies agri*, hoc eſt, libera abit: deinde *lavatur, tondetur*, & tunc *purus* habetur: lege, ſi placet, quæ textus ſacer pluribus proſequitur.

Adumbravit purificatio nem à ſpirituali lepra.

§. 110. Lepram fuiſſe figuram diximus corruptionis & impuritatis, quæ omnibus ineſt. Ergo in purificatione lepræ ſine dubio adumbrata eſt purificatio ſpiritualis noſtræ lepræ. Sumitur *aqua & ſanguis*. Id in Chriſto verum: venit enim cum utroque. 1 Joh. 5: verſ. 6. *Hic eſt, qui venit cum aqua & ſanguine. Aqua* obedientiæ Chriſti puriſſimæ, *Sanguis*, paſſionis & mortis pretioſiſſimæ ſymbolum eſt. Ut à ſpirituali lepra, hoc eſt, peccato purgatemur, opus fuit *aqua*, hoc eſt, perfecta obedientia legis; & *ſanguine*, hoc eſt, morte & diriſſimis paſſionibus. Id exegit juſtitia Dei Zebaot, & Lex æterna ac immutabilis. Igitur *avicula, mactata ſuper aquas*, Chriſtum *patientem* adumbrat & *obedientem*. *Aſperſio* ſanguinis & aquæ notat applicationem & imputationem juſtitiæ Chriſti, tum activæ, tum paſſivæ, ut ita loquar. Aſpergillum è *cedro* notavit forſan Deum *Patrem*, ſublimem, excellum, robuſtum, ut cedri in Libano; ex *hyſſopo*, Deum *Filium*, humilem & ſpretum, *minorem factum præ Deo*. Pſalm. 8: 6. *Hyſſopus in*, hoc eſt, ſub *pariete exiens*, 1 Reg. 4: 33. inter viliſſimas arborum eſt; è *coccino*, Deum *Spiritum Sanctum*, qui ut *purpura* ſive *coccus* rubet igne charitatis & amoris Dei ac omnis boni. Ita intelligitur, voluntate Patris, Filii & Spiritus ſancti, nobis donari communionem meriti & mortis Chriſti ad juſtitiam & vitam. Quod avis una *viva* dimittitur, *tincta ſanguine* notavit, Chriſtum mactatum vivere, revixiſſe, & *per proprium ſanguinem intraſſe in ſancta*. Hebr. 9: 12. confer Hebr. 13: 20. Igitur Chriſtus eſt *avicula mactata* propter paſſionem mortis. Eſt etiam *avicula viva* propter Spiritum immortalem & æternum, & reſurrectionem è mortuis. confer 1 Pet. 3: 18. *vivificatus Spiritu*.

Locus è Pſal. 51: 9. explicatus.

§. 111. Neque negari poteſt, cum in Sacris mentio fit *hyſſopi, & aſperſionis*, ad hos ſimileſque ritus Spiritum Sanctum reſpicere, eaque ratione autorem nobis fieri, ut in umbris, quæ olim fuerunt, *veritatem & imaginem rerum* contemplemur. Ita fit Pſalm. 51: 9. *Expiabis me hyſſopo, & purus ero; lavabis me, & præ nive exalbeſcam.* Vocabula hæc ſunt ceremonialia, ſive legalia, ab antiqua ceremonia deſumta. Senſus autem Davidis menſque plane ſpiritualis eſt: nimirum petit, ut *hyſſopo*, hoc eſt, per meritum illius, qui ut hyſſopus & germen vile, appariturus erat, *expietur*, & à peccato ac maledictione abſolvatur. Inde ſibi promittit *puritatem* maximam, hoc eſt, omni[illegible]am juſtitiam. Non poſſet autem uti legalibus his terminis, niſi in legalibus his ceremoniis fuiſſet umbra ſpiritualis hujus beneficii. Quod autem David ad legalem expiationem non ſolum reſpicit, ſed excellentiores in mente habuit gratias, è modo petendi conſtat. *Expiabis me*, ô Deus, inquit: non alloquitur ſacerdotem ſecundum ordinem Aharon, cujus erat expiare ceremonialiter. Deinde è beneficio, quod ſibi pollicetur, *Purus ero, præ nive exalbeſcam.* Legalis expiatio plene purgare non poterat. Et hinc rurſum concludere licet, quid cogitarint ſancti Patres, cum obtulerunt ſacrificia; cum aſperſi ſunt hyſſopo; cum ſe lavarunt aquis; nimirum idem quod ſanctiſſimus David, fore certiſſime, ut Deus illos expiet ob efficaciam æterni ſacrificii, & pretium puriſſimi ſanguinis, in plenitudine temporum offerendi.

Inſtituta carnis alia & plura

§. 112. Præter hæc, quæ de oblationibus, cibis, feſtis, & lotionibus huc uſque diſſeruimus, ſunt plura alia, quæ Deus per Moſen populo Iſraelitico præcepit, quæque Apoſtolus ſub *δικαιώμασι σαρκὸς inſtitutis carnis* Hebr. 9: 10. comprehendit. Omnia inſtituta le-

galia ſunt δικαιώματα σαρκὸς. Deus enim illa ἐδικαίωσε, hoc eſt, *jure ſuo* imperavit, ſed σαρκὸς *carnis*, quia *ſanctificant ad carnis* tantum καθαρότητα, Hebr. 9: 13. quemadmodum & ἐντολὴ *preceptum*, illorum obſervationem injungens, σαρκικὴ *carnale* dicitur. Heb. 7: 16.

§. 113. Ad hæc inſtituta pertinent, quæ mandata legimus de *votis*, Levit. 27. inter quæ primarium eſt *votum Nazir*, Num. 6. de *decimis*, Num. 18: 25-28. de non edendis fructibus plantatarum arborum ante elapſum quinquennium, Levit. 19: 24. 35. de facienda צִיצִת *penicula in oris veſtium*, Num. 15: 37. 38. de probanda *muliere* quæ in viri ſui inciderat ſuſpicionem, Num. 5: 12. 30. de arcendis ab altari ſacerdotum filiis, *mutilis* aut *mancis*, Levit. 21: 16-24. 22: 1-7. aut *Sacerdotibus*, ab *eſu ſanctorum*, ſi quæ *impuritas eſſet ſuper illos*. De quibus multa loqui poſſemus: copioſa enim abundat rerum varietas. At temperata ſuavis eſt prolixitas, immodica offendit.

§. 114. Hæc tamen, de quibus hactenus ſermo fuit, ſunt maxima pars *legis* illius, quæ
Tituli legis ceremonialis. vulgo appellatur *Ceremonialis*: in Scriptura autem *Lex præceptorum in placitis*. Epheſ. 2: verſ. 15. *Lex præcepti carnalis*, Hebr. cap. 7: verſ. 16. cujus inculcat Paulus τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *infirmitatem & inutilitatem*, quæque *nihil conſummavit*, Hebr. cap. 7: verſ. 18. 19. *umbram habens futurorum bonorum*, Hebr. cap. 10: verſ. 1. *pædagogus in Chriſtum*, Galat. 3: 24. cujus חֻקִּים *ſtatuta* apud Ezechielem dicuntur fuiſſe לֹא טוֹבִים *non-bona, & judicia in quibus non vivitur*. Ezech. 20: 25. Infinita enim pecudum offerre millia; ab omnibus abſtinere carnibus; cottidie ſe lavare & purgare; omnes dies in otio tranſigere & abſtinentia, *per ſe* non valet ad gratiam Dei acquirendam, ad peccatum expiandum, ad animam tranquillandam. Veriſſimum igitur eſt, *in illis* ſtatutis *non vivi*. & ut Paulus dicit, *illis non potuiſtis in lege Moſis juſtificari*. Actor. 13: 39. *Fides, Fides* cultum illum utilem fecit & bonum, quemadmodum & de Abele dicitur, Hebr. 11: 4. *Fide potiorem victimam præ Cain Abel obtulit Deo.*

Leges Politiæ. §. 115. Hucuſque igitur de legibus *tabernaculi*. Sequuntur leges τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ *Politiæ Iſraelis*. *Confuſionem Deus non amat*, 1 Cor. 14: 33. bono ordine delectatur: ideo & utiles honeſtaſque leges populo ſuo ſancivit. *Leges* ſunt πόλεως ψυχὴ *anima civitatis*. Ut corpus ſine mente, ita ſine lege corruit civitas. Duo ſunt primaria legum capita, τιμωρία τῶν ἀδικούντων, καὶ τιμὴ τῶν ἐπιεικῶν *pœna malorum, & honor bonorum*. Oderunt peccare *boni* virtutis & honoris amore; *mali* pœnæ formidine. Fundamentum Legum eſt æquitas naturalis, cujus reliquiæ inſitæ ſunt omnibus gentibus: hinc videas apud barbaros etiam bonas leges. Et quia naturalis æquitas ſibi ſemper ſimilis eſt, videas in omnibus populis eaſdem fere ſimileſque leges: quales [illegible] puniendis latrociniis, cædibus, rapinis, ſeditionibus, adulteriis. Quia tamen omnium civitatum non eadem eſt conditio, non idem ſtatus, hinc fit, ut in qualibet civitate ſint particulares quædam leges, quæ in foro illius obtinent, non ultra, quæque illa ſtante ſtant, ruente ruunt: quales Leges vulgo dicuntur νόμοι ἐγχώριοι *leges patriæ*: & inde vulgatum verbum, νόμος καὶ χώρα.

Quædam communes aliis populis, quædam propriæ Iſraelis. §. 116. Ita & comparatum eſt cum *legibus* Politiæ Iſraelis: quædam ſunt communes conformeſque omnium gentium legibus & ſtatutis, nimirum illæ, quæ de puniendis adulteris, parricidis, furibus, concubitis pueris, homicidis, falſis teſtibus, &c. ſanciunt, niſi quod nonnunquam in ratione pœnarum executionum differentia eſt. Attamen multæ ſunt propriæ Iſraelitarum, quæ in foro illorum debuerunt obtinere, & cum civitate Iſraelitica deſierunt, nec quemquam obligant ultra. Talis *lex* eſt de occidendo *Filio immorigero & prodigo*, Deut. 21: 20. 21. de *dimittenda* uxore, è captivarum grege ducta, ſi non placeret, Deut. 21: 10-14. de *exſcindenda urbe*, quæ cultum idololatricum admiſerat, Deut. 13: 13-17.

Item

Item *Lex de tuenda virginitate* Uxoris, in odium delapſæ Viri, Deut. 22: 13-17. de mittendo *libello repudii*, ubi tamen debebat adeſſe עֶרְוַת דָּבָר *turpitudo cum ratione deteſtanda*, Deut. 24: 1. 2. 3. de *ducenda glore*. Deut. 25: ℣. 5. 7. 9. Item *Lex* de excludendis è *cœtu Domini* ſpuriis; de excommunicandis gentibus, *Ammonitis, Moabitis, ne venirent in Eccleſiam Iſrael* עַד עוֹלָם *uſque in ſeculum*, hoc eſt, quamdiu reſpublica Iſraëlitica duraret, Deut. 23: verſ. 1. 2. 3. 4. hac lege miſeræ hæ gentes *abalienatæ ſunt a politia Iſrael*, Epheſ. 2: 12. quæ etiam omni illo tempore fuerunt *in mundo ſine Chriſto, Deo, ſpe, peregrinæ a teſtamentis promiſſionis*. ibid. ſiquidem etiam *Lex præceptorum in placitis* fuit ut *μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ paries intergerinus*, Epheſ. cap. 2: verſ. 14. 15. impediens τὴν ἐναντία τ δυς.

Pœnæ delinquentium.

§. 117. Pœnas quod attinet delinquentium, eæ fuerunt diverſæ pro diverſitate delictorum, leves levibus, graviores gravioribus, graviſſimæ graviſſimis. Quidam ſcelus commiſſum *pecuniis* luebant, Deut. 22: 19. nonnulli *amputatione manus*: ita mulier luere debebat, quæ in contentione *Virilia* alterius apprehenderat, Deut. cap. 25: verſ. 11. 12. nonnulli percuſſione & *plagis*, quas accipiebant dejecti in terram, non tamen *plus quadraginta*. Deut. 25: 1-4. Supplicia capitalia erant, aut *combuſtio igne*. *Filia ſacerdotis*, ubi fuerit ſcortata, *igne cremabitur*. Levit. cap. 21: verſ. 9. Aut *lapidatio*, Deut. cap. 13: verſ. 10. *lapidabis illum lapidibus, ut moriatur*. confer Deut. cap. 21: verſ. 21. Aut *ſuſpenſio*. Deut. cap. 21: 22. *Cum erit in quoquam culpa judicii mortis*, hoc eſt, quæ morte punienda eſt, וְהוּמַת *& interficietur*; *& ſuſpendes eum de ligno*, de ita ſuſpenſo dicitur verſ. 23. *exſecratio Dei eſt ſuſpenſus*, quod Paulus ita enunciat, Galat. cap. 3: verſ. 13. *maledictus, qui pendet de ligno*. Non debemus putare, *ſuſpenſum* reveta maledictum fuiſſe: potuit enim fieri, ut aut per errorem, aut malitiam juſtus & innocens ſuſpenderetur, qui quamvis hoc ſupplicio affectus, non incidiſſet in maledictionem, ſed potius *morte ſua glorificaſſet Dominum*. Joh. 21: 18. 19. At quia in ligno abolenda erat *maledictio, quæ pro nobis factus eſt Chriſtus*, Galat. 3: 13. placuit Deo T. O. M. hoc genus mortis inſignire *maledictionis* titulo, ut eſſet commonitorium de maledictione in ligno, cui Sacerdos & Sponſor affixus eſt, abolenda & expianda. *Sacrificus* pecuinis adſcribitur כַּפָּרָה *expiatio*, quia ſunt typus illius ſacrificii, quod vere expiat. Ita cenſeamus *ligno* adſcribi *maledictionem*, quia in *ligno* benedictus Domini *maledictio* ad tollendum maledictionem futurus erat. Igitur & *ſuſpenſi* olim nominati quidem ſunt *maledictio*, non tamen fuerunt. Chriſtus autem *ſuſpenſus*, non nomine tantum, ſed re ipſa *maledictio* factus eſt. Suſpenſi jubebantur eodem die *de ligno auferri*, & *ſepeliri*; & omnino *in ligno cadaver illorum* non debebat *pernoctare, ne terra promiſſionis pollueretur*: Deut. 21: 23. quo notatum fuit, illos typice ad paucas tantum horas *maledictionem* fuiſſe; Chriſtum autem Dominum maledictionem omnino ablaturum; neque ab illa *tenendum*, h. e. ſuperandum, ſed in ſignum victæ & abolitæ maledictionis, de cruce tollendum, & ſepeliendum eſſe. Quod ſi quis ſuſpenſum in *ligno*, & ita in maledictione relinqueret, is videbatur negare fidem maledictionis per Chriſtum auferendæ; & re ipſa *polluebat* terram ſanctam, quam in fide & ſpe redemtionis & benedictionis, adducendæ in plenitudine temporis, & in pignus illius habitandam acceperant.

Maledictio ſuſpenſus.

Lex Moſis triplex.

§. 118. Ex dictis apparet, quomodo verum ſit, *Lex per Moſen data eſt*, Joh. 1: 17. quæ Lex, ut nunc generatim atque univerſe de illa loquamur, eſt 1. Moralis. 2. Ceremonialis. 3. Forenſis ſeu judicialis.

Moralis.

§. 119. *Moralis* deſcribit omnia officia, quæ Deo debentur & proximo. Summa illius eſt, *Ama Deum e toto corde*. Deut. 6: 5. *Ama proximum tuum, ſicut te ipſum*, Le-

vit. cap. 19: verſ. 18. in quo includitur etiam *amor inimici.* Levit. cap. 19: verſ. 17. 18. *In hiſce duobus præceptis* continetur ὅλος ὁ νόμος *tota Lex.* Matth. cap. 22: verſ. 37-40. *Omnis hæc Lex in uno verbo impletur*, Galat. cap. 5: verſ. 14. *qui in uno verbo offendit*, *omnium reus eſt.* Jacob. cap. 2: verſ. 10. Hæc Lex eſt immutabilis & perpetua, *ſancta, juſta, bona*, Rom. cap. 7: verſ. 12. *ad vitam*, & *ad mortem*, Rom. cap. 7: verſ. 10. his ſigillis munita. *Qui fecerit illa, vivet in illis*, Levit. cap. 18: verſ. 5. &, *maledictus, qui non facit ſtare omnia verba legis ad faciendum illa*, Deut. 27: 26. è quibus ſententiis apparet, *ex operibus legis non juſtificari ullam carnem.* Rom. 3: 20. Gal. 2: 16. Etiam nota illis, qui *illam non habent*, hoc eſt, gentibus, quibus Moſes illam *non præcepit.* Rom. 2: 14. 15. Deut. 33: 4. In verbis Decalogi omnis ſubſtantia hujus *legis* eſt: præcipit enim amorem Dei & proximi: unde & *miniſterium mortis*, quam Lex ob peccatum omnibus adjudicat, dicitur *inſcriptum fuiſſe in lapidibus*, hoc eſt, in tabulis lapideis. 2 Cor. 3: 7. Non quod mens Dei, Decalogum de Sina pronunciantis, fuerit, fœdus operum pangere, & legem operum tantum promulgare, ſed quod voluit in *verbis fœderis* quæ ſunt decem verba, ſimul oſtendere, quænam ſint officia, quæ *ſancti*, per gratiam ſanctificati, Deo debent, & in quibus *operibus bonis*, ut juſtitiæ & fidei fructibus *ambulare* (Epheſ. 2: 10.) illos decet, & quænam peccata fugere. Præcepta hujus legis ſparſim & ſæpius per Moſen populo repetiit Dominus, nunc iiſdem verbis, quibus uſus erat in Decalogo; nunc aliis ſæpe ad explicationem facientibus. confer Levit. cap. 19: verſ. 3. 4. 11. 12. 13. 14. 16. 29. 30. 31. item, Levit. 18. quod integrum fere caput commentarius eſt præcepti ſeptimi, *non adulteraberis.* Hæc Lex moralis eſt regula juris & in juſtitiæ; δώρημα καὶ δῶρον θεοῦ, ἐπανόρθωμα τῶν ἑκουσίων τε καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, omniſque perfectionis & rectitudinis imago.

Ceremonialis. §. 120. Lex *ceremonialis*, eundem habet autorum ſeu latorem, *Deum.* Miniſtrum, in cujus manu diſpoſita eſt, *Moſen*; ſed tota alia eſt, quam moralis; præcipit obedientiam in externis, in donis, oblationibus, cibis, lotionibus: eſt arbitraria & dogmatica; nec perpetua: nec ſufficiens ad vitam: nec utilis, niſi in fide illius ſtatuta facientibus: potuit & obſervari ab impiis: eſt denique tota illa Lex quaſi *unum magnum ſacramentum*, Chriſtum, illiuſque παθήματα & δόξας *paſſiones & glorias* oſtendens eminus.

Forenſis. §. 121. Lex *forenſis* dedit multa præcepta, quæ natura omnes docet: ordinat pœnas, quæ ipſa honeſtas docet, & oratio ſuadet & communis utilitas poſtulat, ut malis infligantur. Eatenus non diverſa eſt à *lege morum.* Dedit etiam multa præcepta, quæ natura non docet omnes: quæ priva voluit ſummus Legiſlator eſſe populo ſuo, ſeparato ab omnibus gentibus: quæ ad tempus politiæ Judaicæ tantum durare debuerunt; quæque cum illa deſierunt. Eatenus non diverſa videtur fuiſſe *a lege placitorum.* Eſtque ita illa Lex quaſi mixta, partim moralis, partim dogmatica: vocatur tamen *forenſis* & *civilis*, quia in foro & civilibus judiciis uſus illius obtinuit.

Differentia legum è Levit. 18: 4. 5. & Ezech. 20: 11. 12. §. 122. Differentiam ſtatutorum & judiciorum, quæ Deus per Moſen populo impoſuit, ipſe Deus non obſcure oſtendit. Levit. cap. 18: verſ. 4. 5. *Judicia mea facietis, & ſtatuta obſervabitis. Et obſervabitis ſtatuta mea & judicia, quæ qui facit homo, vivit in eis.* Poſtulat Deus judicia & ſtatuta ſua obſervari, omnia, quæ dedit, & ſine diſcrimine. Indicat, ita fore, ut obſervent ſtatuta, quæ faciens vivit. In genere prius dicit, *ſtatuta & judicia.* In ſpecie deinde limitat, *ſtatuta, quæ qui facit, vivit*, ut ita innuat, ſtatuta, quæ dedit non eſſe unius generis, naturæ &

indo-

indolis; quædam, ut faciens in iis vivat; quædam ut non in iis faciens vivat, hoc eſt, quædam moralia, quædam ceremonialia. confer Ezech. 20: 11. 12. *Notificavi illis ſtatuta, quæ faciens vivit, & etiam Sabbata dedi illis in ſignum,* deinde verſ. 23. *Et etiam ego dedi illis ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non vivent:* quæ intelligere è dictis facile eſt.

§. 123. Legibus & ſtatutis divinis magnam conciliavit autoritatem, & ut multo cum Autoritas conciliata legibus.
metu illas obſervarent 1. modus tradendi, qui fuit ſæpe publicus, ut de monte Sina, ubi vox audita, & ſonus tubæ, & vapor, & fumus, & tonitrua horribilia. 2. Horribilis illa ſententia, non tantum addita Legibus moralibus, ſed & inſtitutis ceremonialibus & forenſibus, *maledictus, qui non manet in omnibus.* Galat. cap. 3: verſ. 10. Deut. cap. 27: verſ. 26. 3. Promta in tranſgreſſores judicia, & ſeveræ immorigerorum caſtigationes. Hebr. cap. 2: verſ. 2. *Sermo exſtitit firmus, & omnis tranſgreſſio & inobedientia paratam accepit retributionem.* Hebr. cap. 10: verſ. 28. *Si quis irritam faceret legem Moſis, ſine commiſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur.* 4. Ipſæ à manu Dei ſæpe immiſſæ caſtigationes, & cœleſtis illa vindicta. Nadab & Abihu, *ob oblatum alienum ignem*, comeduntur *igne inde à facie Domini.* Levit. cap. 10: verſ. 1-9. Num. cap. 3: verſ. 4. *Filius* Iſraelitidis, ob *nominatum nomen Jehovæ*, hoc eſt, quia *maledixerat* Deo, ut eſt verſ. 23. lapidibus obruitur. Levit. cap. 24: verſ. 10-23. In Iſraëlitas, *conquerentes de malo*, hoc eſt, de miſero ſuo ſtatu *ardet ignis Domini.* Num. cap. 11: ℣. 1. 2. Edunt coturnices, & percutiuntur *plaga magna valde.* Num. cap. 11: verſ. 33. Mirjam loquitur in Moſen, & lepra percutitur. Num. cap. 12: verſ. 1-15. Viri, qui diffamaverant terram Canaan, *moriuntur in plaga coram Domino.* Num. cap. 14: verſ. 37. Vir ob *collecta in Sabbato ligna* è mandato Dei lapidatur. Num. cap. 15: verſ. 35. 36. Korah & Datan, *Sacerdotium quærentes* vivi abſorbentur. Ducenti quinquaginta conjurati illorum *igne a Domino devorantur.* Num. cap. 16: verſ. 1. 35. Mox in *totum cœtum*, qui ægre ferebat tot virorum cædem, pervadit *fervor & plaga.* Num. 16: 41. 42. Serpentes ignei mittuntur in murmurantes. Num. 21: 6. *Capita populi*, ob fornicationem cum Baal Peor ſuſpenduntur. Num. 25: 4. Ipſe denique Moſes & Aharon *ob incredulitatem* excluduntur ab introitu in terram promiſſam. Num. 20: 8 – 14. 5. Addi poteſt, *Legem acceptam* εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων *in diſpoſitiones Angelorum*; Act. 7: 53. ita ut & Angeli ipſi videantur pro legis obſervatione excubias egiſſe.

§. 124. Populo tot ſtatutis, legibus, judiciis, placitis onerato neceſſarii erant doctores, Doctores,
ductores, rectores, ſacerdotes, legiſlatores. Horum omnium primus & caput eſt Moſes, Ductores, Sacerdotes,
fidelis ſervus in tota domo Dei. Num. 12: 7. *Princeps & Redemptor* ſeu Liberator Populi Legiſlatores
Iſraël Act. 7: 35. Populi.

§. 125. Hic Moſes non tantum in initio miniſterii ſui elegit è ſuaſu *Jetronis* ſoceri viros *fortes, ſapientes & peritos*, illoſque præpoſuit Populo Exod. 18: 15 – 26. Deut. 1: 10 – 18. Sed & poſt intervallum aliquod temporis adjunxit ſibi è mandato Dei *ſeptuaginta viros è ſenioribus Iſraël, ſuper quos poſuit Deus de Spiritu, qui erat ſuper Moſen,* quique inceperunt *prophetare*, & prophetando populum docere. Num. 11: 16. 17. 25. 26. 29.

§. 126. Aharon cum Filiis ad Sacerdotium vocatus erat. Illorum fuit non modo ſacrificia adolere, tabernaculo ſervire, diſcernere *inter ſanctum & profanum, inter purum & impurum*, ſed etiam *docere filios Iſraël* אֶת כָּל־הַחֻקִּים *omnia ſtatuta, quæ Deus locutus erat per manum Moſis.* Levit. 10: 9. 10. 11. Igitur *labia ſacerdotis ſervarunt ſcientiam, & legem*, inſtitutionem debuerunt *quærere ab ore illius.* Mal. 2: 7. Sacerdotibus dati *Levitæ*, ut curam haberent Aharonis, vaſorum ſacrorum & *totius cœtus.* Num. 3: 7.

§. 127. Ne

§. 127. Ne poſt mortem Moſis *Cœtus Domini eſſet ut grex ſine Paſtore*, datur *Jehoſuas filius Nun* ſucceſſor Moſis, cui *manus impoſuit*. Num. 27: 15 -- 23. Hactenus igitur Iſraël Ductoribus & Doctoribus non caruit.

§. 128. In terra Canaan ita fieri Deus voluit. *Judices & Moderatores dabis tibi in omnibus portis tuis, & judicabunt populum judicio juſtitiæ*. Deut. 16: 18. 21: 19. 22: 15.

§. 129. *In loco* autem, *quem elegit Dominus ad figendum habitaculum Nomini ſuo ibi*, quem eventus docuit fuiſſe Hieroſolymam, voluit habitare *Sacerdotes, Levitas & Judicem*; adeoque maximum Senatum & ſummum Judicium in Eccleſiaſticis & Politicis, in illo loco fixit & conſtituit. Si igitur eſſent דִּבְרֵי רִיבֹת *res litigioſæ in portis*, hoc eſt, aliis locis & civitatibus, quæ difficiliores eſſent, quam ut ibi componi & enodari poſſent a judicibus & ſenioribus ibi conſtitutis, debuit Populus aſcendere in Urbem Hieroſolymam ad Sacerdotes, Levitas, judiceſque, qui *forent in diebus illis*, & *illos rogare*, & ab illis ſcrutari & veſtigare.

§. 130. Tantam autem Deus illorum voluit eſſe autoritatem, ut omnes juſſerit *facere ſecundum os verbi*, hoc eſt, tenorem reſponſi, & *obſervare ſecundum omne, quod ab illis edocti eſſent, & ab inſtitutione illorum ac judicio non recedere*; Imo & in mortem dari, qui בְּזָדוֹן *per petulantiam & pertinaciam non obediret Sacerdoti, ſtanti ad ſerviendum Domino, & judici*. Deuter. 17: 8 -- 14.

§. 131. Hæc Senatus Hieroſolymitani autoritas in dijudicandis & ſolvendis controverſiis, omni tempore, quo duravit Politia Iſraël, duravit: ita ut populus teneretur *facere & obſervare omnia, quæ illis dicerent*: ipſo id ſuadente Chriſto Matth. 23: 3. Dicunturque hi Rectores & Sacerdotes *in cathedra Moſis ſedere*, Matth. 23: 2. hoc eſt, Moſis eſſe ſucceſſores in docendo & judicando; item, *Clavem cognitionis habere*, Luc. 11: 52. hoc eſt, facultatem explicandi myſteria verbi Dei, & *verbum Dei* dicitur *factum ad illos*, Joh. 10: 35, hoc eſt, illis *concreditum*, & illorum curæ commiſſum.

§. 132. Imprimis videtur non parvam partem ſtudii illorum occupatam fuiſſe circa obſervationem inſtitutorum carnalium, ut illa rite fierent, & à populo, qui *jugi* pertæſus facile eo delabi poſſet, ut funes illos rumperet, ut viſus erat moliri Korach cum caterva ſua, non negligerentur, nec ſpernerentur: quia in re fieri potuit, ut & ultimis temporibus factum eſt, ut abuterentur illi poteſtate conceſſà, *ligantes onera gravia & inſupportabilia, & illa humeris hominum imponentes*. Matth. 23: 4. Sed de illis, & de nominibus illorum, quæ Scriptura illis largitur, nominando illos מְחֹקְקִים *Legiſlatores* Gen. 49: 10. θεοὺς *Deos*. Joh. 10: 35. 1 Cor. 8: 5. πατέρας σαρκὸς *Patres carnis* Hebr. 12: 9. רֹעִים *Paſtores* Zach. 11: 8. מֹשְׁלִים *Dominatores*, Eſ. 49: 7. 52: 5. נֹגְשִׂים *Exactores* Zach. 9: 8. Eſ. 9: 3. אִישִׁים *Viros* Eſ. 93: 3. שָׂרִים ἄρχοντας *Principes* Eſ. 1: 23. Joh. 7: 48. de illis, inquam, alias forteam. Nunc finis huic ſit capiti.

Caput Duodecimum.

In quo explicantur loca quædam Novi Teſtamenti, quæ agunt de Lege, Elementis mundi, Servitute, Spiritu ſervitutis &c.

§. 1. Quamvis capite præcedente non obiter nec perfunctorie egerimus de ſacrificiis & donis, de cibis, de diſcriminibus dierum & temporum, de diverſis baptiſmis, & de aliis inſtitutis carnis, quæ magno numero injuncta ſunt Populo Iſrael, non tamen potuimus, quia materia ad dicendum ingens nimis fuit & diffuſa, omnibus defungi.

§. 2. Imprimis oſtenſum fuit, 1. *Legem*, quæ de illis ceremoniis præcepit, *habuiſſe umbram futurorum bonorum*: Hebr. 10: 1. duxiſſe *ad Chriſtum*: *illius* τέλος *finem* Rom. 10: 4. fuiſſe nutrimentum fidei, & incitamentum ſpei. 2. Eandem comparari cum gravi *jugo & onere*, Actor. 15: 10. 28. & *Pædagogo*, Gal. 3: 24. qui inhumanius & rigidius pueros tractare ſolet, & venire ἐν ῥάβδῳ *cum virga*: 1 Cor. 4: 15. 21. fuiſſe *inutilem & infirmam* ad *conſummandum* & *auferendum peccatum*: Hebr. 7: 18. 19. 10. 4. feciſſe *memoriam peccatorum*: Hebr. 10: 3. exprobraſſe *lapſum*, & *ut is abundaret* effeciſſe: Rom. 5: 20. fuiſſe inſtar *chirographi*: Col. 2: 14. omneſque ita λατρεύοντας fuiſſe δεδουλωμένους *redactos in ſervitutem*, Gal. 4: 3. & *ſervituti obnoxios*, Hebr. 2: 15. & *habuiſſe conſcientiam adhuc peccatorum*. Hebr. 10: 2. Repetitio dictorum.

§. 3. Igitur his expoſitis ſupererat, ut inquireremus in cauſas & rationes, cur *olim* gravis hæc Lex, ita moleſta, & portatu adeo difficilis, quæ in Chriſto deſiit & abrogata eſt, cuique *innodari* Eccleſia Chriſti *non rurſum* poteſt, niſi velit *a Chriſto aboleri, & gratia excidere*, Gal. 5: 1. 4. quæque cervici Patriarcharum ante & poſt diluvium non fuit impoſita, ſubintrare & adjici potuit, ut & *ſubintravit & adjecta eſt*. Rom. 5: 20. Gal. 3: 19. Oportet enim habuiſſe Deum T. O. M. idoneam rationem, cur tantum βάρος *onus*, quod in ſe non erat ἐπάναγκες *neceſſarium*, Actor. 15: 28. & ſine cujus cultu Iſraëlitæ potuiſſent ſalvari, quemadmodum & *Patriarchæ*, & *Nos* nunc ſine illo ſalvamur, quia *gratia Domini* Jeſu Chriſti, unica & ſola, *heri, hodie, & in ſecula, ſalutis* cauſa *fuit, eſt, erit*, Actor. 15: 11. populo ſuo *impoſuerit*, quodque id ſapienter & juſte & decenter facere potuerit. Quamvis enim quod vulgo in mundanis dicitur, *Voluntas Imperantis ſumma Lex eſto*, idem & hic dici poſſit, adeoque reſponderi, οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, *ita fuit voluntas Dei*, cujus rationem haut tenetur reddere ulli, ut Iſraël *ſub lege cuſtodiretur*, Gal. 3: 23. & *ſub elementis mundi in ſervitutem ſubjiceretur* Gal. 4: 3. tamen quia ſcimus Deum omnia facere *bene, ſapienter*, & ut *decentia* poſtulat, non debemus in obvia hac ratione ſubſiſtere. Ratio cur olim Lex de ſacrificiis intrare potuerit & addi, inquirenda eſt.

§. 4. Quam quidem autem enarrationem veræ & ſufficientis rationis jam ſupra *libro primo capite tertio*, §. 5. 6. anticipavimus, & promiſſæ brevitatis fides nos obligat, ne idem bis dicamus, Lectores noſtros oramus, ut illuc recurrere dignentur; integrumque illud relegere caput ſerio & ſedulo.

§. 5. Quia autem omnis hæc materia magnam lucem accipiet è conſideratione locorum Novi Teſtamenti, quæ de Lege & antiquo ceremoniarum cultu agunt, ut & de ſtatu illorum, qui τῇ σκηνῇ *tabernaculo ſervierunt*, Hebr. 13: 10. præcipua & quædam è multis elegimus, quæ diligenter perpenſa, ordine enarrabimus. Loca quædam Novi T. lucem faciunt huic materiæ.

§. 6. In-

Locus Gal. 3. 19. 20.

§. 6. Inſignis locus eſt. Gal. 3: 19. 20. *Lex propter transgreſſiones addita eſt, uſque dum veniret Semen, cui promiſſum eſt, ordinata per angelos, in manu Mediatoris. Mediator autem ille, unius non eſt. Deus autem unus eſt.*

νόμος Lex variè ſignificat.

§. 7. *Legem* diſtinguit Paulus à *Teſtamento*, *à promiſſione*, *& fide.* Gal. 3: 12. 17. 18. νόμος *Lex* ſæpè in genere ſignificat omne id, quod præter gratiæ fœdus & promiſſiones olim datum eſt. Joh. 1: 17. *Lex per Moſen data, gratia per Jeſum Chriſtum.* Sæpè in ſpecie *legem* illam, quæ *Moralis* vocatur. Rom. 2: 15. *Opus legis ſcriptum in cordibus illorum.* Rom. 7: 12. *Lex ſancta eſt, & præceptum ſanctum,* confer. Rom. 8: 3. 10: 5. Sæpè illam, quæ *ceremonialis* vocatur. Hebr. 7: 16. *non ſecundum legem præcepti carnalis.* Eph. 2: 15. *Legem Præceptorum in placitis abolens*, confer Rom. 7: 6. Act. 13: 39. 15: 5. Sæpè illam, quæ *forenſis* dicitur. Hebr. 10: 28. Præter *legem operum* eſt etiam *Lex fidei*, Rom. 3: 27. ſed de illa nunc non loquimur.

In hoc loco imprimis Legem ceremoniarum ſignificat.

§. 8. Paulus cùm dicit, *Lex addita eſt*, intelligendus eſt loqui de omni lege, quam Iſraël ἔλαβε *accepit*, Act. 7: 53. imprimis tamen de lege placitorum & ceremoniarum. Id liquet ex iis, quæ deinde addit: *ſub legem* ἐφρουρούμεθα *cuſtodiebamur.* ℣. 23. *Lex pædagogus noſter.* ℣. 24. Imo & è textu noſtro, *addita uſque dum veniret Semen*, confer Hebr. 9: 10. quæ omnia propriiſſime Legi illi dogmaticæ conveniunt.

Lex addita.

§. 9. *Lex* igitur placitorum de donis, ſacrificiis, lotionibus, cibis &c. προσετέθη *addita eſt*, non dicit ἐτέθη *data eſt*, ut Joh. 1: 17. ἐδόθη, ſed προσετέθη, *inſuper addita eſt.* Erant jam multa ante hanc legem: nim. Teſtamentum Dei, Promiſſio, *dicta Patribus multis modis & vicibus*: ad illa addita eſt hæc *Lex*, non ut *Teſtamentum faceret irritum*, neque ut *Promiſſionem aboleret*, neque ut *ex illa* eſſet *hæreditas*, neque ut *viviſicaret* Gal. 3: 17. 18. 21. ſed τῶν παραβάσεων χάριν *transgreſſionum gratia.* confer Rom. cap. 5: verſ. 20. *Lex autem* παρεισῆλθεν *ſubintravit.*

Transgreſſio.

§. 10. Ut ἁμαρτία *peccatum*, ita & παράβασις *transgreſſio per unum hominem intravit in mundum.* Rom. 4: 15. 5: 12. Ab illo tempore omnes *ab utero* ſunt *peccatores* & *transgreſſores*, *filiique iræ.* Hi in omni ſua vita *transgreſſiones* & *peccata* multiplicant. Uſque *ad legem peccatum & transgreſſio erat in mundo*, Rom. 5: 13. necdum enim venerat Sponſor, *traditus propter lapſus*, Rom. 4: 25. *peccata ferens in lignum.* 1 Petr. 2: 24. Igitur quia *transgreſſio* adhuc erat in mundo, ob transgreſſionem Lex addita eſt.

Transgreſſiones.

§. 11. Sed Paulus loquitur non de *transgreſſione*, ſed *transgreſſionibus*; intelligens omnes omnium, & innatam & actualem, & ipſam Adami. Addita eſt Lex propter illas, non ut ab illis abſolveret, aut vivificaret; *infirma enim eſt & inutilis, & nihil conſummavit*, Heb. 7: 18. 19. ſed ut per legem illarum eſſet ἐπίγνωσις *agnitio*, Rom. 3: 20. ut illarum perpetua eſſet ἀνάμνησις *commemoratio*, Hebr. 10: 3. ut *peccatum imputaretur*, Rom. 5: 13. *lapſus abundaret*, Rom. 5: 20. & *chirographum* exſtaret debiti, Col. 2: 14. imo &, ut per legem Sancti impellerentur & ducerentur ad illum, in quo eſt transgreſſionum & *peccatorum expiatio*, *Chriſtum.* 1 Joh. 2: 2. Ille enim eſt τέλος νόμου *finis legis.* Rom. cap. 10: verſ. 4.

§. 12. Sed cùm omnes illæ transgreſſiones jam eſſent longè ante legem additam, cur non prius, non citius illa addita, & Abraamo, Iſaaco, Jacobo impoſita eſt? qui quidem acceperunt *circumciſionem*, & obtulerunt ſæpius *ſacrificia*, & ante quos Noachus acceperat mandatum de non edendo ſanguine; non tamen onerati fuerunt tot inſtitutis carnalibus, quot demum per Moſen Iſraëli injuncta ſunt.

§. 13. Igitur quamvis omnes ſancti inde ab initio uſque ad legem debuerint fateri,

trans-

transgreſſiones adhuc fuiſſe in mundo, expiandas actuali lytro Sponſoris, adhuc cum ſacrificio ſuo manifeſtandi; adeoque & ab illis potuerit exigi chirographum, & illi onetari lege placitorum, ſi ita viſum fuiſſet Deo, tamen *Lex* demum per Moſen addita eſt. Unde non improbabiliter ſequitur, ſub *transgreſſionibus*, quarum gratia lex intravit, etiam comprehendi illas, quæ in ſpecie commiſſæ ſunt ab illis, qui acceperunt legem, hoc eſt, Iſraële; quodque adeo & occaſione privatarum harum, ut ita loquar, populi Iſraëlitici transgreſſionum Lex hæc oneroſa addita ſit, & ita ob *transgreſſiones*, tum omnibus communes in Adamo, tum Iſraëlis proprias ſubintraverit. Ut ita Iſraël, populus σκληροτράχηλος, quique ob cordis duritiem per fidem & obediëntiam in fœdere, cum Abrahamo & Iſaac pacto, contineri non poterat, hac ſervitute legis preſſus, *ſub legem cuſtodiretur, concluſus in fidem, quæ futura erat, ut revelaretur.* Gal. 3:23.

Transgreſſiones Iſraelitarum.

§. 14. Transgreſſiones privæ Iſraelitarum ſunt multæ & graviſſimæ. In Ægypto ſtercora Ægyptiorum ſecuti, abominationes fecerunt multas. Ezech. 20:7. In deſerto inde à primo in illud introitu ſæpe murmurarunt, & tentarunt Deum. Exod. 15:24. 16:7. 8: 17:2. Imprimis abominabile fuit idolum, vitulus aureus, ab Aharone, illis ita volentibus, fuſus, Exod. 32. quibus transgreſſionibus illi *fœdus Dei fecerunt irritum*, Jerem. 31: verſ. 32. *non*, ut decebat, *in illo manentes.* Hebr. 8: 9.

Poſt illas addita Lex.

§. 15. Si omnia, ut in ſacra hiſtoria relata ſunt, attentè inſpicimus, deprehendemus, poſt fuſionem vituli, & honorem illi exhibitum, injunxiſſe demum Deum populo multivaria & oneroſa illa præcepta de ſacrificiis, toties & tot offerendis, cum excluſione offerentium ab altari, de lotionibus carnalibus deque aliis δικαιώμασι σαρκὸς. Quamvis enim antequam intrarent in Ægyptum circumciſio jam eſſet & ſacrificia, & in Ægypto acciperent præceptum de mactando agno, de edendis azymis, de traducendis primogenitis, & in deſerto mandatum de ceſſatione ſeptimi diei; & poſt pronunciatum Decalogum Moſes evocaretur in montem, ſpectaturus ideam tabernaculi, manibus hominum exſtruendi, ubi etiam juſſa accepit de conferendo Sacerdotio in Aharonem & familiam illius, tamen *non præcepit Deus* tam multa עַל דִּבְרֵי עוֹלָה וָזָבַח *de holocauſto & ſacrificio*, Jer. 7:22. ſed poſtquam vitulus fuſus erat, tum demum incipit Deus præcipere & imponere magno, ut ita loquar, ſtudio, ſub comminatione maledictionis, legalia illa placita, quæ portatu tam fuerunt gravia. Id nec Judæos latuit, inter quos ita Kimchius, אלו לא חטאו ישראל במדבר לא צוה אותם יתברך עם הקרבנות *ſi non peccaſſet Iſrael in deſerto, non dediſſet illi Deus præcepta de oblationibus.*

§. 16. Quod cum ita ſit, non putamus nos in veritatem, aut fidem Catholicam peccare, ſi doceamus, Deum, ad reprimendos inordinatos motus populi; ad occupandas illorum manus & mentes in obſervando & meditando cultu carnali, è tot ſtatutis & præceptis compoſito; ad excitandum in illis perpetuam peccatorum memoriam, è re duxiſſe, imponere illis ſervitutis legalis jugum, ut ita appareat, legem, quæ ob transgreſſiones communes omnibus, inde ab initio jam intrare potuiſſet, occaſione privatarum transgreſſionum Iſraelis, Iſraeli demum impoſitam eſſe, quod & Jer. 31:32. innuere videtur Deus, *illi irritum fecerunt fœdus meum,* וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם *& ego dominationem in illos exercui*, hoc eſt, me Dominum illos ſubigere, & ſcelera illorum refrænare poſſe, ac licentiam indomitam, impoſitione duri jugi oſtendi. confer Hebr. 8:9.

Legis terminus Semen. Promiſſio illi facta.

§. 17. Addita autem eſt *Lex*, non ut ſemper, ſine fine maneret, ſed ut duraret uſque ad *adventum Seminis, cui promiſſum erat. Semen* jam in Paradiſo promiſſum eſt, *Semen mulieris conteret caput:* etiam Abrahamo; *in Semine tuo benedicentur gentes:* etiam Davidi. 2 Sam. cap. 7: ℣. 12. *Excitabo Semen tuum poſt te.* Item *adventus* illius notificatus;

Geneſ.

Geneſ. 49: 10. *Uſque dum veniat Siloh.* Etiam *ſemini* huic promiſſo, ὅς ἐςι χριςός, Gal. 3: 16. *promiſsio facta eſt*, ᾧ ἐπήγγελ). confer Galat. 3: 6. *Abrahamo dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini illius.* Ita ipſe ille. *in quo omnes promiſsiones Dei ſunt Ne & Amen* 2 Cor. cap. 1: verſ. 20. ἐπαγγελίας *promiſsiones* accepit, quales? Pſalm. cap. 110: verſ. 4. *Juravit Dominus & non pœnitebit. Tu ſacerdos in ſeculum.* Geneſ. cap. 49: verſ. 10. *Siloh veniet, & illi obedientia populorum.* Geneſ. cap. 3: verſ. 15. *Illud tibi conteret caput.* Pſalm. cap. 2: verſ. 8. *Dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam fines terræ.*

§. 18. Non potuit Lex manere poſt *adventum* Chriſti: *non profuiſſet nobis Chriſtus*, ſi lex manſiſſet: Galat. 5: 2. non veniſſet *in gentes benedictio*, niſi ablata fuiſſet legis maledictio. Galat. 3: 13. 14. *Jugum Chriſti manſuetum, & onus illius leve* non poteſt conſiſtere cum jugo legis gravi. Matth. 11: 30. Non valeret Chriſti *crux*, niſi *chirographum in placitis, adfixum illi, tolleretur è medio.* Col. 2: 14. Non eſſet Chriſtus *Pax noſtra*, niſi *ſolviſſet* τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ. Epheſ. 2: 14. *Non liberaſſet nos Filius, ſi adhuc jugo ſervitutis ſtringeremur.* Galat. 5: 1. Non eſſent tempora Chriſti *tempora emendationis*, ſi etiamnum legalia illa humeris noſtris *incumberent.* Hebr. 9: 10. Non eſſet annus Chriſti *annus acceptationis Domino*, Eſ. 61: 2. ſi lex ſevera, cogens Sanctos μακρόθεν *procul* ſtare, etiamnum eſſet.

Lex ordinata per Angelos. §. 19. Lex addita propter tranſgreſſiones, *ordinata eſt per Angelos.* διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων. confer. Hebr. 2: 2. *Sermo per Angelos dictus.*

§. 20. Id quod de Sina pronunciatum fuit, pronunciavit *Angelus fœderis.* Act. 7: 38. *E tentorio conventus clamavit & locutus eſt ipſe Dominus* de donis & oblationibus. Levit. 1: 1. 7: 37. 38. Non aliter igitur τὸ *per Angelos* accipiendum eſt, quam quod Paulus dicit de teſtibus, 2 Tim. 2: 2. *quæ audiviſti a me* διὰ πολλῶν μαρτύρων *per multos teſtes*, hoc eſt, præſentibus multis teſtibus. Ita, *ordinata per Angelos*, hoc eſt, præſentibus, audientibus, ſpectantibus Angelis. Angeli exercitus Dei, inſerviunt Deo exercituum: jubilarunt, cum fundaret terram: etiam adfuerunt, cum imponeret legem.

§. 21. Aut idem videtur Apoſtolus innuere, quod Stephanus dicit, Actor. cap. 7: verſ. 53. *Accepiſtis legem* εἰς διαταγὰς ἀγγέλων *in diſpoſitiones Angelorum*, unde apparet Angelis curam fuiſſe commiſſam legis, ne ab Iſraele ſperneretur & conculcaretur. Angeli ſunt *miniſtratorii ſpiritus, qui mittuntur in ſervitium* ſalvandorum: Hebr. 1: verſ. 14. num mirum & illos miſſos ad cavendum, ne Iſraëlitæ funes Dei rumperent, & jugum illius abjicerent? ut autem impoſitio legis fuit בְּעָלָה *dominatio*, ita & ſervitium Angelis impoſitum ad urgendum obſervantiam legis, fuit conjunctum cum aliqua dominatione & imperio, ad cogendum vi immorigeros, qui ſe hiſce divinis ordinationibus opponerent; ita ut tunc *ſubjecta illis* videatur aliquo modo fuiſſe ἡ οἰκουμένη *habitabilis* prior. Hebr. 2: 5. Sed non poſſumus niſi caute & parce loqui de illis, qui natura ſunt inviſibiles; quorum etiam functiones, ut plurimum inviſibiles ſunt, & officium oculis non conſpicuum eſt humanis.

Lex ordinata in manu mediatoris. Is non eſt Chriſtus. §. 22. Etiam Lex addita, ordinata eſt ἐν χειρὶ μεσίτου *in manu Mediatoris. Chriſtus, ſemen*, cui promiſſum eſt, certe μεσίτης *mediator* eſt. 1 Tim. 2: 5. *Unus eſt Mediator Dei & hominum.* confer Hebr. 9: 15. 12: 24. Data eſt Lex, *in manu illius*, nempe ut illam pronunciaret, & populo imponeret, quemadmodum *Pater omnia dedit* ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ *in manu illius.* Joh. 3: 35. Aut, *in manu illius*, valere poteſt, *per manum illius.* Nam id ſæpe valet particula ἐν. Actor. 7: 35. *miſit illum in manu Angeli*, hoc eſt, per manum Angeli,

geli, qui Moſi apparuit, & ire illum juſſit. Igitur non recuſaremus in hoc loco per *mediatorem* intelligere *Chriſtum* Dominum, niſi duo eſſent, quæ aliud ſubjectum quærendi neceſſitatem imponere videntur. *Primum* eſt, quod Apoſtolus ponit μεσίτου, ἀνάρθρως, hoc eſt, *ſine articulo*, qui ſi Chriſtum intellexiſſet, videtur debuiſſe adjungere *articulum*, & dicere τοῦ μεσίτου; ut definitè intelligatur is, qui revera ὁ μεσίτης eſt. *Secundum*, quod deinde de hoc Mediatore, de quo indefinitè, ſine articulo locutus erat, dicit, ὁ δὲ μεσίτης *ille autem Mediator, unius non eſt* quod in Chriſtum non convenit, qui eſt *unius & unius*, ut pote qui fecit τὰ ἀμφότερα ἕν *duo illa unum*, Epheſ. 2: 14. & τοὺς δύο *illos duos creavit in unum novum hominem.* ibid. verſ. 15. Non igitur *unius non* eſt. Quis autem erit Mediator ille?

§. 23. Moſes medius *ſtetit inter Deum & populum.* Deut. cap. 5: verſ. 5. *Accepit legem ex eloquiis Domini.* Deut. cap. 4: verſ. 5. *Lex per illum data eſt*, Joh. cap. 1: verſ. 17. unde & vocatur *Lex Moſis.* Malach. cap. 4: verſ. 4. Moſes vidit in monte formam tabernaculi legalis. Moſes accepit tabulas fœderis à Domino. Moſes eſt, cui Deus præcepit de initiandis ſacerdotibus, & inſtituendis oblationibus & inſtitutis carnalibus. Sine Moſe actum nihil. Per Moſen acta fere omnia. Igitur verè poſſumus dicere *in manu illius* traditam legem. Cur etiam non dicemus, illum eſſe *mediatorem*, in cujus manu addita eſt? Forſan, quia verebimur, alium quendam dicere *mediatorem*, quia Scriptura dicit, *unus* eſt Mediator? Sed Scriptura non veretur illum nominare ἄρχοντα καὶ λυτρωτήν *Principem & Redemtorem*, Actor. 7: 35. cum tamen *unus* tantum ſit, qui *redimat* Iſraëlem, & nos omnes; *Chriſtus Jeſus.* Tit. 2: 14. 1 Pet. 1: 18. Igitur nec nos timeamus illum dicere *mediatorem.* Si enim dici poteſt ſine peccato *redemtor*, etiam ſine crimine dici poteſt *mediator.* Sed ut alia ratione eſt λυτρωτής, quam Chriſtus; ita & alia ratione μεσίτης. *Mediator* eſt, non reconciliationis, non efficacis interceſſionis, non vitæ nec ſalutis; ſed Mediator eſt *legis*, hoc eſt, à Deo adhibitus, ut internuncius & famulus ad publicandam & ſcribendam Legem Iſraëli: quæ illius mediatio non fuit per ſe miniſterium vitæ, ſed *miniſterium mortis. Litera enim occidit*, 2 Cor. 3: 6. 7. non fuit miniſterium *gratiæ*, ſed aliquo modo miniſterium *iræ* & ſeveræ dominationis. Mediator ad parvum tempus; quemadmodum etiam id quod dedit & impoſuit, nunc dudum deſiit, & abrogatum eſt. Sed Moſes.

§. 24. De hoc Mediatore Moſe optimè intelligitur, ὁ δὲ μεσίτης, ἑνὸς οὐκ ἔστιν. Scimus enim, Moſen Iſraëli tantum, cum viveret, miniſtraſſe. Lex ab illo data obſervari tantum debuit in generationes Iſraëlitarum. Lex illa fuit *paries*, amovens gentes procul, illaſque ſeparans à populo Dei. Aliter in Chriſto eſt. Epheſ. 2: 14. Is enim *fecit duo illa unum.* Moſes autem Mediator *non eſt unius*, hoc eſt, miniſterium illius, qua miniſterium *legis*, non id efficit aut quærit, ut *duo* illa ſint *unum*, hoc eſt, ut Iſraël & gentes coaleſcant in unum corpus, & creentur in unum novum hominem. Mediator Moſes unius non eſt.

§. 25. *Deus autem unus eſt.* confer Rom. 3: 30. εἷς ὁ θεός, *unus Deus, qui juſtificabit circumciſionem è fide, & præputium per fidem. Unus* eſt, quia *non Judæorum tantum Deus, ſed & gentium.* Unus omnibus Deus. *Unus* eſt, quia una & eadem ratione juſtificat omnes, *è fide, & per fidem.* Ita Deus eſſentia unus, gratia etiam & juſtificatione Unus eſt. Deus unus eſt.

§. 26. Eximius igitur hic Pauli locus docet, 1. Legis initium. *Addita eſt ob tranſgreſſiones.* Iſraëlitis graviter tranſgredientibus impoſita. 2. Legis durationem & finem. Lex addita, *uſque dum veniat Semen.* 3. Legis proprium munus & officium. Addita *propter tranſgreſſiones*, ut illas commemoret, & faciat agnoſcere. Et ut deducat *ad Semen*, cui pro- Doctrinæ ex hoc loco.

 miſſum

miſſum eſt. Ideo & definit, poſtquam Semen id venit. 4. Teſtes datæ Legis. *Ordinata per Angelos.* Imo ita per illos ordinata, ut & *in illorum* eſſet *ordinationes*, hoc eſt, ut illis incumberet curare, ne Lex à populo immorigero violaretur. 5. Mediatorem legis. Addita *in manu mediatoris*: cujus imperfectio inde agnoſcitur, quod *Unius non eſt*. Unde & mediator hic, & Lex mediatoris hujus non potuit durare ulterius, quam dum veniret *Semen*, *duo faciens unum*. Imo hic mediator non eſt κατ' ἐξοχὴν, μεσίτης θεοῦ *Mediator Dei*. Nam ut *unus eſt Deus*, ita oportet, ut Mediator Dei ſit *Unus*, & *Dei & hominum*, & Judæorum & gentium.

Legis infirmitas.

§. 27. Ex his apparet legis ceremonialis multiplex infirmitas & defectus. Non enarravit maxima bona, quamvis illorum habuerit σκιὰν *umbram*, ſed transgreſſiones. Data quidem eſt à Deo; ſed in manus hominum & Angelorum; ut homo Moſes, & quotquot in Cathedra illius ſederunt, illius urgerent obſervationem; & Angeli in idem cooperarentur. Fuit quidem, non tamen ut maneret ſemper, ſed tantum, uſque dum veniret SEMEN.

Locus Gal. 4: 3.

§. 28. Secundus, quem exponendum elegimus, locus eſt, Galat. 4: 3. ubi ita Apoſtolus; *Nos, cum eramus pueri, ſub elementa mundi eramus in ſervitutem ſubjecti.*

Sermo eſt de Judæis.

§. 29. *Nos* ἡμεῖς. ſcribit Paulus quidem *Galatis*: in illis tamen hoc verum non eſt. Galatæ, gentiles non ſerviverunt elementis mundi. Lex enim Iſraëlitis data fuit. Iſraël dicitur נַעַר *puer*; non *gentes*, olim, cum puer eſſet Iſraël, ἄθεοι *in mundo*. Quando gentes cum νηπίοις comparantur, conſiderantur ut *converſa & vocata* ἐν χριστῷ *in Chriſto*. 1 Cor. 3: 1. Epheſ. 4: 14. Hebr. 5: 13. Igitur ut Galat. 3: 13. *Chriſtus redemit* ἡμᾶς *nos*, imprimis intelliguntur Judæi, non *gentes*, quippe de quibus loquitur verſ. 14. *ut in gentes benedictio veniat*, ita & in hoc noſtro loco Judæi intelligendi ſunt.

Iſraël puer.

§. 30. *Nos, cum eramus* νήπιοι *pueri.* Ita dicitur Iſraël Hoſ. 11: 1. *Cum Iſraël puer, dilexi eum.* Puerorum indoles nota eſt: levis illorum eſt mens, cogitatio volubilis, cor ad ſtultitias pronum: indigent Magiſtro, à quo erudiantur, & delinquentes caſtigentur. Igitur notatur, *Iſraelitas* fuiſſe aliquando *inſtar puerorum*; malè moratos, immorigeros, inſtabiles, proclives in aberrationes, egentes diſciplina rigidiori. Si unquam fuere tales, id fuere ab exitu ex Ægypto in deſerto. Ubi frequentes illorum fuere lapſus; non raræ murmurationes, ſtultitiæ inſignes, delicta enormia. Ita initio maxima Iſraëlis pars fuit; *maxima* inquam pars; fuerunt enim multi non affecti ut pueri; ſed heroës, fortes in Domino, ſtabiles in omni bono, quorum πίστις *fides* laudatur. Hebr. cap. 11: verſ. 23-33.

Elementa mundi, idem quod LEX.

§. 31. Igitur, cum multitudo Iſraëlis ita ſe haberet, opus erat ut *pædagogo* committeretur, & diſciplina ſeveriori in ordinem redigeretur. Hunc *pædagogum*, Apoſtol. cap. 3: 24. dixerat τὸν νόμον *legem* fuiſſe, nunc illum indigitat per τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, per quæ *legem* intelligi patet è verſ. 5. *ut* τοὺς ὑπὸ νόμον *illos, qui ſub lege erant, redimeret*: quod dixerat ꝟ. 3. ὑπὸ τὰ στοιχεῖα id ꝟ. 5. ipſi eſt ὑπὸ νόμον. Magis etiam è ꝟ. 9. & 10. *quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa. Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.* En præcepta legalia de differentiis dierum & στοιχεῖα *elementa* dicit.

Elementa quid?

§. 32. Στοιχεῖα *elementa* in vulgari ſermone dicuntur *principia* illa, è quibus corpora conſtituta ſunt, & rerum naturalium ſubſtantiæ. *Elementa* ſunt quaſi *alimenta*. Vulgus tenet, quatuor illa eſſe, *ignem, aërem, aquam, terram*: quibus primæ qualitates reſpondere dicuntur, *calor*, *frigus*, *humiditas* & *ſiccitas*. De his eſt. 2 Pet. 3: 10. 12. Ut autem elementa ſunt principia rerum creatarum, ita eſt, quod quodlibet primum ſeu principium in ſuo genere *elementum* dicitur, ut, *prima literarum elementa*, h. e. initia. *Elementa lo-*

quendi

quendi apud Ciceronem in Academ. Quam loquendi rationem imitatus Apoſtolus dicit Hebr. 5: 12. *Opus habetis, ut quis vos doceat* τὰ ϛοιχεῖα τῆς ἀρχῆς *elementa initii*, hoc eſt, initialia *ſermonum Dei*, hoc eſt, ut in primis initiis fidei chriſtianæ informemini.

Cur præcepta carnalia dicantur elementa mundi?

§. 33. Apoſtolum per τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου *elementa mundi*, intelligere *Legem præcepti carnalis* de cibis, ſacrificiis, lotionibus, diebus, &c. vidimus. *Ratio* illius appellationis manifeſta eſt. Sunt enim illa, quæ ſecundum hanc legem fiunt & offeruntur, res mundanæ, terreſtres, ex aqua, terra, rebuſque carnalibus conſtantes. Sunt Elementa *mundi*, quia in hoc mundo & in terra illorum olim fuit uſus: in cælis autem *Non*: fuerunt enim illis ſubjecti διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, non ultrà. Sunt *elementa*; quia fuerunt prima quaſi initia gratiæ, *umbra* illius & rudimenta. Etiam ratione exitus & abolitionis Elementa dici poſſunt. Elementa omnia aliquando diſſolventur. Elementa hæc mundi dudum ſoluta & abrogata ſunt. Col. 2: 20. *Mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi.*

Servitus ſub elementis mundi.

§. 34. Sub his *Elementis mundi* Iſraëlitæ fuerunt ſubjecti. Deus enim per Moſen illa illis impoſuit, & quidem occaſione τῶν παραβάσεων. Fuit *ſervitus* illis ſubjici: *eramus* δεδουλωμένοι: imo *jugum*, & *onus*, & *jugum ſervitutis*. Gal. 5: 1. Vix enim dici poteſt, quantum onus fuerit *ſanctis*, offerre *elementa mundana*, dona & oblationes, abſtinere à cibis, diſcernere inter dies & dies, tot peragere lotiones, & talia porro; idque facere *cottidie & annuatim*, per *manus* aliorum, *uno in loco*, ſub comminatione *maledictionis*, ad *expiationem*; cum tamen elementa hæc fuerint *infirma & egena*, Gal. 4: 9. & *præceptum* de illis *invalidum & inutile*, Hebr. 7: 18. & *ſtatuta* illa *non-bona, & in quibus non vivit* quis. Ezech. 20: 25.

Sancti ſervientes chari Deo: hæredes, Domini.

§. 35. Quamvis autem Iſraëlitæ ita *ſervire* debuerint, *Sancti* tamen ſervientes nil minus *chari* fuerunt *Deo*. Cum *Puer eſſet Iſraël*, egoque ad caſtigandum puerilem illius animum, & refrænandos pueriles impetus pædagogo illum commiſi, *dilexi illum*, Hoſ. 11: 1. non obſtante puerili illius imperfectione. Imò & fuerunt κληρονόμοι *hæredes Dei*; & *Domini omnium*. Ita tamen chari ac dilecti, ita hæredes & Domini, ut & eſſent *ſervi*, & *nihil differrent* quoad externam cultus obitionem *à ſervis*. Et quamvis Elementa mundi *puerorum* ergò, hoc eſt, ob illos, qui pueriliter affecti erant, intraverint, tamen *omnis Iſraël*, etiam fortes in Domino, fide clari, charitate eximii, ſpe inſignes, hanc una cum pueris ferre ſervitutem debuerunt, ἄχρι τῆς προθεσμίας τοῦ πατρὸς, *uſque ad tempus* à *Patre* cœleſti *præſtitutum*. Gal. 4: 1. 2.

Differentia ſervorum.

§. 36. Eſt tamen hic differentia *ſervorum*. Sancti in fide ſervientes mundi elementis, quamvis fuerint quoad externa & carnalia munia *ſervi*, tamen alio etiam ſenſu fuerunt *non-ſervi*, ſed *liberi*: nim. *non-ſervi peccati*, Rom. 6: 17. & poſt hanc vitam liberi à ſervitute carnali, & *introducti in ſupernam Hieroſolymam*, quæ *libera* eſt. Gal. 4: 26. Hebr. 12: 22. 23. At omnes illi Iſraëlitæ, qui non in fide ſerviverunt, ut fuerunt proh dolor! multi, omneſque illi, qui juſtitiam quæſiverunt in externis illis factis, illi verè ſervi, imo dupliciter ſervi, ſimul ſervi legis, ſimul ſervi peccati fuerunt; ſervi interne, ſervi externe; ſervi in hac vita, ſervi poſt hanc vitam: deque illis accipi poteſt verbũ Domini Joh. 8: 34. *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: ſervus autem non manet in domo in perpetuum.* Miſeri hi ſervi, ita ſervi ut non eſſent *filii* (cum ſancti ita eſſent ſervi, ut ſimul eſſent filii, *Filius manet in perpetuum*, Joh. cap. 8: verſ. 35.) quamvis in hac vita eſſent cohæredes terræ Canaan, & concives Politiæ Iſraël, tamen *in domo non manſerunt*, nec poſt hanc vitam intrarunt in veram, ſpiritualem & cæleſtem Canaan; ut & in plenitudine temporis poſt rejectum Chriſtum, & cruci adfixum Dominum gloriæ,

excluſi ſunt à communione Eccleſiæ, neque membra ſunt domus hujus *ſpiritualis Dei vivi*, & ſedent *ſine Deo, Rege, Sacrificio, Ephod.* Ita in veritate adimpletum, *ſervum in domo non manere.*

Doctrinæ ex hoc loco. §. 37. Docet igitur hic locus 1. Quod nomen mandata carnalia legis ceremonialis merentur: ſunt *mundi elementa.* 2. Cur intraverint. Puerorum gratia, ad illos quaſi caſtigandos, & intra limites pietatis & modeſtiæ continendos. *Cum eſſemus Pueri.* 3. Quis ſtatus fuerit illorum, qui elementa hæc mundi obierunt: fuerunt *ſervi.* ἦμεν δεδουλωμένοι.

Locus. Hebr. 2: 15. §. 38. Affinis huic loco eſt alter ille Hebr. 2. ubi cum ℣. 14. Paulus docuiſſet, Chriſtum *cœpiſſe participem eſſe carnis & ſanguinis*, addit rationem, cur id debuerit fieri. Prima ratio eſt, *ut per mortem aboleret poteſtatem mortis habentem. Caro factus* eſt *ſermo*, ut *guſtaret mortem:* ni *homo* factus eſſet, *mori* non potuiſſet. *Guſtavit mortem*, ut per illam *aboleret Diabolum*, qui *mortis* inferendæ *poteſtatem* habebat, ipſo legis jure munitam. Ad hanc abolitionem Diaboli pertinet abolitio *peccati*, *mortis* ſpiritualis & æternæ, *inferni*, omniſque *poteſtatis tenebrarum.* Secunda ratio eſt; *Ut redimeret illos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Hebr. 2: 15.

Chriſtus à ſervitute liberavit. §. 39. Idem quod dicitur Gal. 4: 4. 5. *natus è muliere, ut illos, qui erant ſub legem, redimeret*, his verbis innuitur. Carnis particeps factus eſt: ad quid *ut liberaret*; quos? *qui ſervituti obnoxii erant*, hoc eſt, qui ſub elementa mundi in ſervitutem redacti erant; qui ſub lege ſerviebant. Chriſtus, caro factus, guſtata morte, legem veterem ut implevit, ita abrogavit, quæ uſque ad *adventum* illius *addita* tantum erat. Ita implendo, abrogando, & *in crucem chirographum dogmatum affigendo*, Col. 2: 14. *ſervitutis* fecit finem, & ſervientes jure ipſo & efficaci merito *à ſervitute liberavit.*

Servitus cum vita incepit & deſiit. §. 40. Docet Apoſtolus, quouſque illi ſervituti huic fuerint obnoxii: διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, *per omnem vitam*: quamdiu in carne vixerunt, in hoc mundo. Poſt vitam hanc nulla ſervitus illis incubuit. Igitur ut cum vita ſervitus incepit, ita & cum vita deſiit: ut ut naſcebantur, circumcidebantur: id initium erat ſervitutis, ut ut mortui erant, *propter illos mortuos* alii *baptizabantur*, 1 Cor. 15: 29. id finis fuit ſervitutis. *In gloriam introducti* cæleſtem, *acceſſerunt ad urbem Dei vivi, ad panegyrin primogenitorum* &c. Hebr. 12: 23. triumphantes cum triumphantibus, liberi cum liberis, glorificati cum glorificatis.

Timor mortis. §. 41. Addit denique Paulus, quo motivo adducti ſint, ut *obnoxios ſe exhiberent ſervituti*: φόβῳ θανάτου *timore mortis.* Mortis illos timor habuit. *Omnis tranſgreſſio promptam habebat vindictam.* Hebr. 2: 2. *Legem Moſis irritam faciens mori* debebat. Hebr. 10: 28. Juſſerat Deus morte affici ſervitutis legalis violatores. Levit. 24: 16. Num. 15: 36. Imo ipſe Deus exemplariter ſæpè in illos animadvertit. Lev. 10: 2. Num. 16: 32. 33. Igitur Sancti ne in pœnam mortis incurrerent, ſervituti debuerunt manere obnoxii.

§. 42. Extabat prætetea comminatio. *Maledictus, qui non manet in omnibus.* Ipſa hac urgebantur ſententia, ne funes ſervitutis rumperent. Ita *timore mortis*, & comminatione maledictionis conſtringebantur.

§. 43. *Timorem mortis* quod attinet, etiam fortiſſimi horrent exemplaribus pœnis affici. Pro *Patria* mori, nemo bonus dubitat. Pro *bono* ſæpè quis mori τολμᾷ *audet.* Sed mori morte, ad quam condemnatus ſis in judicio, quæ mors ſupplicium eſt; mori, ut perturbator publicæ quietis; ut transgreſſor legis, id & infame eſt, & fortiſſimis mentibus incutit horrorem. Quanto major ergo in ſervientibus legi *timor mortis* fuit, perferendæ ob transgreſſam legem, non ab homine, ſed à Deo datam; ob ſcandalizatam Eccleſiam, ob violatam ordinationem divinam? Multo major adhuc *timor mortis* fuit & pœnæ illius, quam

quam immediate Deus intulit: de qua dicere poſſumus, *terribile eſt incidere in manus Dei vivi.* Hebr. 10: 31.

§. 44. *Timor mortis* auctus fuit ex *amore vitæ*, quæ omnibus quidem omni tempore chara eſt & optabilis, imprimis ſi delicatam & bonis abundantem agere contingat; ſine quibus ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ συμφορά· *vita non vita*, ſed *calamitas* viſa eſt gentilibus; quo reſpectu iidem falſi ſunt,. *Naturam homini nihil brevitate vitæ præſtitiſſe melius*, item, *Vitæ vanitatem ampliorem eſſe illius utilitate*; & ſi, inquam, amor vitæ naturaliter inſit omni homini, tamen Iſraëlitæ imprimis & præ aliis omnibus, vitam exoptavere longam, non abſque ratione; & mortem horruere ſubitam ac immaturam bona cum ratione.

§. 45. Vita enim *longa*, ut peculiare Dei beneficium promiſſa fuit illis, & vita *expers morborum Ægypti*, *ad plenitudinem dierum*, agenda *in terra Canaan*, pignore cœleſtis & melioris Canaan. Exod. 20: 12. *Ut prolongentur dies tui in terra, quam Dominus dat tibi.* Exod. 23:25. *Removebo morbum e medio tui. Numerum dierum tuorum implebo.* confer. Exodi. 15:26.

§. 46. Igitur vita longa frui, erat longum fructum habere beneficii divini; longam habere poſſeſſionem pignoris, in certitudinem melioris illius; imo & vita longa ſymbolum fuit amicitiæ cum Deo, obedientiæ integræ, & roboramentum ſpei & fiduciæ. Cum è contra morte celeri, inopinata, matura, aut etiam violenta auferri, contrarium quaſi videbatur porrigere teſtimonium. Quinimo, non poterat non eſſe optabile vivere in terra illa, quam Deus dignatus erat vocare *ſuam*, in qua Deus ubertime benedicebat; in qua Deus aliquando manifeſtandus erat & videndus oculo ad oculum; in qua vigebat cultus Dei, audiebantur eloquia Dei, explicabantur myſteria cœli. Hujus vitæ amore, & contrariæ mortis timore ſancti & fideles commoti, humeros jugo ſervitutis ſubdiderunt cum lubentia.

§. 47. Sunt qui locum hunc, de *ſervitute peccati*, cui omnes ſervimus natura, interpretantur. Sed obſtare videtur, 1. quod non commode intelligitur, quomodo *timore mortis*, illa ſervitus fuerit obita. Cujus quæſo mortis timor effecit, ut peccato ſerviret mundus? 2. Quod ſervitus hæc *ad hanc vitam* aſtringitur. At *ſervitus peccati* durat etiam poſt hanc vitam, ut & fructus peccati. Quid faciunt damnati in inferno? non tantum ob peccatum luunt, ſed & peccato in æternum ſerviunt. 3. Modus loquendi ἔνοχοι ἦσαν δουλείας *obnoxii erant ſervituti* oſtendere videtur, de *ſervitute* tali ſermonem eſſe, quæ non natura incumbit, ſed quæ ob accedentes quaſdam cauſas impoſita eſt. Ita dicitur ἔνοχος θανάτου *reus mortis*. (Matth. 26: 66.) qui ob commiſſum ſcelus meruit morte caſtigari, qua alias ſi ſcelus non commiſiſſet, adfectus non fuiſſet. confer. Matth. 5; 21, 22. 4. Liberatio à ſervitute legis inter maxima beneficia eſt; quæ Chriſtus morte ſua acquiſivit. Gal. 4: 4. 5. 5: 1. Actor. 13: 38. 39. Videtur igitur Apoſtolus hic, ubi agit de morte Chriſti, illiuſque fructu, non debuiſſe inſigne hoc beneficium ſilentio præterire; imo nec potuiſſe id vocabulis ſignificantioribus, & magis ad deſcribendam rem hanc aptis enunciare aut deſcribere. 5. Liberatio à ſervitute peccati jam indicata eſt & comprehenditur in illa ſententia, *ut aboleret poteſtatem mortis habentem, Diabolum.* Si Diabolus aboletur, etiam ſervitus peccati aboletur: nam *ſervire peccato* eſt *ſervire Diabolo*: & *poteſtas mortis*, quæ cum Diabolo aboletur, eſt à peccato: *ſtipendia enim peccati mors.* Rom. 6: 23. Non agit locus hic de ſervitute peccati.

§. 48. Jungatur his de *ſervitute* locis non minus elegans quam controverſus ille locus, ut ut clariſſimus & ſenſu perſpicuus. Rom. 8: 15. *Non enim accepiſtis rurſum Spiritum ſervitutis ad timorem, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum.* Locus Rom. 8: 15.

§. 49. Idem

Spiritus ſ. eſt Spiritus ſervitutis, & Spiritus adoptionis.

§. 49. Idem *Spiritus Dei*, qui *unus* eſt & *idem*, 1 Cor. 12: 11. attamen propter varietatem donorum, quæ *diſtribuit*, ſub numero τῶν ἑπτὰ πνευμάτων deſcribitur Apoc. 1:4. idem hic Spiritus eſt πνεῦμα δουλείας, & πνεῦμα υἱοθεσίας; alio & alio reſpectu, tum temporis, tum modi, quo datus fuit & datur Sanctis.

Spiritus ſervitutis.

§. 50. *Spiritus ſervitutis* fuit *illo* tempore, quo δουλεία *ſervitus* incubuit: & *illis* fuit talis, qui *ſervituti* illi *fuerunt obnoxii*, hoc eſt, Iſraëlitis. Servitus illa legalis autore Deo intraverat: *bona* erat, quia à Deo mandata, quia ad bonum tendebat finem: *bonum* etiam erat, ut integra obedientia præſtaretur & impleretur. *Spiritus Dei bonus, qui ducit Sanctos in via recta*, Pſal. 143: 10. non potuit non Sanctos docere, juſtum eſſe & bonum, ſervitutem illam, à Deo juſſam, ad bonum ducentem, ſubire obedienter: non potuit non, inquam, illis dare oculos mentis illuminatos, ad ſcrutandum ſervitutis hujus myſteria: non potuit non in ſanctis operari & *velle* & *perficere* in fide omnia ſervitutis hujus opera. Igitur quatenus fecit Spiritus ſeu Sanctos *ſervitutem* hanc obire, omni cum ſubjectione & humilitate; imo docuit illos ſcrutari & intelligere, quinam hujus ſervitutis *finis*, imo quis illius ſcopus eſſet, eatenus ſignificanter vocatur *Spiritus ſervitutis*.

§. 51. Vocatur *Spiritus timoris*, quia facit ſanctos timere Deum; *precum*, quia docet preces fundere; *ſapientiæ*, quia ſapientes facit ad ſalutem; *roboris*, quia corda robore & ſancta implet fortitudine; *gratiæ*, quia docet gratiam Dei ſalutarem agnoſcere; *adoptionis*, quia certos nos facit de adoptione. Eadem ratione vocatur *Spiritus ſervitutis*, quia in ſanctis operatus eſt *voluntatem* lubenter ſerviendi; *agnitionem*, ut in fide ſervirent; *vires* denique, ut ſub ſervitute non ſuccumberent.

§. 52. Non potuit eſſe Spiritus *ſervitutis*, niſi inſimul ac pariter eſſet Spiritus *fidei*, *ſpei*, *agnitionis*, *timoriſque* Domini. *Fides* enim ſervitutem hanc fecit utilem; *ſpes* fructuoſam; *agnitio* oſtendit illius ſapientiam; *timor* ad illam fecit lubentiam. Igitur in quibus *ſervitutis Spiritus* fuit, in illis fuit etiam Spiritus fidei, ſpei, & inſignium illorum donorum, quæ memoravimus.

§. 53. Nemo putet injuriam fieri Spiritui ſancto, dum vocatur *Spiritus ſervitutis*, niſi putet injuriam factam Sanctis, quod facti ſunt *obnoxii illi ſervituti*. Utiliter ſervitus illa illis incubuit. Utiliter Spiritus illis ſervitutis Spiritus fuit.

§. 54. Quamvis autem omnis Iſraël ſervituti legali factus fuerit obnoxius, non tamen omnis Iſraël Spiritum illum ſervitutis ἔλαβε *accepit*. Ut enim non omnes in fide ſerviverunt, ita nec omnes in Spiritu ſervitutis ſancto. Multi ſerviverunt πεποιθότες ἐν σαρκί. Multi ſerviverunt acti non à Spiritu ſervitutis *bono*, qui erat Dei; ſed à Spiritu ſervitutis *malo*, qui fuit Diaboli.

§. 55. Igitur ne æſtimemus *Spiritum ſervitutis ſanctum*, qui Iſraëli olim datus eſt, donum fuiſſe vile aut ἀπόβλητον: mundus enim illum non accepit; ſed aſpiciamus illum ut donum cœli, autorem omnis boni, cœlitus dono datum: hinc & de illo dicitur ἐλάβετε *accepiſtis*, quaſi è ſingulari Dei dono & munificentia, quæ illius vocabuli vis eſt, ut conſtat 1 Cor. cap. 4: verſ. 7. *Quid habes*, ὃ οὐκ ἔλαβες, *quod non accepiſti*, datum à Deo bono & divite? ita & ſumitur Joh. cap. 1: verſ. 12. *Donum*, & inſigne donum, imo vere magnum fuit *Spiritus* hic *ſervitutis*: quippe qui in ſanctis, quibus datus eſt, effecit, ne id verbum in illis, ut in multis, eſſet verbum odorque mortis, aut merum miniſterium condemnationis, aut litera occidens; ſed ut in illis ſervitutis onus faceret peccati ſenſum, gratiæ excitaret deſiderium, eſſetque bonorum futurorum, magnam adhuc partem inviſibilium,

lium, viſibile Sacramentum. *Donum* igitur fuit quidem, quamvis non tam excellens & ſublime *donum*, ut exſtitit in poſtremo dierum, quo Chriſtus Dominus *exaltatus dextra Dei, promiſſione Spiritus Sancti accepta a Patre, illum effudit in omnem carnem*, Actor. cap. 2: verſ. 33. à quo tempore incipit eſſe ſecundum excellentiam πνεῦμα υἱοθεσίας *Spiritus adoptionis*; & deſinit eſſe *Spiritus ſervitutis*, nec amplius in ſanctis clamat, *ſervite, ſervite; jugum ſuſcipite*; ſed, *gaudete, gaudete, in libertate ſtate. Clamat in illis, & in illo clamant illi*, Ἀββᾶ ὁ πατήρ. Rom. 8: 15.

§. 56. Spiritui ſervitutis junctus fuit *Timor*. *Spiritum ſervitutis* εἰς φόβον *ad timorem*, inquit Paulus. Dupliciter verba hæc ſumi poſſunt. Spiritum *ſervitutis ad timorem*, hoc eſt, ſervitutis, quæ timorem junctum habuit: ut vidimus ex Hebr. cap. 2: verſ. 15. *Fuit ſervitus ad timorem*, hoc eſt, ſervitus multo cum timore peracta, multum timorem patiens, multum timorem exigens. Aut, *Spiritum ſervitutis ad timorem*, ut Spiritus habeatur effector utriuſque & *ſervitutis* & *timoris*. Ut donum fuit Spiritus, ſervitutem in fide obire: ita & donum fuit, *in timore* illam obire. *Timor* ille non potuit eſſe ſine amore Dei, ſine lubentia obedientiæ, ſine charitate & dilectione terreſtris pignoris, adeoque non ſine ſiti & deſiderio cœleſtis hæreditatis. Igitur & *Spiritum Sanctum* non pudet, ut à *ſervitute*, ita & à *timore* denominari. Eſt igitur aut fuit olim non tantum *Spiritus ſervitutis*, ſed & *Spiritus timoris*. 2 Tim. cap. 1: verſ. 7. *Non dedit vobis Deus* πνεῦμα δειλίας *Spiritum formidinis*: eadem fere loquendi formula, qua noſter utitur textus, *non accepiſtis Spiritum ſervitutis*. Spiritus ſervitutis ad timorem.

§. 57. *Non accepiſtis* πάλιν *rurſus*, inquit Paulus: docens, *Spiritum ſervitutis* olim, cum ſervitus incumberet, datum; nunc, poſtquam ſervitus deſiit, non amplius, ut talem, accipi. Ubi enim ſervitus non eſt, nec Spiritus eſſe poteſt. Non accepiſtis rurſus.

§. 58. Neque difficultatem parit, quod Paulus ſcribit ad Romanos, qui non tantum erant Judæi, in Roma κατοικοῦντες, ſed & *gentiles*, quemadmodum Roma caput paganiſmi erat. Nunc autem conſtat, gentiles nunquam ſub ſervitute legis Moſaicæ fuiſſe, quomodo ergo Spiritus *ſervitutis*, ab illis acceptus, eo quo fecimus ſenſu accipi poteſt? Objectio.

§. 59. Atqui Paulus Romanos non amplius conſiderat ut gentiles, ſine Deo, alienos à politia Sanctorum, ſed ut *ſanctos, vocatos*, cum Iſraële factos ἓν *unum*, in idem *corpus* complantatos, & *utroſque ut unum novum hominem*. Epheſ. cap. 2: verſ. 15. Igitur quia *unum* facti ſunt cum Iſraële, eorundem etiam beneficiorum ſunt capaces & participes. *Spiritus* itaque ex æquo competit illis. Nunc tamen non rurſus ab illis accipi poteſt, ut *ſervitutis* Spiritus, quemadmodum olim datus eſt, quod tempus nunc præteriit, ſed acceptus eſt, ut Spiritus filiationis. *Non rurſum accepiſtis Spiritum ſervitutis*, qualis olim ſanctis datus fuit. Deus melius quid de vobis providit. Sed *accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum*. Non dicit Paulus, illos olim, cum adhuc gentiles eſſent, accepiſſe Spiritum ſervitutis; ſed illos illum, poſtquam vocati & converſi ſunt, non accepiſſe; imo non *rurſum*, & ſecunda vice accepiſſe, qualis *ſemel*, & prima vice acceptus eſt, non certe à gentilibus; ut enim illi tunc fuerunt in mundo ſine Deo & Chriſto, ita & ſine Spiritu; ſed ab illis, quos Deus communione fœderis & Spiritus dignatus eſt, hoc eſt, Iſraëlitis. Eadem ratione loquendi utitur Paulus Galat. cap. 4: verſ. 9. *Quomodo convertimini* πάλιν *rurſum ad infirma & egena elementa.* atqui Galatæ, qua gentiles, nunquam ſub elementis mundi ſubjecti fuerunt: & tamen dicit Paulus, *Convertimini rurſum.* Ita & hic, *non accepiſtis rurſum*

Spiritum ſervitutis, quem tamen qua gentiles nunquam acceperant; ut nec fideles facti illum talem accipere poterant.

Cohærentia hujus loci cum antecedentibus. §. 60. Et ita accepta hæc Pauli ſententia etiam pulchre reſpondet ei, quod dixerat verſ. 14. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, illi ſunt filii Dei.* Quod autem ſint *filii Dei*, & & quidem *filii* in ſenſu pleniſſimo, non ita *filii*, ut ſancti olim, qui ſimul erant *ſervi, nil a ſervis differentes*, Galat. 4: 1. 2. 3. probat, *Nam non accepiſtis, Spiritum ſervitutis rurſum*, ſed accepiſtis *Spiritum filiationis*. Quid ni illi ſint *filii Dei* veriſſime & pleniſſime, qui acceperunt Spiritum, non ſervitutis iterum, qui filios ſervitutem docuit ferre, & illos quaſi in ſtatu poſuit ſervorum, ſed filiationis, adoptionis filiorum, qui de filiatione ſanctos certos facit, & affectum in illis gignit omnino filialem; & vocem è pectoribus illorum cogit omnino fiducialem, *in illo enim clamant, Abba.*

Locus Hebr. 10: 18. §. 61. Succedat hiſce locus Pauli. Hebr. 10: 18. *Ubi eſt* ἄφεσις *remiſſio peccatorum, non amplius oblatio pro peccato eſt.* Inde emergit quæſtio, an ergo ſtante Veteri Teſtamento, ſub quo oblationes & ſacrificia allata ſunt pro peccato, peccatorum non fuerit remiſſio?

Sancti V. T. hæredes, vitæ & ſalutis. §. 62. Sanctos Veteris Teſtamenti *ante jacta mundi fundamenta electos*. Epheſ. 1: 4. Chriſtum pro illis ſpoſpondiſſe *per Spiritum æternum*, Hebr. 9: 14. & peccata illorum in ſe ſuſcepiſſe; imo illos in hac vita participes factos *Spiritus Sancti*, *qui fide corda illorum purgavit*, Actor. 15: 9. habuiſſe *agnitionem juſti Dei ſervi*, & *in illa juſtificatos*, Eſ. 53: verſ. 11. poſt hanc vitam *in gloriam introductos* cœleſtem, Hebr. 2: 10. *per gratiam Chriſti Domini ſalvatos*: id omne inquam certum eſt & indubium.

Sub V. T. fuit remiſſio. §. 63. Igitur ſi per ἄφεσιν *remiſſionem* intelligas immunitatem à pœna peccati, imputationem juſtitiæ, abſolutionem ab ira & maledictione, communionem Dei, animæ ſalutem, certiſſimum eſt, ſub Veteri Teſtamento fuiſſe ἄφεσιν.

E mente autem Pauli non fuit ibi ἄφεσις. §. 64. Nihilominus Paulus, qui, ſi ullus alius, has prærogativas ſanctis Veteri Teſtamenti aſſeruit efficaciſſime, docet, ubi ἄφεσις eſt, non eſſe *amplius oblationem pro peccato*. Unde ſequitur, ubi *adhuc oblatio* exigitur pro peccato, ut ſub Veteri Teſtamento cottidie & κατ᾽ ἐνιαυτὸν factum, ibi nondum eſſe ἄφεσιν, adeoque illam ſub Veteri Teſtamento non fuiſſe.

Aſſentitur Scriptura. §. 65. Accedit Scriptura, quæ *remiſſionem peccatorum* promittit ut beneficium poſterioris temporis. Jerem. 31: 33. 34. *Hoc eſt Teſtamentum, quod pangam cum domo Iſraël, nam condonabo iniquitatem illorum; & peccatorum non recordabor adhuc.* Et quod quaſi una cum Chriſto apparuit: Actor. 13: 38. *Notum ſit vobis, quod per hunc* ἄφεσις *annunciatur.* imo quod cum fuſione ſanguinis Chriſti immediate junctum eſt Matth. 26: 28. *Hic eſt ſanguis meus, qui effunditur* εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. confer Epheſ. 1: 7. Col. 1: 14. Denique Scriptura docet, *mortem Chriſti obitam, ad redemtionem tranſgreſſionum, quæ fuerunt ſub priore Teſtamento.* Hebr. 9: 15.

Vox ἀφέσεως latæ eſt ſignificationis. §. 66. Hinc ſequitur, vocem ἄφεσιν eſſe latioris ſignificationis; & non tantum illas excellentias, quas §. 63. notavimus, ſed & alia ac plura & majora notare, & in latitudine ſignificationis ſuæ comprehendere.

§. 67. Nimirum ἄφεσις requirit, ut actu *Sanguis Chriſti* ſit effuſus, actu *lytrum* ſolutum; & quod Chriſtus ſpondendo in ſe ſuſcepit, id omne ſolvendo & implendo ſiſtat ac exhibeat. Requirit inquam, ut nulla ſuperſit *conſcientia peccati*; nulla fiat *commemoratio peccati*; nullum exigatur *chirographum debiti*; nulla exhibeatur *oblatio pro peccato*; denique nil ſuperſit à Sponſore agendum, à Sacerdote patiendum, à Mediatore adducendum.

§. 68. Id

§. 68. Id cum de tempore Vet. Teſtamenti non poſſit dici, apparet nec eidem τὴν ἄφεσιν in pleniſſimo ſignificatu poſſe attribui.

§. 69. Ubi eſt ἄφεσις, non ſufficit ut pro peccato non patiaris, ſed requiritur ut pro illo nil amplius ſuperſit patiendum. Ubi eſt ἄφεσις, non ſufficit ut Sponſor ſit apud Deum, qui peccata in ſe ſuſcepit bajulanda, ſed requiritur, ut idem peccata ſuſcepta de ſe depoſuerit, quod fieri non poteſt, niſi per actualem ſui oblationem. Ubi eſt ἄφεσις, non ſufficit ut peccatum tibi non imputetur, ſed & requiritur, ut nulla plane illius recordatio fiat; quemadmodum olim factum eſt in ſacrificiis. Ubi eſt ἄφεσις, non ſufficit ut ob vim æternæ ſponſionis Chriſti in cælum introducaris, ſed requiritur, ut *fiduciam habeas in introitum in Sanguine Ieſu fuſo*, Hebr. 10: 19. & ut etiam in terra non poſſis cogi ſtare procul, ſed cum *parrheſia accedere ad tronum gratia*. Hebr. 4: 16. Ubi eſt ἄφεσις, non ſufficit ut Deus non ſit tibi iratus, & amicus tuus; ſed & requiritur, ut actu ſit reconciliatus, & *in juſtitia ſanctificatus, & in judicio exaltatus*, & ut nihil amplius exigat ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ. Ubi eſt ἄφεσις, non ſufficit ut Lex non tibi maledicat, aut maledicendo à communione beatitudinis excludat, ſed & requiritur, ut *τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου in te ſit adimpletum*. Rom. 8: 4.

§. 70. Hæc autem majora & excellentiora bona cum in Chriſto demum ſint manifeſtata, ſequitur etiam per illum demum pleniſſimam *ἄφεσιν remiſſionem* partam & adductam eſſe.

§. 71. Hæc conſiderans Paulus ſolet uti duobus vocabulis ad notandam peccati condonationem; quorum unum eſt ἄφεσις; alterum πάρεσις, quod tamen non niſi ſemel in ſacris invenitur, nimirum, Rom. 3: 25. de quo loco nunc è profeſſo agere non libet: ſufficiat inde annotaſſe, Chriſtum *propoſitum eſſe propitiatorium*, non tantum propter noſtra peccata, ſed etiam διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων *propter remiſſionem ſive prætermiſſionem peccatorum ante factorum*, nempe *in tolerantia Dei*, hoc eſt, illo tempore, quo Deus tolerabat, & non evertebat gentes peccatores, populumque defectorem; imo etiam differebat pœnam peccati, ut ita loquar, quam filius perferre debebat. Illo autem tempore uſus eſt παρέσει erga peccata, illa in ſanctis non puniendo, ſed illis imputando juſtitiam, & vitam dando æternam ac ſalutem. Fuit tamen illa πάρεσις talis, ut propter illam filius adhuc debuerit proponi propitiatorium; imo ut non obſtante illa cottidie fieret *oblatio pro peccato*. At ἄφεσις talis eſt, ut illa exſtante, nec Sacerdos noſter neceſſum amplius habeat ſe ipſum offerre; nec ulla oblatio pro peccato locum inveniat. Itaque ἄφεσις differt à παρέσει *plenitudine* & conſummatione. *Ἄφεσις, Πάρεσις.*

§. 72. Ut autem concludamus, ſi quis locum, Hebr. 10: 18. *ubi eſt ἄφεσις, non adhuc eſt oblatio pro peccato*, ita explicet, ac ſi ἄφεσις olim potuerit *conſiſtere cum ſacrificiorum jugi oblatione; non vero poſtea, ſoluto nunc pretio*, is admonitus ſit, Apoſtolum hoc diſcrimen non facere, ſed tollere. Dicit enim abſolute *ubi eſt ἄφεσις, non ἔτι amplius eſt oblatio*: ſi igitur ſub Vet. Teſtamento illa fuiſſet, neque ibi locum oblatio habuiſſet.

Caput Decimum tertium.

De typis & vaticiniis illuſtrioribus, quæ de Chriſto Domino exſtant in libris Moſis; ut & de Bileamo, & illius prophetiis: Item de formula benedictionis è Num. cap. 6. & de loco Deut. 6: 4.

§. 1. Egimus hactenus de legalibus, in quibus Chriſtum Dominum vidimus adumbratum. Agamus nunc de aliis tum *typis*, tum *vaticiniis*, qui in deſerto exhibiti; quæque ibi pronunciata ſunt, ut ne putemus libros Moſis tantum agere de inſtitutis carnalibus, & claris teſtimoniis carere. Idque eo potiori ratione faciemus, quia Servator ipſe docuit, Moſen de ſe ſcripſiſſe. *Si crederetis Moſi, crederetis etiam mihi, de me enim ille ſcripſit.* Joh. 5: 46. Et diſcipulis *in via ad Emmaus explicaturus ea, quæ in omnibus Scripturis de ſe ſcripta* eſſent, *incepit* ἀπὸ Μωσέως *a Moſe.* Luc. 24: 27.

Petra typus Chriſti.

§. 2. *Petra* in deſerto Zin, aquas emittens, illuſtris Chriſti typus eſt, ἡ γὰρ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. 1 Cor. 10: 4. Jubetur Moſes accipere *ſcipionem ſuum, & loqui ad petram:* non percutere, ſed tantum loqui ad illam. Moſes mandatum hoc transgreditur, & ad quam loqui debebat, illam percutit petram, nec ſemel tantum, ſed פַּעֲמָיִם *duabus vicibus.* Num. 20: 8-14. Quia autem hujus petræ myſterium jam ſupra cap. *ſexto* §. 21. 25. 26. 27. explicavimus, nolumus actum agere.

Virga Aharonis quæ fronduit.

§. 3. Ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα *virga Aharonis, quæ fronduerat*, Hebr. 9: verſ. 4. etiam myſterium habet, de illa lege Num. 17: verſ. 17. 18. Volebat Deus viſibili ſigno oſtendere, *Sacerdotium*, quod Korach & Datan ad ſe voluerant rapere, proprium Aharonis eſſe, & è nulla alia tribu quemquam ad altare accedere debere. Sumuntur *duodecim virgæ:* ponuntur *ante arcam fœderis:* Aharonis *virga* ponitur *in medio:* illa *floret*, & profert *gemmam, florem, amygdala*: ſervatur illa virga *ante arcam in ſignum filiis inobedientiæ.*

Notavit Chriſtum.

§. 4. *Virga* hæc notavit Chriſtum, qui eſt חֹטֶר *virga, exiens è ſtipite Jeſſe.* Eſ. 11: 1. *Virga* ſymbolum *potentiæ* eſt. Ezech. 19: 14. *Virga roboris.* מַטֵּה עֹז Igitur notata eſt Chriſti δύναμις *potentia.* Virga *frondet:* notatur, Chriſtum plenum ſucci eſſe & liquoris. *In ipſo vita eſt.* Joh. cap. 1: verſ. 4. Profert *gemmam, flores, amygdala*: notatur, Chriſtum *præſtantiſſimos* fructus ferre; imo & *multos*, hi ſunt varia *dona*, quæ *accepit* in hominibus. Virga *Sacerdotis* frondet: notatur *Sacerdotii* Chriſti vigor & efficacia: *talis Sacerdos nos decebat.* Hebr. 7: 26. Frondet inter *Virgas:* Chriſtus *in cœtu* ſtetit hominum. Aliæ virgæ *non frondebant:* notatur, in homine naturaliter nullum eſſe ſuccum. Virga frondebat *una nocte:* Chriſtus ſubito elatus & exaltatus, fructus exhibuit juſtitiæ. Ante *non* fronduerat: notatur, Chriſtus exinanitus, & quamvis ἴσα θεῷ, *ſine forma & aſpectu* manifeſtatus. Virga *ſervatur* ante arcam: notatur perpetuitas Chriſti Sacerdotis; *ſemper* vivit: *in perpetuum* ſedet ad dextram Dei. Virga ſervatur, ut ſpectetur *a filiis inobedientiæ:* Chriſtum, *quem tranſfixerunt*, ὄψονται.

Serpens æneus Symbolum Chriſti.

§. 5. Sequitur *ſerpens æneus, poſitus in ſignum*, Num. 21: 5-10. de quo ipſe Chriſtus, Joh. 3: 14. *ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari decet filium hominis.* Igitur *ſerpens æneus in deſerto exaltatus* ſymbolum eſt *filii hominis exaltati.*

§. 6. Serpens in Paradiſo inſtrumentum ſeductionis fuit. Geneſ. 3. Inde Diabolus, qui illum

illum ſerrpentem obſedit, *ſerpens* dicitur. Apoc. 12:9. 2 Cor. 11:3. Potuit Deus ſerpentes multos in caſtra & domus Iſraëlitarum immittere, quemadmodum *ranas* & *locuſtas* in *Ægyptum*: ſerpentes hi vocantur *preſteres* ſeu ignei, ut notentur fuiſſe maxime venenati. Venenum inſtar ignis vorat. Iſraëlitæ *locuti erant in Deum & Moſen*: ſpreverant Manna cibum cœleſtem. *Tædium habet anima noſtra* בַּלֶּחֶם הַקְּלֹקֵל *in pane vili hoc.* Id fuit *tentare Chriſtum*, 1 Cor. 10:9. ſtatim mittuntur ſerpentes *in vindictam*: *mordent*: moriuntur multi: id eſt Apoſtolo, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. 1 Cor. 10:9. Inde clamor populi. Videmus quantum immineat malum iis, qui *panem vitæ* faſtidioſe ſpernunt. Obnoxii fiunt non ſerpentibus brutis, ſed *ſerpenti antiquo*: *mordentur*, hoc eſt, indurantur & in reprobum dantur ſenſum. Exemplo ſunt Judæi, qui *ſalutare Domini* interfecerunt. Ut in deſerto populus à ſerpentum infeſtationibus liberaretur, auxilio opus erat divino. Docemur, Dei eſſe *conterere Satanam.* Rom. 16:20. *Michaelis pugnare cum Dracone*, Apoc. 12:7. *Principis ſalutis, abolere Diabolum.* Hebr. 2:10.11.14. Jubet Deus ſerpentem æneum poni in ſignum, *aſpici* à morſis, & ſic illos ſanari. Serpens æneus per ſe non poterat ſanare morbos: neque enim in illo *vita* erat aut *potentia.* Ut *vitulo aureo* non poterat *honor* competere *eductionis* populi ex Ægypto; ita nec huic *Serpenti æneo* honos tribui debet *ſanationis* populi à morſu. Sanavit quidem vulneratos *aſpectus*, at non per ſe, ut dictum, ſed propter voluntatem Dei, qui hoc remedium huic dedit malo. Serpentes ignei.

§. 7. Figura exſtitit *ſerpens æneus* Chriſti Domini. Hircus laſcivus in figura Chriſtum repræſentavit; nunc & ſerpens: non participavit tamen nec de hirci laſcivia, nec de ſerpentis venenata malitia. Eſt enim *ſanctus*, *& non inquinatus.* Igitur quatenus 1. *miſſus eſt in ſimilitudine carnis peccati*, quod ſeducente antiquo ſerpente *venit in mundum.* 2. Subſtitutus eſt in locum illorum, qui omnes *natura* ſunt γεννήματα ἐχιδνῶν *progenies viperarum*, Matth. 3:7. 3. pro illis, peccata illorum bajulando, factus eſt *peccatum*, *exſecratio*; eatenus inquam, à ſerpente adumbratus fuit. Serpens figura 1. qua ſerpens.

§. 8. Deinde & ratione *exaltationis*: *ut ſerpens*, ita *exaltari decet Filium hominis.* Duplex eſt exaltatio Filii hominis; una glorioſa, in cœlum; una ignominioſa in crucem: de *illa* eſt Actor. 2:33. *Dextra Dei exaltatus.* Phil. 2:9. *Ideo & Deus illum ſuperexaltavit*: non *exaltavit* tantum, ſed ὑπερύψωσε *ſuper-exaltavit*: ut talis intelligatur exaltatio, quæ *Filio Dei in potentia* digna fuit; de *hac* Joh. 8: verſ. 28. *Dixit Jeſus Phariſæis*; *Quando* ὑψώσητε *exaltabitis filium hominis.* 12:32. *Et ego* ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, *cum exaltatus fuero è terra*: explicatur phraſis hæc ℣. 33. *hoc autem dicebat, indicans, qua morte futurum eſſet, ut moreretur.* Plebs in eam mentem etiam ſermonem illum capit, ℣. 34. *Audivimus, quod Chriſtus manet in ſeculum*; *& quomodo tu dicis, quod decet exaltari filium hominis.* Sunt qui in hunc ſenſum accipiunt locum Eſaiæ cap. 52:13. *Ecce ſervus meus, prudenter aget* יָרוּם *exaltabitur*, nim. in cruce. 2. Qua exaltatus.

§. 9. Chriſtus in loco Johannis cap. 3:14. loquitur non de exaltatione in gloriam, ſed de exaltatione in ignominiam. Cum enim *ut ſerpens* exaltatus eſt, non fuit in cœlo, ſed in ligno; non in honore, ſed in contumelia. Cum in cœlum glorioſe aſcendit, non aſcendit ut ſerpentis typum adhuc implens, ſed ut Victor, & Heros, & triumphum de ſerpente oſtentans. Cognitus eſt *ſecundum carnem*, quamdiu fuit in terra: *nunc non amplius illum ita cognoſcimus.* 2 Cor. 5:16. Cognitus eſt *in forma ſerpentis*, quamdiu exinanitus & humilis fuit in terra: nunc non amplius æſtimandus *ut ſerpens*, quod olim fuit, ſed ut ſalutis Princeps conſummatus, altior cœlis factus. Satisfaciendo pro peccatis, imple-

implevit typum ſerpentis. Reſurgendo & aſcendendo in gloriam aliam plane formam induit; & è ſervo factus eſt Dominus; ex humili Altiſſimus; è maledictione omnis fons benedictionis.

§. 10. Igitur & exaltatio ſerpentis ænei in deſerto, non fuit illi deputanda in honorem, ſed potius in contumeliam. Oſtenſa enim omnibus, declarata eſt impotens, infirma, typusque ejus, qui noſtra cauſa adhuc infirmandus erat; Nec exaltata ſerpens eſt in deſerto, ut coleretur ab Iſraele, ſed tantum ut nude aſpiceretur, nulla in elevatione illius oſtenſio fuit reverentiæ, quia non in typum honoris, ſed in typum ignominioſæ crucis elevata eſt, & poſita in ſignum.

§. 11. Ut autem Chriſtus exaltatus eſt, ita *decuit*, hoc eſt, decens fuit, ut exaltaretur. *Decuit* id *Deum*, Hebr. 2: 10. quia *exaltandus erat in judicio*, *ſanctificandus in juſtitia*, Eſ. 5: 16. quia *multos filios introduxerat in gloriam*, Hebr. 2: 10. quia *id ante promiſerat per Prophetas in ſcripturis ſacris.* Rom. 1:2. *Decuit* id *Filium*, quia *per Spiritum æternum ſe ipſum jam obtulerat*, Hebr. 9: 14. quia eſt *Sacerdos ſecundum potentiam vitæ indiſſolubilis*, & voluntatis immutabilis, Hebr. 7: 16. quia *fidem ſanctorum* ab initio, non potuit fallere, nec ſpem illorum illudere, Luc. 24: 26. οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν χριστὸν.

3. Qua æneus. §. 12. Si autem & in eo typus eſt, quod ſerpens fuit *Æneus*, indicitio fuit roboris & fortitudinis, quæ in Chriſto fuit, peccata mundi bajulante. Robur illi & *æs triplex* circa pectus fuit, qui corpus & animam commiſit legis maledictioni, crucis Satanæ poteſtati; quique ſe obtulit ad patiendum & ferendum omnia, quæ peccati ſunt ſtipendia, angores, plagas, mortem, iram, & id genus alia.

4. Qua ſanans. §. 13. Denique typus fuit *ſerpens* Chriſti ratione boni, quod Iſraelitis attulit. *Aſpectus ſanavit.* Chriſtus aſpiciendus eſt; amplectendus fide. *Aſpicite ad me, & ſalvamini omnes fines terræ.* Eſ. 45: 22. Chriſtus *ſanat*, *in aliis ejus eſt ſanatio*, Mal. 4: 2. *ſanat omnes infirmitates tuas.* Pſalm. 103: ℣. 3. *Morbos noſtros ille abſtulit*, & *dolores noſtros bajulavit*, Eſ. 53: 4. pertinet id etiam ad morbos corporis. Matth. 8: 17. Serpens aſpectus *vim* venenatis ſerpentibus abſtulit. Chriſtus *abolevit diabolum*, Hebr. 2: 14. *mortem*, 2 Tim. 1: verſ. 10. *infernum. Ubi, inferne, victoria tua?* 1 Cor. 15: 55. Serpens *ſemimortuos* vivificavit. *Nos mortuos in lapſibus, Chriſtus.* Epheſ. 2: 5. Talia obſervare & dilatare cuivis facile eſt. Quæ autem in ſerpente fuerunt *umbratiliter*; in Chriſto omnia ſunt *corporaliter*, ſerpens dicitur *feciſſe*, quod per ſe non potuit: Chriſtus, quod dicitur feciſſe, revera potuit & effecit.

§. 14. Id etiam obſervari poteſt. *Moſes*, *Legislator*, ſerpentem æneum exaltavit. *Succeſſores* Moſis, *Legislatores*, Chriſtum in mortem traditum crucifixerunt. Imo Lex, per Moſen data, *ſub quam Chriſtus factus eſt*, Galat. 4: 4. morte illius debuit reconciliari, ut *τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου impleretur in nobis.* Rom. 8: 4.

§. 15. Et hoc mirum eſt, per ſerpentem ſerpentes ſubiguntur: quod noxam infert, noxæ fit remedium. Serpens à ſerpentibus ſanat. Ita *mors morte* aboletur. *Maledictio* per *maledictionem* exſtinguitur. Galat. 3: 13. *Peccatum* per *peccatum* vincitur. 2 Cor. 5: 21. Serpentis *caput contritione calcanei conteritur.* Geneſ. 3: 15.

§. 16. Ita habuit Iſrael in deſerto typum viſibilem Filii Dei in plenitudine temporum crucifigendi. Ii, qui illuminatos habuerunt oculos, & in ſerpente *typo* aſpexerunt Chriſtum *veritatem*, ii, inquam, vere ſanati ſunt, & externe & interne; & quoad corpus, & quoad animum. Qui autem cœci fuerunt, & carnales, & apud æneum ſubſtiterunt ſerpentem, ii quidem, propter voluntatem Dei, & potentiam illius, quam in illo oſtendere voluit caſu,

caſu, ab externis ſanati ſunt morſibus; manſerunt autem nihilominus ſpiritualiter ægroti, infirmi, mortui, de quibus dici poteſt ex. Eſ. 1:5. *Totum caput eſt in infirmitatem: totum cor languidum.*

Locus Deut. 18: 15. 18. 19.

§. 17. Inter vaticinia, quæ in deſerto dicta ſunt, primum teneat locum excellentiſſimum illud oraculum, quod Moſes in uno eodemque capite, primo *ſuis* enunciat *verbis*; *Prophetam è medio tui, inſtar mei, excitabit tibi Dominus: illum audietis:* deinde *Dei* verbis; *Prophetam excitabo ipſis è medio fratrum ipſorum, parem tibi. Et dabo verba mea in ore illius, & loquetur ad illos omne, quod illum jubebo. Et erit vir, qui non auſcultabit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo, ego requiram ab illo.* Deut. 18:15. 18. 19. Sermonem hunc eſſe de *Chriſto*, Filio Dei, etiam Petrus teſtis eſt, Actor. 3:22. 23. confer verba Stephani. Actor. 7:37.

Filius Dei Propheta.

§. 18. Filius Dei non tantum eſt *Rex* Pſalm. 2:6. 45:2. 12. Jerem. 23:5. Zach. 9:9. *Magnificus & Dominator*, Jerem. 30:21. Mich. 5:1. nec tantum *Sacerdos*. Pſal. 110:4. Zach. 6:13. Jerem. 30:20. 21. Sed etiam נָבִיא *Propheta.* Luc. 24:19. *De Ieſu Nazareo, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone.* Mulier Samaritana, Joh. 4:19. *Domine, video, quod Propheta es tu.* confer verſ. 44. In libris Veteris Teſtamenti, niſi me memoria fallit, non dicitur alibi *Propheta*, ſunt tamen nomina, quæ tantundem valent. Eſ. 55: verſ. 44. עֵד *Teſtem dedi illum*, וּמְצַוֵּה לְאֻמִּים *& preceptorem gentium.* Eſ. 52:6. *Cognoſcet populus nomen meum, quod ego ſum* הַמְדַבֵּר ὁ λόγος *Is qui loquitur.* Hebr. 2:3. יָפֵחַ *Index, Preco ſub finem* erit, ſeu veniet, *qui non mentietur*, ergo vera loquetur, eritque non mendax, ſed juſtus veraxque Propheta.

Munia Prophetæ.

§. 19. Prophetæ eſt 1. verbum Dei pronunciare. 2. Futura prædicere. 3. Signa edere. Fecit Chriſtus illa omnia. *Primum.* Pſalm. 40:10. [illegible]. *Nunciavi juſtitiam in cœtu amplo, labia mea non continui. Secundum.* Mortem ſuam & paſſiones & reſurrectionem diu ante prædixit. Joh. 2:19. Luc. 18:31. 32. 33. Etiam Martyrium ſubeundum à Petro, Joh. 21:18. 19. & à diſcipulis omnibus. Matth. 10:17. 18. 24:9. Etiam lapſum Hieroſolymæ & interitum Judæorum. Matth. 23:37. 38. 24:15-19. Etiam varios caſus Eccleſiæ Matth. 24:23-30. *Tertium.* Matth. 11:4. 5. *Nunciate Iohanni, cœci vident, claudi ambulant, leproſi purgantur, ſurdi audiunt, mortui reſuſcitantur.* Act. 2:22. *demonſtratus potentiis, ſignis, prodigiis, quæ per ipſum fecit Deus.*

Chriſtus Propheta perpetuus.

§. 20. Ut autem Chriſtus *Sacerdos* eſt *heri, hodie, & in ſecula*, item *Rex*, ita & *Propheta.* Locutus eſt in Paradiſo: *in diebus Noë*, 1 Pet. 3:19. in *monte Sina.* Actor. 7:38. *Spiritu* illius *acti locuti ſunt ſancti Dei homines.* 2 Petr. 1:21. *In ultimo dierum locutus eſt nobis Deus in Filio.* Hebr. 1:1. *Apoſtolos* miſit *in totum mundum.* Matth. 28:19. 20. Euangelium illius manet in ſeculum. 1 Joh. 2:27.

Excitabo.

§. 21. De hoc *Propheta* ita eſt in vaticinio: Prophetam *excitabo*, id alibi eſt, *dabo.* Eſ. 49:6. *Dabo te in lucem gentium.* Eſ. 9:5. *Filius datus eſt nobis. mittam.* Zach. 2: verſ. 9. *Noſces, quod Dominus miſit me.* Eſ. 61:1. 48:16. *Nunc Dominus Deus miſit me.* A parte Chriſti id dicitur *venire.* Pſalm. 40:8. *Ecce veni.* Mal. 3:1. Zach. 9: verſ. 9. *Exire.* Mich. 5:1. *Ex te exibit mihi Dominator. Adeſſe.* Jerem. 30:20. *Et aderit Magnificus ex illo, & Imperator è medio ejus exibit. Oriri.* Mal. 4:2. *Orietur Sol juſtitia.* 2 Sam. 23:4. *Et ut lucente matutino orietur Sol. Deſcendere.* Epheſ. 4:9. *Id autem, aſcendit, quid eſt niſi quod deſcendit prius?*

§. 22. *Excitabo, aptando illi corpus*, Hebr. 10:5. *manifeſtando in carne*, 1 Tim. 3: verſ. 16. adeoque ita ut *naſcatur puer.* Eſ. 9:5. *Miſit filium, natum è muliere.* Gal. 4:4.

confer

confer Actor. 2: 30. *David ſcivit, quod juraverat Deus, è fructu lumborum ipſius, τὸ κτ̔ σάρκα ἀναςήσειν quantum ad carnem excitare Chriſtum.* De hac ipſa excitatione hic ſermo eſt. *Excitabo*, nim. ut incipiat particeps eſſe *carnis*. confer Act. 13: 32. *Promiſſionem Patribus factam, implevit Deus nobis, ἀναςήσας Ἰησοῦν excitans Ieſum.* Vox hebræa אָקִים *excitabo* ſumitur etiam pro reſurrectione ſeu excitatione mortuorum, & eorum, qui lapſi ſunt. Hoſ. 6: 2. *Vivificabit nos Dominus a biduo, & die tertio* יְקִמֵנוּ *excitabit nos, & vivemus coram illo.* Pſalm. 41: 19. *Cum cubuerit, non addet* לָקוּם *ſurgere* ſeu *excitari.* Job. 19: 25. *Redemptor meus vivit, & poſtremus ſuper pulverem* יָקוּם *reſurget* ſeu excitabitur. Ita & græca vox ἀναςήσω utrumque ſignificat Chriſti *nativitatem* & *reſurrectionem. Illud.* Act. 2: 30. 3: 26. 13: 32. *Hoc* Act. 2: 24. *Quem Deus ἀνέςησε excitavit, ſolvens dolores mortis*, Act. 13: 34. *quod autem ἀνέςησεν excitavit Ieſum è mortuis.* Rom. 14: 9. *Mortuus eſt Chriſtus, καὶ ἀνέςη & excitatus eſt, & revixit.* Joh. 6: 39. *ἀναςήσω excitabo illum ultimo die.* Quare agnoſcamus latitudinem ſignificationis verbi hujus, *Prophetam excitabo*, nim. 1. Manifeſtabo in carne. 2. Carne mortificatum reſuſcitabo. Ita Deus nativitatem Filii, & reſurrectionem prædixerit Filii. Imprimis tamen *nativitatem*; dicit enim: *excitabo è fratribus.*

§. 23. Tempus hujus *excitationis* non definitur: indefinite tantum dicitur, *excitabo.* E prophetia Jacobi ſciebant, *ſceptrum non receſſurum, & legiſlatorem, donec veniat.* Geneſ. 49. Placuit Deo id tempus ſatis præciſe definire poſterioribus temporibus. Eſ. 2: 2. *Et erit in poſtremo dierum.* Hab. 2: 3. *Viſio erit ad ſtatutum, & Præco ſub finem* illius erit: Id Paulo dicitur τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου Gal. 4: 4. τὰ ἔσχατα τῶν ἡμερῶν τούτων. Hebr. 1: 1. Quemadmodum etiam *diem reſurrectionis* nominavit, Hoſ. 6: 2. בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי *die tertio*; & *in Iona*, ut typo, præfiguravit. Matth. 12: 39. 40.

E medio tui; e fratribus ipſorum. §. 24. *Ubi* autem, & *è quibus* excitaturus eſſet, indicavit, dicens: *Excitabo* מִקִּרְבְּךָ *è medio tui.* Locus is fuit *Bethlehem, in terra Iuda.* Matth. 2: 6. confer Mich. 5: 1. Excitabo *è fratribus ipſorum.* Ergo è Judæis oriturus erat: Non recedet ſceptrum à Juda, donec *veniat Siloh.* nimirum *è Iuda. Manifeſtum eſt, quod è Iuda ortus eſt Dominus.* Hebr. 7: 14. *Familia Ieſſe* illum accepit honorem, Eſ. 11: 1. Actor. 2: 30. Rom. 1: 3. 2 Sam. 7: 12. 13. 14. 23: 5. Amos. 9: 11. ſed familia *lapſa* Jeſſè, *ſtipitis* inſtar habens, & ut *tugurium lapſum*; & *domus non germinans. E fratribus excitabo*, inquit Dominus, innuens, quod, quemadmodum *fratres & pueri participes ſunt ſanguinis & carnis*; ita & *illum fore παραπλησίως ſimiliter.* Hebr. 2: 14. Neque tamen etiam hic aperit Deus, ſe excitaturum hunc Prophetam in *forma* ſpreta, abjecta, vili, ut fecit Zach. 9: 9. Eſ. 52: 14. 53: 3.

Illis. §. 25. Addit Dominus, *quibus* excitaturus eſſet hunc Prophetam. *Excitabo* לָהֶם *illis.* confer Eſ. 9: 5. *Puer natus nobis; Filius datus nobis.* Eſ. 49: 5. 6. Luc. 1: 69. *Excitavit cornu ſalutis nobis in domo Davidis.* Luc. 2: 11. *Vobis natus eſt hodie Servator.* Actor. 3: 26. *Vobis primum miſit Deus Jeſum, ut benedicat Vobis.* Matth. 15: 24. *Non ſum miſſus niſi ad perditas oves domus Iſraël.* nimirum ut eſt: Actor. 3: 26. πρῶτον *prius* & principaliter. *Nam & excitatus eſt gentibus*, Luc. 2: 32. *lucem* εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν. *Vile*, aut *leve* nimis fuit, ut *eſſet* tantum *ſervus ad erigendum* (N B. לְהָקִים: ergo אָקִים לָהֶם eſt אָקִים לְהָקִים אֹתָם) *tribus Iacob*: ſed *dedi te in lucem gentium, ut ſit ſalus mea ad fines uſque terræ.* Eſ. 49: 6.

Inſtar tui. §. 26. Imo etiam *cujus inſtar* futurus ille eſſet. Prophetam excitabo כָּמוֹךָ *inſtar tui.* Qualis quantuſque fuerit Moſes, *Dei* ipſius nos doceat teſtimonium. Num. cap. 12: verſ. 7. 8.

Moſes vir magnus. *Servus meus Moſes, in tota domo mea fidelis eſt: Os ad os loquor cum illo, aſpectu, non*

in

in ænigmatibus, & ſpeciem Dei videt. Deut. 34: 10. 11. *Non ſurrexit adhuc Propheta in Iſraël, ut Moſes.* Hebr. 11:27. *Inviſibilem ut videns.*

§. 27. Fuerunt magni ante & poſt Moſen Prophetæ. *Enoch prophetavit, & mortem non vidit.* Hebr. cap. 11: verſ. 5. Jud. verſ. 14. 15. *Eliſa* ſanavit Naamanem à lepra: Elias ſaturavit Zareptanam: excitavit mortuum, quod & fecerunt *oſſa* Eliſæ: denique in cœlum evectus eſt. Ad mandatum Joſuæ *Sol* ſtetit & *Luna*. Fuere qui ſanarunt aquas; qui dederunt & inhibuerunt ventos & pluvias, qui imperarunt fluminibus. Moſes non legitur, *mortuos* excitaſſe, neque ipſe mortis expers fuit. Igitur *in quibusdam* fuerunt *Prophetæ* Moſe majores. Attamen *in univerſum* Moſes major fuit omnibus: nemo enim unquam fuit, *in quo, cum quo, per quem, tot, tanta, toties* Deus egit & operatus eſt; licet fuerint, qui in uno aut altero & in paucis quibusdam prælati ſint. Etiam Matth. 11: 11. dicitur *non ſurrexiſſe in natis mulierum majorem Joanne:* quod ratione particularium quarundam prærogativarum intelligendum eſt. Manet, *non ſurrexit in Iſraël Propheta, ut Moſes.*

§. 28. In ipſa *nativitate* id mirandum, quod Tyranni filia ſervatrix illius exſtitit: quodque undæ cohibitæ ſunt, ne ab illis demergeretur. In *educatione*, quod quamvis *inſtitutus in omni ſapientia Ægyptiorum*, & deliciis aulæ innutritus, tamen non corruptus fuit, ſed cum *adoleviſſet, renuit dici filius filiæ Pharaonis.* Hebr. 11: 24. Act. 7: 22. In *vocatione*, quod non vocatus eſt ab hominibus, aut per hominem, ſed ab ipſo *Domino, Angelo fœderis.* Exod. 3. In *miſſione*, quod natura timidus, tantos cepit animos, ut Regis potentiſſimi nec iram, nec ſevera timeret mandata. In *miraculis*, quod maxima & plurima edidit. Portentis illius obſtinatiſſimus Pharao coactus miſit Iſraëlem. Per mare rubrum ſicco duxit Iſraëlem pede. Amaras edulcavit aquas. Duriſſimas cautes fecit ſcatere aquis, & arentia iis temperavit pectora. Cœli dederunt panem & cibos. In *converſatione cum* Deo; in monte Sina fuit cum Angelo: deinde in illo, cibi potusque abſtemius integros quadraginta dies & noctes, vidit ſanctuarii formam & vaſorum. Lucis quaſi divinæ particeps factus, cutem accepit radiantem. Audivit *nomen* Jehovæ proclamatum. Vidit omnem Domini gloriam. Interceſſio illius ſæpiſſime grata fuit Domino. In *doctrina*, quod *fidelis* exſtitit *in teſtimonium* τῶν λαληθησομένων. Hebr. cap. 3: verſ. 5. Omnium Prophetarum factus eſt Pater & Doctor: nihil poſt illum dictum, quod non ab illo jam eſſet dictum: ita nihil extra illum dictum. Omnis veritas in illo habet teſtimonium: libri illius pleni ſunt ſapientiæ cœleſtis, prudentiæ politicæ, exactiſſimorum ſtatutorum. Eſt in illis vitæ miniſterium & mortis. Totus in illis deſcriptus eſt Chriſtus. Tota etiam Lex. Totum denique Euangelium. In *tentationibus*, nemo illo plura tulit, nemo fortius pertulit: nemo felicius evaſit: quas non excepit minas Pharaonis, quem tandem vidit perire in mari? quas non populi murmurationes, cujus magnam partem ira divina conſumſit? quæ non ſubiit à gentibus pericula, quas felicibus ſæpe præliis vicit, fugavit, profligavit? In *morte*, quod mortuus eſt, nemine vidente; *ſepultus a Deo*, nemine locum ſepulturæ ſciente: defenſus *à Michaële Archangelo* contra Diabolum, qui è cadavere illius meditabatur facere idolum, Judæ verſ. 9. Ita in nativitate, vita, morte verè magnus & mirabilis *Moſes* fuit.

§. 29. Quantus, quantus autem fuerit, fuit tamen *homo*, ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, *iiſdem quibus nos obnoxius*, Jac. 5: verſ. 17. habuit naturæ defectus, & organa imperfecta: nec volubilis fuit linguæ, nec prompti oris. Vixit *in carne*, cui difficile erat θεῷ ἀντιτάσσεσθαι: inde iram ſæpe divinam in ſe concitavit, etiam uſque ad periculum vitæ. Exod. 4: verſ. 14. 24. Inobedientia ſua effecit, ut non intrarit in terram Canaan, quam eminus tantùm

 oculis

oculis uſurpavit. Et quamvis magno honore à Deo affectus, tamen propria & inſita autoritate nihil dicere, aut docere, aut inſtituere debuit; neq; *ὢν ἐκ τῆς γῆς è terra originem ducens, è terra tantùm locutus eſt*, Joh. 3: 31 neque unquam audiit, nec audiet Eccleſiæ *Dominus*, ſed *θεράπων Domus Dei miniſter, & famulus.* Hebr. 3: 5. Laudatur etiam mite Moſis ingenium, & manſuetudo, lenitas ac facilitas, (Num. 12: 3. *Et vir Moſes manſuetus valde præ omni homine, qui ſuper faciem terræ*) imitanda omnibus, *viri enim ira non operatur juſtitiam Dei*, Jacob. 1: 20.

§. 30. Huic Moſi parem fore inquit Dominus promiſſum Prophetam. *Excitabo Prophetam inſtar tui.* Non hæc Domini mens eſt, Moſen parem fore promiſſo Prophetæ, ejuſdem ordinis cum illo, dignitatis, naturæ: neque hunc Prophetam omnino talem fore, qualis Moſes fuit, non alium nec diverſum; ſed id tantùm indicare vult, Moſe illum non fore *minorem*. Excitabo Prophetam *inſtar tui*, hoc eſt, non minorem aut inferiorem te. Non affirmatur præciſe *paritas*, ſed negatur abſolutè *minoritas*, nec excluditur *majoritas*.

Chriſtus Moſe major. §. 31. Chriſtus omnino Moſe major eſt, non tantum qua *Filius Dei*, *imago Dei inviſibilis*, Col. 1: 15: Hebr. 1: 3. ſed & qua *Filius hominis*: natus enim eſt è *virgine*, quod fuit *novum in terra, & ſignum*. Omnis peccati & labis expers, *ſanctus*, *ſine malo, non inquinatus, plenus gratiæ & veritatis, unctus oleo alacritatis præ omnibus conſortibus*, adeoque & Moſe ipſo. Denique qua *vocatus eſt à Deo* ad ſubeunda munia omnium maxima, quibus Angeli & creaturæ omnes fuere impares: munus *Sacerdotis*, ad *reconciliandum mundum Deo*; *Prophetæ*, ad *enarrandum Deum*, quem *nemo vidit unquam*; *Regis, ad dominandum in vivis & mortuis*. Ut brevis ſim, *Tanto majore gloria præ Moſe dignus habitus eſt*, igitur & tanto major eſt, *quanto majorem habet domo is, qui eam ædificavit*. Hebr. 3: 3. Taceo de Chriſti miraculis.

§. 32. Quare bene animadvertendum eſt, eam & non aliam eſſe Dei mentem, *excitabo Prophetam inſtar tui*, quam jam jam indicavimus. Potuiſſet Deus dicere, Prophetam excitabo, *majorem te*: & id quam veriſſimum eſt; non placuit autem Deo ita loqui, quia fidei noſtræ non voluit tollere exercitium, & diligentiæ noſtræ voluit ponere incentivum, & ſapientiæ ſuæ exhibere indicium.

§. 33. Igitur certo habeamus, promiſſum Prophetam *inſtar Moſis eſſe*. Unde ſequitur, illum eſſe omnibus ante & poſt Moſen Prophetis majorem: major enim omnibus illis Moſes eſt. Neque hic intelligi poſſe aut *Ioſuam*, aut Samuelem, aut alium quendam: quia nemo illorum fuit *ut Moſes*, ſed omnes illo minores, nulli illo majores. Hic autem noſter ut Moſes eſt, non illo minor, quamvis infinite illo major, ut oſtendimus, & reliqua textus noſtri oſtendent.

Verba Dei. §. 34. *Et dabo verba mea in os illius*, inquit Dominus. Moſi olim renuenti miniſterium dicebat Dominus: *Ego ero cum ore tuo, & docebo te, quid loqueris*, Exod. 4: 12. ibidem ℣. 15. dicitur de Aharone: *tu*, Moſes, *pones verba in os illius*. Quæ Prophetæ, *ſanctique Dei homines, acti a Spiritu Dei locuti ſunt*, 2 Petr. 1: 21. fuerunt certe *τὰ λόγια θεοῦ oracula Dei*, quæ *Iudæis concredita ſunt*. Rom. 3: 2. Unde & illa *γράμματα illa litera*, in quas relata ſunt, dicuntur *ἱερὰ ſacra*, & *tota Scriptura* dicitur *θεόπνευστος inſpirata divinitus* 2 Tim. cap. 3: verſ. 15. 16. Attamen hic ubi Deus dicit, *ponam verba mea in ore illius*, majus quid intenditur, nempe tale quid, ex quo re ipſa appareat, Prophetam hunc *eſſe inſtar Moſis*, hoc eſt, Moſe non minorem, ſed omnibus aliis majorem, ne excepto quidem Moſe.

§. 35. Igitur quod Joh. 3: 34. dicitur, *quem miſit Deus*, τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ λαλεῖ *verba Dei loquitur*, idem & hic dici cenſemus. Emiſit Deus *filium unigenitum*. Excitavit *Prophetam* promiſſum: *locutus eſt nobis in illo*, poſtquam *olim* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *locutus eſſet in Prophetis*. Hebr. 1: 1. Igitur expendamus, *quid*, & *quomodo* locutus ſit Filius, & quænam ſint illa *verba Dei*, quæ locutus eſt.

§. 36. Non locutus eſt ut Moſes & alii Prophetæ, qui pauciſſima de ſe ipſis; omnia de iis, quæ Deus fieri decreverat, & de Filio, quem miſſurus erat, ſcripſerunt: unde dicitur, *in volumine libri de illo ſcriptum eſſe*. Pſalm. 40.

§. 37. Non locutus eſt ut alii, qui ſalutem Dei adducendam, ſalutare Dei venturum, peccata expiaturum, juſtitiam adducturum toties confeſſi ſunt, *ſcrutantes, in quod & quale tempus Spiritus Chriſti in illis illa manifeſtaret*. 1 Petr. 1: 11. 12.

§. 38. Non locutus eſt ut merus *miniſter*, & qui *è terra eſt*, qui non loquitur de ſuo, qui nil propria pronunciat autoritate, & accepta à Domino tantum tradit.

§. 39. Sed locutus eſt, docuitque ὡς ἐξουσίαν ἔχων, *ut poteſtatem habens*. Matth. 7: 29. *Verba*, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, *quæ non licet homini loqui* (2 Cor. 12: 4.) *Deo* ſoli competentia, *non duxit rapinam* (Phil. 2: 6.) ſibi applicare, & de ſe enunciare. Talia verba ſunt: *Ego ſum veritas, via, vita*. Joh. 14: 6. *Venite ad me omnes, ego reficiam vos*. Matth. 11: 28. 29. 30. *Ego ſum panis vitæ*. Joh. 6: 48. *Ego ſum Meſſias, qui loquor tibi*. Joh. 4: 26. *Confide, fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua*. Matth. 9: 2. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium daret unigenitum, ut omnis credens non pereat*. Joh. 3: 16. *Omne judicium dedit mihi Pater, ut omnes honorent Filium, ſicut Patrem*. Joh. 5: 22. 23. *Data mihi eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra*. Matth. 28: 18. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, etiam illi ſint*. Joh. 17: 24. Hæc inquam verba, & qualia infinita ſunt in Sacris, ſunt ῥήματα θεοῦ *verba Dei*, quæ unus ſolus verus Deus in veritate tantùm loqui, & de ſe dicere poteſt; *Et ii, qui in Patre eſt, unum cum illo*. Joh. 17: 21. 22. Igitur magnæ emphaſeos ſententia eſt, *ponam verba mea in ore illius*; declarans, Filium Dei, Prophetam, quem excitavit Pater, omnia de ſe dicere poſſe, quæ Patri competunt; adeoque unum cum Patre eſſe, & *gloriam Dei*, quæ *alii non datur*, ſive Angelo, ſive homini, eſſe & *Filii*, quemadmodum is de ſe dicit, *ſe habuiſſe gloriam apud Patrem, antequam mundus eſſet*. Joh. cap. 17: verſ. 5. Imò mittendum & *excitandum* eſſe à *Deo* Patre, *fratribus ſuis*, hoc cum mandato, hacque munitus excellentiſſima autoritate, ut *verba Dei* annunciet in cœtu magno, & tali voce loquatur, qualis conveniens eſt & decet *Deum* T. O. M. *in carne manifeſtatum*, *Redemtorem*, *Juſtificatorem*, *Sanctificatorem* populi ſui.

§. 40. Hæc *verba*, quæ Deus poſuit in ore illius, ſunt verba *Deum enarrantia*: *Deum nemo vidit unquam, Filius in ſinu Patris, ille enarravit*, Joh. 1: verſ. 18. ſunt verba *vitæ*: Joh. 6: verſ. 68. *Domine, verba vitæ æternæ habes*: ſunt verba *bona*, *ſolatii & gratiæ*: Pſalm. 45: verſ. 2. *Ebullit cor meum verbum bonum. Gratia fuſa eſt in labiis tuis*. confer Eſ. 61: 1. 2. Sunt verba olim *non audita*: Eſ. 64: 4. *Et a ſeculo non audiverunt*. confer 1 Cor. 2: 9. diu multumque *deſiderata*: Matth. 13: 17. *Multi prophetæ & juſti deſiderarunt audire, quæ auditis*.

§. 41. Hæc *verba*, ut dictum, promittit Deus publicatum iri per os Prophetæ excitandi & mittendi. Audiverat Iſraël verba Dei de monte Sina: & illa erant *verba bona*, חקים טובים *ſtatuta bona*, λόγια ζῶντα *eloquia viva*. Act. 7: 38. Tamen illa erant tali φωνῇ *voce pronunciata, ut illi, qui ea audiverant, deprecarentur, non addi illis ſermonem*,

Heb. 12:19. Ita & Moſes antèquam enarraret Prophetiam de excitando Propheta, narrat, Iſraelitas tunc petiiſſe, *ne adderent audire vocem Iehovæ Dei*, Deut. 18:16. tumq; Deum promiſiſſe, ſe excitaturum Prophetam, qui loqueretur *verba Dei*: unde intelligere fuit, hæc *verba Dei* futura ſuavia, gratiæ plena, mentem pacantia, tali ſuavitate & charitate à magno Propheta enuncianda, ut illa audientes non terrerentur, nec peterent illa non amplius audire; ſed lætarentur in Deo, & illi gloriam darent in excelſis.

Fidelitas Prophetæ promiſſi.

§. 42. *Fidelitatem* Prophetæ hujus in eloquendis verbis Dei, Deus his verbis prædicit, *& loquetur omne quod præcipiam illi*. Hujus ſuæ fidelitatis ipſe Chriſtus teſtimonium fert. Pſal. 40:10. 11. *Nunciavi juſtitiam tuam: non cohibui labia mea, non texi in corde meo: non abnegavi*. Joh. 3:11. *Quod novimus, loquimur & quod vidimus, teſtamur*. conf. ℣. 32. Joh. 17:8. *Verba, quæ, dediſti mihi, dedi illis*. Ita magnus hic Propheta fuit πιςὸς *fidelis* τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, *illi, qui illum fecit*, miſit, excitavit. Hebr. 3:2.

Loquitur in nomine Dei.

§. 43. Dicit etiam Deus, illum *hæc verba in nomine Dei* locuturum. Chriſtus ſæpe proteſtatus eſt, ſe *veniſſe in nomine Patris*. Joh. 5:43. Ut in nomine Patris venit, ita & in nomine Patris locutus eſt. Joh. 12:49. *Ego a me ipſo non locutus ſum, ſed Pater dedit mihi Præceptum*, τί εἴπω, καὶ τί λαλήσω.

Propheta audiri debet.

§. 44. Tandem Deus jubet fidem habere verbis hujus Prophetæ. *Illum audite*. confer Mat. 17:5. αὐτοῦ ἀκούετε. Eſt ὁ μάρτυς ὁ πιςὸς. Apoc. 1:5. καὶ ἀληθινὸς, Apoc. 3:14. *qui teſtimonium illius accipit, obſignavit, quod Deus verax eſt*. Joh. 3:33. Quis ergo illum non audiat?

Pœna non audientium.

§. 45. Pœnam minatur non credentibus. *Requiram ab illo*, Act. 3:23. *diſperdetur è populo*. Joh. 3:18. *Qui credit in illum, non condemnatur: qui autem non credit, jam condemnatus eſt: quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei*.

Locus Levit. 26: 12.

§. 46. Pergimus ad alia. Lev. 26:12. *Ambulabo in medio veſtri, & ero vobis in Deum*, promittit Dominus. Hic non poſſumus non cogitare, tunc *Deum* vere *in populo ambulaſſe*, cum *manifeſtatus in carne* ἐσκήνωσε *habitavit in illis*, Joh. 1:14. *ab omni carne oculo viſus ad oculum*, Eſ. 40:5. 52:8. de quo lege 1 Joh. 1:1. *quod audivimus, quod vidimus, quod manus noſtræ attrectarunt de ſermone vitæ:* quemadmodum & promiſſio hæc, *ero in Deum*, eſt inter promiſſa *novi* & melioris *Teſtamenti*, quod *pangitur in poſtremo dierum*. Jerem. 31:33.

Incarnatio, Paſſio, Gloria Chriſti, in ultimis Moſis verbis deſcripta.

§. 47. In *Cantico* Moſis & *benedictione* illius ultima, clariſſime deſcribitur, *incarnatio, paſſio, gloria Rupis ſalutis*, hoc eſt, Chriſti. *Petra* enim *Chriſtus eſt*. Matth. 16:18. 1 Cor. 10:4. *Iſta*. Deut. 33: ℣. 3. *Sancti tui* תֻּכּוּ לְרַגְלֶךָ *pede tuo medii ſunt perambulati*. *Illa*. Deut. 32:15. *Ieſchurum flagitioſe, & ut cadaver* putidum *tractavit Rupem ſalutis*. *Hæc* Deut. 32:3. *Date magnitudinem*, h. e. gloriam, *Deo noſtro*. 33:5. *Factus eſt in Ieſchurun Rex*.

Bileam Propheta.

§. 48. Neque prætereunda ſunt vaticinia *Bileami* quem Petrus 2. ep. 2:16. *Prophetam* vocat, ejus tamen παραφρονίαν culpans & παρανομίαν; docenſque *viam illius non* fuiſſe εὐθεῖαν *rectam*, & quod *mercedem injuſtitiæ*, oblatam illi à *Balako amavit*; hoc eſt, lubentiſſime acceptaſſet, & Iſraeli maledixiſſet, niſi divinitus fuiſſet prohibitus. confer verſ. 15. & Judæ. verſ. 11.

§. 49. Bileam magnam de ſe habuit opinionem. Vocat enim ſe *virum* 1. שְׁתֻם הָעָיִן; quo notare voluit, ſe eſſe virum *perſpicacem*, qui multa expertus ſit, cujuſque oculus multa viderit. Chaldæus. דְּשַׁפִּיר חָזֵי LXX. ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν. 2. גְּלוּי עֵינָיִם *retectum oculis*, cui res videndæ exhibitæ ſunt. 3. Dicit, *ſe audiviſſe verba Dei, vidiſſe viſiones omnipotentis, ſe noſſe ſcientiam altiſſimi*. 4. Vocat ſe נֹפֵל *cadentem*, qui ſæpe incidit in ἐκστάσεις & profundas cogitationes. Num. 24:3. 4. 15. 16.

§. 50. Profeſſionem fecit *amoris veri Dei*, & obedientiæ, Nil voluit in Iſraëlem decerne-

cernere, antequam Deum conſuluiſſet. *Renuit Iehova permittere mihi ad eundum vobiſcum*, dicit ad legatos Balaki, Num. 22: 13. & ꝟ. 18. *Si daret mihi Balak plenitudinem domus, auri & argenti, non poſſum transgredi Os* יְהוָה אֱלֹהָי *Iehovæ Dei mei.* Fuit etiam cultor *ſacrificiorum, offerebat in ſeptem altaribus juvencos & arietes.* Num. 23: 46.

§. 51. Qualis tamen fuerit, è §. 48. apparet. Magis etiam è ſacra hiſtoria. Prout à Deo verbum hoc accepiſſet, *Surge, i cum illis*, ſtatim viæ ſe committit, in qua ἔλεγξιν ἔσχεν ἰδίας παρανομίας ab ὑποζυγίῳ ἀφώνῳ, ἐν ἀνθρώπῳ φωνῇ φθεγξαμένῳ. 2 Pet. 2: 16. Qui, quamvis ſtatueret, ſe nihil locuturum, quam *quod Deus poſiturus eſſet in ore illius*, Num. 23: 16. tamen ſatis oſtendit, ſe male in Dei populum affectum, neque ceſſaturum fuiſſe illi maledicere, niſi inhibuiſſet Deus: abunde malignam in populum mentem teſtatus, quod בִּדְבַר *è verbo* ſeu conſilio & ſuaſu illius Filii Iſraël ſeducti ſunt, ad ſcortandum *cum filiis Moab*: unde *magna* in illis exſtitit *plaga*. Num. 25: 1 -- 10. 31: 15. 16. Et Joſ. cap. 24: verſ. 10. dicit Dominus: *Nolui audire Bileam*: indicans, mentem illius fuiſſe maledicere populo.

§. 52. Huic tamen Hypocritæ, (qui etiam dicitur attendiſſe ad נְחָשִׁים *auguria*; à quibus tandem deſtitit, Num. 24: 1.) apparere Deus voluit, & ſæpe *illi venire obviam, & indicare verbum*, quod debebat eloqui. Num. 22: 9. 20. 31 -- 25. 23: 5. 12. 16. 19. 20. Imo dicitur fuiſſe ſuper illum רוּחַ אֱלֹהִים *Spiritus Dei*. Num. 24: 2. Verbum, quod vaticinatus eſt, fuit verbum veritatis, & implementis haut caruit. Igitur fuit Bileam unus ex illis Prophetis, de quibus Servator loquitur, Matth. 7: 22. 23. adeoque numerandus inter *falſos* Prophetas, quales olim fuerunt, *ſomniantes ſomnia, edentes ſigna & portenta*; intenti tamen in id, ut efficerent סָרָה *defectionem à Domino*. Deut. 13: 1 -- 6. Notetur etiam *Caiphas* prophetans Joh. 18: 14. 11: 51.

§. 53. Bileam *Propheta* prima vice in hunc effatus eſt modum. Num. 23: 8. *Quid execrabor, quem non execratur Deus? quid deteſtabor, quem non deteſtatur Deus?* Ita eſt. *Si Deus pro nobis, quis*, aut *quid contra nos?* Rom. 8: 31. ꝟ. 9. *A capite rupium video illum, & à collibus contemplor illum.* In excelſa loca deduxerat illum Balak; unde totum poterat videre Iſraëlem. *Ecce populus, ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur.* Populum peculiarem, ſecretum à gentibus, fore Iſraëlem indicat ꝟ. 10. *Quis numeravit pulverem Iacob, & numerum*, qui *eſt cum quadrante Iſraël?* Quod Abraamo dictum, *ponam Semen tuum, ut pulverem terræ*, Gen. 13: 16. 15: 5. idem Bileam innuit: utitur ſimili: ſi *numerus quadrantis*, ſive quartæ partis Iſraël innumerabilis eſt, multo magis totus Iſraël. *Moriatur anima mea mortem rectorum, & ſit mihi tandem ut ipſi.* Agnoſcit moriendum ſibi. Non ignorat diſcrimen mortis rectorum & pravorum. *Rectos* vocat Deo placentes; atque *ſine fide impoſſibile illi placere*. Hebr. 11: 6. *Rectis* morientibus *tandem* ſeu in fine & exitu vitæ *bene eſſe* fatetur: alias non id ſibi optaret. Cupit *mori*, ſed *mortem rectorum*, hoc eſt, tranquille & beate decedere. Ita, Hypocritæ ſæpe beatam mortem exoptant. *Animam mori* dicit. Anima rationalis immortalis eſt: neque enim illius ponit *mortalitatem*, aut negat *immortalitatem*. Sed ſe totum denominat ab una ſui parte. (confer Rom. 13: 1.) *Moriatur Anima*, hoc eſt, moriar ego, ſecundum illam nempe partem, quæ mori poteſt, hoc eſt, carnem. Venit & נֶפֶשׁ *anima pro vita*. Job. 2: 6. *Serva* נַפְשׁוֹ *animam ejus*, hoc eſt, vitam. Ita erit ſenſus, *Moriatur anima mea*, hoc eſt, ita deponam vitam meam, & ultimum halitum reddam, ut recti faciunt. Non tamen voti hujus compos factus eſt Bileam, neque *ſua morte* defunctus eſt, nec *ſua die* mortuus eſt, ſed ad mortem datus à filiis Iſraël. Ita violenta morte extremum diem confecit Joſ. 13: 22.

Vaticinis & Sententiæ Bileami.

 §. 54. Se-

§. 54. Secunda vice ita fatur. Num. 23: 19. *Non vir Deus, qui mentiatur.* confer. Tit. 1: verſ. 2. *aut Filius hominis, ut pœniteat eum.* confer 1 Sam. cap. 15: verſ. 29. נֵצַח יִשְׂרָאֵל *Perpetuitas Iſraelis non mentitur, & non pœnitet eum.* Pſalm. 110: 4. Jerem. 20: 16. Rom. 11: 29. Sicubi *pœnitere* dicitur, (Geneſ. 6: 6. 1 Sam. 15: 35.) notatur *effectus*; excluditur *affectus. Ille dixit, & non faceret? locutus eſt, & non ſtabiliret?* promiſit Iſraëli bonum & benedictionem: id impleri certo debet. ℣. 20. *Ecce benedicere accepi*, hoc eſt, juſſus ſum, *& benedixit.* nimirum Deus facto ipſo & opere: *& non faciam id irritum.* ℣. 21. *Non intuetur vanitatem in Jacob*; non patietur vanum in illo obtinere cultum & doctrinam: *& non videt ærumnam in Iſrael*; non permittet, ut ſub *malis*, tyrannide & injuſtitia, ſuccumbat. *Dominus Deus illius cum illo eſt*; perpetuus dux & comes, Deus fœderis. *Et jubilatio Regis in illo.* Populus in *Rege ſuo* (Pſal. 2: 6.) jubilat & lætatur. ℣. 22. *Deus, qui eduxit illos ex Ægypto, ut vires monocerotis ei ſunt.* Potens eſt, robuſtior robuſtiſſimis. ℣. 23. *Non eſt augurium in Jacob, nec divinatio in Iſraele. Statim dicitur illis, quid agat Deus. Verbum Dei*, & *revelatio* cœleſtis, de eo, quod Deus facturus eſt, intelligitur. ℣. 24. *Ecce Populus, ut Leo ſurget, & ſe efferet: edet prædam: ſanguinem bibet ſauciorum.* confer Gen. 49: 9. Robur, & bellicoſa mens, & victoria populi notificatur.

§. 55. Tertia vice ita vaticinatur. Num. 24: 5. *Quam pulchra ſunt tentoria tua Jacob, & tabernacula tua Iſrael!* Prævidet Iſraëlitas habitaturos in pace, & rerum omnium abundantia; imo *tabernaculum* Dei inter illos & *ſanctuarium* admiratur. *Benedictus qui tibi benedicit: maledictus, qui maledicit.* Gen. 12: 3.

§. 56. Quarto in hæc erumpit verba. Num. 24: 17. *Videbo illum* populum Iſraël, *& non nunc: contemplabor eum, & non propinquum.* Illa, quæ de populo hoc vaticinatur, non *nunc*, hoc eſt, ſtatim omnia futura, nec *propinqua* eſſe, ut jam jam fiant, ſed poſt longum intervallum implenda, fatetur. *Procedit Stella è Jacob, & ſurgit ſceptrum ex Iſraël; & deſtigit angulos Moab: & evertit omnes filios Seth. Stella è Jacob* poteſt notare *Regnum Davidis*, qui è Iuda ortus, in populo ſuave lumen accendit. *Sceptrum ex Iſrael, Regnum Chriſti*, cujus ſceptrum, *rectitudinis ſceptrum* eſt. Pſal. 45: 7. *Stellam* dicit everſuram *Moabum.* Id David fecerunt & poſteri. *Sceptrum, omnes filios Seth.* Omnes ſumus *filii* ut Adami, ita & Sethi. In *Setho* revixit mundus, qui in Habele videbatur interfectus. Ut autem filii Adami ſunt *peccatores*, ita & Sethi: hos ergo Chriſtus *evertet*, hoc eſt, peccatum illorum abolebit; naturalem corruptionem deſtruet, è filiis Seth faciet filios Dei. ℣. 18. *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seir inimici ejus, & Iſrael facit robur. Idumæos*, montis Seir incolas, inimicos Iſraëli, ſubigendos ab Iſraële, ita ut unus cum Iſraële fiant populus & ut hæreditas nova accedant ad Iſraëlem, prædicit. Id impletum eſt ſub *domo ſecunda.* ℣. 19. *Et dominabitur è Jacobo aliquis.* Is eſt idem, qui *ſceptrum* dicitur, *ex Iſraele exſurgens.* Chriſti è Jacobo oriendi divinum in omnia dominium prædicitur. *Et perdet ſuperſtitem de Urbe. Urbem* omnem, quæ Dominatori huic ſe opponet, ſive ſit Hieroſolyma rebellis, ſive Roma idololatrica, ſive Babylon Antichriſtiana, everſam iri; imo uſque ad *ſuperſtites ipſos*, & ultimas reliquias prævidit Bileam. Notatur iterata URBIS everſio; & cùm eſſet tota, & in reliquiis.

§. 57. Quæ tandem vaticinatus eſt Bileam de *Amalek*, de *Kenitis*, de *Cittæis*, de debilitatione *Aſſur*, & *Heber*, legantur Num. 24: 20 – 25.

Locus. Num. 6: 23. 24. 25. §. 58. Concludet hoc caput duorum conſideratio locorum. Horum primus eſt Num. 6: verſ. 23. 24. 25. Præſcribitur *Aharoni & Filiis* formula *benedictionis. Benedicat tibi*

Domi-

Dominus & ſervet te. Faciet lucere Dominus faciem ſuam ad te, & ſit gratioſus tibi. Attollat Dominus faciem ſuam ad te, & ponat tibi Pacem. Formula benedictionis.

§. 59. Sacerdotibus datur poteſtas benedicendi. Faciebant id elatis manibus. Levit. 9: verſ. 22. Benedicunt tamen illi, ut miniſtri tantum & ſervi; qui nec ſibi, nec aliis potentes erant dare bona, quæ adprecabantur: hinc non in nomine ſuo, ſed Dei benedicunt. *Benedicat Dominus.* Quamvis autem *minus a majori benedicatur*, Hebr. 7: verſ. 7. & Aharon benedicens majore honore à Deo ſit affectus, quam illi quibus benedixit, tamen ad imitationem Pauli in 1 Cor. 3: 7. dicimus de illo, filiisque illius: benedicens Aharon nihil eſt; ſed benedictionem effundens Deus. Sacerdotes benedicunt.

§. 60. *Sacerdotes* benedicunt; in ſignum, *Sacerdotem verum* omnis benedictionis cauſam & principem eſſe. *In Semine tuo benedicentur omnes familiæ*, quod *Semen* Chriſtus eſt Gal. 3: 16. confer. ℣. 13. 14. Actor. 3: 26. *Miſit Deus Jeſum, ut benediceret vobis.* Hic *Sacerdos* abrogavit Leviticum ſacerdotium, & benedictionem Leviticam, hoc eſt, quemadmodum ſacerdotes ſecundum ordinem Aharon deſierunt *ſacrificare*, ita & *benedicere*: non opus eſt, ut quis ab illis benedictionem petat; ſed qui *ſibi benedicit in terra, benedicat ſibi in Deo Amen.* Eſ. cap. 65: verſ. 16. *Sedenti in throno* eſt *εὐλογία* Apoc. 5: 13. Sacerdos Chriſtus benedictionis cauſa.

§. 61. In formula benedictionis nominatur ter *Jehova*: non tantum, quia Dominus unica benedictionis cauſa eſt, & autor, confer Jacob. 1: verſ. 17. ſed quia *tres illi, in cælo teſtantes, unum ſunt*, 1 Joh. 5: verſ. 7. & communi voluntate & potentia largiuntur ſanctis *πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν.* 2 Pet. 1: 3. Pater *dando*, Filius *merendo*, Spiritus ſanctus *applicando benedicit* & *ἀγαθοποιεῖ.* In hunc modum optat Paulus *gratiam Chriſti, dilectionem Dei, & communionem ſancti Spiritus, eſſe cum* ſanctis, 2 Cor. 13: verſ. 13. confer Pſalm. 80. ℣. 4-9. 20. ibi *ter* invocatur *Deus*, quemadmodum hic *Jehova.* Non poſſumus non in his & ſimilibus locis animadvertere dulce *Trinitatis* myſterium, quo ut profundius nullum, ita ad certitudinem ſalutis efficacius nullum. Jehova, Dominus, ter dicitur.

§. 62. Jehova *benedicat tibi.* Domini eſt *benedicere.* Pſalm. 3: 9. 115: 12. 13. 14. 15. Geneſ. 12: verſ. 2. 3. Benedictio eſt corporis & animæ. Benedictiones *corporis* ſunt plurimum terreſtres; nam corpus *è terra* eſt. *Animæ* ſpirituales; nam anima eſt *ſpiritus.* Sunt tamen & benedictiones *corporis* ſpirituales: quando id nimirum fit *templum Spiritus Sancti*, 1 Cor. 6: 19. & ab illo ſanctificatum *ſiſtitur Deo victima ſancta*, Rom. 12: 1. & poſt reſurrectionem erit *πνευματικὸν ſpirituale.* 1 Cor. 15: verſ. 44. 45. 46. Benedictiones ſpirituales ſunt *juſtitia, ſanctificatio, redemptio.* confer Eph. 1: 3. Latæ ſignificationis vox eſt, *Jehova benedicat tibi.* In Chriſto *Semine benedictionis* adducitur: in futura vita erit pleniſſime: ubi exuta mortalitate, abolita omni corruptibilitate & ſeductione, juſtitia, *ἀφθαρσία*, & *ἀθανασία* habitat. 1 Cor. 15: 52. 53. Benedictio animæ & corporis.

§. 63. Jehova *ſervet te.* Pſalm. 121: verſ. 7. *Jehova* שֹׁמְרֶךָ *cuſtos tuus. Servat ex omni malo*: conſervat *ſimplices* Pſalm. 116: verſ. 6. *animas piorum* Pſalm. 97: verſ. 10. *omnia oſſa*: Pſalm. 34: verſ. 21. conſervat *urbem* Pſalm. 127: verſ. 1. conſervat *in via.* Exod. 23: 20. Dominus conſervator.

§. 64. Jehova *lucere faciat faciem ſuam ad te.* confer Pſalm. 31: 17. 67: 2. Jehova *lux* eſt, Joh. 1: verſ. 4. *lucem inhabitat.* 1 Tim. 6: verſ. 16. Lux radios ſpargit. Sol totam hanc mundi compagem radiis ſuis illuſtrat. Multo magis æterna Lux, Sol juſtitiæ, Deus, luce ſua illuſtrabit ſanctos. Faciet lucere *faciem ſuam.* Exod. 33: 15. *Facies mea ibunt.* Omnis illuminatio eſt in *Angelo faciei.* Eſ. 63: 9. Chriſtus *lux in tenebris lucet.* Joh. 1: 15. Dominus Lux.

illumi-

illuminavit vitam & incorruptionem. 2 Tim. 1: 10. Illius merito factum, quod ἐπεφάνη *illuxit gratia Dei ſalutaris.* Tit. 2: 11. confer Eſ. 9: 1.

Dominus gratioſus. §. 65. *Et ſit tibi gratioſus.* confer Pſalm. 67: 2. Exod. 34: 6. Exod. 33: 19. In omni gratiæ collatione agnoſcatur Dei libertas & conſtantia.

Ponit pacem. §. 66. *Efferat Iehova faciem ſuam ſuper te*; ut te aſpiciat, rationemque habeat tui. Et *Ponat tibi Pacem.* Commentarii inſtar ſit locus Pauli Phil. 4: 7.

Locus Deut. 6: 4. §. 67. Alter locus eſt. Deut. 6: 4. *Audi Iſraël*, יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד *Iehovah, Deus noſter, Iehova, unus, vel, unum.*

Varia loci verſio. §. 68. Poteſt locus hic dividi in duo cola. *Iehova eſt Deus noſter*; *Iehova eſt unus*: ſenſus bonus, non tamen ὁ ἐμφατικώτατος. Quidam ita vertunt, *Iehova Deus noſter, Jehova unus eſt*: ita aſſeretur יחוד האלהים *unitas Dei*, de qua 1 Tim. 2: 6. *Unus eſt Deus*,
Myſterium Trinitatis. quam & *dæmonia credunt*, Jacob. 2: 19. & de qua Judæi miſeri, & Muhammedani, canentes cottidie, *La allah illallah, Non eſt Deus, niſi Deus*, perverſe ſentiunt. Verſionem quod attinet, illi obſtare videtur, quod *Jehova* eſt nomen *proprium*, non verò *appellativum.* Igitur ut non benè diceretur, *Moſes legiſlator eſt Moſes unus*, ita nec benè convenit, ut dicamus, *Iehova* eſt *Iehova unus.* Igitur tenemus illam, quam §. 67. poſuimus verſionem; ex qua apparet, *Tres* nominari, & *Tres* dici *unum.* confer 1 Joh. cap. 5: verſ. 7. *Tres teſtantur, & hi tres ſunt unum.* Joh. 10: 30. *Ego & Pater* ἕν ἐσμεν, *unum ſumus.*

§. 69. Pro eo quod hic habemus, *Iehova, Deus, Iehova*, eſt Joſ. 22: 22. *Deus, Deus, Iehova.* אֵל אֱלֹהִים יְהוָה confer Pſalm. 50: 1. & ſupra in formula benedictionis, *Iehova, Iehova, Iehova.*

§. 70. Plures eſſe in Deitate Perſonas Moſes variis in locis hactenus docuerat. Geneſ. 1: verſ. 1. 2. dicit *Deum* (qui fuit ὁ λόγος Joh. cap. 1: verſ. 1. 2.) *creaſſe*; *Spiritum Dei incubaſſe ſuper aquas.* Ibid. ℣. 26. facit Deum pluraliter loquentem. *Faciamus hominem.* 3: 22. *Ecce Adam factus eſt, ut unus è nobis.* 11: 7. *Deſcendamus, confundamus labium.* Geneſ. 6: 3. *Spiritus meus non deliberabit in ſeculum.* Mitto plura. Ita aſſerta pluralitate perſonarum Deitatis, utile erat & neceſſarium, *Triunitatem* Dei claro teſtimonio aſſeri, hoc eſt, Dei eſſentiam eſſe *Unam*; Perſonas unius hujus eſſentiæ *Tres*: ne quis plures credendo multiplicaret Eſſentiam; aut in una Eſſentia plures eſſe perſonas *tribus* ſibi perſuaderet.

§. 71. Cùm autem textus, de quo impræſentiarum agimus, aptus natus ſit id myſterium docere, & verba illius id valeant ſignificare, non poſſumus non Moſen in illo intueri docentem, Tres perſonas Deitatis, quas nominat, *Iehova, Deus noſter, Iehova*, eſſe *Unum*, hoc eſt, in una indiviſa vivere eſſentia, modo Angelis omnibus & creaturis imperſcrutabili & incomprehenſibili.

§. 72. Non poſſumus nunc in explicandis ſingulis vocibus eſſe prolixiores; id tantum monemus, fuiſſe Viros doctos, inter quos Galatinus aliique, qui in antiquiſſimorum Judæorum ſcriptis eandem hujus ſententiæ interpretationem inveniſſe ſe gloriati ſunt. Notum quoque eſt circumferri vulgo ſententias Hebraicas, quæ de *Deo Patre*, de *Deo Filio*, de *Deo Spiritu Sancto* teſtimonium ferunt. Ita dicitur אָב אֱלֹהִים בֵּן אֱלֹהִים וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֱלֹהִים שְׁלֹשָׁה בְּאֶחָד אֶחָד בִּשְׁלֹשָׁה *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus: tres in uno: unus in tribus.* Item אָב אֵל בֵּן אֵל וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֵל אֲבָל לֹא שְׁלֹשָׁה אֱלֹהִים כִּי אִם אֵל אֶחָד *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus. Sed non tres Dii, ſed unus Deus.* Quæ ſententiæ ſive ſint à Judæis compoſitæ, ſive à piis Chriſtianis, divi-

nam

nam & orthodoxam ſpirant veritatem, quæ veritas tam ſublimis eſt, ut οὐδένας νοῦς, οὐχὶ μόνον ἀνθρώπινος, ἀλλὰ οὔτε ἀγγελικὸς *nulla mens nec humana nec angelica illam poßit aſſequi, aut lingua eloqui,* quæ verba ſunt τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς, *orthodoxæ confeßionis Catholicæ Eccleſiæ orientalis.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De fœdere pacto in terra Moab; de Cantico, benedictione, morte Moſis.

§. 1. BIs Deus cum Iſraële pepigit fœdus. Unum in *Horeb.* Deut. 5: 3. *Dominus Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb.* Unum *in terra Moab.* Deut. 29: verſ. 1. *Hæc ſunt verba fœderis, quod jußit Dominus Moſen pangere cum Filiis Iſraël in terra Moab, præter illud fœdus, quod pepigit cum illis in Horeb.* Fœdus in Horeb & Moab.

§. 2. Idem utriuſque fœderis eſt autor, *Iehova Dominus.* Idem utriuſque miniſter & internuncius, *ſtans inter Deum & Iſraelem, ad indicandum illi verbum Domini,* (Deut. 5: verſ. 5.) *Moſes.* Iidem utrobique fœderati, *Filii Iſraël.* Eadem utrobique ſtipulatio. *Et obſervabitis verba fœderis.* Exod. 15: 26. 19: 5. 24: 7. Deut. 29: 9. Eadem utrobique gratia divina, quæ pangitur. Utriuſque fœderis convenientia.

§. 3. Non tamen idem eſt locus, ubi fœdera hæc pacta ſunt. Primum in monte Sina, proxime ab exitu ex Ægypto. Secundum in terra Moab, proxime ab introitu in Canaan. Neque idem modus publicandi. Primum multo cum fulgure, igne & terrore, viva Dei voce enunciatum, & in lapidibus inſculptum eſt manu Dei. Id non legitur de ſecundo. Neque eadem reſtrictio fœderatorum. Primum pepigit Deus cum Iſraële tantum: poſterius etiam cum Iſraële, ſed ita ut nec excludantur gentes. Etſi eadem utrobique pangitur gratia; tamen in poſteriori major illius promittitur abundantia, clarius illius deſcribitur excellentia, & majore illa manifeſtatur gloria. Primum eſt fœdus quaſi Veteris Teſtamenti: poſterius eſt fœdus, ut ita loquar, novi & melioris. Ad primum acceſſit Lex & ſervitus: Secundum exit in Evangelium & libertatem. Utriuſque fœderis diſcrepantia.

§. 4. Sed manifeſtiora hæc fient, ſi ad ipſam Scripturam attendamus. Fœdus in Moab ſolemniter promulgatum eſt & publice. Deut. 29: 10. 11. *Vos ſtatis hodie, vos omnes, coram Domino, capita, tribus, ſeniores, parvuli, fœminæ, imo & peregrinus in caſtris, ut tranſeatis in fœdus Domini Dei, & in adjurationem ejus.* Fœdus in Moab ſolemniter promulgatum eſt.

§. 5. Finis hujus fœderis eſt, ut fœderati ſint populus Dei. Deut. 29: 13. *Ut erigat te hodie ſibi in populum, & ille ſit tibi in Deum.* confer Exod. 6: 6. *Et ſumam vos mihi in populum, & ero vobis in Deum.* Exod. 19: 5. *Si ſervabitis fœdus meum, eritis mihi peculium ex omnibus populis.* Eſt hoc inter promiſſa novi fœderis. Jerem. 31: 33. Et hinc gloriatio. *Beatus tu Iſraël, quis eſt ut tu, populus ſalvatus in Domino.* Deut. 33: 29. confer Pſalm. 33: 12. Finis fœderis.

§. 6. Fœdus hoc pangitur & præſentibus & futuris, hoc eſt, iis, qui jam erant, & iis, qui adhuc venturi erant. Deut. 29: 14. 15. *Non vobiſcum ſolis pango ego fœdus hoc ſed cum illo, qui hodie ſtat nobiſcum coram Domino, & cum illo, qui nondum eſt nobiſcum hic hodie.* Quo pertinet *generatio poſterior,* hoc eſt, tum *filii,* & poſteri Iſraëlis; tum *extraneus è terra* Fœderis conſortes.

lon-

longinqua, hoc eſt, גּוֹיִם *gentes*, Deut. 29: 22. 24. Igitur & *gentes, olim ſine Deo in mundo*, Epheſ. 2: 12. fœderis Dei conſortes fiunt. Implementum habemus in verbis Petri. Actor. 2: verſ. 39. *Vobis eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui ſunt procul*, hoc eſt, gentibus. confer Epheſ. 2: 25. Ita Moſes *mediator, qui unius non eſt*, Galat. 3: 19. cujus *Lex* fuit *paries intergerinus*, Epheſ. 2: 14. gentium aſſumtionem prædicit, de qua & alias prophetaverat. Gen. 9: 28. 22: 18. 49: 10.

Fœderis ſtipulatio. 1. Ne cor avertatur à Deo ad gentium Deos.

§. 7. Fœderis hujus νομοθεσία *legislatio* ſive ſtipulatio in his eſt. Deut. 29: 18. 19. *Ne ſit in vobis quiſquam, cujus cor avertatur a Domino Deo noſtro ad eundum & colendum Deos gentium. Cor* poſtulat ſibi Deus: & cor *totum*: omnem obedientiam, fidem & fiduciam ſibi vendicat. Hæc ſunt impartibilia: neque quis illa partiri poteſt Deum inter & Deos. Gentes habuerunt *Deos* natura non Deos. Galat. 4: verſ. 8. *Tunc non cognoſcentes Deum, ſerviviſtis illis, qui natura non erant Dii.* Avertitur cor a Deo ad gentium Deos, quando abjecto Chriſto, ſpreta illius juſtitia, homo in viribus ſuis ponit fiduciam, & ita ſe placere Deo putat. Nam qui Deum conſiderat, ut non in Chriſto reconciliatum; & juſtitiam ſtatuit non in Chriſto, & per illum adductam, eundem colit Deum, quem miſeræ gentes coluerunt; imo non colit Deum, (Deus enim ita coli non vult, nec poteſt, nec debet) ſed colit cum gentibus non-Deos. Hujus peccati maxime rei ſunt Judæi, qui *omiſerunt Deum, qui illos fecit, & rupem ſalutis ſcelerate habuerunt*, Deut. 32: 15. *alium dotarunt*, Pſalm. 16: 4. & *ſcortati ſunt cum filia Dei peregrini*, Mal. 2: 11. quorum *mater pudenda egit*, quippe quæ *relicto viro ſuo primo*, hoc eſt, Deo, qui Iſraëlem habuerat ut vir conjugem, *quæſivit & perſecuta eſt alios amaſios*, à quibus erroneè gloriabatur, ſibi data *aquam, lanam, oleum, panem, potum*. Hoſ. 2: 6. 7. Huc pertinet vox ſacerdotum, Joh. 19: 15. *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Id fere fuit avertere cor à Deo Rege ad gentium Deos & Reges.

2. Ne ſit in quoquam radix venenoſa & amara.

§. 8. Pergit legislatio. *Ne ſit in vobis radix veneno fructificans & abſinthio.* Lucem huic dicto facit Paulus Hebr. 12: 15. *Cavete, ne quis deficiat a gratia Dei*, (nimirum ab agnitione & æſtimatione *ſalutaris illius, quæ omnibus illuxit.* Tit. 2: 13.) *ne quæ radix amaritudinis* (*Radix fructificans veneno & abſinthio* eſt ῥίζα πικρίας) *ſurſum germinans obſtrepat, & per illam inquinentur multi.* Omnis falſa doctrina & ſiniſtra opinio de Deo, de gratia Dei, de juſtitia Dei, de libertate Regni Dei eſt *radix*, ex qua alia progerminant; ſed radix *venenoſa & amara*; quia errores ex erroribus naſcentes non poſſunt niſi venenum & amaritudinem afferre conſcientiæ. Sæpe radix amaritudinis *ſurſum germinat*. Error ſæpe progreſſus facit, & latam ſibi aperit viam. Igitur ſtipulatur hoc fœdus ab Iſraële, ut tenentes fidem in Deum *gratiam* illius amplectantur; illamque non minuant, nec corrumpant depravationibus falſæ doctrinæ, quæ ut hic cum *amara radice*, ita alibi cum *fermento* comparatur.

3. Ne quis ſibi in corde ſuo benedicat. Ibi exponuntur talium hominum cogitationes & molimina.

§. 9. Addit ſtipulatio. *Ne quis benedicat ſibi in corde ſuo, dicens, Pax mihi erit,* כִּי בִּשְׁרִרוּת לִבִּי אֵלֵךְ *quum in firmitudine cordis mei ambulabo.* Ita שְׁרִרוּת Rabbini multi explicant חָזָק & שָׁרִיר וְקַיָּם *firmum & ſtabile.* Igitur *firmitudo cordis* eſt obfirmatio & pertinacia cordis, illiuſque obſtinatio. confer Pſalm. 81: 13. Jerem. 3: 17. Interdicit fœdus, ne Iſraël ſibi benedicat in corde ſuo: *nam qui benedicit ſibi benedicat ſibi in Deo Amen.* Eſ. 65: 16. *In Semine* promiſſo *benedicuntur omnes familiæ.* Geneſ. 22. Dum vetatur Iſraël *benedicere ſibi in corde ſuo*, hoc eſt, benedictionem ſibi a cordis corrupti inſtinctu polliceri, inſimul ac pariter monetur, ut *in Deo Semine* ſibi benedicat, ſecundum id quod Paulus dicit. Epheſ. 1: 3. *Benedictus Deus, qui nobis benedixit in omni benedictione ſpirituali in Chriſto.* Qui

bene-

benedicit ſibi in corde ſuo, hoc eſt, à corde ſuo & à ſemetipſo benedictionem ſibi blande promittit, ita dicit & ratiocinatur, *pax erit mihi*, hoc eſt, bene & proſpere agam, tum *in hoc*, tum in futuro ſeculo: *quum ambulabo in pertinacia cordis mei*, hoc eſt, quum ductum pertinacis mei cordis, & in illo habitantis vetuſti hominis, & peccati ſtabulantis ac concupiſcentiæ ſequar; agens omnia è præſcripto & lubitu illius. Judæi excœcati, rejicientes Chriſtum tales fuerunt: *benedixerunt ſibi in corde ſuo*, hoc eſt, perſuaſerunt ſibi, ſe eſſe benedictos in ſe; non egere ſemine benedictionis & ſalutis cauſa ac principe: *dixerunt, pax nobis, quum ambulabimus in duritie cordis*, hoc eſt, perſuaſerunt ſibimet ipſis, pacata & tranquilla fore illis omnia, dummodo perſiſtant in cordis duritie, & in perverſa hac ſententia, veteres & inolitas illorum conſuetudines, veterem legem, antiquas ceremonias, in quibus obſtinatum illorum cor quærebat juſtitiam, afferre *pacem*, hoc eſt, reconciliare cum Deo & cœlo.

§. 10. Hæc *benedicentium ſibi in corde*, & *pacem* ſibi è pertinacia cordis promittentium ſeductio & iniquitas eouſque procedit, ut & aliquando meditaturi ſint סְפוֹת הָרָוָה אֶת־הַצְּמֵאָה *ad addendum ſatiatam cum ſitiente.* Vocem סְפוֹת ſenſu *addendi* uſurpatam vide, Eſ. 29:1. 30:1. סְפוֹת לְמַעַן חַטָּאת עַל חַטָּאת *ad addendum peccatum peccato.* confer Jerem. 7: verſ. 21. Num. 32: verſ. 14. Vox רָוֶה ſignificat *humectum, irriguum, ſuccoſum, ſatiatum potu, non-ſitientem*, Eſ. 58:11. גַּן רָוֶה *hortus irriguus.* confer Jerem. 31: verſ. 12. Qui רָוֶה vertunt *ebrium*, in vertendo liberales nimis ſunt. Verba, quæ tractamus metaphorica ſunt ſine dubio. Ponuntur in genere fœminino. Solent autem fœminina ſingularia ſenſum habere collectivum. Mich. 4: 6. *Congregabo claudicantem, & depulſam recolligam*, hoc eſt, claudicantes & depulſos. confer Zophon. 3: 19. Igitur & hæc fœminina *irrigua* ſ. *ſatiata, & ſitiens*, notant plures ſatiatos & ſitientes. *Ad addendum ſatiatam ſitienti* tantundum eſt ac, *ad jungendum ſatiatos cum ſitientibus.*

§. 11. De *ſitientibus* Scriptura non uno modo loquitur & ſenſu. Anima ſanctorum dicitur *ſitire ad Deum vivum*, hoc eſt, deſiderio illius teneri. Pſalm. cap. 42: verſ. 3. Eſt *ſitis* corporalis לַמַּיִם *ad aquas*; eſt & ſpiritualis *ad audiendum verba Domini*, Amos. cap. 8: verſ. 11. ſunt & *ſitientes juſtitiam Dei.* Matth. cap. 5: verſ. 6. Qui olim exſpectarunt & deſiderunt deſiderio magno audire & videre Semen promiſſum & beneficia illius, dicuntur *ſitientes.* Ut enim concupiſcentia ad hauriendum aquas ſignum eſt ſitis corporis, ita deſiderium divinarum gratiarum ſitis eſt animæ. Sic eſt Eſ. cap. 55: verſ. 1. *Heu! omnis ſitiens, venite ad aquas.* confer Eſ. cap. 12: verſ. 3. *haurietis aquas è fontibus ſalutis.* Eodem modo Chriſtus, Joh. cap. 7: verſ. 37. *ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Eccleſia Veteris Teſtamenti venit in figura *gravidæ mulieris*, ob ſpem, quæ illam fecit gravidam; & *patientis mulieris*, ob datum illi Filium, & natum illi puerum Jeſum, Apoc. cap. 12: verſ. 1. 2. 5. Cur non etiam illa poſſit repræſentari ſub figura *ſitientis*, quæ tam longam *ſitim*, exſpectationem, deſiderium habuit *Chriſti* manifeſtandi, *donorum* in hominibus accipiendorum, & *Spiritus* filiationis effundendi? Imprimis ſi locum Zach. cap. 9: verſ. 11. *In ſanguine fœderis tui dimiſi vinctos tuos è fovea, in qua non erat aqua*, de fidelibus Veteris Teſtamenti interpretemur, ut & de illis non incommode videtur accipi poſſe nulla dubitandi ratio ſupererit. Nonne enim illi pro ſitientibus habendi ſunt, qui vincti fuerunt in fovea, *in qua non erat aqua?* neque tamen puta, ſanctos Vet. Teſt. omnibus aquis caruiſſe: abſit! *biberunt è ſpiritnali ſequente petra*, 1 Cor. 10:4. *guſtarunt Domini* bonitatem; ſed aquas non habuerunt in tanta abundantia, ut nunc illas in Chriſto haurire datum eſt omnibus: unde & habuerunt ſpeciem *ſitientium.*

Eccleſia ſitiens.

Eccleſia ſatura.

§. 12. Loquitur etiam Scriptura de *ſatiatis & irrigatis*. Jerem. 31:14. *Irrigabo animam ſacerdotum pinguedine, & populus meus bono meo ſatiabuntur.* verſ. 25. *Irrigabo animam feſſam, & omnem animam mœſtam implebo.* Eſ. 55:2. *Comedite bonum, & delicietur in pinguedine anima veſtra.* confer Pſal. 23:5. כּוֹסִי רְוָיָה *calix meus irriguus eſt*, hoc eſt, potu abundat. Quandoquidem autem Eccleſia Novi Teſtamenti accepit, quæ prior Eccleſia exſpectavit; & vidit, ac audivit, & guſtavit, quæ prior audire, videre, guſtare deſideravit; adeoque cum prima præ deſideriis ſitiret, hæc poſterior ex abundantiis ſatura ſit, agnoſcens, *ſe benedictam in omni benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus*, Epheſ. 1:3. *ſeque non deſtitutum iri ullare*, Pſalm. 23:1. quid impedit, quo minus hanc ſub vocabulo רְוָיָה intelligamus? ut ita Eccleſia duplex, prior & poſterior ſibi opponatur, & diverſitas unius ab alia oſtendatur.

Addere ſaturam ſitienti.

§. 13. Dum itaque fœderis ſtipulatio monet, ne quis *ſaturam ſitienti addat*, hæc illius mens eſt, Eccleſiam ſatiatam bonis Dei, *juſtitia, pace, gaudio in Spiritu Sancto*, Rom. 14:17. irrigatam unctamque *Spiritu promiſſionis Sancto*, Epheſ. 1:3. refocillatam & liberatam ab *onere* olim gravi & moleſto, Matth. 11:28. 29. 30. bene eſſe diſcernendam ab Eccleſia *ſitiente*, qualis antea fuit, neque unquam cum illa jungendam, hoc eſt, in ſimilitudinem illius redigendam, ut iterum ſimilis fiat illi, quæ olim *ſitiit*, exſpectavit, ſervivit. Quod omnino fieri non debet. Sic enim aboleretur Chriſtus, mutaretur juſtitia illius, confunderetur regnum cœlorum, ſperneretur libertas ſpiritualis, imo reſuſcitaretur Moſes, & jugum illius de novo imponeretur humeris: quod eſſet *tentare Deum*. Actor. 15:10.

§. 14. Judæorum in corde ſuo ſibi benedicentium inſigne & hinc apparet ſcelus, quod omni niſu voluerunt *ſaturam ſitienti jungere*. Apoſtolorum tempore ſurgebant quidam, docentes, *circumcidi debere credentes*, & *ſervare legem Moſis*. Actor. 15:1. 5. Galatarum Eccleſiam *turbabant* multi, quærentes, ut *jugo ſervitutis rurſum innecteretur*. Galat. 5:1. Hucuſque in diem Judæi non intelligunt, quid ſit *ſatura*, quid *ſitiens* Eccleſia; quemadmodum extra Chriſtum intelligi id non poteſt; ſperantque perverſa ſane & corrupta ſpe, reſtitutum iri aliquando templum, cultumque ceremonialem, ſub quo olim fideles *magna* cum *ſiti* vixerunt.

§. 15. Dum autem vetatur *ſaturam jungere ſitienti*, inſimul promittitur *ſatietas ſpiritualis*; liberatio à *ſiti*, exſpectatione & jugo; impletio deſiderii ſanctorum, & abundantia donorum cœleſtium, ſine quibus promiſſa ſatietas non completur; imo & abrogatio umbrarum, figurarum, placitorum, quorum obſervantia *ſitim* excitavit, non obſcure prædicitur.

Summa ſtipulationis fœderis hujus.

§. 16. Summa totius ſtipulationis fœderis hujus hæc eſt, ut in compendio totam proponamus 1. ne Iſraël unquam *cor avertat à Deo ſuo:* ſed firmiter teneat, *non eſſe alium Deum præter illum*, non alium Creatorem, non alium Redemtorem, non alium Sanctificatorem. 2. Ut *omnis radix veneno fructificans*, hoc eſt, omne id quod ſimile illi eſt, nim. falſa doctrina & ſiniſtra opinio de Deo, de gratia, & de Regno illius procul ab illis abſit. 3. Ut ſibi nunquam *benedicant in corde ſuo*, ſed benedictionem quærant in Deo, & in Semine mulieris & Abrahæ. 4. Ne putet *pacem* ſibi fore unquam, neq; temporalem neque æternam, ſi *ambulet in obſtinata cordis ſui firmitudine*, renuens obedire Deo vocanti, *ſalutem Dei* negligens, ſpernens illum, qui dicturus erat, *Venite ad me omnes onerati. Ego reficiam vos. Tollite jugum meum.* Matth. 11:28. 5. *Ne ſaturam jungat ſitienti*, & beneficia, quæ Chriſtus adducturus erat, faſtidiat, & tempus *libertatis* mutet in tempus *ſervitutis*; *gratiæ* in *iræ*; *quietis* in *laboris*; *allevationis* in *jugi*.

§. 17. Unde apparet, fœdus hoc viam ſternere Euangelio, & corda Iſraëlis præparare

rare ad agnoſcendum præſtantiam illius, & ad recipiendum illud, ubi futurum erat, ut annunciaretur; & proximè ducere ad Chriſtum, ex *cujus plenitudine habetur gratia pro gratia* Joh. 1: 16.

§. 18. Quandoquidem autem & *gentes* fœderis hujus participes fore ſupra demonſtravimus, etiam illas omnis hæc ſtipulatio obligat ſemper & in perpetuum ad ſanctam obedientiam & ſubjectionem aſtipulationis Euangelii & gratiæ Dei. Et ut illa quæ de Sina dicta ſunt, etiam nobis dicta ſunt: ita & quæ in terra Moab dicta ſunt, non minus Eccleſiam poſterioris tangunt temporis; ſuntque illa *formula legis, in quam melius Teſtamentum ſuper melioribus promiſſionibus redactum eſt.* Hebr. 8: 6.

Fœderis comminationes.

§. 19. Fœdus hoc habet etiam *comminationes.* Deut. 29: 20. *Dominus non volet condonare illi.* nim. illi, qui ſaturam ſitienti jungit, qui pacem è duritie cordis ſibi promittit, qui ſibi in corde ſuo benedicit, qui cor ſuum à Deo avertit. *Quomodo effugiet, qui tantam neglexerit ſalutem?* Hebr. 2: 3. *quanto putatis deteriore dignus cenſebitur pœna, qui Filium Dei conculcat, & ſanguinem Teſtamenti profanum æſtimat, & Spiritum gratiæ probro afficit:* Hebr. 10: 29. *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam cognitionem veritatis, non amplius pro peccatis ſupereſt victima.* Hebr. 10: 26. Si non victima, ergo nec condonatio. Sine victima enim ὀ γίνεται ἄφεσις. confer Gal. 5: 4. *Aboliti eſtis a Chriſto, quicunque in lege juſtificamini*, quicunque jugo ſervitutis rurſum innodamini; quicunque ſaturam addi tis ad ſitientem; *gratia excidiſtis.*

§. 20. *Fumabit ira Dei in virum illum; incumbet illi omnis execratio; delebit Dominus illius nomen de ſubter cœlo; ſeparabit illum in malum ab omnibus tribubus Iſraël; infirmabit terram illius plagis & infirmitatibus.* Deut. 29: 20. 21. 22. Talia & majora etiam paſſi ſunt Judæi, & etiamnum patiuntur, Judæi inquam fœdifragi, qui *Dominum gloriæ crucifixerunt* 1 Cor. 2: 8. confer Pſalm. 69: 22 – 28. Imo nec minora incumbunt cohorti Antichriſti, qui *cogitavit mutare legem & ſtatutum, & formare ærumnam ultra ſtatutum.*

Gentium aſſumtio.

§. 21. Hæc judicia in terram Iſraëlis transgreſſoris immittenda *gentes* merito admiraturæ erant: nonne enim ſtupendum, illos, quorum fuit *adoptio, gloria, Teſtamentum, legiſlatio, promiſſiones, Patres, è quibus Chriſtus ſecundum carnem,* Rom. 9: 4. 5. *repelli, indurari, excœcari, incurvari, cadere, imminui, eradicari, concludi in inobedientiam?* quibus verbis Paulus utitur Rom. 11: 1. 2. 7. 8. 10. 11. 12. 17. 32. Gentes ita introducit Moſes dicturas, *Quare fecit Dominus ſic terræ huic? quis æſtus iræ magnæ hujus?* Deut. 29: 24. Et tale reſponſum ſibi ipſis daturas; *quia dereliquerunt fœdus Domini Dei Patrum ſuorum.* Ibid. ℣. 25. confer ℣. 26. 27. 28. denique agnituras Gentes *gratiam* ſibi datam, quæ in eo conſiſtit, quod *cum olim ſinerentur ambulare omnes in viis propriis*, Act. 14: 16. *ſine Chriſto, Deo, ſpe*, Eph. 2: 12. *reconciliatæ ſunt Deo per crucem* Filii *unigeniti* Eph. 2: 16. factæque *concives ſanctorum, & domeſtici Dei*, Ibid. ℣. 19. *coheredes, concorpores, & participes promiſſionis Dei in Chriſto* Eph. 3: 6. *illuminatæ* agnitione *imperveſtigabilium divitiarum Chriſti, & myſterii abſconditi a ſeculis in Deo*, Eph. 3: 8. 9. *& ſilentio involuti temporibus ſecularibus, manifeſtati autem nunc, & in omnes gentes notificati.* Rom. 16: 25. 26. De quo myſterio, occultato olim, nunc manifeſtato accipienda ſunt illa verba, quæ Moſes gentes introducit pronunciaturas Deut. 29: 29. *quæ abſcondita fuerunt Domino Deo noſtro, & revelata ſunt nobis & filiis noſtris in ſeculum.*

Promiſſiones fœderis.

§. 22. Habet etiam fœdus hoc ἐπαγγελίας *promiſſiones*, partim *terreſtres*, partim *cœleſtes*; partim *proprias* Iſraëlis, qui primas in hoc fœdere tenet partes, utpote cum quo id initio ſolemniter pactum eſt; partim communes, Iſraëli & gentibus.

§. 23. Ad *priores* pertinent hæc. Deut. cap. 30: verſ. 1. 2. 3. 4. 5. *Reſtituet Dominus jacturas tuas, miſerebitur tui, colliget te è populis, quos inter fuiſti diſperſus: reducet te ad terram Patrum tuorum, & benefaciet tibi, & multiplicabit te præ patribus tuis*, quæ ſecundum literam impleta ſunt in reſtitutione Judæorum à Babyloniis abductorum; illorum reductione in Canaan; reædificatione Hieroſolymæ; beneficiorum multorum collatione; & virium, ac potentiæ & numeri augmento. Ut autem ob peccata antecedentia maledictiones & plagæ in illos venerant, ita & hæc beneficia non niſi antecedente ſeria pœnitentia illis evenerunt. Id docet Moſes Deut. cap. 30: verſ. 2. *Reverteris ad Dominum Deum tuum &c. Et avertet Dominus jacturas tuas. &c.*

§. 24. Ad poſteriores pertinet inſigne hoc verbum. Deut. 30. 6. *Et circumcidet Jehova Deus tuus cor tuum, & cor Seminis tui, ad amandum Dominum Deum tuum è toto corde tuo, & tota anima tua, propter vitam tuam.*

Circumciſio promiſſa.

§. 25. Hæc circumciſio *non fit manu*: eſt ἀχειροποίητος, Col. 2: 11. non eſt carnis ſed περιτομὴ καρδίας *cordis*, Rom. 2: 29. eſt *in Spiritu*; *non litera*, ibid. eſt opus *Dei*, non hominis: imprimis *Chriſti*: *in illo circumciſi eſtis circumciſione, quæ non fit manu*, Col. 2: 11. eſt *ad amandum Deum*: nempe tali *amore*, qui per Spiritum promiſſionis ſanctum in corda effunditur. Rom. 5: 5. Eſt *ad vitam*; tum *è morte lapſuum*, tum *è morte corporis*, quod *vivificatur* per reſurrectionem. Ita Paulus duo hæc circumciſioni adjungit. *In quo circumciſi eſtis, in quo & reſuſcitati eſtis per fidem potentiæ Dei, qui excitavit illum a mortuis. Et nos mortuos in lapſibus una vivificavit cum illo.* Col. 2: 11. 12. 13.

§. 26. Huic præterea circumciſioni adjuncta eſt *condonatio omnium lapſuum, & deletio chirographi in dogmaſi*, olim ſanctis *ſubcontrarii*, docente Paulo Col. 2: 13. 14. 15. Adeo ut illi demum circumciſi in plenitudine veritatis haberi debeant, non tantum, qui ſanctificantur & vivificantur à morte peccatorum; nec tantum, qui habent ſpem reſurrectionis corporis, quod exuunt in morte, quorum utrumque Patres & ſancti Veteris Teſtamenti etiam habuerunt; ſed imprimis illi, qui præter hæc dona conſummatiſſimam illam acceperunt lapſuum condonationem, quæ nullam *amplius oblationem pro peccato* admittit, Hebr. 10: 18. & qui liberati ſunt à ſcriptione chirographi, à bajulatione legalis jugi, & *ab omnibus, quibus in lege Moſis non poterant juſtificari* Act. 13: 38. 39.

§. 27. In hiſce conſiſtit *circumciſio non-manualis*, interna, ſpiritualis, Chriſti miſſi & per paſſiones conſummati donum & beneficium.

§. 28. Igitur ubi hæc circumciſio promittitur, inſimul promiſſa cenſeri debet miſſio & manifeſtatio Chriſti in carne: in illo enim, & ἐν τῇ περιτομῇ *in circumciſione illius circumcidimur*, Col. 2: 11. adeò ut externa Chriſti circumciſio ſit ſigillum internæ noſtræ circumciſionis, nec fuiſſet circumciſio ἀχειροποίητος in ſanctis conſummata, niſi caro Chriſti aſſumpta fuiſſet *circumciſa*, hoc eſt, ni Chriſtus factus fuiſſet ſub legem, & omnem impleviſſet juſtitiam.

§. 29. Imo promittitur collatio omnium gratiarum & beneficiorum, quæ à *ſalutis Principe conſummato* exoptari & exſpectari potuerunt: quæ gratiæ tales ſunt, tam ſublimes, tam excellentes, ut de illis Paulus teſtimonium ferat. 1 Cor. cap. 2: verſ. 9. *Oculus non vidit, Auris non audivit, in cor hominis non aſcendit, quæ paravit Deus diligentibus illum.*

§. 30. De circumciſione, quæ opus Dei & Chriſti eſt, notabilis exſtat locus. Phil. 3: 3. *Nos enim ſumus circumciſio, qui Spiritu Deo ſervimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & in carne* ἐν σαρκὶ *non confidimus.*

§. 31. Ex

§. 31. Ex hac promiſſione circumciſionis, quæ in ſua latitudine complectitur initium & conſummationem omnis omnino gratiæ ſalutaris, apparet, *fœdus* in Moab pactum, maxima & *pretioſiſſima promiſſa* Evangelii & Teſtamenti melioris aperuiſſe, & ſanctius exſpectanda inſinuaſſe.

§. 32. De *præcepto* & *verbo* hujus fœderis, quod nullum aliud eſt quam *νομοθεσία ſtipulatio* illius, cum *promiſſionibus*, de quibus hactenus egimus, ita magnifice fatur Moſes. Deut. 30: 11 – 14. *Præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie*, de non addenda ſatiura ad ſitientem, de vera tua pace & tranquillitate ac benedictione, de circumciſione cordis tui, *non mirabile illud præ te* erit, hoc eſt, illius myſteria & excellentiæ ad ſalutarem agnitionem tibi revelabuntur; *& non longinquum illud* erit, hoc eſt, prædicabitur & manifeſtabitur in medio tui per impletionem omnium illorum, quæ decebat fieri, ut veritas hujus præcepti & promiſſionum illius adimpleretur. *Non in cœlo illud, ad dicendum*, hoc eſt, ut dicere opus habeas; *Quis aſcendet in cœlum, & accipiet illud nobis, & faciet nos audire illud, & faciamus illud*? hoc eſt, non opus eſt, ut ad adducendum præcepti hujus bona, promiſſa, gratias, is qui in cœlo eſt, ad dextram Patris, *Chriſtus*, è cœlo deſcendat, & è cœlo deducatur, & ſecunda vice tanquam conſummatis omnibus in cœlum rurſum aſcendat. Unico enim illo deſcenſu, quo ſemel è cœlis deſcendit, & in terra manifeſtatus eſt, omnia fecit, quæ ad id fieri debebant; ut & peracta una aſcenſione in cœlum approbatum eſt & publicè fides facta nil ſupereſſe agendum, & omnia facta, quæ Dei ſapientia, veritas, juſtitia, exigebant, ut bono cum jure *præceptum* hoc & promiſſa illius promulgarentur & annunciarentur. *Et non ultra mare illud, ad dicendum*; *Quis tranſibit nobis ultra mare, & illud accipiet nobis, & faciat illud audire, ut faciamus illud*? Non opus erit, ut adhuc ſecunda vice *mari* ſe quis committat, & periculoſum ac jacturarum pelago ſe exponat, præcepti hujus promulgandi gratia; hoc eſt, ut Chriſtus Filius Dei ſecunda vice paſſionem & mortem guſtet, (quæ *mors* & cum *aquis*, & cum *abyſſo*, & cum *mari* eleganter comparatur,) ut meritoria exſtet cauſa promulgationis & donationis præcepti hujus, & gratiarum in illo promiſſarum: *fecit* enim Chriſtus id *ſemel* Hebr. 7: 27. *ἑαυτὸν ἀνενέγκας ſe ipſum offerens. Sed propinquum tibi hoc verbum valde erit in ore tuo, & in corde tuo, ad faciendum illud.*

Præceptum, verbum fœderis.

§. 33. Confirmat hanc expoſitionem Paulus. Rom. cap. 10: verſ. 6 -- 9. *Juſtitia autem è fide ſic dicit; Ne dicas in corde tuo. Quis aſcendet in cœlum? hoc eſt Chriſtum κατα-γαγεῖν deducere. Aut, quis deſcendet in abyſſum hoc eſt Chriſtum è mortuis ἀναγαγεῖν reducere. Sed quid dicit? Prope tibi eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quod ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitavit è mortuis, ſalvaberis.* Unde apparet, *præceptum* hoc de quo Moſes loquitur, *eſſe verbum fidei*; in illo doceri *juſtitiam è fide*, *mortem Chriſti*, *reſurrectionem Chriſti*; denique in illo mandari *confeſſionem* & *fidem*, tum mortis, tum reſurrectionis Domini.

§. 34. Denique proteſtatur Moſes, *Ecce ego dedi coram te vitam & bonum.* Et *mortem & malum; benedictionem & maledictionem: & eliges vitam, ut ſis tu & Semen tuum, ad amandum Dominum Deum tuum, & ad adhærendum illi: nam ille eſt vita tua.* Deut. cap. 30: verſ. 15. 19. 20. Igitur in hoc fœdere declarata eſt unica & veriſſima ratio potiendi *vita, bono, benedictione*; quæ ratio ducit *ad amorem Dei, ad obedientiam fidei, & ad juſtitiam è fide.* Hac ratione omiſſa impoſſibile eſt vita & bono potiri; è contra tales manet *mors, malum, maledictio.*

Vita & bonum, malum & mors data coram Iſraële.

§. 35. Scri-

Fœdus in libro ſcribitur.

§. 35. Scripſit Moſes Fœdus hoc *in libro*; juſſitque *Sacerdotes & omnes ſeniores Iſrael*, ut ſingulis ſeptenniis, in Feſto tabernaculorum, publice prælegeretur *coram toto Iſraele, in auribus illorum.* Deut. 31:9. 10. 11.

Canticum Moſis.

§. 36. Ad finem nunc appropinquat miniſterium Moſis. Mors vitæ finem & miniſterii factura erat. *Ecce tu obdormiſces cum Patribus tuis.* Deut. 31: 16. Concluſit autem miniſterium ſuum Cantico, quod Deus *ſcribi*, filios Iſraël *doceri*, *in ore illorum poni* juſſit; ut eſſet *Canticum* hoc *Deo in teſtem in filiis Iſrael*, & *reſpondeat in faciem* Iſraëlis, & nulla oblivione ſepeliatur. Deut. 31: 19. 21.

§. 37. Canticum hoc plane divinum eſt; ſenſus illius profundiſſimus; materia ampliſſima; phraſis magnifica; eſtque id omnium aliorum verborum ſumma; omnium Prophetiarum compendium & regula; omnis denique veritatis ad ſalutem credendæ breviarium & canon.

§. 38. Si Moſes ullibi *de Chriſto ſcripſit*, Joh. 5: 46. id in hoc Cantico feciſſe exiſtimandus eſt; in quo Chriſti *παθήματα* & *δόξας ſcrutatus* eſt, & *in quod & quale tempus* illa eventura eſſent. 1 Petr. 1: 11. Agit in hoc Cantico divinus vir de aſſumptione Judæorum in populum; de multiplicibus illorum peccatis, imprimis illo, quod commiſerunt crucifigentes *Dominum gloriæ*; de illorum rejectione & reprobatione; de gentium converſione; de defectione multorum è gentibus; de illorum pœnis & plagis; de liberatione Eccleſiæ plenaria; deque converſione *plenitudinis* tum Gentium, tum Judæorum. De quo Cantico, ut & de *benedictione*, qua Moſes *filiis Iſrael ante mortem* benedixit, Deut. cap. 33. quæ & ipſa *prophetica* eſt, & de ingentibus rebus, quarum finis non erit niſi cum fine mundi, ſi quis cognoſcere plura cupit, legat *Conſiderationes in ultima Moſis* incomparabilis viri, Domini Johannis Cocceji, beatiſſimæ memoriæ.

Benedictio Moſis.

Mors Moſis. Vere mortuus eſt.

§. 39. De *morte* Moſis ita eſt Deut. 34: 5. *Et mortuus eſt Moſes, ſervus Domini, in terra Moab.* Quamvis ſint qui per *mortem* intelligant *tranſmutationem*, qualis erit viventium in die noviſſimo, 1 Cor. 15: 51. quæ immutatio *mortis* inſtar erit *momentanea*, nos tamen Moſen *vere mortuum* eſſe ſtatuimus. Nam Deut. 32: 50. ita dicit ad illum Dominus: *Morere in monte, quemadmodum mortuus eſt Aharon frater tuus.* Mortuus igitur eſt Moſes ut Aharon, qui vere mortuus eſt, & *exſpiraſſe* ſeu animam efflaſſe dicitur. Num. 20: 28. Deinde dicitur *Moſes ſepultus.* Atqui *mortui* ſepeliuntur. Denique ipſe modus loquendi id indicat: *Et mortuus eſt Moſes.* Paulus *immutationem* à *morte* diſtinguit: *Non dormiemus omnes; mutabimur autem omnes.* 1 Cor. 15: 51. Ergo qui mutabuntur, non obdormient, non mortui ſunt. Si igitur Moſes mortuus eſt, ut dicitur *mortuus* eſſe, utique non immutatus eſt.

§. 40. Cauſa mortis in Moſe eadem eſt, quæ in omnibus. Hebr. 9: 27. *Incumbit hominibus ſemel mori.* Cauſa autem mortis maturioris, hoc eſt, antequam Moſes in terram intraret promiſſam, eſt *prævaricatio*, & *ἀπιστία* Moſis. Num. 20: 12. Deut. 32: 51.

§. 41. Mors Moſis fuit *Mors juſtorum*, hoc eſt, deceſſit placide & beate: anima illius *reverſa* eſt *ad Deum factorem ſuum.* Eccl. 12: 7. Ita *congregatus* eſt Moſes *ad populos ſuos* Deut. 32: 50. hoc eſt, *acceſſit ad Spiritus juſtorum conſummatorum.* Hebr. 12: 23.

Sepultura Moſis. Diſceptatio de corpore Moſis.

§. 42. *Sepultus* eſt Moſes, non ab hominibus, ſed à Deo Deut. 34: 6. *Et ſepelivit illum Dominus, & nemo ſcivit monimentum illius, uſque in diem hunc. Michael Archangelus* diſceptavit cum Diabolo & *collocutus eſt de corpore Moſis.* Judæ ℣. 9. Videtur abuti voluiſſe Diabolus corpore & oſſibus Moſis, tentando per illa Iſraelem ad idololatriam; ut per æneum eos tentavit ſerpentem. Id *Archangelus Michael, Angelus faciei, Dominus* toties Moſi viſus noluit concedere: inde diſceptatio illum inter & Diabolum; Diabolo indubie variis id fraudi-

fraudibus, forſan & aperta vi tentante; Michaële autem conatus illius impediente verbo hoc potenti, *increpet te Dominus.* Illuc fecit, quod corpus Moſis ſepultum eſt in loco incognito, non Iſraëli tantum, ſed & forſan ipſi Diabolo. Non enim novit Diabolus omnia, ut ut noverit multa.

§. 43. In monte, ubi Chriſtus transfiguratus fuit, collocuti ſunt cum illo *duo viri, Moſes & Elias.* Luc. 9: 30. Ergo tunc Moſes *in forma viri,* hoc eſt, in *corpore* apparuit. Ni velimus dicere, Moſen illo tempore per potentiam Dei organum aſſumſiſſe corporis, quod finito alloquio iterum depoſuit, quemadmodum ipſe Dominus in apparitionibus ſæpe fecit, proclive erit putare, corpus Moſis aliquamdiu poſt mortem reſuſcitatum à Deo fuiſſe, & in cœlum evectum. Moſes in monte apparuit cum Chriſto.

§. 44. Hunc finem vitæ Moſes habuit, *fidelis Dei ſervus in tota domo illius*: qui *gentibus* ipſis vir θαυμαστὸς καὶ θεῖος *admirandus & divinus*, δικαιοπραγῶν καὶ ἀληθῶς θεοσεβὴς *juſtitiæ cultor, & vere pius*, habitus eſt. vide Flav. Joſeph. libr. contra App. 1. ubi Ægyptios Moſis laudatores citat, & Strabonem lib. 16. Geographiæ. Etiam de illo Juvenalis Satyr. XIV.

Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

§. 45. *Mors*, finis vitæ, finem Moſi fecit omnium curarum, ſollicitudinum, & laborum; quos ingenti numero & mole in hac vita tulit; ex quibus experientiâ didicit, *præſtantiſſimum vitæ eſſe* עָמָל וָאָוֶן *laborem & moleſtiam.* Pſalm. 90: 10. *Beatus* igitur Moſes, *in Domino mortuus: requiem ab* omnibus nactus eſt *laboribus*. Apoc. 14: 13. *Mors* ſanctorum *liberatio*, & *lucrum* eſt. Rom. 7: 24. Phil. 1: 21. Multi inter gentiles *mortem* pro *benedictione* habuerunt. Notabilis eſt ſententia apud *Arrianum* lib. 11: cap. 6. κατάρα ἐστὶν ἐπὶ σταχύων τὸ μηδέποτε θερισθῆναι, οὕτως ἴσθι ὅτι καὶ ἐπ' ἀνθρώπων κατάρα ἐστὶ, τὸ μηδέποτε ἀποθανεῖν. Moſes gentibus notus.

Caput Decimum Quintum.

De iis quæ duce Jehoſua, & ſub Judicibus in Eccleſia & politia Iſraëlis acta ſunt.

§. 1. In locum Moſis ſucceſſit *Ioſuah, filius Nun*; cui ipſe Moſes, dum adhuc viveret impoſuit manus, illumque Deo & cætui Iſraël conſecravit. Num. 27: 15-23. Fuit in multis Moſi par. Ut *cum Moſe* Dominus *fuit*, ita & *cum illo*, Joſ. 1: 5. *magnum illum fecit Dominus in oculis totius Iſraël*, Joſ. 3: 7. 4: 14. ut Moſen populus *audivit & timuit*, ita & Joſuam *omnibus diebus vitæ illius.* Joſ. 1: 17. 4: 14. Plura geſſit bella, plura fecit prælia, præclara & ſecunda; plures cepit urbes, plures ſubegit gentes, quam Moſes, ipſam denique Canaan, in quam Moſes non intravit, ſorte diſtribuit. Major tamen fuit Moſes *Propheta*, major *Legislator*, hocque ſolo titulo anteferendus omnibus, quod dictus eſt, *fidelis ſervus in tota domo Dei, in teſtimonium illorum, quæ dicenda erant.* Hebr. 3: 5. Jehoſuah ſucceſſor Moſis.

§. 2. Idem *Angelus Domini*, qui Moſi apparuerat in rubo, qui illum juſſerat educere populum ex Ægypto, Exod. 3: 2. 10. qui locutus erat de monte Sina, Actor. 7: 38. & de quo Deus ipſe reſtatus erat; Exod. 23: 20. *Ecce ego mitto Angelum coram te*, idem inquam *Angelus* Jehoſuæ apparuit, & illius ductu, imperio, auſpiciisque egit Jehoſuah, quæcunque egit. Angelus, qui Moſi, idem Jehoſuæ apparuit.

§. 3. Cum

Forma, in qua.

§. 3. Cum Joſua eſſet בִּירִיחוֹ *in Iericho*, hoc eſt, in agro ſive territorio urbis Iericho; ſive etiam *apud* Iericho; (nam ב nonnunquam vicinitatem notat. Joſ. 10: 10. *Percuſsit illos in Gibeon*, hoc eſt, apud Gibeon) vidit *virum ſtantem*, *cujus gladius erat ſtrictus in manu ejus*. Roganti Jehoſuæ, *an nobiſcum tu*, *aut cum hoſtibus noſtris*, reſpondit, *non*, *nam ego princeps exercitus Dei: nunc veni*. Adoravit Jehoſua, dixitque, *quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum?* Joſ. 5: 13-15.

§. 4. Igitur is, quem vidit Joſuah, fuit *vir*, hoc eſt, in forma viri viſus eſt. Ita & Abraham vidit *tres viros*, quos tres alloquitur ut *unum*, Gen. 18: 2. 3. Non igitur hic cum flamma & igne apparuit, ut olim in rubo Exod. 3: 2. ſed in forma & ſpecie humana. *Gladius ſtrictus* notavit, illum adeſſe ad pugnandum pro Iſraële, & ad ſumendum vindictam a gentibus, quæ oblitæ erant Dei creatoris & benefactoris.

Is fuit Princeps exercitus Dei.

§. 5. Nec tantum *vir*, ſed & *princeps exercitus Domini*. Dominus *exercitum* habet, nec צָבָא tantum, ſed & צְבָאוֹת *exercitus*: unde dicitur *Deus exercituum*, 2 Sam. 5: 10. 1 Reg. 19: 10. 14. Pſal. 89: 9. Hoſ. 12: 6. Amos. 4: 13. confer Pſal. 103: 21. *Benedicite Domino* כָּל-צְבָאָיו *omnes exercitus ejus*. Exercitus hi ſunt vel *cæleſtes*, Angeli, vel *terreſtres* ſive in terra, צִבְאוֹת יִשְׂרָאֵל *exercitus Iſraël*, Exod. 12: 41. & צִבְאוֹת גּוֹיִם *exercitus gentium*. Jerem. 3: 19. Horum exercituum *princeps* & ἀρχιστράτηγος eſt *vir*, viſus Joſuæ: *dominatur* enim viſibilibus & inviſibilibus, vivis & mortuis, Col. 1: 16. Rom. 14: 9. confer Dan. 12: 1. הַשַּׂר הַגָּדוֹל *Princeps ille magnus*. Dan. 10: 21. *Michael princeps veſter* Dan. 8: 25. *Princeps Principum*. Col. 1: 18. ὅς ἐστιν ἀρχή.

Illius adventus.

§. 6. Hic *vir*, *Princeps* & Dominator *exercitus Dei* dicit עַתָּה בָאתִי *Nunc veni*. Moſi dixerat è rubo: *Vidi ærumnam populi*, *& deſcendi*, Exod. 3: 7. 8. ad quid? *ad liberandum populum è manu Ægyptiorum*. ibid. id jam nunc factum erat: *& ad introducendum illum in terram bonam, in locum Cananæorum*. ibid. id adhuc agendum ſupererat: igitur ad id efficiendum ſe *nunc veniſſe* & adeſſe nunciat. *Nunc veni*, ut gentes è ſedibus ſuis ejiciam, & populo meo terram promiſſionis diſtribuam, & *promiſſa mea impleam*. confer verba Angeli. Jud. 2: 1. 2.

Jehoſuæ reverentia.

§. 7. Abraham cum videret tres illos viros, *demiſit ſe in terram*. Gen. 18: 2. Moſes Angelum videns in rubo, *occultat faciem & timet*. Exod. 3: 6. Non minorem exhibet reverentiam Jehoſuah: *Proſternit ſe in faciem & adorat*: officia ſua liberaliter offert: *quid loquitur Dominus ad ſervum ſuum?* non illa fuit promtitudo Moſis, in initio vocationis. Exod. 3: 11. *Quis ego, ut eam?* confer Exod. 4: 13. Jehoſua juſſa rogat Domini: illa ſe ſponte ſuſcepturum, tacite promittit. Dicit אֲדֹנִי *Dominus meus*. confer Pſal. 110: 1. *dixit Dominus* לַאדֹנִי *Domino meo*.

Exuere calceos quid?

§. 8. Primum quod *Princeps exercitus Dei* loquitur ad Jehoſuam, eſt, *Exue calceos: nam locus*, *in quo ſtas*, *ſanctitas eſt*, hoc eſt, ſanctus. confer Exod. 3: 5. Princeps exercitus Dei locum illum præſentia ſua ſanctificabat. Exuere calceos ſignum eſt reverentiæ, & abjectionis ſordium. *Dominum* exercituum *nemo videbit ſine ſanctificatione*, Hebr. cap. 12: verſ. 14. deponendæ ſunt ſordes peccati & concupiſcentiæ, ut pateat acceſſus ad Deum. Orientalibus piaculum eſt, calceato pede templorum pavimenta calcaſſe.

Princeps exercitus eſt Jehovah.

§. 9. Idem hic Princeps exercitus Dei eſt יְהֹוָה *Dominus*, quemadmodum & Angelus in rubo viſus, Exod. 3: 2. 4. 6. 7. ita enim eſt Joſ. 6: 2. *Et dixit Dominus ad Ioſuam*, narratur continuatio ſermonis, quem Princeps exercitus habuit. Igitur & omnia illa eximia verba, quæ Dominus Joſuæ dixit, *ego ero tecum*, *non mittam te*, *nec derelinquam*

te,

te, (Hebr. 13: 5.) *fortis eſto, ne time, nam ego tecum Jehova Deus tuus*, Joſ. 1: 5. 9. ſunt verba illius, qui ſe dicit *Principem exercitus Dei*.

§. 10. Omnia quæ Jehoſuah egit, pertinent aut ad occupationem terræ Canaan, illiuſque diſtributionem; aut ad firmam conſtitutionem cultus, quem præceperat Moſes obſervandum in terra Canaan, & ad ſtabilitionem ac confirmationem fœderis divini, cum Iſraele in deſerto pacti. Res geſtæ Joſuæ ad duas claſſes referuntur.

§. 11. Non poterat adiri hæreditas terræ promiſſæ, niſi fluvius Jordan tranſiretur. Joſ. 1: verſ. 11. *Intra triduum tranſibitis Jordanem hunc, ad veniendum & hæreditandum terram, quam Dominus dabit vobis*. Tranſitus Jordani.

§. 12. Hunc fluvium, inſigni miraculo, ut olim *mare Algoſum*, Exod. 12: 22. 29. (confer Hebr. 11: 29.) ſicco trajecerunt pede; idque illo tempore, quo totus plenus erat. Ioſ. 4: verſ. 15. *Et Iordan plenus erat ſuper omnes ripas ſuas, omnibus diebus meſſis*. Meſſis tempore alveos Jordanem excedere, & redundare ut Nilum, & multum terræ irrigare proditum eſt. Factum id *die decimo, menſis primi*. Joſ. 4: 19. confer 1 Paralip. 12: 15. *Illi tranſiverunt Jordanem menſe primo; & ille replebat omnes ripas ſuas*.

§. 13. Arca fœderis, portata *à Sacerdotibus*, Ioſ. 3: ℣. 3. 6. cujus alias portandæ vices acceperant *Filii Kehat*. Num. 4: 15. anteceſſit. *Ecce arca fœderis, Dominus totius terræ, tranſit ante vos*. Ioſ. cap. 3: verſ. 11. Arca fœderis ſymbolum erat præſentiæ Domini totius terræ. Illa tranſeunte ipſe Dominus videbatur tranſire. confer Num. cap. 10: ℣. 34. 35. *arca* tamdiu ſubſtitit in medio fluvii, uſque dum omnis multitudo tranſiiſſet. Ioſ. 3: 17. Arca fœderis anteceſſit.

§. 14. In loco, ubi in fluvio ſacerdotes portantes Arcam ſubſtiterant, erexit Ioſua duodecim lapides; & alios duodecim, è Iordane ſumtos, erexit *in Gilgal, in memoriale, filiis Iſraël, in ſeculum*. Ioſ. 4: 9. 10. 20.

§. 15. De tota hac actione ita Iehoſuas. *Cras faciet Dominus in medio veſtri mirabilia*. Ioſ. 3: 5. confer verſ. 10. *In hoc cognoſcetis, quod Deus vivus in medio veſtri eſt*. confer Ioſ. 4: 24.

§. 16. Docuit hoc miraculum, *Angelum fœderis*, cujus Arca fœderis ſymbolum, eſſe Dominum creaturarum omnium; quippe eſt *Princeps exercitus Domini*: illas ſervire debere Eccleſiæ ſanctorum, & in illorum uſum cedere: ſanctos & in aquis & in flammis ſub præſidio illius tutos eſſe. Eſ. 43: 2.

§. 17. Poſt trajectum Iordanem cingitur obſidione *Urbs Iericho*, in quam Iehoſuas *è Sittim*, qui locus erat non procul à Iordane in campeſtribus Moab, miſerat *duos viros exploratores*, Ioſ. 2: 1. illos *Pinchaſum* fuiſſe & *Calebum* fabulantur Iudæi. Obſidio urbis Jericho.

§. 18. In illa habitavit urbe *Rahab*, quæ fuit אִשָּׁה זוֹנָה *mulier meretrix*, ita Heb. 11: 31. Rahab meretrix.
πόρνη. Id lubentius accipimus, quam ut זוֹנָה derivemus à זוּן unde מָזוֹן *cibus*, *alimonia*; & dicamus, Rahab fuiſſe non meretricem, ſed *cauponariam*, quæ cauponam exercuit; quod ipſum olim, imprimis apud Græcos inhoneſtum & infame fuit, adeo ut turpe putarint in ædes cauponæ intrare. *Iſocrates*, *ἐν καπηλείῳ φαγεῖν ἢ πιεῖν, οὐδεὶς οὐδ᾽ ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησε*.

§. 19. Illius in Sacris laudatur *fides*. Hebr. 11: 31. *Fide Raab meretrix non periit cum immorigeris, quum excepiſſet exploratores cum pace*. Iacob. 2: 25. *Similiter & Raab meretrix annon ex operibus juſtificata eſt, quum ſuſcepiſſet legatos, & alia via emiſiſſet*. Fides illius & opera.

§. 20. Raab juſſa educere exploratores, qui ad illam venerant, reſpondet; *ita eſt, venerunt ad me viri tales*. Ita verum loquitur. Ioſ. 2: 4. Addit, *ſed non novi, unde illi, exiverunt, non novi, quo*. ibid. verſ. 4. 5. id verum non erat. Igitur veritatem quan-

dam fatetur, quandam celat. Noverat illa ſane viros illos: nam & abſcondit illos in tecto; & multa cum illis de *Deo*, de *terra* illis data, de *miraculis* inter illos factis collocuta eſt. Joſ. cap. 2: verſ. 8. 9. 10. Unde autem illos novit? vel illi ipſi ſe manifeſtarunt; vel ex ore & lineamentis & ſermone à muliere ſagace agniti ſunt; vel Deus oculos illius aperuit, ut illos agnoſceret, quemadmodum oculos aperuit Bileami, ut tandem videret Angelum. Num. 22: 31. Si autem hæc veritatis occultatio laudari non debet, tamen venia Rahab mulieri denegari non debet; illa enim veritatem occultavit, non ut alicui noceret, aut gloriæ divinæ detraheret, ſed ut innocentes hos ſervaret, & patriam à fuſione ſanguinis innoxii liberam conſervaret; gnara ſatis ſuperque, etiamſi viros hos caperent, & è medio tollerent, propoſitum Dei de tradenda Jericho non fore irritum, hocque factum numerum peccatorum non parum adaucturum.

§. 21. Plenum habuit mulier hæc pectus fiducia & robore. Ingens periculum, quod illi imminebat, ſi res detegeretur, ſpernit. Solent enim homines graviſſime animadvertere in illos, qui exploratoribus ab hoſte emiſſis auxilia præbent: pro hoſte enim patriæ habetur, qui cum hoſte colludit.

§. 22. *Fidei* id fuit, qua *credidit, Deum eſſe, & retributorem mercedis fieri*, Hebr. 11: verſ. 6. hæc illius fides junctam habuit *notitiam*: unde illa יָדַעְתִּי *novi*, Joſ. 2: 9. quid? *terram datam* populo Dei: *Dominumque Deum eſſe Deum in cœlis ſuperne, & in terra inferne*. Ibid. verſ. 9. 11.

§. 23. *Fides* mulieris non caruit *ſua fine*. 1 Pet. 1: 9. *Fide Raab* οὐ συναπώλετο *non una periit*. Ergo finis fidei Raab fuit *ſalus*, tum externa corporis, ne una cum civitate interimeretur; tum interna animæ, ne una *cum immorigeris* in æternum condemnaretur.

§. 24. Fides Raab non caruit *operibus*. Inſigne enim opus charitatis fuit, quod tanto cum diſcrimine ſuſcepit exploratores, ſuſceptos occultavit, occultatos ſecure dimiſit. Ita vere *ex operibus juſtificata eſt*, hoc eſt, opera illius bona fuerunt teſtimonium & ſigillum, quod illa ex fide juſtitiam adepta eſſet; nequaquam autem cauſa juſtitiæ: non enim anteceſſerunt juſtificandam, ſed ſecuta ſunt juſtificatam.

§. 25. In hac muliere apparet inſignis Dei miſericordia, apud quem non eſt *perſonarum reſpectus*. Rom. cap. 2: verſ. 11. E magna & frequentiſſima civitate *mulierem*, & quidem *meretricem* aſſumit in gratiam; reliquos omnes, divites, ſapientes, potentes præterit. confer Matth. 21: 31. 32. *Publicani & meretrices præcedunt vobis in regnum Dei.*

§. 26. In Raab exemplum eſt *juſtificationis è fide, ſine operibus legis*. Rom. 3: 28. Neque enim acceperat legem, nec circumciſionem, nec obtulerat ſacrificia ſecundum legem; & tamen *juſtificata* dicitur.

§. 27. Raab ſola habitavit in urbe impia, cincta multitudine tot impiorum; integra tamen fide & pietate. Quis dubitabit, quin in magna civitate, quæ mater omnium abominationum dicitur, in ſpirituali Sodoma, Babylone & Iericho, ſint & habitent, qui fide ſunt donati ſalvifica, & ſpem ac fiduciam habent in Deo Servatore?

§. 28. Exploratores in domum intrant meretricis, ducti à Deo. Ita Deus *novit ſuos*. 2 Tim. 2: 19. Ne ſpernamus peccatores & peccatrices, dummodo *credant*, Matth. 21: 32. *& recedant ab injuſtitia*. 2 Tim. 2: 19.

§. 29. Utile eſt habitare cum pœnitentibus: nam non tantum fidelis Raab ſervatur, ſed & cum illa ac propter illam parentes illius, cognati & conſanguinei ſervantur. Joſ. 2: 18. 6: 23.

§. 30. Rahab educta è Iericho, & *habitans in medio Iſrael*, Ioſ. 6: 25. exſtitit typus gentium alliciendarum, *ut habitent in tentoriis Sem*.

§. 31. Urbs

Expugnatio urbis Jericho.

§. 31. Urbs Jericho mirabili modo tandem expugnatur. *Fide mœnia illius ceciderunt, poſtquam per ſeptem dies corona cincta* & circumita *fuiſſent.* Hebr. 11:30. Sex diebus ſemel de die; ſeptimo autem ſepties circumibatur. Arca fœderis præibat: Sacerdotes ſeptem, portantes *ſeptem tubas*, ibant ante illam. Septima vice ſeptimi diei clanxerunt in tubis: populus clamavit: murus deſuper ſe cecidit, & latam populo fecit viam intrandi in urbem & capiendi illam. Tota urbs funditus exſtirpata, & anathemate percuſſa ac abolita eſt. Joſ. 6: verſ. 17.

§. 32. Inſigne certe miraculum. Muri calce & ferro coagmentati & firmati; ut arietum ictus excipere poſſent, ad clangorem tubarum & clamores populi ſolo æquantur. Potentia Dei & fides clamantium innixa illi, mœnia diruit. Ne confidamus muris noſtris. Clangor tubæ, ita volente Deo, evertere illa poteſt. Illa demum *civitas roboris nobis*, *circum quam* Dominus *ſalutem poſuit muros & antemurale.* Eſ. 26: 1.

§. 33. Nolumus nunc anxii eſſe de *ſeptem* diebus, *ſeptem* tubis, *ſeptem* Sacerdotibus. Numerum *ſeptenarium* rerum omnium nodum, imo & cunctarum rerum originem multi inter gentiles vocarunt: de illius myſteriis lege, ſi placet Auguſt. de Civit. Dei. l. 11. cap. 31.

§. 34. Ut autem ſeptimo die, poſt tubæ clangorem, capta eſt Jericho, quæ obſtaculum erat, ne libero pede hæreditatem Iſraël ſuam adiret; ita in Novo Teſtamento, ſub ſeptima tuba, quam deſcribit Apocalypſis, caſus erit ſpiritualis Jericho, quæ & Eccleſiæ obſtat, quo minus potiatur hæreditate mundi.

§. 35. Septem dies impenduntur, adeoque ſeptimana integra, cujus ultimus olim dies *Sabbati dies erat*, ſubactioni Urbis Jericho. Igitur hic de Sabbato diſpenſavit Deus; & in quo alias voluit quietem eſſe ab omni opere, in illo noluit quietem eſſe à circuitione & everſione Jericho. Certe Dominus *Sabbati Dominus eſt.* Matth. 12:8. Potuit optimo jure de illo diſpenſare, quemadmodum optimo jure ceremonialia illius ultimo tempore potuit abrogare.

Civitas Aj.

§. 36. Poſt exciſam Jerichuntem civitas *Aj* capitur per inſidias, & internecione deletur una cum incolis; Rex illius de ligno ſuſpenditur. Joſ. 8: 1–30. Non illicitum eſt inſidiis adoriri hoſtem. Ita fecerunt Iſraelitæ pugnantes cum Benjamin. Jud. 20: 29. Item Abraham, qui diviſo agmine noctu invaſit hoſtes. Gen. 14: 15. *Dolus* enim *an virtus, quis in hoſte requirat?*

Gibeonitæ.

§. 37. *Gibeonitæ* fœdus cum Iſraële pacti ſunt, agentes aſtutè; & quamvis decepiſſent Jehoſuam & Principes cœtus, tamen quia pactio jure jurando firmata erat, fœdus illud integrum ſervari voluit Joſuah. Joſ. 9: 3–27.

Strages quinque Regum.

§. 38. Quinque Reges, qui copias coadunaverant, ut percuterent urbem Gibeon, ob factam cum Iſraële pacem, memorabili prælio vicit & profligavit: quo durante prælio *Sol in Gibeah ſubſtitit, & Luna in valle Ajalon, nec feſtinavit ad occaſum Sol:* quale certè miraculum nec *ante illum fuerat diem*, nec *poſt illum exſtiturum erat.* Joſ. cap. 10: verſ. 1–28.

§. 39. Catalogum denique devictarum à Joſua gentium reliquarum, & captarum urbium ſi placet percurrere lege Joſ. 10:29–44. 11:1–24. 12: 1–22.

Injuſtitiæ crimen & crudelitatis ab Iſraële terram Canaan occupante, & omnia interficiente removetur.

§. 40. Neque tamen *injuſtitiæ* Iſraël accuſari debet, quod gentes è ſedibus ejecit, illarumque urbes & terras occupavit; nec *crudelitatis*, quod ferro, rapinis, cædibus in omnes promiſcuè uſus eſt, & nec mulieribus nec infantibus pepercit. Non *injuſtitiæ* iniquum: Deus enim, totius terræ Dominus, cujus eſt terra & plenitudo illius, terram illam patribus illorum juramento promiſit, & filios illorum, Iſraëlitas, illuc ut *ad*

ad locum illis *preparatum* deduxit. Exod. cap. 23: verſ. 20. Homo nullum habet jus in terreſtria, quod non à Deo accepit. Ille *omni hominum genere, quod facum terræ inhabitat, definivit tempora ante ordinata & limites habitationis illorum.* Actor. 17: verſ. 26. Igitur ut gentibus conceſſit longum hujus Terræ uſum: ita eundem auferre illis potuit. Et definivit illis tempora, quæ ultra terram hanc habitare non debebant. Hæc tempora nunc attigerant terminum: ideo jure gentes pelluntur. Non *crudelitatis*: nam in bello vim vi repellere licet: gentes hoſtiliter ubique Iſraëlitis occurrebant; & maximam exercuiſſent ſævitiam, niſi impeditæ fuiſſent divinitus. Quid igitur mirum, Iſraëlitas *bellantes bella Domini*, id gentibus feciſſe, quod ab illis, ſi id in viribus illarum fuiſſet, exſpectare & pati debuiſſent? Nulla civitas pacis iniit conditiones, præter Gibeon: ferro omnes acieque ſtatuerunt decernere: igitur gladium ſumentes, gladio juſtè interierunt. Joſ. 11: 19. Exſtabat præterea mandatum Dei: *Expelles gentes, habitatores terræ a facie tua: non panges cum illis fœdus: non habitabunt in terra tua; ne faciant te peccare in me* Exod. 23:31–33. non poterat non Iſraël mandati hujus tenorem implere. Quinimo diſerte dicitur Joſ. 11: 20. *A Domino fuit ad indurandum cor illorum in occurſum belli cum Iſraël, ad exterminandum illos; & ut illis non fieret gratia: nam ad delendum illos: ut præceperat Dominus Moſi.* Judicia igitur Dei in gentes concepta exſecutus eſt Iſraël. Sunt autem judicia Domini juſtificata in ſemet ipſis. Gentes hæ oblitæ Dei, contemtrices fœderis, abnegatrices juſtitiæ, ſcelerum horribilium fautrices, quam non iram ſibi theſaurizarunt, quam non vindictam meruerunt? In hac gentium ſubactione implementum habuit Prophetia Noachi, *Maledictus Canaan; ſervus ſervorum ſit fratribus ſuis.* Gen. 9:25.

Terra ſorte diſtributa. §. 41. Terram Canaan *ſorte* diſtribuit Jehoſuah Populo. Joſ. 13:7. *Diſtribue eam ſorte Iſraëlitis poſſidendam.* Joſ. 18:6. *Projiciam vobis ſortem hic coram Deo noſtro.* confer ℣. 8. & 10. *Et projecit* illis Jehoſuah *ſortem in Siloh coram Domino, & diſtribuit ibi illis terram ſecundum diviſiones illorum.* confer Joſ. 23: 4. 15: 1. 16: 1. 17: 1. & 14: 1. 2. *Et hæc ſunt, quæ hæreditarunt filii Iſrael in terra Canaan, quæ hæreditare fecerunt ipſos Eleaſar ſacerdos & Jehoſuah* בְּגוֹרַל נַחֲלָתָם *in ſorte hæreditatis ipſorum.*

Sortium frequens uſus. §. 42. Sortium frequens in Eccleſia Iſraëlitica fuit uſus. Nam & in die Kippurim *dabat*, hoc eſt, conjiciebat *ſortes* Sacerdos *ſuper duos hircos; unam Domino; unam Aſaſel.* Lev. 16: 8. Etiam Achan, qui de devoto Hierichuntis ſumpſerat, *deprehendebatur ſorte.* Joſ. 7: 18. Sumitur enim vox נִלְכַּד *deprehendi* pro deprehenſione per ſortem. Etiam Saul *ſorte deprehenſus* eſt, ut Rex eſſet in Iſraël. 1 Sam. 10: 21. Idem Saulus fecit ſortem cadere inter ſe & Jonatanem, ubi deprehenſus eſt Jonathan. 1 Sam. 14: 43. Poſt aſcenſionem Chriſti conjecerunt Apoſtoli *ſortes*, & *cecidit ὁ κλῆρος ſuper Matthiam* Actor. 1: 26. Ex his exemplis apparet, ſortium uſum obtinuiſſe in dividendis agris & hæreditatibus; in detegendis reis, criminibus & noxis; denique in diſcernendis perſonis & rebus, ad opus Dei aptiſſimis.

Preces junctæ ſortibus. §. 43. Cum *ſortibus* jungebantur *preces* ad Deum, ut Deus pro bonitate & juſtitia ſua illas dirigeret. Ita Apoſtoli, antequam ſortes darent ſuper *Juſtum & Matthiam, orant*, dicentes, *Domine, ſcrutator renum; oſtende è duobus his unum, quem elegiſti*, Act. 1: 24. & 1 Sam. 10: 22. poſtquam Saul deprehenſus eſſet ſorte in Regem, & quæſitus non inveniretur, dicitur: *Et orarunt adhuc Dominum.* Ergo jam ante, ſortem projicientes oraverant.

Modus ſortium. §. 44. Modus ratioque ſortium hæc putatur fuiſſe. Nomina illarum rerum, quæ ad ſortem revocabantur, ſcribebantur in ſchedulis; quæ conjectæ in ſinum aut urnam, inde educe-

educebantur. confer Prov. 16:33. *In ſinum projicitur ſors; ſed à Domino omne judicium ejus.* Igitur ſortes rexit & temperavit Deus ipſe, non autem fortuna, nec Dæmones, nec cœlum, nec aſtra.

§. 45. Gentes olim Satanas faſcinavit per ſortes, per oracula & divinationes. Gentes uſæ ſortibus.

——— *Sors omnia verſat.*

dictum Virgilii Ecclog. 1 x. Nautæ navis illius, in quam Jonah Propheta, effugere volens mandata Domini, intraverat, ſæva acti tempeſtate ad ſortes confugiunt. Jon. 1:7. *Et conjecerunt ſortes; & cecidit ſors ſuper Jonam.* Hæc ſors quamvis a gentilibus conjecta moderatorem Deum habuit. Vanæ autem inter gentes fuere ſortiendi rationes. Apud Homerum Iliad. η. conjiciuntur *in galeam*; apud Plautum in Caſina *in ſitulam*; apud Ciceronem 4. in Verrem *in hydriam*; apud Virgilium Æneid. 6. *in urnam.*

——— *Stat ductis ſortibus urna.*

Incertæ tamen & dubiæ illarum fuere ſortes. Diabolus enim illas temperavit, qui ut in oraculis, ita & in ſortibus dubias tenuit gentes. Unde Cicero de Divinat. *Quid ſors eſt? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras; quibus in rebus temeritas & caſus, non ratio nec conſilium valet.*

§. 46. Noſtra quod attinet tempora, *Hieronymus* prorſus negat licere adhuc uti ſortibus; eaque quæ de ſortibus in Veteri Teſtamento leguntur, negat trahi debere in exemplum; neque enim Deum per ſortes nunc amplius docere & erudire, ut nunc non amplius per Ephod reſpondet & Urim. Alia tamen fuit mens *Auguſtini*, qui alicubi ait: *Sortes nihil aliud eſſe, quam in dubitatione humana indicium divinæ voluntatis.* Sciendum tamen, ad ſortes temere veniendum non eſſe; nec ſortiendum niſi extrema neceſſitate urgente. Si enim quid occurrat, quod faciat ad gloriam Dei, & utilitatem Eccleſiæ, quod humana prudentia penetrare non poſſit; aut ſi poſſit, tamen citra invidiam facere non poſſit, tum demum ad ſortes confugiendum eſt. Quod ſi tale quid fiat, ne negligantur preces: omnia fiant reverenter: abſit ſuperſtitio; etiam fraus & dolus: denique abuſus Evangelii & verbonum Dei. Longe autem tutius eſt uti donis Dei, Spiritu, Verbo, ratione. An adhuc liceat ſortibus uti.

§. 47. Ut autem Jehoſuah ſtrenuus fuit miles, & ſedulus in occupanda & diſtribuenda terra; ita & fidelis fuit in conſtituendo & introducendo cultu, quem Moſes præceperat, & in repetendo fœdere, quod Deus cum Iſraele, & in Sina, & in terra Moab, pepigerat. Jehoſuas cultum divinum renovavit.

§. 48. Primum quod egit, fuit ut *circumcideret filios Iſrael.* Omnes, qui nati erant in deſerto, quales erant omnes fere, qui tranſiverant Jordanem, לא מלו *non circumciſi erant*; erantque illum uſque in diem ערלים *præputiati.* Igitur circumcidit illos Joſuah. Joſ. 5:2–9. Ita *in carne ſua* acceperunt *ſignum circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fidei.* Rom. 4:11. Neque enim potuiſſent gloriari ſe eſſe fœderatos Dei, niſi *exſtitiſſet fœdus*, hoc eſt, *ſignum fœderis* Dei *in carne illorum.* Gen. 17:11.13. 1. Circumcidit populum.

§. 49. Deinde curavit, ut *facerent Paſcha*, hoc eſt, ut comederent & mactarent agnum, *in memoriale tranſitus.* Exod. cap. 12. Joſ. 5:10. Poſtridie Paſchatis comederunt *a proventu terræ, azyma & toſtum*; ceſſavitque *Manna* ab illo tempore, *nec amplius fuit filiis Iſrael* Joſ. 5:11.12. 2. Mactavit Paſcha. Ceſſatio Mannæ.

§. 50. In monte *Ebal*, qui prope Sichem erat, *ædificavit Domino altare e lapidibus integris, ſuper quos ferrum agitatum non erat*, hoc eſt, qui lævigati non fuerant, aut politi inſtrumento ferreo: *& obtulerunt ſuper illud holocauſta, & mactarunt ſacrificia pacifica.* Joſ. cap. 8: verſ. 30.31. Ita autem factum è mandato Moſis Deut. 27: verſ. 5.6.7. 3. Solemnia fecit ſacrificia in monte Ebal.

Sunt

Sunt qui id factum putant poſt acceptam circumciſionem, & celebratum Paſcha: alii ſentiunt aliter.

4. Repetivit fœdus.

§. 51. Ibi ſcripſit *Deuteroſin* ſive *iterationem Legis Moſis*; præconiatus eſt *omnia verba Legis, maledictionem & benedictionem*, nec fuit ullum verbum, à Moſe præceptum, quod non proclamavit *coram toto cœtu Iſraël, & mulieribus, & parvulis, & proſelyto*, Joſ. 8: 33. 34. 35. confer Deut. 27: 8–26. Igitur hoc in loco repetivit Jehoſuah totum fœdus cum Iſraële pactum; omnia ſtatuta & judicia, quæ per Moſen addita erant; adjurando illos, ut illa obſervarent in generationes omnes; librum legis meditarentur interdiu & noctu, & ab omni lege, quam juſſerat Moſes, non recederent, nec ad ſiniſtram, nec ad dextram. Joſ. 1: 7. 8. In diebus Joſuæ *feſtum tabernaculorum* magna celebritate actum fuiſſe, colligere eſt ex Nehem. 8: 18.

5. Tentorium conventus fixit in Siloh.

§. 52. In *Siloh* denique, quæ fuit civitas *in terra Canaan*, Joſ. 22: 9. in tribu Ephraim collocatur *Tentorium conventus*, Tabernaculum, Arca, Altare; quæ omnia Moſes juſſerat fieri *ſecundum typum ſibi in monte monſtratum*. Hebr. 8: 5. Factum hoc in præſentia & communi conſenſu *totius coetus filiorum Iſrael* Joſ. 18: 1. ut ita omnes cognoſcerent locum, in quo ſolemnia cultus divini peragi debebant. Igitur in Siloh habitavit Sacerdos magnus, cum Urim & Tummim; fuitque Siloh primus quaſi locus, quem elegit Dominus, *ad collocandum nomen ſuum ibi*. Poſt collocatum in Siloh tentorium nullus amplius uſus fuit Altaris in monte Ebal exſtructi. Diu manſit Altare, Tabernaculum, Arca in Siloh; ad mortem uſque *Eli*, Sacerdotis magni.

Unum tantum eſſe debuit Tentorium, & unum Altare.

§. 53. Diligenter autem cautum eſt, ne præter hoc Tentorium conventus, & Altare holocauſti, quod ante illud erat, ullibi, in ulla civitate aut tribu, aliud Tentorium, & aliud Altare ad offerendum erigeretur. Unicum tantum Deus voluit eſſe altare; quia unicum tantum eſt altare verum, *unus Mediator Dei & hominum*. 1 Tim. cap. 2: verſ. 5. In cultu hoc dogmatico nihil Deus ab hominibus voluit mutari, nihil ab illo demi, nihil ad illum addi. Non ſine cauſa Moſi tam ſtrictè præcepit, *ὅρα vide, cave, facias omnia ſecundum typum, quem vidiſti*. Non fuit liberum Moſi in exſtructione altaris & tabernaculi vel minimum è ſuo arbitratu præſcribere: quomodo ergo potuerit liberum eſſe ulli è populo, è proprio libitu, altaria & tabernacula multiplicare? Satis grave *jugum* judicavit eſſe Deus, Populum ad unum aſtringi Tabernaculum: noluit jugum aggravari multiplicatione Tabernaculorum aut Altarium. Abrogationem Tabernaculi & Altaris manu facti meditatus eſt Deus inde à primo illius ortu. Atqui ut abrogatio illius facilior eſſet, unicum id tantum eſſe voluit, ut ita uno ictu aboleri poſſet. Gentes habebant multa & plura altaria, multos & plures cippos, multos & plures Deos. Populum ſuum voluit Deus unum tantum habere & adire altare, quemadmodum unum tantum habebat & colebat Deum; nec ſimilem videri gentibus. Si plura fuiſſent altaria, plures debuiſſent eſſe ſacerdotes: neque enim familia Aharonis ſola omnibus ſuffeciſſet altaribus. Ita & ex aliis tribubus debuiſſent accedere ad Altare. Atqui *nemo debebat ſibi ſumere honorem hunc, qui non vocatus erat a Deo, ut Aharon*. Hebr. 4: verſ. 4. Si plura fuiſſent altaria, latior patuiſſet via aberrandi ab agnitione Dei veri, & à fide ſalvifica, & corrumpendi doctrinam, ac mutandi inſtituta. Si plura fuiſſent Altaria non potuiſſet populus teneri in unitate animi & ſententiarum; cum è contra unum altare, ad quod accedere debebant omnes, illos docebat, illos unum eſſe populum, una doctrina & fide imbutum, uni Deo ſervientem, uni cultui & Legi aſtrictum. Talia & majora evenerunt mala, poſtquam poſterioribus temporibus, in populo multi-

multiplicata fuerunt Altaria. Hoſ. 8: 11. *Multiplicavit Ephraim Altaria* לַחֲטֹא *ad peccandum; exſtiterunt illi altaria ad peccandum.*

§. 54. Hinc cum Rubenitæ & Gaditæ, quibus *terra Gilead* in hæreditatem ceſſerat, *in finibus Jardenis* ædificarent *Altare*, גָּדוֹל לְמַרְאֶה *magnificum aſpectu*, Joſ. 22: 9. 10. *Filii Iſrael*, prout fama id acceperant, conveniunt in unum, copias colligunt, moturi bellum in illos. Joſ. 22: 12. Legatos tamen in anteceſſum ad illos mittunt, qui graviter hoc facinus & ſeverè illis exprobrare debebant, & dehortari ab incepto, quod prægnantibus fecerunt rationibus. Joſ. 22: 14-20. Filii Ruben & Gad teſtem invocant *Deum omnipotentem, Deum, Dominum,* אֵל אֱלֹהִים יְהוָה ſe non ædificaſſe hoc altare ea fine, ut *retrocederent a Domino*, aut ut *offerrent ſuper illud holocauſtum, munus, & ſacrificia pacifica*, ſed ut teſtimonium id exhiberet poſteris, Rubenitas & Gaditas *habere partem in Domino*, eundem cultum, eandemque fovere religionem, quam reliquæ tribus Iſraël; adeoque unum eſſe populum cum illis; addunt tandem, *Abſit à nobis, ut rebellemus in Dominum, & recedamus ab illo, ad ædificandum altare ad holocauſtum, ad munus, ad ſacrificium, præter altare Domini Dei noſtri, quod eſt ante tabernaculum illius.* Joſ. 22: 21-30. Ecce ipſi judicant, ſe reos futuros rebellionis & defectionis à Deo omnipotente, ſi præter unum Altare illius aliud ædificarent. Ita placati Legati abeunt, & ira Iſraëlis deferveſcit, & arma ponuntur. Joſ. 22: 30-34.

Hinc Rubenitæ ædificantes altare apud Jordanem reprehenſi ſerio ſe excuſant.

§. 55. Jehoſuah extrema confectus ſenecta, morti proximus, convocat *omnes tribus Iſrael Sichemah*, hoc eſt, in Siloh, quod in agro Sichem erat. Ubi pathetica oratione illos monet, ut *in fœdere Dei & Lege Moſis maneant, adhæreant Domino Deo,* illum *ament*, & *non ſerviant Diis alienis.* Joſ. cap. 23: verſ. 1-16. Sed *timeant Dominum*, & *illi ſerviant in integritate & veritate.* Joſ. cap. 24: verſ. 14. Porro docet, *Deum eſſe ſanctum, Deum zeloten, non condonare defectiones & peccata.* Joſ. cap. 24: verſ. 19. Notabilis eſt loquendi modus. אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא: loquitur de uno Deo ſancto ut de pluribus, quia unus Deus in tribus conſiſtit perſonis, ut ita balbutientes loquamur. Seraphim ter exclamant. Eſ. cap. 6: verſ. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*; id Jehoſuah una voce exprimit קְדֹשִׁים, hoc eſt, *Sancti.* confer Prov. cap. 30: verſ. 3. *Et non didici ſapientiam, & cognitionem ſanctorum cognoſcerem* וְדַעַת קְדֹשִׁים אֵדָע Hoſ. cap. 12: verſ. 1. *& cum ſanctis permanet* וְעִם קְדוֹשִׁים נֶאֱמָן: Dan. cap. 8: verſ. 24. עַם קְדֹשִׁים *populus ſanctorum.* Ita rurſum habemus teſtimonium ſanctæ Trinitatis, cujus myſterium Moſi, ſanctiſque Veteris Teſtamenti æque ut nobis cognitum, & ab illis creditum fuit. Denique poſtquam Joſuah *poſuiſſet populo ſtatutum & judicium in Sichem*; poſuiſſetque *magnum lapidem ſubter quercum*, quæ erat *apud ſanctuarium Domini*, quæ debebat eſſe *in teſtem* eorum, quæ cum Iſraële acta erant, de quo lapide in figura loquitur dicens, *ille lapis audivit omnia verba Domini, quæ locutus eſt nobiſcum*, quemadmodum & alibi Scriptura dicit: *Lapis è ligno clamabit*, tandem populum dimittit, אִישׁ לְנַחֲלָתוֹ *unumquemque ad hæreditatem ſuam.* Joſ. 24: 25-28.

Ultima acta Joſuæ.

§. 56. Dimiſſo populo ἀπολύει *dimittit Dominus ſervum* ſuum Jehoſuam *in pace.* (Luc. 2: 29.) *Poſt res enim illas mortuus eſt Joſuah, Filius Nun, ſervus Domini, & ſepeliverunt illum*, Joſ. 24: 28. 29. Ita ille, qui κατέπαυσε *in quietem* terreſtrem introduxit populum, in quietem cœleſtem intravit. Mortuus eſt enim *ut ſervus Domini*, hoc eſt, in fide, integritate & obedientia; & ingreſſus *in Domini ſui gaudia*, ubi in æternum quieſcit ab omni opere. Quies terræ Canaan melioris hujus & ſpiritualis quietis umbra fuit

Mors Joſuæ.

& ſymbolum. *Intrat in pace, quieſcunt in dormitoriis ſuis*, quicunque *ambulat in integritate.* Eſ. 57: 2.

Iſraëlitarum poſt mortem Joſuæ enormia peccâta.

§. 57. Quamvis autem filii Iſraël ſanctè promiſiſſent Jehoſuæ, *abſit à nobis, ut derelinquamus Dominum, & diis ſerviamus aliis. Domino Deo noſtro ſerviemus, & vocem ejus audiemus*, Ioſ. 24: 16. 24. tamen contrarium eventus docuit. Mortuo enim Iehoſua dicuntur *feciſſe malum in oculis Domini, dereliquiſſe Deum Patrum, receßiſſe cito a via, tranſiiſſe fœdus, ſerviviſſe Baalim, & Aſtarot*, & *lucis*, Iud. 2: 11. 12. 13. 19. 20. Iud. 3: 6. 7. Iud. 10: 6. Baali ædificarunt *altaria.* Pater Gideonis dicitur habuiſſe מִזְבַּח הַבַּעַל *altare Baalis*, & *lucum juxta illud*, Iud. 6: 25. imo & *domus*, templa & fana, Iud. 9: 4. בֵּית בַּעַל בְּרִית *è domo Baal berit.* confer verſ. 27. denique dicuntur *poſuiſſe ſibi Baal Berit in Deum.* Iud. 8: 33.

Nomina idolorum quibus ſervivetunt.

§. 58. Nomina idolorum quod attinet, quibus ſerviverunt filii Iſraël, ſunt 1. בַּעַל *Baal*, & בְּעָלִים *Baalim*, quod commune nomen fuit *Deorum Syriæ. Baal Sebub*, 2 Reg. 1: 2. Deus fuit Accaronitarum. *Baal Peor*, Num. 25: 3. Deus Moabitarum. Pſalm. 100: 28. *Et conjugati ſunt Baal Pheor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Ergo Baal Pheor inter mortuos fuit. Vox בַּעַל per ſe mala non eſt; in genere notat τὸ Ἔχοντα, hoc eſt, *eum, qui quid habet*: ita dicitur בַּעַל שֵׂעָר *dominus pili*, hoc eſt, qui pilum habet, piloſus, 2 Reg. 1: 8. בַּעֲלֵי בְרִית *habentes fœdus*, Geneſ. 14: 13. בַּעַל הַבּוֹר *dominus ciſternæ*, hoc eſt, cujus illa eſt, Exod. 21: 34. בַּעַל דְּבָרִים *qui habet, quod dicat.* Exod. 24: 14. Gentiles igitur Deos ſuos *Baal* nominantes, illorum potentiam & ſufficientiam, & quod omnia habeant, omnibuſque bonis abundent, indicare voluerunt. 2. עַשְׁתֹּרֶת & עַשְׁתָּרוֹת *Aſtoret, Aſtarot*, fuit Deus, vel Dea Zidoniorum. 1 Reg. 11: 5. *Et ivit Solomoh poſt Aſtoret, Aſtarot*, אֱלֹהֵי צִדֹנִים *Deam Zidoniorum.* imo & Philiſtæorum, 1 Sam. 31: 10. *Aſtarte* in fœminæ forma dicitur picta fuiſſe; & à fæmoribus ad pedes uſque extremos figuram piſcis habuiſſe. Sunt, qui putant, Aſtartem, *Venerem* fuiſſe *multimammam*, fæcunditatis & lactis datricem; & ab Afris dictam *Uraniam*, alibi *Adargatem.* 3. הָאֲשֵׁרוֹת *Luci*, quibus dicuntur ſerviviſſe, fuerunt opaca nemora, qualia à gentilibus ſolebant plantari apud ſtatuas & fana idolorum; idque ad horrorem ſacrum incutiendum adorantibus. *Serviverunt* lucis: qui enim nomen, numen, idolum colebant in luco, ſimul lucum ipſum, ut ſedem numinis venerabantur. In voce *Aſcherah*, quæ *lucum* ſignificat, eſt ſignificatio beatitudinis, quaſi *nemus beatum* dicas. Ne lucus aut arbor apud altare Dei plantaretur, expreſſo Dominus caverat præcepto. Deut. 16: 21. 22. *Non plantabis lucum ullius arboris, vel ullam arborem apud altare Domini Dei tui.* Voluit nimirum Deus cultum ſuum diſcrepare à cultu idolorum, & à conſuetudine gentium, quæ in arboribus colebant numina; ut Nymphas Hamadryades. Imo & docere voluit, Deum colendum eſſe pura conſcientia, & in libertate & motu ſpontaneo; non è coactione & metu humanæ poteſtatis, cujus ſymbolum in ſacris ſæpe eſt *procera arbor.* Arbores aſpectum cœli impediunt: umbroſæ frondes lumen ſolis occultant. Non debet ulla poteſtas, quæ è terra pullulavit, hoc eſt, humana & terrena, impedire, quo minus intueamur altare & thronum gratiæ, & ad illum accedamus.

Caſtigati à Deo reſipiſcunt.

§. 59. Hinc quia tot modis ſe fecerant reos, traditi ſunt ſæpe in manus gentium, Syriorum, Moabitarum, Midianitarum, Philiſtinorum, Ammonitarum, à quibus ſevere caſtigati, & crudeliter oppreſſi, & mirum in modum vexati experimento didicerunt, *malum eſſe & amarum, derelinquere Deum Dominum*, & *timorem* illius abjicere, Ierem. 2: 19. Ita cum *in arcto* eſſent, coacti ſunt *viſitare* Dominum, & effundere preces: hic fructus eſt afflictionum:

ctionem: imo & *Deos peregrinos è medio ſui ſuſtulerunt, & Domino ſervire* de novo cœperunt. Iud. 10: 16.

§. 60. Deus gratioſus & miſericors motus clamore & anguſtia illorum, excitavit illis שֹׁפְטִים *Judices*, qui illos *ſervarunt*, & liberarunt è manu hoſtium, & in libertatem priſtinam reſtituerunt. Iud. 2: 16. Fuerunt hi homines numero plures, & longo annorum intervallo ſucceſſive rebus functi ſunt. Inſignis titulus eſt, vocari שֹׁופֵט *Judicem* populi Dei. Deus ipſe titulum hunc non reſpuit. Pſalm. 50: 6. *Deus eſt judex.* confer Pſalm. 75: 8. Eſ. 33: 2. *Dominus eſt judex noſter.* Geneſ. 18: 25. *An judex totius terræ non faciet judicium?* Abſolomi coronam & ſceptrum ambientis, hoc erat verbum, *quis ponet me judicem in terra?* 2 Sam. 15: 4. Hi homines excitati à Domino, ut eſſent *judices* in Iſraële, heroico animo fuerunt præditi, ſapientiaque & fortitudine populo præluxerunt, rebus geſtis & præliis præclari. Ad illos acceſſerunt filii Iſraël לַמִּשְׁפָּט, hoc eſt, ad petendum ab illis judicium in rebus dubiis & controverſis. Iud. 4: 5. confer Deut. 17: 8. 9. Etiam admonitores fuerunt populi, ut ab idololatria deſiſterent. *Et etiam judicibus non obedíverunt, ſed ſcortati ſunt poſt Deos alios*, Iud. 2: 17. 18. Et quamvis *principatum* geſſerint in populo, quemadmodum de Abimelecho dicitur, Iud. 9: 22. quem etiam Domini Sichem & omnis domus Millo *fecerunt regnare in Regem*, Iud. 9: 6. tamen regio titulo, & regia majeſtate ac diademate abſtinuerunt. Hinc Gideon, *Iudex Iſraëlis*, ita inquit, *non dominabor ego, neque Filius meus; Dominus dominabitur vobis*, Iud. 8: 23. Sicubi ergo cum *Regibus* comparantur, ut fit Iud. 17: 6. *In diebus Michæ non erat* מֶלֶךְ *Rex in Iſrael*, confer Iud. 19: 1. id comparatè intelligendum eſt: & cogitandum vocem מֶלֶךְ notare etiam poſſe ordinarium gubernatorem & adminiſtratorem reipublicæ. *Iudex* aliquo modo *Rex* eſt. *judicat* enim, h.e. regit populum. Quod autem Iud. 17: 6. additur, *unusquisque quod rectum in oculis ſuis erat, faciebat*, hoc eſt, proprio arbitratu vivebat, inde concludere eſt, Iudicum fuiſſe id munus, ut impedirent, ne quibuslibet motibus & auſibus libertas eſſet.

§. 61. Quo ordine Iudices hi ſibi invicem ſucceſſerint, quotq; annis rebus publicis functi ſint, quaſque res geſſerint, videre eſt *in libro Judicum.* Paulus quorundum *Iudicum* mentionem facit. Hebr. 11: 32. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me enarrantem tempus de Gedeone & Barac, & Samſone & Iephte*; de quibus pauca quædam dicemus: neque enim omnia dici poſſunt, nec debent.

§. 62. *Barac* ordine prior eſt Gedeone. Vocationem ſuam accepit à *Prophetiſſa*, ſive *fœmina prophetide, Deborah*, quæ & ipſa dicitur *judicaſſe Iſraelem illo tempore.* Jud. 4: 4. Cunctantem Baracum mulier hæc excitat, & una cum illo exercitum in expeditionem educit, Iud. 4: 8. 9. Ita in fugam vertitur *Siſara*; & deinde aſtu mulieris miſerè perit, Iud. 4: 21. Ita nec mulieribus *Spiritus conſilii & roboris* defuit. Pathetico carmine canit Deborah & Barac victoriam Iſraëlis, & ſtragem Siſaræ, Iud. 5: 1-32. Sed quid adeo laudandum in Baraco, cujus potius videtur accuſanda ὀλιγοπιστία? *Si ibis mecum, ibo*, dicit Deboræ, *& non ſi non ibis mecum, non ibo.* Iud. 4: 8. Sed hæc ipſa humilitas meretur laudem; quod cum vir eſſet, mulierem Prophetidem, cum qua ſciebat eſſe Spiritum Domini, ſociam & comitem expeditionis eſſe voluit. Laudandum, quod *mulieri*, cujus alias non adeo magna ſolet eſſe autoritas, in nomine Dei loquenti credidit, moremque geſſit. Laudandum, quod mediocri manu, confiſus in robore Domini, aggreſſus eſt hoſtem potentiſſimum, non metuens illius ferreos currus, nec ingentes illius animos è tam longa in Iſraelem dominatione admodum auctos. *Fidei* hoc omne fuit, qua credidit, Deum memorem fœderis ſalutem daturum populo.

Iudices illis dati.

Barac. Debora.

Gideon.

§. 63. Neque tamen Baraco minor *Gideon*, quem ipſe Angelus Domini vocavit גִּבּוֹר הֶחָיִל *ſtrenuum viribus*, Jud. 6: verſ. 12. Is *Angelus Domini* viſus Gideoni dicitur *Jehova*, Jud. 6: 14. אֲדֹנָי verſ. 15. & cognitus eſt à Gideone, verſ. 22. *Domine Deus! Vidi Angelum Domini facie ad faciem.* Igitur idem *vir*, qui viſus erat Jehoſuæ Joſ. 5: 13. 14. miſit Gideonem. *Signum* cupivit enixe Gideon, Jud. 6: 17. cupiens omnino in fide corroborari. Duplex illi datur. Offert Gideon hædum caprarum & azyma. Carnem & azyma, jubente Deo, in petra quadam poſita, ignis è petra exiens comedit: hoc primum erat ſignum Jud. 6: 19. 20. 21. Petra *Chriſtus erat. Ignis* è petra *charitas* Chriſti, cujus ardore Chriſti comeſa & exciſa eſt. *Vellus lanæ expanditur in terra, illud ſolum rore humectatur; omnis alia terra ſicca manet.* Secunda vice manet *vellus ſiccum*, & *irrigatur omnis terra.* Jud. 6: 37-40. Id ſecundum ſignum erat. Forſan & hic adumbratus Chriſtus; qui qua *agnus Dei, obmuteſcens præ tonſoribus ſuis*, Eſ. 53: 7. cujusque *ros eſt præ rore uteri auroræ*, Pſalm. 110: 3. expanſus in ligno, rore divinæ gratiæ humectatus, illamque *omnem in terram*, hoc eſt, in totam Eccleſiam effundens, non incommode in vellere lanæ conſideratur. Neque peccavit Gideon petendo ſignum: non enim id petiit ex diffidentia, ſed ut o uni modo in fide divinitus roboraretur. Nec opus dicere hæc accidiſſe in viſione prophetica: dicitur enim, *& ſurrexit mane; & expreſſit vellus*, Jud. 6: 38. Neque *tentavit* Deum, temere cum Deo agendo, & cum diffidentia, ut *Patres* Iſraëlitarum *tentarunt Deum*, Pſalm. 95: 9. ſed motus fiducia, quam habebat de Deo, ut gloria ejus evidentius manifeſtaretur. vide Jud. 6: 39. *Ne accendatur ira tua, loquar adhuc hac vice; tentem age tantum vice hac.* Gideon zelo Dei plenus deſtruit *altare Baalis, & lucum circa illud*, Jud. 6: verſ. 25. 26. *Indutus Spiritu Dei* (Jud. 6: 34.) clangit buccina, intrat in media hoſtium caſtra unico comitatus puero, Jud. 7: 11. 12. & exigua manu trecentorum militum adoritur numeroſiſſima hoſtium caſtra, raro fortitudinis exemplo, Jud. 7: 16. Imperium ab Iſraële illi oblatum repudiavit, Domini ſummi & unici Dominatoris gloriæ nil detrahere auſus. Iud. 8: 22. 23. Præcurſor quaſi Chriſti factus, qui cum cognoſceret, populum venturum, ut *facerent illum Regem, ſeceſſit ſolus in montem*, Joh. 6: 15. & ita regnum terrenum ſuſcipere renuit. Inter nævos Gideonis hic non minimus eſt, quod contra Dei ordinem & conſtitutionem *fecit Ephod in urbe ſua, in Ophra; poſt quod ſcortati ſunt omnis Iſraël*, quodque exſtitit *Gideoni & domui illius* לְמוֹקֵשׁ *in tendiculam.* Iud. 8: 27. Miſerè filii Gideon ſeptuaginta à filio pellicis Abimelech trucidati ſunt. Iud. 9: 5.

Duplex ſignum illi datum.

Iephta.

§. 64. *Iephta, filius meretricis*, expulſus à fratribus, ſed deinde revocatus & electus *in caput & ducem populi*, à ſævitia Ammonitarum Iſraëlem liberavit. Vovit Iephta *votum Domino. Si dabis filios Ammon in manum meam & erit exiens, qui exibit è foribus domus meæ in occurſum mihi, & erit Domino, & offeram illum holocauſtum*, וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה Iud. 11: 30. 31. Redeunti Iephtæ occurrit *Filia*, quam habebat, יְחִידָה *unica: non* enim *illi* erat מִמֶּנּוּ *ex ſe filius aut filia*, hoc eſt, è lumbis ejus nil ortum erat, niſi unica hæc Filia: *fecit* autem illi, *ſecundum votum, quod voverat.* Iud. 11: 34. 39.

Votum illius.

§. 65. In hujus voti ſenſum diligentius inquirendum eſt, ut ita appareat, an puella hæc vere ſit immolata & mactata: id quod Manichæis, Valentinianis, Marcionitis ita crudele olim viſum eſt, ut *Deum* malum & crudelem, ſanguiniſque ſitientem appellare non erubuerint.

Voti ſenſus.

§. 66. Sunt multi inter Iudæos & Chriſtianos, qui negant puellam mactatam: idque multis anniſuntur evincere rationibus. 1. Quia non dicitur, Iephta mactavit aut ſacrificavit *Filiam*, ſed וַיַּעַשׂ לָהּ אֶת־נִדְרוֹ אֲשֶׁר נָדָר *Et fecit illi votum ſuum, quod voverat*, Iud. 11: 39.

Alius allegatur ab aliis.

2. Quia

2. Quia puella dicitur *defleviſſe* בְּתוּלֶיהָ *virginitatem ſuam*; nullibi autem *Vitam*, ſanguinem, cædem. Jud. 11:38. 3. Quia *fuit ſuper Jephtam Spiritus Domini.* Jud. 11:29. At Spiritus ille bonus & ſanctus non videtur ferre potuiſſe, ut Jephta tam immanem patraret cœdem. 4. Quia id gentibus maximè vitio vertitur, quod *filios ſuos, & filias ſuas igne combuſſerunt diis ſuis.* Deut. 12:31 Imo & exſtitit *fervor* Domini *ingens* ſuper Iſraëlem, cum Rex Moab, in extremam ab illis redactus neceſſitatem, *filium ſuum unigenitum ſuper muro offerret holocauſtum.* 2 Reg. 3:27.

§. 67. Igitur hi ita exponunt verba Jephtæ. *Quicquid occurret mihi erit Domino; &*, hoc eſt, aut *offeram in holocauſtum.* Copula. *Et* ſæpius valet *Aut. qui percuſſerit Patrem & Matrem*, hoc eſt, aut Matrem. Id ſi ita ſit, duæ erant partes voti Jephtæ. 1. Quicquid occurret mihi, *erit Domino*, ſanctum ſcil. & dicatum, ſi ad holocauſtum non ſit aptum. 2. Quicquid occurret mihi, *offeram holocauſtum*, ſi nimirum ad id ſit aptum. Cum itaque Puella occurreret, quæ ad holocauſtum apta non erat, ad primam voti partem Jephtam dicunt obligatum fuiſſe; hoc eſt, ut Filia *eſſet Iehova*, hoc eſt, tota integraque ei dedicaretur & conſecraretur, ut ſeparata ab hominibus, & prohibita ab omni conjugali conſortio vacaret Deo ſoli, & improlis maneret omnibus diebus vitæ, à nullo agnoſcenda viro. Hanc ſuam *virginitatem*, cui Pater illam devoverat, & quod dulci conſuetudine mariti, & ſuavibus puerorum amplexibus caritura eſſet, inquiunt deploraſſe puellam; *filiaſque Iſrael* quotannis *iviſſe ad alloquendum*, hoc eſt, ad conſolandum *filiam Iephtæ*, Jud. 11:40. Ita hi Autores totam hanc rem planam & perſpicuam eſſe putant; illamque exinde magis adhuc probari contendunt, quod dicitur, *Fecit illi, ut voverat, & illa non cognovit Virum*, Jud. 11: verſ. 39. hoc eſt, ſecluſa ab hominum conſortio expers manſit vitæ conjugalis.

§. 68. Sunt tamen multi magni viri, inter quos Joſephus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, qui revera puellam mactatam, & ut victimam immolatam eſſe ſtatuunt: nec deſunt illis rationes. 1. Quia è verbis textus, ſi recte aſpiciantur, apparet, Jephtam humanam voviſſe victimam; nec de pecunia loqui: dicit enim; Quicquid egreditur è foribus meis *in occurſum mihi.* Atque homines ſolent occurrere Victoribus, & illis gratulari. 2. Perturbatio Jephtæ, videntis occurrentem Filiam; veſtimentorum ruptio, ejulatus & ploratus ſatis indicare videtur, gravius hic quid ſubeſſe, quam perpetuam Virginitatis conſecrationem, Jud. 11:35. 3. Nec alia fuit cauſa juſta & ſufficiens, cur illam deflerent Virgines: imo id quod dicitur, illas quotannis iviſſe לְתַנּוֹת לְבַת יִפְתָּח non opus eſt, ut cum Kimchio vertatur לְדַבֵּר עִמָּהּ *ad loquendum cum illa*, quia commode verti poteſt, *ad commemorandum de filia Iephtæ.* Ita verterunt LXX. θρηνεῖν τὴν θυγατέρα Ἰεφθαέ. 4. Immolatio hominis, filii aut filiæ, non uſque adeo idololatris olim inuſitata fuit & peregrina: potuit fieri, ut Iephta præcipitanter illos imitaretur; imo & abuſus ſit mandato, quod Abraham de immolando Iſaaco accepit.

§. 69. Factum ipſum quod attinet, dicunt illud à Scriptura narrari, non laudari: nec poſſe tueri Iephtam exemplum Abrahami immolare volentis Iſaacum: nil enim hac in re proprio egit motu Abraham, ſed à Deo juſſus; ut & à Deo, ne immolaret, fuit impeditus. Iephta injuſſus egit, quod egit, & contra legem, Deuter. 12:31. Ideoque & peccaſſe, & rem, quæ accepta eſſe non poterat, egiſſe: & in hoc ſolummodo *inventum fidelem*, quod *obtulit Filiam, ut ſtulte voverat.* Ambroſius facinus hoc vocat *Parricidium.* Chryſoſtomus dicit, Iephtam *perſuaſum à Diabolo* προσχήματι εὐσεβείας *prætextu pietatis jugulaſſe Filiam.*

§. 70. Rationes allatæ §. 66. ſolutu non adeo ſunt difficiles. 1. Scriptura dum dicit, ***fecit ei ſecundum votum***, ſimul docuit, filiam ſecundum votum immolatam eſſe, ſiquidem is tenor voti eſt. 2. Deflevit ***virginitatem***; quod illa immatura cæde è terra viventium eſſet exſcindenda; nec ulli profutura. Dum virginitatem deflevit, ſimul vitam deflevit, quam huculque in pura tranſegerat virginitate. 3. Fuit ***Spiritus Domini ſuper Jephtam***; atqui propterea non fuit ἀναμάρτητος. Nam & ſanctiſſimos, Spiritus ſancti compotes, novimus inſigniter peccaſſe & lapſos. 4. Gentibus id vitio verſum: atqui Jephta præceps non hoc cogitavit aut deliberavit.

Inſigne obedientiæ exemplum præbuit filia Jephtæ.

§. 71. Filia Jephtæ inſigne obedientiæ exemplum exhibuit, dum ***incautam Patris oblationem ſanguine ſuo*** imperterrita ***ſolvit***; exſtititque typus Eccleſiæ, quæ ob ſponſum ſuum integro die mactatur, & ut libamen ſponte effunditur. Quamvis Deus Jephtam cohibere facili negocio potuiſſet, quemadmodum Abrahamum cohibuit, placuit tamen Deo habenas laxare fervori Jephtæ, & illius lapſu cautos nos facere, ne in vovendo ſimus temerarii & præcipites, ſed in timore & circumſpectione ſollicita agamus omnia.

Virgines cædere uſitatum gentilibus.

§. 72. Virgines cædere olim inter gentes obtinuit, ut ex hoc patet verſiculo,

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa.

Polyxena, Priami Regis Filia, à Pyrrho ad Achillis ſepulchrum jugulabatur. Iphigeniam, Agamemnonis filiam, Calchas ad placandum numen mactandam in ſacrificio cenſuit. Ovidius XII. Metamorph.

Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris.

Simſonis illius nativitas per Angelum annunciata.

§. 73. ***Simſonis*** nativitas indicata eſt per ***Angelum Domini***, qui prius matri, deinde Manoæ Patri apparuit. Cum Manoah in nomen illius inquireret, reſpondit, ***Quid rogas nomen meum***, וְהוּא פֶלִאי ***& id Mirabilis*** eſt, Jud. 13: 18. Inde agnovit Manoah illum eſſe אֱלֹהִים ℣. 22. ***Moriendo moriemur: nam Deum vidimus.*** Idem hic Angelus Domini etiam Gideoni viſus erat, Jud. 6: 11. 12. Ita çertè verum, ***Angelum faciei Domini*** Iſraëlem ***ſuſtuliſſe & bajulaſſe omnibus diebus ſeculi***, Eſ. 63: 9. Poſtquam Angelus cum Monoah abſolviſſet loqui, ***aſcendit in flamma altaris***, hoc eſt, quæ oblationem Manoæ conſumſerat, ***in cælum***, ſpectantibus Manoah & uxore. Jud. 13: 20. Frequens hæc apparitio Angeli fœderis, & viſibilis hæc illius in cœlum aſcenſio, fuit præludium illius apparitionis & aſcenſionis, quæ in plenitudine temporis, in aſſumpta carne, facta eſt. Juſſit de Simſone Angelus, ne novacula aſcenderet in caput illius; & ut eſſet נְזִיר אֱלֹהִים ***Naziræus Dei ab utero uſque ad diem mortis***. Jud. 13: 5. 7. Ita ***ab utero matris ſeparatus*** fuit Simſon ad opus Domini (Gal. 1: 15.) & quod Jeremiæ dictum, ***Antequam formarem te in utero, novi te; antequam exires è ventre, ſanctificavi te***, Jerem. 1: 5. id & in Simſone fuit impletum. Naziræos quod attinet, illi comam non tondebant; vinum & ſiceram non bibebant; ad mortuum non accedebant; nec ob patrem, nec ob matrem contaminare ſe debebant בְּמֹתָם ***in morte illorum***. Num. 6: 2 – 8. Tale votum Naziræatus faciebant ſponte; & ad certos dies, & ad certum tempus ſe illi aſtringebant; quibus impletis offerebant holocauſtum, & pro peccato, & pacifica, & munus ac libamen. Tunc à voto liberi & ſoluti erant. Num. 6: verſ. 13 – 21. At Simſon non ad aliquod tempus, ſed in perpetuum, per omnes dies vitæ Naziræus fuit; nec ſponte Naziræum ſe fecit, ſed à Domino Naziræus vocatus & declaratus eſt. ***Samuelem*** mater Hanna declaravit Naziræum, 1 Sam. 1: 11. ***Simſonem***, ut dictum, ipſe Dominus. Præcepta Naziræis data pulchre docebant. Præceptum de augendis capillis docuit, virtutes & ſanctitatem in animis augeri debere: item, corporis cultui & ornatui non nimis incumbendum. Tonſura ad cultus nitorem facit. Comam nutrire, aliquo modo eſt dede-

Simſon Naziræus.

dedecori. Etiam Gentiles ſæpè aluerunt comam, quam poſtea conſecrarunt Nymphis vel Apollini, qui inde dictus eſt κουροτρόφος. Præceptum de vitando vino docuit, ea quæ libidinem incitant, & carnem faciunt ferocem, & concupiſcentiarum ſunt alimenta, ſæpè linquenda eſſe, ut animus vacet Deo purius, Eph. 5: 18. *nolite inebriari vino, ſed impleamini Spiritu.* Præceptum de non tangendis & lugendis mortuis, docuit, mortem ſpiritualem fugiendam eſſe; & adverſa omnia, bonorum, ſanguiniſque jacturam patienter & moderate ferenda, nec nimium deploranda eſſe.

§. 74. Hic Simſon, quamvis Naziræus, nec bellicis exercitiis innutritus, & vitæ religioſæ ac domeſticæ aſſuefactus, magnus tamen Bellator evaſit: non homo, ſed Spiritus Dei bellatorem illum fecit. Jud. 13: 25. *Et cœpit Spiritus Jehovæ* לְפַעֲמוֹ *ad pulſandum eum*, hoc eſt, cogitationibus bellicis animum illius cœpit agitare. Cum Philiſtinis imprimis rem habuit; è quibus duxit uxorem, *Domino* id ita diſponente, ut *occaſionem* nanciſceretur invadendi illos. Leonem juvenem ferociter ipſi occurrentem lacerat: in cadavere illius invenit poſtmodum *examen apum, & mel*; inde ænigma, *E comedente exivit cibus, & è robuſto exivit dulce.* Jud. 14: 1 -- 20. Etiam funes denſos rumpit facillimo negocio, Jud. 15: verſ. 14. Maxilla aſini mille trucidat viros, ibid. ℣. 15. Cum ſitiret, *cavum* quoddam, *in loco Lechi*, finditur, & exeunt aquæ in potum, ibid. ℣. 19. Portas *Gazæ* humeris impoſitas in montem portat una cum poſtibus & repagulis, Jud. 16: 3. Tandem amore *Delilæ* captus, & à perfida illa proditus, quam argenti cæcus ſeduxerat amor, abſciſſis capillis, in manus hoſtium delabitur. Ibi privatus luminibus in putido diu delituit ergaſtulo. Tandem in domum idoli *Dagon*, à frumento ſic dicti, quemadmodum *Jupiter* à Græcis ἀρότριος dictus eſt, deductus, ut multitudini ſpectaculo eſſet, & ludendo gaudia pararet, apprehenſis duabus columnis, invocato prius Deo, totam domum quatit, & in terram dejicit: ita mortem ſibi conciliavit, miſeriarum omnem finem, & multis Philiſtinorum millibus: *ita fuerunt mortui, quos interfecit Simſon in morte ſua plures præ illis, quos interfecit in vita ſua.* Jud. 16: 30.

Idem fortis miles.

§. 75. In hoc Simſone, quamvis πολυγάμῳ & αὐτόχειρι, typus eſt Chriſti Domini clariſſimus. Nativitatem Simſonis nunciavit Angelus: etiam Chriſti, Luc. 1: verſ. 26. 31. Simſon ab utero fuit ſanctus & ſeparatus Domino: etiam Chriſtus. Eſ. 49: 5. *Sic dicit Dominus, qui formavit me ab utero in ſervum ſibi.* Simſon leonem laceravit: Chriſtus *Leonem rugientem* (1 Pet. 5: 8.) κατήργησεν, Hebr. 2: 14. Simſon maxilla aſini percuſſit hoſtes: Chriſtus contemptibilibus armis, ſudore & ſanguine, *Inimicum & vindicem abolevit*, Pſalm. 8: 3. Simſon portas Gazæ abſtulit: Chriſtus *portas inferni* Matth. 16: 18. robore exuit. E leone interfecto Simſon *mel* accepit, & è comedente cibum, è forti dulce: Quæ olim nobis erant infenſa, ut Lex & juſtitia Dei, ea dulcia fecit nobis Chriſtus; è lege peccati Legem vitæ; è juſtitia condemnante juſtitiam condonantem & abſolventem. Simſon rupit funes: etiam Chriſtus; *rupti ſunt funes, & liberi evaſimus.* Simſon locutus eſt ænigmata: Chriſtus aperuit os in parabolis. Simſon *ſitivit* è conflictu cum hoſtibus: Chriſtus in cruce exclamavit, Διψῶ, Joh. 19: 28. Simſon ſæpè à Philiſtinis circumventus, ſæpiſſime evaſit: Chriſtus è multis Judæorum inſidiis ſæpiſſimè emerſit. Simſon proditus eſt ab amica, argento corrupta: Chriſtus à diſcipulo, exiguo ad id conducto pretio. Lætabantur Philiſtini, capto Simſone: *Viderunt illum, & laudarunt Deos ſuos*: Jud. 16: 24. Lætati ſunt Judæi capto Chriſto. Simſon luminibus oculorum privatur: Chriſtus lumine vitæ exſtinguitur. In morte occidit & vicit Simſon plurimos: Mors Chriſti victoria eſt mundi. Morte vicit Mortem. Morte abolevit poteſtatem mortis habentem. Simſon honeſtam impe-

Simſon typus Chriſti.

impetravit ſepulturam, Jud. 16: verſ. 31. Chriſtus accepit ſepulturam *cum divite in mortibus*. Eſ. 53: 9. Simſon in ultimo agone preces fudit, Jud. 16: verſ. 28. Chriſtus etiam, Hebr. 5: 7. ſed Simſon *vindictam* precatus eſt hoſtibus, ibid. Chriſtus autem remiſſionem & gratiam. Luc. 23: 34.

Judicatus mortuo Simſone vacavit.

§. 76. Poſt mortem Simſonis, qui fuit decimus quartus *Judex* à Jehoſua Filio Nun, vacavit Judicatus aliquamdiu; neque ſtatim ſucceſſor illi datus eſt. Id dicitur, Jud. 17: 6. 19: 1. 21. 25. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël; unuſquiſque rectum in oculis ſuis faciebat.*

Quo intervallo impietas invaluit in cultu divino & in politia.

§. 77. Per hoc intervallum multa impietas in Iſraële invaluit. Cultus divinus perperam multiplicatus fuit; & cum *domus Dei eſſet in Siloh*, cum Arca, Altari, Sacerdote, Joſ. 18: verſ. 1. privatus quilibet intra domeſticos parietes faciebat ſibi בֵּית אֱלֹהִים *domum Dei, & ſculptile & fuſile, & Ephod, & Teraphim*, imagines, hoc eſt, Cherubinos; imo & *ſacerdotes*, etiam non è tribu Aharon. Id narratur feciſſe *vir quidam, Micha, è monte Ephraim*, qui ex argento curavit ſibi fieri fuſile, fecitque ſibi Ephod & Teraphim, & *manum unius è filiis implevit, ut eſſet ipſi in ſacerdotem*; & deinde cum peregrinandi cauſa juvenis Levita acceſſiſſet, illum mercede conduxit, & fecit illum לְכֹהֵן *in Sacerdotem*, Jud. 17: verſ. 1-12. qui tamen à filiis Dan poſt paulum una cum Ephod & Teraphim, fruſtra renitente Micha, abductus, & in terram Dan tranſlatus eſt: ubi Danitæ ſculptile hoc erexerunt, & *Ionatanem filium Gerſom*, filium Manaſſe ſacerdotem illi dederunt; fuitque id ibi omni tempore, quo Domus Dei fuit in Siloh. Jud. 18: 15-31.

§. 78. Horrenda etiam ſcelera commiſſa fuerunt, quale illud *in Gibea Benjamin*: quod cruentum inter fratres bellum excitavit, in quo omnis fere tribus Benjamin ad incitas redacta eſt, de his lege. Jud. 19: 20. 21. Talia viventibus Judicibus facta non legimus: docemur igitur inde, magna pericula imminere urbibus & terris, bonis piiſque ducibus & magiſtratibus deſtitutis.

Eli judex & Sacerdos ſummus.

§. 79. Judicatura denique devoluta fuit in Eli, qui ſimul *Sacerdos ſummus*, 1 Sam. 1: 9. ſimul *Judex* Iſraëlis fuit, 1 Sam. 4: 18. Habitabat Eli in *Siloh*: ibi enim fixum & collocatum erat *Tentorium Conventus*, Joſ. cap. 18: verſ. 1. quod etiam dicitur הֵיכַל יְהוָה *Templum Domini*, 1 Sam. cap. 1: 9. & בֵּית יְהוָה *domus Domini*, Jud. 18: 31. 1 Sam. 1: ỷ. 24. Ibi erat *Arca Domini* 1 Sam. 3: 3. 4: 4. ibi *Cherubim*, 1 Sam. 4: 4. ibi *altare*, 1 Sam. 1: 3. Æquum autem erat ſacerdotem ſummum habitare ibi, ubi templum domuſque Dei erat. Eli è domo & familia Aharonis erat, cui ſoli aſſignatum erat Sacerdotium. 1 Sam. 2: 27. *Annon revelando revelatus ſum domui Patris tui, quum adhuc eſſent in Ægypto, & elegi illum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem?* Duos habuit filios *Chophni & Pinchas, Sacerdotes Domini* in Siloh. 1 Sam. 1: 3.

Filii Eli mali.

Fuerunt autem illi בְּנֵי בְלִיַּעַל *filii Belial*, 1 Sam. 2: 12. hoc eſt, viri noxii, nequam, infauſti, & infelices, refractarii, impii. Vox enim בליעל compoſita indicat eum, qui בְּלִי יַעֲלֶה וְיַצְלִיחַ, hoc eſt, *non emergit nec proſperat*; Imo & eum, qui בְּלִי יוֹעִיל *ad omnem rem bonam* eſt *inutilis*, & omnibus *noxius*. Imo & eum, qui eſt בְּלִי עֹל *ſine jugo*, hoc eſt, qui excuſſit עֹל שָׁמַיִם *jugum cœli*. Dicitur etiam de illis, לֹא יָדְעוּ אֶת־יְהוָה *non agnoverunt Dominum*, h. e. non reſpexerunt, nec curarunt, nec obſervarunt. confer Ierem. 2: 8. לֹא יְדָעוּנִי *non curant me*. Si autem γιγνώσκειν *agnoſcere Dominum eſt vita æterna* Ioh. 17: 3. utique *non-agnoſcere Dominum* eſt mors æterna.

Duplex illorum peccatum

Imprimis duplex illorum notatur peccatum. 1. Quod *ſpreverunt munus Domini*, 1 Sam. 2: 17. & *calcarunt pedibus ſacrificium illius*, אֲשֶׁר צִוָּה מָעוֹן *quod præceperat* afferri *ad habitaculum* h. e. tabernaculum. 1 Sam. 2: 29. Deus è ſacrificiis pacificis deputaverat *Sacerdotibus* חֲזֵה שׁוֹק

pectus

pectus & armum; Altari הַדָּם וְהָאֵימוּרִין *Sanguinem & renes*, imo & *adipem*; offerentibus עוֹר וְהַבָּשָׂר *cutem & carnem*. Filii Eli non contenti pectore & armo, *carnem* etiam offerentibus auferebant, idque faciebant בְּחָזְקָה *cum violentia*, hoc eſt, aperta vi, quam inferebant renitentibus. 1 Sam. 2: 13-16. Id igitur erat *munus Dei ſpernere, & ſe pinguefacere ac ſaginare è primitiis muneris Iſraël*, 1 Sam. 2:29. 2. Quod *concubuerunt*, hoc eſt, rem habuerunt & turpem conſuetudinem *cum mulieribus agminatim venientibus ad oſtium tentorii conventus*, 1 Sam. 2: 22. quales erant, quæ cum maritis veniebant ad adorandum & ſacrificandum Domino in Siloh, ut *Hanna & Peninah*, 1 Sam. 1: 2. 3. & quæ veniebant, ut purificarentur poſt partum, è præcepto Levit. 12: 6. Bonus Eli, poſtquam hæc ſcelera audiviſſet, leni increpatione illos dehortatur. *Ne filii mei, non bona eſt fama veſtra; facitis transgredi populum Domini. Si vir peccet in virum*, וּפִלְלוֹ אֱלֹהִים *& judicabit eum Deus, vel æſtimabit id Deus*, ut viſitet & puniat virum pro delicti gravitate; *ſed ſi in Dominum peccet vir, quis orabit pro eo?* 1 Sam. 2: 23. 24. 25. Debuiſſet ad exemplum *Pinchaſi* Num. 25: 10-15. *zelare pro Domino*; propter gloriam Dei vehementer efferveſcere, & ingenti animo eam aſſerere ac vindicare, & Filios ſuos vel *enecare*, memor ſeveritatis divinæ in Nadab & Abihu exercitæ, Levit. 10: 1. 2. vel etiam à ſacerdotio ſemovere, & ſparta exuere. Id torpidus ſenex non fecit, & *filios ſuos glorificavit præ Domino*, hoc eſt, majore gloria & honore affecit, 1 Sam. 2: 29. & ita Dominum facto ipſo ſprevit ac contemſit. וּבֹזַי יֵקָלּוּ *& qui ſpernunt me viles fient.* 1 Sam. 2: 30. Id quod & factum. *Inciſum eſt brachium domus Eli*, ipſe ſenex *aſpexit anguſtiam tabernaculi*, & capta arca fracta eſt cervix ejus. Filii ejus ambo uno ceciderunt die. Poſteritas Eli ſacerdotio excidit: impletum id in ſacerdotibus illis, poſteris Eli, quos interfecit Saul, 1 Sam. 22: 11: 19. & in *Abjataro*, quem Salomoh *expulit, ne eſſet ſacerdos.* 1 Reg. 2: 26. 27. Legatur ſermo viri Dei miſſi ad Eli, 1 Sam. 2: 27. 34. Filii Eli, moniti à miti parente, nil ab impietate deſtiterunt. 1 Sam. 2: 25. *Et non auſcultarunt voci Patris ſui. Nam* Deus חָפֵץ *volebat eos necare.* Deus, *qui non vult mortem peccatoris*, Ezech. 18: 23. improborum horum, qui nullum pœnitentiæ reliquerant locum, mortem voluit; proque juſto ſuo judicio in reprobum eos tradidit ſenſum, & tandem in necem.

Eli culpanda lenitas in filios.

Samuel.

§. 80. Vivente Eli natus eſt *Samuel* patre *Elkana*, è tribu Levi, matre *Hanna*: hunc ſterilis mater, etiam antequam concepiſſet, *devovit Domino*, 1 Sam. 1: 11. debuitque ille ob votum maternum à teneris unguiculis ſervire Domino, cum Levitæ anno demum vigeſimo ætatis ad ſervitium tabernaculi adhiberentur. Hunc mater natum & ablactatum *ſtitit* Domino, & *tradidit Eli* ſacerdoti 1 Sam. 1: 25. ut *Domino miniſtraret apud faciem Eli*, hoc eſt, coram Eli. 1 Sam. 2: 11.

Canticum Hannæ.

§. 81. Pulchra eſt oratio Hannæ, ſive Canticum, quod dixit Domino. 1 Sam. 2: 1-10. *Non eſt ſanctus*, inquit, *ut Dominus: nam non eſt quis præter te. Et non eſt rupes, ut Deus noſter.* verſ. 2. *Sanctus* utique Dominus, cui Seraphim acclamant *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Eſ. 6: 3. confer Eſ. 43: 15. *Ego Iehova ſanctus veſter.* Habac. 1: 12. *Iehova Deus meus, ſanctus meus.* Imo & *petra, rupes.* Pſalm. 18: 32. *Quæ rupes præter Deum noſtrum?* Eſ. 44: 8. *Non eſt petra, non novi.* Eſt rupes, quæ *nos peperit*, Deut. 32: 18. rupes *ſalutis*, Deut. 32: 15. rupes *cordis*, Pſal. 73: 26. rupes *ſeculorum*, Eſ. 44: 8. rupes, *cujus opus integrum*, Deut. 32: 4. rupes & *redemtor.* Pſalm. 19: 15. Pergit Hanna. *Deus cognitionum Dominus* eſt, *& non librarentur opera?* vel, *& ipſi librantur opera:* hoc eſt, facit omnia pulchre tempore ſuo. verſ. 3. *Deus interficit & vivificat, ducit in infernum & educit*, &c. verſ. 6. 7. 8. confer Deut. 32: 39. *Dominus judicabit fines terræ, dabit robur Regi*

ſuos efferet cornu uncti ſui. ℣. 10. de Rege Chriſto, qui ab æterno unctus eſt, vaticinatur. confer Pſalm. 21: 2. *in robore tuo lætatur Rex.* Pſal. 2: 2. 6. 7. 45: 2. 72: 1. Eſ. 32. 1. Jerem. 23: 5. Ita Hanna prædixit *glorias* Chriſti Domini, nunc ſedentis ad dextram Domini, & gloria coronati ac majeſtate; fuitque & illa נְבִיאָה *Prophetis*, quemadmodum *Mirjam*, Aharonis ſoror, Exod. 15: 20. & *Deborah*, Iſraëlis liberatrix. Jud. 4: 4. Canticum *Mariæ*, matris Domini, Luc. 1: 46-55. in multis cum hoc cantico Hannæ convenit.

Samuel bonus. §. 82. Samuel Hannæ filius crevit & *bonus*, hoc eſt, acceptus *fuit, etiam cum Deo, etiam cum hominibus.* 1 Sam. 2: 26. Fuit *Dominus cum illo*, & cognovit omnis Iſraël, quod *fidelis eſſet in Prophetam Domino*; & cum antea *verbum Dei* fuiſſet valdè *pretioſum*, hoc eſt, rarum, & *viſio non erumperet*, hoc eſt, rara eſſet revelatio, 1 Sam. 3: 1. cum Samuel ex ephebis exceſſiſſet, *coepit Dominus* rurſum *apparere in Siloh*, & *revelari* ibi Samueli *in verbo Domini*, hoc eſt, ſuo. 1 Sam. 3: 19. 20.

Finis Eli & Filiorum. §. 83. Sed aderat nunc finis Eli & filiorum. Bellum oritur Iſraëlem inter & Philiſtinos: quod prima acie cum infauſtum eſſet Iſraëlitis, illi mittunt *Silonem*, & *arcam foederis Domini* in caſtra introducunt. Id fecerunt proprio auſu, ideo & infelici exitu: nam & ſecunda Arca fœderis capta. acie miſeri ſuccumbunt. In hoc prælio *ceciderunt* duo filii Eli; morte luentes tot ante commiſſa ſcelera, nec tantum, ſed & *Arca Dei capta eſt*, 1 Sam. 4: 11. hoc nuncio exanimatus Eli, cecidit de ſolio, & rupit cervicem. 1 Sam. 4: 18. Sine dubio non ita illum affecit ſtrages filiorum, quam jactura Arcæ: ita enim nunc Deus, qui *in nube conſpiciebatur ſuper propitiatorio*, h. e. operculo Arcæ, Lev. 16: 2. ab Iſraële videbatur ablatus. confer 1 Sam. 4: 18. *Et fuit cum mentionem faceret Arcæ Domini, & cecidit.* Et illam majore cum dolore ſenſit uxor Pinchaſi, quam viri internecionem; nec gaudium è nativitate filii afficere illam potuit, quin moribunda exclamaret, *Migravit Gloria ab Iſraële*: *nam capta*, ablata, *eſt arca.* 1 Sam. 4: 22. Non *infima* fuit pars δόξης *gloriæ*, quæ olim fuit *Iſraelitarum*, Rom. 9: 4. habere in medio ſui *Arcam Teſtamenti, circumtectam undique auro, cum qua erat aurea urna Mannæ, & Virga Aharonis ἡ βλαστήσασα, & tabulæ Teſtamenti, ſuper qua* erant *Cherubim gloriæ, obumbrantes Propitiatorium.* Hebr. 9: 4. 5. Inutile nunc erat tabernaculum, inutile Sanctum Sanctorum. Arca enim non erat in illo, neque adeo Deus, יֹשֵׁב הַכְּרֻבִים *habitans inter Cherubim*, 1 Sam. 4: 4. in medio Iſraëlis peculiari & extraordinaria illa ratione amplius erat. Actum nunc videbatur de Sacerdotio Aharonico, quod tam ſolemniter inſtituerat Deus: actum de omni illo cultu, quem tam diligenter præceperat Moſes. Igitur bona cum ratione miſera exclamat, *Seceſſit gloria ab Iſraele.*

Arca poſt multas plagas à Philiſtinis reducta. §. 84. Arca fœderis à Philiſtinis capta, fuit *in agro Philiſtinorum*, hoc eſt, in terra illorum & regione *ſeptem menſes.* 1 Sam. 6: 1. Primo fuit in *Aſdod*, & poſita *in domo* idoli *Dagon apud Dagon.* 1 Sam. 5: 1. 2. Incircumciſi hi putarunt, ſe Arcam non majore honore afficere poſſe, quam ſi in eodem loco, quo Deos ſuos ſculptiles poſuerant, illam ponerent. Sed *quæ communio luci cum tenebris? quis conſenſus Chriſto cum Belial?* (2 Cor. 6: 14.) quæ συγκατάθεσις *Arcæ Dei* μετ' εἰδώλων? ibid. ℣. 16. Igitur & Dagon proſternitur; deinde caput & manus illi amputantur, 1 Sam. 5: 3. 4. Dominus Deus Iſraël, cujus Arca ſymbolum, judicium hoc exercuit. Percutiuntur ipſi Aſdodæi malis gravibus, 1 Sam. 5: 6. inde decretum: *Non ſedebit*, hoc eſt, manebit *Arca Dei Iſrael nobiſcum*, ibid. ℣. 7. *Aſdodo* ducitur Arca *Gat*; *Gatta Ekronem.* 1 Sam. 5: 8. 9. 10. Sed cum omnia eſſent plena plagarum, ubicunque Arca detinebatur, tandem illa è communi conſenſu Philiſtinorum, cum donis & muneribus in terram Iſraëlis remittitur. 1 Sam. 6: 1-13.

§. 85. Urbs *Bet-ſemes*, quæ fuit Sacerdotum, Joſ. 21: 16. prima excepit Arcam: magno qui-

quidem cum gaudio, ſed magna ſubſequente ſtrage. *Viderunt* enim *Arcam*, & *inſpexerunt in illam*: quam intempeſtivam curioſitatem cæde 70. & 50000 luunt. 1 Sam. 6: 13. 19. Inde deducta eſt in urbem *Kiriatjearim*, ubi fuit *viginti annos*. 1 Sam. 7: 1. 2.

Variis illa in locis commorata eſt.

§. 86. Poſt captam Arcam deſiit Tabernaculum & Tentorium conventus eſſe in Siloh (confer Jerem. 7: 12. *Ite ad locum meum, qui in Siloh, ubi feci habitare nomen meum in initio, & videte quid fecerim illi ob malitiam populi mei Iſrael.*) & videtur tranſlatum fuiſſe in Nob. 1 Sam. 21: 1. Arca autem fœderis incertis vagata eſt ſedibus. Poſtquam enim diu ſatis ſtetiſſet *in Kirjat*, dicitur tranſlata fuiſſe in *Mitzpah*, inde in *Gilgal*, poſtea in *Nobe*; inde *in Gibea in Domum Abinadab*, 1 Sam. 7: 1. unde David illam tranſtulit in domum Obededom, & deinde in civitatem David, donec tandem perfecto templo Salomonis iterum in Sancto Sanctorum, quæ fuit legitima illius ſedes, collocata fuit.

§. 87. Poſt mortem Eli judicatura functus eſt *Samuel Propheta*. 1 Sam. 7: 5. *Et judicavit Samuel filios Iſrael in Mizpah.* & ꝟ. 15. *Et judicavit Samuel filios Iſrael omnibus diebus vitæ ſuæ.* Magna id fecit integritate, unde coram toto populo proteſtatur. 1 Sam. 12: 3. 4. *Ecce me, reſpondete coram Domino & uncto illius contra me; num cujuſdam bovem abſtulerim, num quem fraudarim & concuſſerim, &c. Et dixerunt, non fraudaſti nos, & non concuſſiſti nos, & non ſumſiſti quicquam e manu viri.*

Samuel ſucceſſor Eli.

Illius optima geſta.

§. 88. Imprimis populum ad ſeriam deducere adlaboravit pœnitentiam. 1 Sam. 7: 3. *Et dixit Samuel ad totam domum Iſrael, ſi è toto corde revertimini ad Deum, removete Deos peregrinos, & diſponite cor veſtrum ad Dominum, & ſervite illi, ſoli illi.* Nec fruſtra fuit labor Samuelis: removerunt enim Iſraëlitæ *omnes Bealim & Aſtarot*; imo *hauſerunt aquas, effuderunt illas coram Domino* in ſignum dejectionis & humilitatis, *& jejunarunt*, 1 Sam. 7: 6. *& ejularunt* וַיִּנָּהוּ *poſt Jehovam*, 1 Sam. 7: 2. quo ejulatu gratiam ambiverunt Domini.

§. 89. Victorioſus fuit in hoſtes, quos precibus vicit & in fugam vertit. *Et dixerunt filii Iſrael ad Samuelem, ne taceas a nobis a clamando ad Dominum Deum noſtrum. Et clamavit Samuel ad Dominum pro Iſraele, & reſpondit illi Dominus.* 1 Sam. 7: 8. 9. *Manus Domini gravis fuit in Philiſtinos omnibus diebus Samuelis, & civitates, quas ceperant, redierunt ad Iſraelem.* ibid. verſ. 13. 14.

§. 90. In Ramah fuit *domus* illius; ibi ut plurimum habitavit; *ibi etiam ædificavit Altare Domino.* 1 Sam. 7: 17. Ex quo die deſtructum fuit tabernaculum Siluntis, licita fuiſſe dicuntur altaria. Fecit igitur Altare Samuel, ſibi quaſi & in uſum ſuum, in quo, cum vellet, offerebat vota, ſpontaneas oblationes & hoſtias pacificas.

§. 91. Habuit Samuel *Filios*, quos cum conſenuiſſet, poſuit *Judices* Iſraëli: qui cum non recte agerent, occaſionem dederunt Senioribus Iſraël petendi *Regem*, 1 Sam. 8: verſ. 1-6. quæ petitio, quamvis ingrata Samueli, effectum habuit tamen, ut ſequenti dicemus capite.

§. 92. Et hæc ſunt præcipua, quæ ſub Jehoſua & Judicibus acta ſunt in Eccleſia & politia Iſraëlis: de quo tempore ita Paulus, Act. 13: 19. 20. 21. *Poſtquam Deus* κατεκληροδότησε *ſorte dediſſet illis terram Canaan, dedit* ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα *annis* 450. κριτὰς *Iudices, uſque ad Samuelem Prophetam*, qui Iudicum ultimus fuit; κἀκεῖθεν ᾐτήσαντο βασιλέα *& ibi petierunt Regem.* Judices in univerſum omnes, ſi Ioſuam Filium Nun, & Samuelem Prophetam illis adnumeres, fuerunt numero ſedecim.

Numerus Judicum, & annorum quibus præfuerunt rebus Iſraëliticis.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De iis, quæ ſub Regibus in Eccleſia & Politia Iſraëlis acta ſunt.

Iſraëlitæ Regem petunt.

§. 1. SEniores Iſraël convenientes in unum, ita dicunt Samueli, *Da nobis Regem, ad judicandum nos, ut omnes gentes*, 1 Sam. 8:5. 6. *Rex erit ſuper nos, & erimus etiam nos, ut cateræ gentes, & judicabit nos Rex noſter & ibit ante nos.* ibid. verſ. 18: 19. 20.

§. 2. Hactenus ita fuerat in Iſraële, ut eſt Hoſ. 12: 14. *Per Prophetam eduxerat Deus Iſraelem ex Ægypto, & per Prophetam cuſtoditus fuit*, & per Judices rectus. Horum dominatio fuit lenis, mitis, popularis, nec ad ſplendorem regium, nec ad tyrannidem accedens regiam; ſuitque illa ut *aquæ Siloe leniter fluentes*, (Eſ. cap. 8: verſ. 6.) quamvis ſæpe non careret incommodis: quod exemplo filiorum Samuelis 1 Sam. 8: 3. 5. & Abimelechi, filii Gideon Judicis, Jud. 9: 45-53. aliorumque conſtitit: adeo in humanis nihil eſt perfectum rebus.

§. 3. Iſraëlitæ pertæſi minorum libertatis incommodorum, delectati φρυάγματι ſtrepituque imperii Regii, petunt Βασιλέα *Regem.* Id fuit Regem Deum reprobare: *Me reprobarunt, ne regnem in illos*, 1 Sam. 8: 7. illiusque curæ ac ſollicitudini & vigili providentiæ diffidere. confer 1 Sam. 10: verſ. 19. *Vos hodie reprobaſtis Deum veſtrum, qui ſervavit vos ex omnibus anguſtiis, & dixiſtis, Regem pones ſuper nos.* 1 Sam. cap. 12: verſ. 17. *Cognoſcite & videte, quod malitia veſtra magna fuit in oculis Domini, ad petendum vobis Regem.* Agnoſcunt deinde ipſi peccatum ſuum. verſ. 19. *Addidimus ad omnia peccata noſtra malum hoc, ad petendum nobis Regem.*

Exemplo gentium moti.

§. 4. Igitur Iſraëlitæ petierunt Regem, non juſſi à Domino, ſed carnali inſtinctu, & exemplo gentium moti. Hoſ. 8: 4. *Illi fecerunt Regem, & non à me; Principes, & non fui conſcius*, hoc eſt, non fui auctor, ductor, impulſor.

Refutantur Ebræi.

§. 5. Scio Ebræos dicere, tria Iſraëlitis præcepta data fuiſſe, cum terram intrarent, 1. Ut Regem conſtituerent. 2. Ut Amalec delerent. 3. Ut exſtruerent domum electam. Sed ſi id ita eſt, cur *Samuelis in oculis ita malum viſum eſt verbum hoc; Da nobis Regem*, 1 Sam. cap. 8: verſ. 6. cur tamdiu exſpectarunt, cur non ante Regem in Regnum induxerunt? Cur Deus dicit, *reprobarunt me*? cur ipſi peccatum ſuum deplorant?

Locus Deut. 17: 15.

§. 6. Non juvat illos locus. Deut. 17: 15. *Ponendo pones tibi Regem, quem elegerit Deus tuus:* Antecedit enim, *Cum veneris in terram, & dices, Ponam mihi Regem, ut omnes gentes, quæ ſunt circa me* verſ. 14. Igitur Deus non jubet, ut ponant; neque dicit, liberum illis eſſe, ponere ſibi Regem, ſed ſuadet & monet, qualem ſibi debeant ponere Regem, ſi introducti in terram, *dicerent* aliquando, & conſilia creandi Regis, inducti exemplo gentium circumjacentium, caperent; nimirum talem, qui Deo inviſus non eſſet. Jam tum præſcivit Deus, cui à ſæculo nota ſunt omnia, quas cogitationes Iſraëlitæ habituri eſſent. Neque tamen Deus ipſis interdixit, ne crearent Regem ullo tempore, ſed id quaſi arbitrio illorum liberum permiſit, & ut durities ac vanitas & imprudentia cordis illorum manifeſtaretur.

Iſraëlitæ Rege non indigebant.

§. 7. Non indigebant Iſraëlitæ Rege, qui tam longo intervallo, ſub unius Dei præſidio & moderamine, mediante miniſterio Moſis, Ioſuæ, Judicum, vixerant, & tam præclaras

ras

ras & inſignes res geſſerant. Si comparemus res ſub Regibus geſtas cum iis rebus, quæ ante & poſt Reges magno numero geſtæ ſunt, inveniemus illas hiſce multo minores & inferiores eſſe. Voluit Deus ſine Regibus ardua quæque & maxima & plurima fieri, ne putaret Iſraël unquam in Rege terreno eſſe ſalutem, aut *in robore invaleſcere virum.* 1 Sam. 2: 9. Quæ ergo amentia fuit, tam pertinaci gutture clamare, *Da, Pone nobis Regem*; & quidem *ſecundum omnes gentes*, ac ſi neceſſarium & ſalutare fuiſſet, hoc paſſu gentibus æquiparari, à quibus toto cœlo differebat Iſraël, quæque *à politia Iſraelis abalienatæ erant.* Nunc cæci Iſraëlitæ ſimilem Gentibus politiam inſtituere ſatagunt.

§. 8. Gentes omni tempore Imperio regio delectatæ ſunt, & majeſtate illa externa: putarunt enim, *non bonam eſſe* πολυκοιρανίην; melius eſſe *unum eſſe* κοίρανον; quemadmodum in orbe terrarum non ſunt *plures ſoles*, ita in Republica non debere eſſe plures Reges.

Gentes regii imperii amantes.

§. 9. Fuerunt tamen, quæ Regii jugi pertæſæ Reges expulerunt, & Regium in populare mutarunt Regimen. Ita factum Romæ, ubi ejecti Tarquinii. Attici amiſſa libertate, quam Tyrannus occupaverat Pyſiſtratus, triſtem flebant ſervitutem, non quia crudelis ille, ſed quoniam grave inſuetis onus videbatur. Scite Cato apud Plutarchum de *Eumene Rege* Romanos viſitante, ab iiſque ὑπερφυῶς excepto, φύσει, inquit, τοῦτο ζῶον, ὁ βασιλεὺς, σαρκοφάγον ἐστιν, *hoc animal, quod Rex appellatur, rapax eſt & carnivorum natura.* Raro illi, qui ἐξουσίαν accipiunt αὐτοκράτορα καὶ ἀκώλυτον, bonitate illam & juſtitia tenent.

Non tamen omnes.

——— ——— Sine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Cicero ad Att. Lib. XIII. *Quid tu non vides ipſum illum Ariſtotelis diſcipulum, ſummo ingenio, ſumma modeſtia, poſteaquam Rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe?* loquitur de Alexandro Magno.

§. 10. Iſraëlitæ petentes Regem non tulerunt repulſam. שְׁמַע בְּקוֹלָם *obedito voci illorum*, inquit Dominus. 1 Sam 8: 9. Vult tamen illis bene inculcari מִשְׁפַּט הַמֶּלֶךְ *jus Regis*, hoc eſt, poteſtatem illam, quam Rex, more Regum gentilium, ad quorum exemplum petitus erat, arrogare ſibi poſſet, & impune facere ac exercere: neque enim debuit Rex Iſraël minori poteſtate uti & majeſtate, quam Gentium Reges. Si enim Iſraël Regem voluit, ut voluerunt Gentes, etiam illam debuit Regi concedere excellentiam, quam omnibus retro ſeculis gentes conceſſerant. Inculcari autem id Dominus voluit, ut metus incuteretur Iſraëlitis, & ut circumſpecte ac caute agerent, perpendentes quam grave ſibi peterent imponi onus; nec peteſcerent rem, cujus illos impoſterum ſubire poſſet pœnitentia.

Iſraëlitis Rex datur.

§. 11. Ius Regis ita exponit Samuel. *Filios veſtros ſumet, imo & filias in ſervos & ſervas: Agros, vineaſque veſtras dabit ſervis ſuis: Greges veſtras decimabit: & vos eritis illi in ſervos, &c.* 1 Sam. 8: 11-17.

Jus Regis.

§. 12. Hanc ſane & majorem Reges gentium olim arrogarunt ſibi poteſtatem imo & vitæ ac necis. Iſraëlitæ Regis, ad exemplum gentium, appetentiſſimi, nec hæc recuſare debuerunt, & parati eſſe ad ferendum ea in regibus ſuis, quæcunque δοῦλοι ferre coguntur in heris ſuis. Neque poſt electum Regem, & inductam ſemel Regiam poteſtatem liberum amplius erat illam caſſare, aut Reges imperio exuere, aut vita privare: id quod David injuſte preſſus à Saulo minime ſibi putabat licere, 1 Sam. 26: 11. 12. adeoque æquum atque iniquum Regis imperium ferendum erat.

§. 13. Iſraëlitæ ſpreto periculo tyrannidis & moleſtæ ſervitutis in propoſito perſiſtunt; volunt-

Saul primus Rex.

voluntque ac eligunt δουλικῶς ἄρχεσθαι, & Regem ſibi dari. *Dedit igitur illis Deus* Regem *Saulum filium Kis, virum è tribu Benjamin*, quæ minima omnium erat tribuum. Actor. 13: verſ. 21. confer 1 Sam. 9: 21. *Ego ſum*, inquit, *Saul e minimis tribuum Iſraël.*

Unctus & ſorte electus.

§. 14. Unxit Samuel Propheta Saulum oleo, oſculatus eſt illum, & dixit, *Annon te unxit Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem?* 1 Sam. 10: 1. Deinde totum populum convocavit *ad Dominum in Mizpah*, ubi conjecta ſors cecidit ſuper Saulum. Ita Samuel in fide roboratus, non dubitavit Sauli electionem committere *ſorti*, gnarus, *omne illius judicium eſſe a Domino.* Prov. 16: 33. vide 1 Sam. 10: 17 – 24. Denique *in Gilgal* adhuc *innovavit* הַמְּלוּכָה *regnum*, hoc eſt, ſecunda quaſi vice in Saulum regiam poteſtatem contulit. 1 Sam. 11: 14. 15. Multi enim *filii nequam* in initio cum illo luſerunt, dicentes, *Quomodo auxiliabitur hic nobis? & contempſerunt illum, & non adduxerunt illi munus.* 1 Sam. 10: 27.

§. 15. Igitur Saulus regnum non quæſivit, nec impetravit malis artibus; nam invitus id videtur ſuſcepiſſe, 1 Sam. 10: 22. 23. ſed divinitus id illi fuit oblatum.

Inſignis miles.

§. 16. Saul inſignis fuit miles, egit robur, præliatus eſt fortiter, ferocem Regem Ammonitarum *Nachaſch* domuit, 1 Sam. 11. & *quocunque ſe verſit* יַרְשִׁיעַ *condemnavit*, hoc eſt, pro impiis vicit & protrivit hoſtes. 1 Sam. 14: 47. 48.

Non tamen bonus coram Domino.

§. 17. Attamen non rectus fuit coram Domino: inſigniter peccavit; unde & Dominus illum μετέστησεν. Actor. 13: 22. Imprimis ægre tulit Samuel, quod ſibi arrogavit licentiam *offerendi holocauſta & pacifica.* נִסְכָּלְתָּ *Stultè egiſti*, inquit, *Non obſervaſti præceptum Domini Dei tui. Et nunc regnum tuum non ſtabit.* 1 Sam. 13: 9. 13. 14. Deinde, quod pepercit *Agago* Regi Amalekitarum, & optimis ovibus ac armentis, nec anathemate illa percuſſit, ut juſſus erat, 1 Sam. 15: 9. cumque prætenderet, ſe peperciſſe ovibus, ut *ſacrificaret Domino in Gilgal*, ita graviter reſpondet Samuel, *Num voluptas Domino in holocauſtis? Obedire ſacrificio melius; & auſcultare præ adipe arietum. Nam peccatum divinationis* eſt *inobedientia; & iniquitas & imagines* הַפְצַר τὸ ἀντιβιάζεσθαι *reſiſtere*, reniti. 1 Sam. 15: 22. 23. Ab illo tempore *non addidit Samuel videre Saulum*, ſed *luxit* ſuper illum, & *Dominum pœnituit, quod feciſſet illum regnare*, 1 Sam. 15: 35. hoc eſt, decretum habuit exuendi illum & poſteritatem illius regno. *Perpetuitas* enim *Iſrael* נֵצַח יִשְׂרָאֵל *non mentitur, nec pœnitudine afficitur: nam non homo eſt, quem pœnitudo ſubeat.* ibid. verſ. 29.

Crudelis fuit & ſævus.

§. 18. Crudelitate & ſævitia miſcuit omnia. Samuel ſibi ab illo metuit, ne *interficeretur.* 1 Sam. 16: 2. Quas non inſidias tetendit Davidi genero, pio & fideli? 1 Sam. 18: 9 – 29. 1 Sam. 19: 11. Quot non *Sacerdotes Domini* crudeliter juſſit interfici? quod cum *ſervi illius* nollent facere, Doëg Edomeus exſecutus eſt. 1 Sam. 22: 11 – 19. *Urbem ſacerdotum Nob* totam exterminio devovit, nullo evadente, niſi *Abjataro* filio ſacerdotis Achimelech. ibid. ℣. 20. Cerne hic ſevera Dei judicia. Sacerdotes, qui interficiuntur, fuerunt è poſteris Eli. Illi prædictum erat, *Omnis multitudo domus tuæ morientur viri*, hoc eſt, cum viri evaſerint. 1 Sam. 2: 33. Id nunc per manum Sauli implet Dominus. Injuſta manus juſta Dei judicia exſequitur. Juſte filii Eli patiuntur, quamvis ab injuſto. Injuſte Saul ſacerdotes excidit: juſte tamen ſacerdotes excisi ſunt. Juſtitiam Dei Saul implendo, injuſtitiam propriam auget, & menſuram injuſtitiæ implet? Igitur ut verbum Domini in ſeculum ſtat, ita & minæ ejus & judicia. Viſitat Deus peccata in tertiam & quartam progeniem. Miſeri & infelices ſunt, quos ita Deus punit; nec tamen felices & beati ſemper illi, per quorum manus punit.

Judicia Dei in domum Eli neſcius exſequitur.

§. 19. *Spiri-*

Spiritus Dei ſuper Saulum.

§. 19. *Spiritum Dei* Saul initio electionis & Regni habuit, 1 Sam. 10: 6. וְצָלְחָה עָלֶיךָ רוּחַ יְהוָה *& invadet te Spiritus Domini* (id quod & de Davide dicitur 1 Sam. 16: 13. confer Jud. 14: 6.) *& vaticinaberis, & mutaberis in virum alium.* confer. ℣. 9. 10. *Vertit ei Deus cor aliud, & prophetavit*: inde proverbium הֲגַם שָׁאוּל בַּנְּבִיאִים *An etiam Saul inter Prophetas.* ibid. ℣. 11: 12. Ita & 1 Sam. 11: 6. *Et invaſit Spiritus Dei Saulum, cum audiret verba* Nachaſch.

Qui ubi ab illo receſſit, ſecutus eſt Spiritus Dei malus.

§. 20. Sed docet Scriptura hunc *Dei Spiritum* ab illo poſtea *receſsiſſe*, & *Spiritum malum a Domino* רוּחַ רָעָה מֵאֵת יְהוָה *illum perterrefeciſſe.* 1 Sam. 16: 14. confer. ℣. 15. *Ecce Spiritus Dei malus perterrefacit te.* רוּחַ אֱלֹהִים רָעָה מְבַעִתֶּךָ: confer 1 Sam. 19: 9. Remedium quærunt Servi Sauli in *viro, canente in citara,* qui cum *Spiritus Dei malus ſuper Saulum eſſet*, luderet, & ita *bene* Saulo eſſet. 1 Sam. 16: 16. Hac ratione acceſſitur David, filius Jeſſe; qui quoties ludebat, *recedebat Spiritus malus* à Saulo, וְרָוַח לוֹ *& laxius fiebat ipſi*, hoc eſt, laxamentum accipiebat. Kimchius כְּן הַצִּיקָה *ab anguſtia.* LXX. καὶ ἀνέψυχε Σαοὺλ. 1 Sam. 16: 23. Imo 1 Sam. 18: 10. dicitur: *Et pervaſit Spiritus Dei malus Saulum, & vaticinabatur in medio domus, & David canebat, & haſta in manu Sauli, & dicebat, percutiam Davidem.* ℣. 11. Mirabilis certe Spiritus. Spiritus *malus* facit *vaticinari*, & ſimul haſta Saul Davidem vult interficere. Addatur denique: 1 Sam. 19: 23. 24. *Et fuit ſuper* Saulum, cùm in eo eſſet ut Davidem *in Ramah* comprehenderet, *Spiritus Dei, & prophetavit, & exuit veſtes ſuas, & cecidit nudus integro die & nocte.* confer Jud. 9: 23.

Uterque autem Spiritus Dei eſt.

§. 21. *Spiritus Domini*, qui Saulum dicitur invaſiſſe, fuit *Spiritus roboris & fortitudinis*, Eſ. 11: 2. imo & Spiritus *cognitionis*, fecit enim Saulum *vaticinari*, & Prophetias eloqui. Spiritus *malus* fuit idem Spiritus Domini: dicitur enim *Spiritus malus à Domino*, & *Spiritus Dei malus*, & de utroque Spiritu dicitur, quod צָלְחָה *invaſerit* Saulum. Dicitur autem Spiritus Domini *malus*; non quod in ſe malus ſit; abſit! eſt *bonus* Spiritus & *ſanctus*; ſed quia in Saulo *malum* quid, hoc eſt, injucundum & triſte operatus eſt; eumque contriſtatus eſt & accuſavit: id apparet inde, quia dicitur Saulo aliquando fuiſſe טוֹב *bene*, & *laxius*, hoc eſt, triſtitiam illam, quam Spiritus hic malus operabatur, nonnunquam receſſiſſe, & mitigatam ac lenitam fuiſſe, id quod & hac phraſi indicatur, *& receſsit Spiritus malus a Saulo.* Spiritus Sanctus, quia multa & plurima operatur ac ἐνεργεῖ, varie nominatur in Sacris; nunc *bonus*, nunc *malus*; nunc *ſervitutis*, nunc *libertatis.* Diſcamus hinc, improbos, qui Dominum deſerunt & deficiunt, quos inter Saul omnino haberi poteſt, *Spiritus Sancti* ſæpè *fieri participes*, Hebr. 6: 4. illumque in illis dona operari cognitionis & prophetiæ; etiam heroico ſæpe impetu implere; ut in Saulo videre eſt; plerumque autem in illis eſſe *Spiritum malum*, hoc eſt, illos accuſare, contriſtari, & condemnare. Oremus Deum è toto pectore, ut non det nobis *Spiritum malum*, ſed ut רוּחַ נְדִיבָה *Spiritus ſpontaneus* nos *ſuſtentet* ſemper. Pſ. 51: 14. *Ne afficiamus triſtitia Spiritum Dei ſanctum* Eph. 4: 30. ne & in nobis fiat *Spiritus malus a Domino*, & *Spiritus Domini malus*, imo & רוּחַ תַּרְדֵּמָה *Spiritus ſoporis.* Eſ. 29: 10.

Saul conſulit Mulierem habentem Spiritum.

§. 22. Maxime autem memorabile eſt, quod Saulus Samuele jam mortuo (1 Sam. 28: 7.) cumque Deus roganti illi non amplius reſponderet, neque *in ſomniis*, neque *in Urim*, neque per *Prophetas*, adiit *Mulierem* בַּעֲלַת אוֹב *habentem Spiritum*, qui ex illa loquebatur, (quemadmodum Spiritus immundus olim per *Pythiam*, quæ ἡ πυθοφῶνις appellatur, & *Sibyllam Cumanam*, cujus *Virgilius* meminit, locutus eſt) illique dixit: קָסֳמִי־נָא לִי בָּאוֹב. *divina mihi per Pythonem*, &, שְׁמוּאֵל הַעֲלִי לִי *fac mihi aſcendere*

Samue-

Illa coram illo ſiſtit formam ſenis:

Samuelem. 1 Sam. 28: 6. 7. 8. 9. Quodque hæc mulier, *clamans voce magna*, dicit ſe *vidiſſe* אֱלֹהִים *Deos aſcendentes è terra*; quodque illa ſtitit coram Saulo *formam viri ſenis, circumpoſitum habentis pallium*, quem Saul *agnovit* eſſe *Samuelem*, & coram quo *ſe incurvavit*, honoris exhibendi gratia. 1 Sam. 28: 12. 14.

Qui ſenex ſe Samuelem ſimulat eſſe:

§. 23. Hic Senex è terra à muliere Pythia eductus, ſimulat ſe eſſe Samuelem: dicit enim ad Saulum, *Quare commoviſti me ad educendum me? Quare rogas me, & Dominus receſſit a te, & exſtitit hoſtis tuus; & faciet Dominus, ut locutus eſt* בְּיָדִי *per manum meam; & ſindet regnum à manu tua* (confer 1. Sam. 15: 28.) *& dabit David illud.* 1 Sam. 28: 15. 16. 17. 18. Denique prænunciat Saulo ſtragem accipiendam à Philiſtinis; imo & mortem tum Sauli, tum filiorum, his quidem verbis, וּמָחָר אַתָּה וּבָנֶיךָ עִמִּי *Et cras tu & filii tui mecum.* 1 Sam. 28: 19.

Non tamen fuit Samuel:

§. 24. Hic ita dictus Samuel non fuit verus Samuel; nec quoad corpus, nec quoad animam. Non quoad *corpus*. Id enim non ſine ratione verſ. 3. hujus capitis dicitur *mortuum, & ſepultum in civitate Ramah.* Atqui hic dictus Samuel viſus & auditus fuit בְּעֵין דוֹר *in Endor.* 1 Sam. 28: 7. quo corpus verum Samuelis è loco longinquo, ut Ramah erat, exiguo momento adduci non potuit. Deinde corporis Samuelis nullus erat neceſſarius uſus, hoc eſt, poterat Diabolus ſine illo agere commode quæ egit. Cadaver enim lacerum & putre per ſe res ſtupida & immobilis eſt; nec quicquam potuiſſet agere, ni Diabolus id induiſſet; & potuit Diabolus formam & figuram corporis accipere; ipſum cadaver relinquere. Non quoad *animam* ſ. ſpiritum, ille enim ſolutus à corpore introductus fuit *in gloriam*, & *rediit ad Deum Factorem ſuum*, & ita manu Dei cuſtoditus fuit, ut *à malo*, hoc eſt, Diabolo non tangeretur; nedum ergo ut ad vocem & libidinem mulieris Pythiæ adeſſet & compareret. Deinde vidit mulier quos vidit *aſcendentes è terra.* At ſpiritus Samuelis erat apud Deum in cœlo. Denique & inde apparet, hunc Samuelem non fuiſſe verum Samuelem, quia ad Saulum dicit, *Cras Filii tui & tu mecum eritis.* Atqui Saul non fuit cum Samuele, nec acceſſit ad illum, nec quoad corpus, quod non ſepultum fuit in Ramah; neque quoad Spiritum, quem non poſſumus judicare intraſſe in cœleſtem Hieroſolymam: in illam enim non intrat πᾶν κοινὸν, ϗ ποιῶν βδέλυγμα, ϗ ψεῦδος, Apoc. 21: 27. Dices, An Jonatan juſtus non intravit in cœlum? Reſp. Verba dicti Samuelis capi debent κατὰ μέρος *ſecundum congruam partem. Tu & Filii mecum cras*, hoc eſt, ii filiorum tuorum, qui tibi pares ſunt: aut quid mirum hunc Pſeudo-Samuelem aliqua in parte mentitum eſſe? & locutum è voto animi, quo omnes Sauli filios ſibi cupiebat ſociari, quemadmodum *quærit*, ut omnes *abſorbeat.* 1 Pet. 5: 8. Igitur triſtis hæc fuit vox, & nuncia ejulabilis manſionis: Quanto beatior illa Chriſti fuit in cruce dicta uni latronum, *Hodie mecum eris in Paradiſo*! Luc. 23: verſ. 43. id quod verificatum eſt in *anima* Latronis, quæ *vitam* hæreditavit *propter juſtitiam* Chriſti, quem in cruce confeſſus erat.

Sed Spiritus malignus:

§. 25. Igitur hic ita dictus Samuel, fuit *Spiritus malignus*, qui illuſit oculis mulieris Pythiæ, ut putaret ſe videre *virum ſenem, pallio indutum*; quem re ipſa non videbat; & impoſuit auribus Sauli, ut putaret ſe audire os Samuelis, quod revera non audiebat; fuitque adeo merum ſpectrum, phantaſma, præſtigium, & fallax mendaxque ſpecies.

Et quidem callidus:

§. 26. Hic malignus ſpiritus callide agebat perſonam Samuelis: conqueritur enim ac ſi injuria ſibi à Saulo facta fuiſſet, *Quare commoviſti me?* ac ſi dicat, quid cauſæ fuit, quod quietem meam turbas, nec ſinis me pace mea frui, & humanis me rurſum involvis turbis? ut ita fraudem Saulus non animadverteret: non autem mirum, mendacii patrem mendacium loqui.

§. 27. De-

§. 27. Deinde etiam ſcientiæ ſuæ ſpecimen edit: narrat enim, receſſiſſe Dominum à Saulo, regnumque abſtuliſſe ab illo; Saulum in Dominum graviter peccaſſe; cædendum nunc ab hoſtibus. Neque enim ignarus eſt Diabolus omnium illarum rerum, quæ Deum inter aguntur & homines: multa etiam judicia divina novit, quia multorum exſecutor ipſe conſtituitur. Sæpe etiam Chriſti ipſius exſtitit præco & καταγγελεύς. Marc. 1: 24. Act. 16: verſ. 16. 17. Et mul-tiſcius.

§ 28. Et hoc aſtutum eſt & audax ſatis mendacium, quod audet ita loqui, *& faciet Dominus illi*, Saulo, *quemadmodum locutus eſt per manum meam*, hoc eſt, per me ℣. 17. ut ita omnino verus Samuel videatur.

§. 29. *Cras eris mecum*, inquit. Ut enim *Dominus novit ſuos*, 2 Tim. 2: 19. ita & Satanas novit τοὺς ὄντας αὐτοῦ.

§. 30. Nec movere nos debet, quod Scriptura illum, quem Pythia eduxit, *Samuelem* vocat. *Et dixit Samuel ad Saulum* verſ. 15. confer verſ. 16. *Et dixit Samuel, quare interrogas me.* Scriptura enim noluit hoc in loco detegere & explicare Satanæ fraudem, ſatis ſuperque ex omnibus notam circumſtantiis, ſed ſimpliciter narrat, *eum*, qui è terra aſcendit, *Samuelem* viſum fuiſſe & Pythiæ & Saulo, & qua talem illum nominat ac introducit loquentem. Solvitur objectio.

§. 31. Mulier magica *clamat voce magna*, poſtquam *vidiſſet* nominatum hunc Samuelem. Ita horribile eſt, ipſis etiam Satanæ miniſtris, Satanam, aut ullam illius ſpeciem videre. Mox agnoſcit ſe deceptam à Saulo, qui mutato habitu, & ſimulato nomine ad illam acceſſerat, *cur decepiſti, & tu es Saul?* verſ. 12. Videtur id reſciviſſe ab illo, quem fecerat aſcendere. Pythia clamat.

§. 32. Mulier rogata à Saulo, *quid vidiſti?* reſpondet, *Deos vidi aſcendentes è terra*, ℣. 13. Probabile eſt, ſpectrum hoc non ſine terrore & magnificentia quadam, ut ita loquar, apparuiſſe. Aut etiam, mulier Pythia putavit ſpectra, quæ adducebat, *Deos* eſſe. Miniſtri enim Diaboli bene & reverenter ſentiunt de Diabolo; & pro *Deo* illum habent, qui & alibi *Deus mundi* vocatur. 2 Cor. 4: 4. Dicit ſe vidiſſe Deos.

§. 33. Nec multum moramur *Syraci* locum cap. 46: 22. *Samuel, poſtquam obdormiverat, vaticinatus eſt, & nunciavit Regis exitum, & è terra edidit vocem, & vaticinatus eſt, improbos occiſuros.* Syrachus enim ſimpliciter ſequitur Scripturam, quæ dicit, *Samuelem aſcendiſſe & locutum eſſe*, aut ſi id non ſatisfacit, dicamus, Syrachum, autorem Apocryphum ad dogmatis cujusdam confirmationem adduci non debere. Locus Syrachi cap. 46: 23.

§. 34. Etiam inde magis confirmatur, illum, qui apparuit Saulo, non fuiſſe verum Samuelem, quia ipſe Saulus fatetur, *non reſpondit mihi Deus, nec per inſomnia, nec per Prophetas.* verſ. 15. confer verſ. 6. Num dicemus, Deum voluiſſe ipſi reſpondere per ſervum ſuum Samuelem, jam mortuum, jam in quietem introductum, qui per ullum alium ſervorum in vita adhuc agentium reſpondere ipſi haut voluerat?

§. 35. Aſcenſum è terra nominati hujus Samuelis Scriptura narravit; deſcenſum ejus in terram, & quomodo iterum diſparuit, non narravit; nec opus eſt, de illo eſſe ſollicitum.

§. 36. Apparitionem hanc & ſermonem falſi Samuelis ſecuta eſt in miſero Saulo ingens animi perturbatio & dolor. verſ. 20-25.

§. 37. Finem vitæ Saul infelicem habuit. Exercitu Iſraëlitico in fugam à Philiſtinis verſo, ipſe, ne in manus incircumciſorum incideret, in gladium occubuit. 1 Sam. cap. 31: verſ. 4. *Armiger* Imperatorem proſtratum videns, pariter gladii ſui ictu transfixus exſpiravit. verſ. 5. Habemus plura in Sacris exempla eorum, qui ſua manu ſe confecerunt. Saul αὐτόχειρ.

Abimelech puero dicebat, *Educ gladium & interfice me.* Jud. 9:54. Achitophel & Judas laqueo vitam finiverunt. Simſon domum Dagon dejiciens ſe una cum Philiſtinis interfecit. Jud. 16:30. Sed in Simſone notandum, illum morientem invocaſſe Dominum, ibid. verſ. 28. Deumque illi reddidiſſe vires, quas antea abſtulerat; neque ſi recte velimus ſentire, hoc ipſius facinus pro αὐτοχειρίᾳ habendum eſſe, poſuit enim vitam hoſtes vita exuens, nec tam ſtudio ſeſe interimendi, quam cupidine ultionem ſumendi ab hoſtibus columnas fani dedit præcipites.

αὐτοχειρία, deteſtabilis res. §. 38. Non ſunt laudandi illi, qui ipſi manus ſibi inferunt. Mors Sauli tanto fuit horribilior, quod ipſe illam ſibi conſcivit. Dictum eſt, *non occides*, nec te, nec alium. Item. Gen. 9:5. *Sanguinem veſtrum de animabus veſtris*, hoc eſt, vobis ipſis *requiram*. Si ſanguinem noſtrum de aliis Deus vult requirere, quidni de nobismet ipſis? Vita donum Dei eſt; non ſine ſcelere profunditur. Inſita eſt omnibus στοργὴ, ut vitam ſuam quiſque amet, contra illam agit, qui ſe interimit. Deus vitæ noſtræ & mortis noſtræ Dominus eſt; non nos ipſi. Imbecillitatis eſt, morte miſeriam finire velle. Crudelitatis, in propria viſcera & cutem ſævire. Non licet occidere alienum ſervum: omnes autem ſumus ſervi Dei. Bonus miles ſine conſenſu Imperatoris ſtationem non relinquit. Nemo unquam Prophetarum aut Apoſtolorum, excepto Juda proditore, ita de ſe ſtatuit. *Elias*, ſatur vitæ, non illam ſibi aufert, ſed Dominum rogat, *aufer animam meam*, 1 Reg. 19:4. ita & *Jonah* Jon. 4: ℣. 3. Hiob ſupra modum afflictus, ita ut diceret. Job. cap. 7: verſ. 15. *Elegit ſuſpendium anima mea, mortem præ oſſibus meis*, non tamen ſe ipſum occidit. Chriſtus Apoſtolos jubens *fugere è civitate in civitatem*, clare docuit magnam vitæ habendam rationem. Non legimus Sanctos Martyres, etiam flammis adjudicatos, manus ſibi intuliſſe; potius exſpectarunt horam, qua deducendi erant ad rogum. Sceleratiſſimos autem ſæpe in carceribus manibus ſuis vidimus interfectos. Male ſibi conſulit, qui ſe ipſum vita privat: ſæpe enim in impœnitentia moritur; nec poteſt cor contritum, pœnitentiaque plenum tale conſilium capere.

Conſenſus piæ antiquitatis. §. 39. Sancta Antiquitas non laudavit ſui interfectores. Roma ab Alarico capta multæ matronæ & puellæ potius quam ut vim paterentur, ſe ipſas occiderunt. Diſplicuit id Auguſtino, cujus eximia ſunt verba lib. 2. de Civit. Dei cap. 17. *Nec propter bona aſſequenda, nec propter mala vitanda licet ſe interficere. Eſt enim homicidium, quod prohibetur lege Dei. Et Judas cum occideret ſe ipſum, certe ſceleratum occidit; tamen reus eſt non tantum mortis Chriſti, ſed etiam ſua ipſius*: & contra Petilianum l. 2:49. *Non habemus pro martyribus, qui peccatum vindicant in ſe ipſis.* Hieronymus in Ep. ad Marcellum de obitu Bleſillæ, ſub perſona Dei inquit, *non recipio tales animas, quæ me nolente è corpore exierunt.* Chryſoſtomus in Ep. ad Galatas, *nos eos, qui ſe ipſos occidunt, ſceleratos eſſe dicimus, & pejores homicidis.*

Et gentilium. §. 40. Saniores inter gentiles horruerunt hoc facinus. Athenienſes in agro Attico tales noluerunt ſepeliri. Cum virgines Lemniæ nulla certa de cauſa ſe ipſas ſuſpenderent, nec finis illi furori imponeretur, è publico civitatis conſenſu, quæ ita mortuæ fuiſſent, unco impacto, nudæ ſumma cum ignominia trahebantur per publicum. M. Attilius Regulus maluit redire Carthaginem, cum ſciret ſe ad exquiſitiſſima ſupplicia proficiſci, quam manus ſibi adferre. Virgilius, de iis, qui ſe interfecerunt, ita cecinit.

——— ——— ——— *Qui ſibi lethum*
Inſontes peperere manu; lucemque peroſi
Projecere animas; quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores?

§. 41. Fue-

Quamvis non omnium.

§. 41. Fuerunt tamen multi inter Philoſophos, Cleanthes, Empedocles, Zeno, aliique, qui necem ſibi intulerunt, illos Hieronymus appellat *ſtultæ Philoſophiæ martyres.* Cleombrotus Ambraciota ſe enecuit, ut immortalitatem aſſequeretur. *Attulit ſibi manus M. Cato*, inquit Auguſtinus, *patientiane an impatientia? certe impatientia, & acerbitate animi.* Non fuit illud fortitudo, ſed mollities: res adverſas ferre non potuit. Etiam *Lucretia*, quæ, ut ut coacta in obſequium ſe tradiderat Tarquinii, cum notam poſtea impudicitiæ & iniquam de ſe populi ſuſpicionem ferre non poſſet, imbecillitate quadam animi, ſe ipſam occidit. Curtius equo concitato in hiatum deſiluit; in quo tamen viro amor Patriæ laudandus eſt.

Exemplum Jonæ.

§. 42. In Sacris Jonas legitur dixiſſe, *Tollite & projicite me in mare.* Jon. 1: 12. Sed is projectus eſt ab aliis, non autem ſe ipſum projecit; divina id ita moderante Sapientia, ut in Jona typus exſtaret mortis & reſurrectionis Domini. Matth. 12: 40.

Raziæ.

§. 43. *Razias* narratur. 2 Macc. 14: 37. cum ſe videret à Nicanore undique concluſum, trajeciſſe ſe gladio, & deinde cum vulnus videret non eſſe lethale, dediſſe ſe præcipitem. Laudatur ibidem hoc factum, *Voluit potius nobiliter mori, quam aliquid indignum ſuis natalibus committere*; ſed ex hoc facto, ut & ex hoc teſtimonio libri Apocryphi dogma non poteſt conſtitui.

Judicium de illis, qui ſe ipſos interficiunt.

§. 44. Quid ſentiendum ſit de illis, qui ſibi ſponte mortem accelerant, facile liquet: certe non tantum corpus occidunt, ſed & gravi vulnere animam ſauciant, difficile illis erit, rationem reddere hujus facti Judici vivorum & mortuorum. Laudem omnino nullam tale facinus meretur; & vix veniam. Servet nos Dei Gratia, ne unquam in talem ruamus immanitatem. Et hæc quidem hac de re cogitavimus & ſcripſimus illo tempore, quo in Urbe nobis patria duo horribilia αὐτοχειρίας exempla oculis noſtris ſpectavimus.

Status Eccleſiæ regnante Saulo quinam?

§. 45. Status Eccleſiæ, quinam imperante Saulo fuerit, paucis monendum. *Achijah filius Achitubi, fratris Icabod, filii Pinchaſi, filii Eli, Sacerdotis Domini in Siloh, portabat Ephod*, 1 Sam. 14: 3. Idem habebat curam Arcæ fœderis, verſ. 18. *Et dicebat Saul Achijæ, Adduc arcam Dei: nam erat Arca Dei in die illo cum filiis Iſraël*, hoc eſt, non erat in certo loco, non in tentorio conventus, ſed una cum Iſraëlitis in diverſis quaſi oberrabat locis. In urbe Nob erat *Abimelech Sacerdos.* 1 Sam. 21: verſ. 1. Is etiam filius erat Achitub. 1 Sam. 22: 9. Et *Sacerdotes* plures uſque ad 85. 1 Sam. 22: 18. Ibi erant *panes facierum*, quos Abimelech dedit Davidi, 1 Sam. cap. 21: verſ. 6. de qua actione ita Dominus Matth. cap. 12: verſ. 3. 4. *Annon legiſtis, quid fecit David, cum eſuriret ille, & qui cum illo? quomodo intravit in domum Dei, & comedit panes propoſitionis, quos non licebat illi comedere, neque illis, qui cum illo erant, niſi Sacerdotibus ſolis.* Etiam illo tempore fuit *Gad Propheta.* 1 Sam. 22: 5. Saul noluit videri negligens cultus divini: ædificavit altare. 1 Sam. 14: 35. *Et ædificavit altare Saul Domino: illud incepit ædificare altare Domino*, non autem legitur cogitaſſe de ædificanda domo Deo Iſraël, quæ cogitatio tam ſollicitum tenuit Davidem ſucceſſorem. Cum audiret populum comediſſe עַל הַדָּם *ſuper ſanguine*, hoc eſt, non ab obruto ſanguine, quod erat vetitum in lege Levit. 19: 26. Saul zelotes ita exclamat, *Perfide egiſtis. Ne peccetis Domino, comedendo* אֶל הַדָּם *ad ſanguinem*, 1 Sam. 14: 32. 34. Sed facile conjicere eſt, poſtquam Saul eouſque Deum deſeruit, ut interficeret Sacerdotes Dei in Nob, pioſque omnes pelleret, & vita exueret, Eccleſiæ faciem triſtiorem fuiſſe; & quia Regis ad exemplum totus componitur orbis, malos Sauli mores multos fuiſſe imitatos. Saul etiam dicitur *removiſſe e terra Pythones & hariolos*, 1 Sam. cap. 28: verſ. 3. in quo laudem mereretur, niſi ipſe deinde mulierem Py-

thiam conſuluiſſet, ut viſum ſupra. 1 Sam. cap. 28: verſ. 7. 8. 1 Chron. cap. 10: verſ. 12. 13.

David ſecundus Rex.

§. 46. Saulo mortuo *David* regnare cœpit, qui Saulo vivente jam à Samuele unctus erat, Act. 13: 22. *καὶ μεταστήσας αὐτὸν deferens Saulum excitavit illis*, Iſraëlitis, *Davidem in Regem*; *cui & teſtimonium dixit, inveni Davidem*, *Virum ſecundum cor meum qui faciet πάντα τὰ θελήματά μου omnia deſideria mea.*

§. 47. David *Jeſſe Betlehemitæ filius*, ætate omnibus fratribus ſuis juvenior, juſſu Dei in Regem unctus eſt 1 Sam. 16: 12. *Et dixit Dominus, ſurge, unge illum*, כי זה הוא *nam ille eſt*, quem elegi. A quo tempore unctus fuit, *invaſit illum Spiritus Domini*, 1 Sam. 16: 13. illumque iis cœpit exornare donis, quæ in Rege requiruntur: unctus igitur quidem fuit David, non tamen ſtatim in regnum inductus. Diu enim vixit adhuc Saul, quo ſuperſtite imperium capeſſere non poterat.

Providentia divina circa Davidem.

§. 48. Mirabilis plane circa Davidem fuit divina providentia. Saulum invadit *Spiritus malus*: indiget viro, qui pulſu citharæ mentem illius oblectet: ita David in aulam vocatur Regis. 1 Sam. 16: 18-22. Aſcendunt deinde Philiſtini, & inter illos immanis Goliath. Hunc David conſerta cum illo manu, *funda & lapidibus* vincit. Ita incipit innoteſcere toti Iſraëli, & omni populo charus eſſe. Ipſæ mulieres in illius canunt laudem, *Percuſſit David myriades.* 1 Sam. 18: 5. 6. 16.

Inviſus fuit Saulo.

§. 49. Saul ab illo tempore invidiam in illum conjecit, & obliquo intuitus eſt oculo, 1 Sam. 18: 9. & omnibus modis, maliſque artibus, & aperta ſæpe vi tentavit tollere illum è medio, ſed & omnia hæc ceſſerunt illi in bonum: fit *gener* Sauli, 1 Sam. 18: 17-28. eximie diligitur à Jonatan; & ipſa Michal, quam Saul promiſerat illi, *ut fieret ipſi in decipulam*, 1 Sam. 18: 21. fit illius ſervatrix. 1 Sam. 19: 11-17.

§. 50. Fuga denique cogitur conſulere ſibi, in qua dtriſſimam ſortem expertus eſt. Hinc in multas extremitates delapſus egit multa, quæ non laudem, ſed reprehenſionem, attamen & veniam merentur. Huc refero, quod mentitus eſt Achimelecho ſacerdoti, 1 Sam. 21: verſ. 1. 2. quod edit *Panes facierum*, ibid. verſ. 6. quod apud *Achiſch Regem Gat*, *geſtum mutavit*, & inſanientis inſtar ſe geſſit, mittendo ſalivam ſuper barbam, 1 Sam. 21: verſ. 10-15. quod ducem ſe præbuit colluviei hominum ignobilium, & virorum πονηροῦ κόμματος, 1 Sam. cap. 22: verſ. 1. 2. quod benevole exceptus ſecunda vice à Rege Gath, & urbe Ziklag in locum habitationis conceſſa, excurſiones fecit in vicinas & fœderatas Philiſtinis gentes illaſque funditus delevit, & deinde mentitus dixit, ſe plagam Judææ infeſtaſſe, 1 Sam. 27: ℣. 6-12. denique quod Achiſcho expeditionem in Iſraëlitas moventi, operam ſuam pollicetur, ſeque præliaturum in illos promittit, quod ſalva tamen pietate facere non poterat. 1 Sam. 29: 8.

Ingens illius in Saulum fides.

§. 51. Ingentem & incomparabilem Saulo hoſti, Tyranno, perſecutori ſervavit fidem; cui cum poſſet vim facere noluit; nec malum malo rependere voluit, lege 1 Sam. 24: 3-15. 1 Sam. 26: 6-25. imo & pœnas ſumſit à miſero illo, qui mentiebatur Saulum à ſe interfectum, 2 Sam. 1: 14. 15. denique lugubri carmine mortem Sauli & Jonatan deflevit. 2 Sam. 1: 17. 19. *Filiæ Iſrael deflete Saulum, qui induit vos dibapho cum deliciis*; *qui fecit veſtes veſtras eſſe opertas ornatu auri.*

A tribu Juda in Regem ungitur:

§. 52. Regnum, mortuo Saulo, non rapuit vi, nec invaſit præcipitanter, ſed initio, poſtquam à Deo monitus, relicta Ziklag, *in Hebron*, habitationem conſtituiſſet, à ſola domo Juda receptus, & in Regem unctus eſt. 2 Sam. 2: 1-4.

§. 53. Abner ſummus militum Sauli præfectus Regnum in reliquas tribus aſſeruit

Iſbo-

Isboſetho filio Sauli. 2 Sam. 2: 8. 9. 10. Ita Regnum in Iſraële fuit diviſum. *Domus Juda* fuit דָּוִד אַחֲרֵי *poſt David.* Reliquus Iſraël poſt filium Saul. Hic ſtatus rerum integrum emenſus eſt ſeptennium: *ſeptem* enim *annis, & ſex menſibus David Rex fuit in Hebron.* 2 Sam. 2: verſ. 11.

§. 54. Abner fidelitatem, quam juraverat Saulo ſervavit; Deoque ſe inconſideranter oppoſuit, quem ſciebat *juraſſe Davidi, de erigendo ſolio illius ſuper Iſraël & ſuper Juda.* 2 Sam. 3: 9. 10. Cogitare debuiſſet Abner, majorem Deo ſervandam fidem, quam homini. Ecce autem, quomodo ſponte ruant, quæ homo, non autore Deo, è carnali impetu molitur. Abner redargutus ab Isboſet Rege ob violatam Sauli concubinam, ægre id ferens, ab illo tempore defectionem meditatur, & ad Davidem accedit, 2 Sam. 3: 7 – 14. imo & alias tribus in partes Davidis trahere adlaborat. Ibid. ℣. 16. 17. In eo dum eſt, à Joabo jugulatur, magno Davidis dolore & tædio. 2 Sam. 3: 26 – 37. Injuſte Joab & ſubdole Abnerum interfecit; non injuſte tamen Abner interfectus eſt. Injuſtus & crudelis fuit interfector; juſta autem & debita illius interfectio: quam enim non meruit pœnam, qui oppoſuit ſe Deo; & redargutionis impatiens exitium intentavit Domino ſuo?

§. 55. Interfecit Joab Abnerum *ob ſanguinem Aſaëlis fratris.* 2 Sam. 3: 27. Illa cædes aperto Marte facta excepit gladiatorium illud certamen, quod *Abnero* petente, & *Joabo* aſſentiente, inter *pueros* ſeu milites utriuſque inſtitutum fuerat. 2 Sam. 2: 14 – 16. Non poteſt non triſtis eſſe exitus illarum rerum, quæ cum pietate pugnant. Non poterat licita eſſe delectatio, quæ ex inutili dimicatione, & temeraria ſanguinis fuſione capienda erat. Quænam illa atrocitas fuit, committere inter ſe viros fratres, & mutuas illorum cædes ſpectare? Athenienſibus deliberantibus de exhibendis publice gladiatoribus, ad exemplum Barbarorum, *Demonax* olim reſpondit: *Prius evertendam eſſe Aram Miſericordiæ, quam tanta atrocitas publicè exciperetur.*

§. 56. Nec vitæ, nec imperio Abneri diu ſuperſtes fuit Isboſet, ſed nequitioſe & ſceleratiſſimo auſu à ſervis ſuis, cum in lectulo requieſceret, interemptus eſt. 2 Sam. 4: 7. Ita tandem omnes tribus Iſraël Davidi totum offerunt Regnum. 2 Sam. 5: 1 – 4. 1 Chron. 11: 3. *Et unxerunt David in Regem, ſecundum verbum Domini per manum Samuel.* Nunc igitur David poſt tot pericula, certamina & labores, poſt tam longam moram & diuturnam exſpectationem ſolium regale aſcendit; re ipſa edoctus, Deum veracem, promiſſorum memorem, non mentiri, non fallere. Deinde & à toto Iſraële.

§. 57. Novus Rex David Jebuſitis, Hieruſalem habitantibus, unde hactenus ejici non potuerant, Joſ. 15: 63. Jud. 1: 21. bellum infert; *Arcem Zionis* capit, quæ deinceps dicta eſt דָּוִד עִיר *Civitas David*, & poſtmodum totam urbem *Hieruſalem.* 2 Sam. 5: 6 – 8. 1 Chron. 11: 4 – 10. Ita capta eſt civitas illa, quæ Regni Iſraëlitici fuit caput; in qua ambulavit in poſtremo dierum *Dominus, in carne manifeſtatus*; quæ typus fuit *ſupernæ Ieruſalem*, Gal. 4: 25. 26. de qua canitur Pſ. 48. 2 - 4. *Magnus eſt Dominus & laudatus valde, in civitate Dei noſtri, monte ſancto ſuo. Deus in palatiis illius cognitus eſt in ſublimationem.* Illius res geſtæ.

§. 58. Prælia inſignia fecit David, victorias illuſtres reportavit, gentes ſubegit, hoſtes vicit, urbes illorum cepit, de quibus lege ſi placet 2 Sam. 5: 17 – 26. 8: 1 – 15. 10: 1. - 19. 12: 26 – 31. Quibus victoriis lætus ita ſe effert in Domino, dicens: *Diſtribui Sechem, vallem Succot metior, Mea eſt Gilead; meus Manaſſe; Ephraim robur capitis mei; Iuda Legiſlator meus. Moab labrum lotionis meum. Super Edom projicio calceum meum. Ad me Phileſtina jubila.* Pſalm. 60: 8. 9. 10. Ita impleri cœpit Prophetia Bileami, *Procedit ſtella è Iacob, & deflixit angulos Moab.* Num. 24: 17.

 §. 59. In-

Arcam fœderis in civitatem David deducit.

§. 59. Inſignis illius fuit pietas in Eccleſiam & Religionem, quam temporibus Sauli collapſam magna diligentia reſtituit. Re cum populo communicata ſtatuit *Arcam Dei è Kirjat Iearim, e domo Abinadab* repetere. 2 Sam. 6: 2. 3. 1 Chron. 13: 1–6. Impoſita illa plauſtro novo, ducitur ab *Uſſa*, filio Abinadab: ſed cum is incaute illam attingeret, percuſſus eſt à Domino עַל־הַשַּׁל *propter errorem*, hoc eſt, quod feciſſet τὸ μὴ δέον, 2. Sam. 6: 7. confer. exemplum Betſemitarum 1 Sam. 6: 19. Hac exemplari pœna territus David, deponit *Arcam Domini* in domo *Obed Edom*, ubi manſit *tres menſes*. 2 Sam. 6: 9–11. 1 Chron. 13: 7–14. Sed cùm intelligeret, ob exceptam Arcam Dominum domui Obed Edom benedixiſſe, plene decernit, illam *in civitatem David* transportari debere. 2 Sam. 6: 12. Cogitans autem, Levitas olim electos à Domino, ut portarent Arcam, *collegit* in unum *filios Aharon, & Levitas*, 1 Chron. 15: 2. 3. illoſque jubet deducere Arcam in locum præparatum, nim. *tentorium id*, quod illi *tetenderat*, 2 Sam. 6: 17. Nam, inquit, *quia* לְמַבָּרִאשׁוֹנָה *in initio* לֹא אַתֶּם *non vos* adfuiſtis, *perrupit Dominus Deus noſter in nos*; percutiendo Uſſam. 1 Chron. 15: 13. Ita ſublata Arca à Levitis inter continua ſacrificia, cantus & clamores, *in civitatem David* deducta eſt, 1 Chron. 15: 15–29. & *poſita in medio tentorii, quod tetenderat illi David.* 1 Chron. 16: verſ. 1. 2 Sam. 6: 15. 16. 17.

Ibi ſaltavit.

§. 60. Imprimis notatur Davidem in ſolemni hoc actu publice choreas duxiſſe, idque *in honorem Domini.* 2 Sam. 6: 14. 16. *Et David* מְכַרְכֵּר בְּכָל־עֹז לִפְנֵי יְהֹוָה *ſaltabat omnibus viribus coram Domino.* confer 1 Chron. 15: 29. *Michal* filia Sauli id videns *ſprevit* Davidem בְּלִבָּהּ *in corde ſuo*, & deinde rigide exprobravit, *Quam*, inquit, *honorari ſe fecit hodie Rex Iſraël! qui hodie demonſtratus eſt in oculis ancillarum ſervorum ſuorum, ut unus futilium* hominum. 2 Sam. 6: 20. Reſpondet David, שִׂחַקְתִּי לִפְנֵי יְהֹוָה *luſi coram Domino*, וּנְקַלֹּתִי עוֹד מִזֹּאת *Et adhuc vilis fiam præ hoc, & fui humilis in oculis meis, & cum ancillis, quas dixiſti, cum illis* inquam אִכָּבֵדָה *glorificabor.* 2 Sam. 6: 20. 21. 22.

Id ſanctis non fuit infrequens.

§. 61. Narrantur & alibi ſancti ſanctæque ſaltaſſe. Mirjam una cum aliis mulieribus choreas duxit, & ἐπινίκιον cecinit. Exod. 15: 20. Etiam Puellæ Iſraël victoriam de Goleath, quem David vicerat, choreis & cantibus celebrarunt, 1 Sam. 18: 7. Chriſtianos in Syria adhuc hodie ferunt venire in templa cum lyris & citharis, Pſalmos cantare, & una ſaltare in die reſurrectionis Domini, nec non aliis celebrioribus feſtis.

Nec propterea accuſandus David.

§. 62. Certe non adeo David hic culpandus eſt. Elatus lætitia in Domino ſaltavit: in cujus honorem toties cecinit, in illius nunc & ſaltavit. Si ore gaudia teſtari licet, cur non & geſtu manuum pedumque? Non fuit hæc ſaltatio libidinoſa, nec è laſcivia profecta, nec ad indulgendum vanitati inſtituta, nec inter pocula & commeſſationes habita, ſed ex abundantia gaudii ſpiritualis & ſancto lætitiæ exceſſu orta, inter ſacrificia, cantica & jubilationes ſacras. Promiſcuas ſaltationes virorum & mulierum, immoderatas, libidinoſas, qualis illa fuit filiæ Herodiadis Matth. 14: 6. & noſtræ modernæ plerumque ſunt, reprehendamus & vitemus. Davidem ſaltantem omnino excuſabimus: qui non in gratiam hominum, & ut illorum oblectaret oculos, & ut laudaretur à mundanis; nec fictis ad ſuperbiam geſtibus ſaltavit, ſed quaſi extra ſe raptus conſideratione inſignis divini beneficii, inter laudes divinas, hac qualicunque actione lætitiæ ſpiritualis teſtimonium publicum ferre voluit. Saltarunt pedes externe; multo autem magis exultavit anima illius in Domino Deo ſuo interne.

§. 63. Vetus gentilium Religio ſaltationes non habuit alienas: nulla fere inter Ethnicos fuere

Saltationes in gentium ſacris.

fuere ſacra, quibus non ſaltaretur, & tripudia ducerentur. Illuc forte reſpicit illud Virgilii,

Inſtaurantque choros, mixtique altaria circum.

Numa Rex, teſte Livio, *Salios* Sacerdotes *Marti legit, celeſtiaque arma ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolemnique ſaltatu juſſit.* Ovid. 3. Faſt.

Iam dederint Salius a ſaltu nomina dicta.

§. 64. Aliàs, ut habet Æmilius Probus in vita Epaminondæ, *Canere & ſaltare apud Romanos parum honorificum fuit, cum apud Græcos in ſummo pretio haberetur.* Hinc Cicero libr. 2. de Officiis, *Virum honeſtum*, inquit, *& probum nolle in foro ſaltare, etiamſi eo modo poſſit ad maximum patrimonium pervenire*, & in oratione pro Murena, *Nemo ſaltat ſobrius, niſi forte inſanus; neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto. Saltare* alienum ſtatuerunt a gravibus viris. Studium ſaltandi in Caligula atque Nerone improbatum fuit. Domitianus Quæſtorium Virum, quod geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, ſenatu movit.

Tentorium conventus hoc tempore fuit in Gibeah.

§. 65. Ita quidem *Arca* proviſum fuit: ſed ubinam fuit illo tempore *tabernaculum & tentorium conventus*? Id indicatur 1 Chron. 21: 29. *Et tabernaculum Domini, quod fecerat Moſes in deſerto, & altare holocauſti, in tempore illo erat in Celſo in Gibeah.* Deinde notatum eſt, Davidem *reliquiſſe*, hoc eſt, conſtituiſſe *Aſaphum & fratres illius, ad miniſtrandum ante Arcam jugiter* לִדְבַר־יוֹם בְּיוֹמוֹ *quodque in die ſuo; Zadokum* autem *Sacerdotem & fratres illius* Sacerdotes reliquit *ante tebernaculum Domini in celſo, quod erat in Gibeon, ad offerendum holocauſta Domino ſuper altare holocauſti jugiter mane & veſperi, ſecundum omne quod ſcriptum erat in lege Domini, quam præceperat Iſraeli.* 1 Chron. 16: 37. 39. Cur autem cum Tabernaculum exſtaret, & Sacerdotes illi miniſtrarent, cur, inquam, Arca fœderis in tabernaculo non ſit poſita, ubi fuerat in deſerto & in Siloh, quæri poteſt, ſi modo inveniri poteſt: certe nil certi de eo reſponderi poteſt.

Conſilium Davidis de ædificanda domo Domino, quod Deus rejicit addita inſigni promiſſione.

§. 66. Pius David reputans poſtea, ſe habitare *in domo cedrina* (confer 2 Sam. 5: 11.) neque adeo juſtum eſſe, *Arcam Dei habitare ſub cortinis* 2 Sam. 7: 2. 1 Chron. 17: 1. ſtatuit ſecum ædificare domum Domino. Ne quid autem temere ageret, rem aperit *Natani* Prophetæ, qui ita reſpondit, *Omne quod in corde tuo eſt, fac, nam Dominus tecum eſt*, 2 Sam. 7: 3. 1 Chron. 17: 2. ſed proxima nocte apparet Dominus Natani, dicens: *Idic Davidi, Tune ædificares mihi domum ad habitandum? nunquam habitavi in domo, ſed fui ambulans* בְּאֹהֶל וּבְמִשְׁכָּן *in tentorio & tabernaculo: num unquam verbum dixi uni Tribuum Iſrael, Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam?* Addit Dominus inſigne Verbum Promiſſionis. *Cum impleti fuerint dies tui, & dormiveris cum Patribus tuis, excitabo ſemen tuum poſt te, quod exibit è viſceribus tuis* (1 Chron. 17: 11. *quod erit è filiis tuis,* אֲשֶׁר יִהְיֶה מִבָּנֶיךָ) *& ſtabiliam regnum ejus. Illud ædificabit mihi domum, & confirmabo ſolium regni illius in ſeculum. Ego ero illi in Patrem, & id erit mihi in Filium; quod dum perverſe aget* בְּהַעֲוֺתוֹ, *redarguam illud virgis hominum, & plagis filiorum hominum; ſed gratia mea non recedet ab illo, quemadmodum abſtuli illam à Saulo. Et permanens erit domus tua & regnum tuum in ſeculum coram te, ſolium tuum erit ſtabile* עַד עוֹלָם *in ſeculum.* 2 Sam. 7: 5 -- 17. 1 Chron. 17: 4 -- 15.

Senſus promiſſionis.

§. 67. Promiſſio hæc profundi ſenſus eſt, nulli in plena emphaſi competit, niſi Chriſto *Domino & Filio Davidis*, Matth. 1: 1. id patebit è conſideratione ſingularum partium.

Semen

§. 68. *Semen* promittitur. Non nova Patribus promiſſio *Seminis*: in Paradiſo cœpit, *Semen mulieris conteret*: Abraamo repetita eſt, *In Semine tuo benedicentur.*

§: 69. De

Excitabo Semen. §. 69. De Semine hoc ita promittit Dominus Davidi, *Excitabo* Semen tuum. confer Deut. 18: verſ. 18. *Prophetam excitabo illis*: quomodo autem excitabit? Excitabo Semen, *quod exibit è viſceribus tuis*, hoc eſt, quod è poſteritate tua naſcetur, & è Juda exorietur. Igitur excitabit per incarnationem, nativitatem, manifeſtationem in carne. Aliàs *Semen* eſſe non poſſet. confer Actor. 2: 30. *Deus è fructu lumborum illius excitavit Chriſtum, quantum ad carnem*, Rom. 1: 3. *qui natus eſt è Semine David ſecundum carnem.* Excitabo Semen, *quod erit è filiis tuis.* Ita eſt 1 Chron. 17: 11. hoc eſt, quod unus filiorum tuorum erit; inde & Jeſus in Euangelio vocatur *Filius David.* Matth. 9: 27. Vel, quod è filiis tuis, hoc eſt, poſteris tuis naſcetur.

Tempus excitationis. §. 70. Quando hoc Semen excitandum eſſet, addit Dominus, excitabo *poſt te*; *cum obdormiveris cum Patribus tuis*, hoc eſt, te dudum mortuo & ſepulto. confer Actor. 2: 30. Hinc apparet, promiſſionem hanc non eſſe principaliter de *Solomone.* Ille enim, quamvis *ſemen* Davidis, non tamen natus eſt poſt mortem Davidis; ſed Davide adhuc vivente; neque eſt ex uno filiorum David; ſed è Davide ipſo: neque exivit è lumbis illius jam demortuis; ſed adhuc vivis, validis & ſe moventibus.

Regnum Seminis. §. 71. Seminis hujus excitandi conditio varia deinceps deſcribitur. *Et ſtabiliam regnum ejus: confirmabo ſolium regni illius in ſeculum.* Chriſtus Filius Davidis *Rex* eſt. Pſal. 2: 6. *Unxi Regem meum.* Zach. 9: 9. *Rex tuus venit.* confer Pſ. 21: 2. 45: 2. 12. 72: 1. *Regnum* habet. Joh. 18: 36. *Regnum meum non eſt è mundo hoc.* Pſ. 45: 7. *Solium tuum ſeculum & perpetuitas. Sceptrum rectitudinis ſceptrum regni tui.* Eſt *Rex*, cujus *Regnum in ſeculum non corrumpitur, nec alteri populo traditur* Dan. 2: 44. confer Zach. 9: 9. Eſ. 9: 5. 6. 32: 1.

Semen hoc ædificat domum Domino; quæ Eccleſia eſt. §. 72. *Illud ædificabit mihi domum.* confer Zach. 6: 12. *Vir, Germen, ædificabit templum Domino.* Prov. 9: 1. *Sapientia ædificavit Domum.* Eccleſia eſt *Domus Dei viventis*, 1 Tim. 3: 15. *templum Dei.* 1 Cor. 3: 16. Hujus templi domusque exſtructor Filius David eſt. Hebr. 3: 3. 4. *Tanto Chriſtus majore gloria dignus Moſe, quanto majorem honorem habet domo is, qui eam paravit.* ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας, θεός, *qui autem omnia ædificavit Deus eſt.* Igitur & *Semen Davidis* ædificans domum Deo, *Deus* eſt, adeoque verus θεάνθρωπος. Ædificavit *domum* Deo; nec tantum, ſed in ſe ipſo illam ædificavit. *Super hanc Petram ædificata eſt Eccleſia.* Matth. 16: 18. Ita non tantum eſt *Architectus* τεχνίτης καὶ δημιουργὸς (Hebr. 11: 10.) *Spiritualis hujus domus*, 1 Petr. 2: 5. ſed & ὁ θεμέλιος *fundamentum* 1 Cor. 3: 11. & λίθος ἀκρογωνιαῖος *lapis angularis* illius. 1 Pet. 2: 6. Eph. 2: 20. Mirabilis igitur & divina hæc domus eſt. Idem illius architectus; idem illius fundamentum; idem illius lapis angularis. Chriſtus Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſivit, Spiritu ſanctificavit, verbo vocavit, merito juſtificavit, interceſſione ſervat, & in adventu noviſſimo glorificabit pleniſſime. Ergo nemo illius exſtructor, aut fundamentum eſt, quam Chriſtus Dominus. *Salus eſt in nullo alio.* Actor. 4: 12. *A Domino factum eſt* hoc ædificium. Pſalm. 118: 22. 23. Igitur eſt מוּסָד מוּסָּד *fundatum* optime *fundatum*, ſive *fundatiſſimum.* Eſ. 28: verſ. 16. Domus hæc è *lapidibus vivis* confecta eſt. *Et ipſi* ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε *ædificamini.* 1 Pet. 2: verſ. 5. Cui autem ædificata eſt domus hæc? num homini cuidam, aut Angelo creaturæ? Abſit, ædificabit domum לִשְׁמִי *Nomini meo*, inquit Dominus. confer Apoc. 21: verſ. 3. *Ecce tabernaculum Dei inter homines eſt, & habitabit cum illis, & ipſe Deus erit cum illis.* 1 Cor. 3: 16. *An neſcitis, quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Annon ædificata eſt hæc *Domus Domino*, in qua *Dominus* & *Spiritus Domini* habitat? Sed ædificata eſt *Nomini* illius, ut illud *in tota* hac domo ſit אַדִּיר *magnificum* Pſ. 8: 2. & *magnum*, & *mundus purum*

rum illi offeratur, & *ſuffitus* odoris gratiſſimi, Mal. 1:11. hoc eſt, ut Deus in hac domo agnoſcatur, glorificetur, & admirabilis fiat.

§. 73. *Ego ero illi in Patrem*; *& illud* Semen *erit mihi in Filium*. Inſigne hoc prædicatum. *Cui id unquam dictum eſt Angelorum?* nedum hominum? Hebr. 1:5. hoc plane eſt διαφορώτερον ὄνομα *nomen* infinite *excellentius*, *quod* παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν *præ illis* omnibus *hæreditate aſſecutus eſt*, æterna nimirum & naturali hæreditate: unde hoc ipſo demonſtratus eſt κρείττων τῶν ἀγγέλων *major angelis*, imo & hominibus, Hebr. 1: ℣. 4. Deus *Pater* Chriſti eſt. Ioh. 11:41. *Pater, gratias ago tibi, quod exaudiſti me*. Ioh. 14: verſ. 12. *Ego ad Patrem meum vado*. Nec tantum *Patrem* dixit Chriſtus Deum, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον *ſed & proprium Parentem*, quo ipſo judicavit, ἴσον ἑαυτὸν εἶναι τῷ θεῷ, *ſe eſſe æqualem Deo*; Deumque ſublimiori ratione eſſe Patrem ſuum, quam ſanctorum & fidelium. Nec tantum Deus *Pater* Chriſti, ſed & Chriſtus *Filius* Dei eſt. Pſalm. 2:6. 7. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu*. Et ut Deus Pater Chriſti ἴδιος *proprius* eſt, ita & Chriſtus Filius Dei ἴδιος *proprius* eſt. *Qui* ἰδίου υἱοῦ *proprii filii non pepercit*. Rom. 8:32. Dum Deum *Patrem* Chriſti, & Chriſtum *Filium Dei* audimus dici & nominari, omnia maxima & divina & glorioſiſſima cogitare debemus; Chriſtumque *Filium* eundem habere reſpectum ad Deum *Patrem*, quem filii noſtri habent ad Patres carnis ſuos. 1. Omnis filius à Patre genitus eſt. Sunt filii adoptitii, qui quamvis revera ab adoptantibus non ſint geniti, tamen inſtar genitorum habentur, & in locum filiorum aſſumuntur. Filius Dei etiam à Patre genitus eſt. Pſalm. 2:7. *Ego hodie te genui*. Hæc generatio Filii plane eſt divina, & nobis incomprehenſibilis, cujus profunditates ſcrutari non datum eſt ulli. Eſt generatio ſine initio. *Jehova* קָנָנִי *habuit, acquiſivit me genitam, initio viæ ſuæ ante molimina* ſeu *decreta ſua, ab æterno uncta ſum*, dicit de ſe Sapientia. Prov. 8:22. 23. Eſt generatio ſine præteritione. Id dicitur, *hodie* te genui, eſtque; adeo ab æterno in æternum. Ab hac generatione procul removendæ ſunt imperfectiones, quas in humanis deprehendimus generationibus. Hominibus generantibus decedit, quod generatis accedit. Vires adimit & aufert ſibi generans, quas accipit is qui generatur. Mas non generat ſine fœmina. Non ita eſt divina generatio. Nil ad Chriſtum acceſſit; nil à Deo deceſſit. Idem ſemper fuit Deus, idem ſemper Filius; nec umbra eſt mutationis in utroque. Genitus eſt Chriſtus, ſed ſine matre, eſt enim ἀμήτωρ. Hebr. 7: verſ. 3. Generans natura prior eſt & tempore generato. Pater ordine quidem prior Filio, non autem tempore. Filius enim eſt *æternus*. Heb. 7:3. In æternitate autem nullum eſt tempus, nil prius, nil poſterius, omnia ſimul. Ut autem is qui generat, vitam & naturam ſuam & eſſentiam communicat ei, qui generatur; ita dum audimus Filium à Patre genitum, cogitare debemus, Filium accepiſſe à Patre eandem vitam, naturam, eſſentiam, quæ in Patre eſt: & quia eſſentia divina nec multiplicari, nec dividi poteſt; id quod pugnat cum infinita Dei ſimplicitate, unitate & immutabilitate, eundem eſſe ejusdem eſſentiæ cum Patre, & duas perſonas, Patrem & Filium eſſe in una indiviſa eſſentia. Id Chriſtus indicat, dicens, *Ego & Pater* ἕν ἐσμεν *unum ſumus*. Ioh. 10:30. Et Ioh. 5:26. *Ut Pater vitam habet in ſe ipſo, ita dedit & Filio vitam habere in ſe ipſo*, dedit, per æternam nimirum generationem. Ergo eadem ratione eſt *vita* in Filio, ut in Patre; & uterque, Pater & Filius, eſt ὁ ζῶν *vivus Deus*. *Vita* autem hæc omnia divina αὐχήματα in ſe complectitur. Et ut magis appareret Filium genitum longe aliter ſe habere, quam omnes alios ſanctos filios Dei, qui & ipſi dicuntur *geniti è Deo*, Ioh. cap. 1:13. *è ſemine incorruptibili*, 1 Petr. 1:23. confer Iacob. 1:18. *Volens genuit nos ſermone veritatis*; ideo non tantum in Sacris vocatur *Filius*, & dicitur *genitus*, ſed & dicitur ὁ μονογενὴς *unigenitus*, Ioh. 1:18. qui *ſolus* & *unus* hac divina ratione genitus eſt; & πρωτότοκος *primogenitus*, Col. 1:15. ante quem *nullus* ita genitus eſt, ut ita agnoſcamus,

Semen hoc Filius Dei, & Deus Pater illius eſt.

1. Filius à Patre eſt genitus.

mus, plane aliam & divinam *Filii* generationem eſſe. Arriani ita olim ludere ſolebant. *Pater genuit Filium volens.* Ergo potuit non gignere; & potuit Filius non eſſe. Voluntas enim libera eſt, poſſüntque illius actiones non eſſe. Ita illi. Sed Pater genuit Filium naturâ & æterna illa voluntate, quæ immutabilis eſt in Deo. Eſt igitur generatio Filii immutabilis naturæ & voluntatis divinæ opus, ut ita balbutiendo loquar. 2. Omnis gignens gignit ad ſimilitudinem ſui. Geneſ. 5: 3. *Et Adam genuit in ſimilitudine ſua ad imaginem ſuam.*

1 Eſt imago Patris. Igitur oportet, ut & Filius genitus a Deo ſit *imago Dei.* Col. cap. 1: verſ. 15. *Eſt imago Dei inviſibilis.* Hebr. cap. 1: verſ. 3. *eſt ſplendor gloriæ, & character ſubſiſtentiæ illius.* Phil. 2: 6. *Eſt in forma Dei, nec rapinam ducit, eſſe æqualem Deo.* Col. 2: 9. *In illo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Exod. 23: 21. *Nomen meum eſt in medio illius.* Eſt *facies Dei.* Exod. 33: 15. *Facies meæ ibunt.* *Angelus faciei.* Eſ. 63: 9. Hinc Chriſtus. Joh. 14: 9. *Qui vidit me,* inquit, *vidit Patrem. Quomodo igitur dicis Philippe,*

3. Eſt hæres Patris. δεῖξον *nobis Patrem.* 3. Filii κληρονομοῦσιν τῆς ὐσίας τῆς πατρικῆς. hoc eſt, paterna bona hæreditant. Geneſ. 15: 3. *Ecce non dediſti mihi filium, & filius domus meæ,* hoc eſt, famulus meus *hæreditabit me,* ob defectum filii. confer verſ. 5. *Non erit hic heres tuus, ſed qui exibit è viſceribus tuis.* Filii hæredes ſunt naturæ jure omnium bonorum paternorum. Igitur & Filius Dei, à Deo genitus, hæres eſt omnium. Hebr. 1: 2. *quem poſuit heredem omnium.* Illi igitur *poteſtas eſt omnis in cœlo & in terra.* Cœlum eſt ipſius, imo & terra; & quicquid in cœlo & in terra eſt. Igitur eſt Dominus Angelorum & hominum, viſibilium & inviſibilium. Imprimis autem illius hæredii Dominus eſt, de quo eſt Pſalm. 16: verſ. 6. *funiculi ceciderunt mihi in amœnis, & hereditas decora mihi,* hoc eſt, ſanctorum electorum, quorum ita hæres eſt Chriſtus, ut & ipſi ſint *coheredes Chriſti,* Rom. 8: 17. imo *heredes Dei per Chriſtum.* Gal. 4: 7.

Eſt Filius Dei ἐν δυνάμει. §. 74. Id recte eſt eſſe Filium Dei ἐν δυνάμει *in potentia.* Rom. 1: 4. Omnes nos ſumus *Filii Dei.* Joh. 1: 12. Rom. 8: 14. 16. Galat. 4: 6. 1 Joh. 5: ✠. 1. 2. Hoſ. 2: 1. ſed filii ἐν ἀσθενείᾳ *in infirmitate;* filii non *natura,* ſed *gratia. Natura* ſumus *filii iræ,* Epheſ. 2: 3. *Gratia autem Dei ſum, quod ſum.* 1 Cor. 15: 10. Solus Chriſtus Filius eſt ἐν δυνάμει *in potentia,* hoc eſt, qui potentiam habet divinam, per quam mundum condidit, per quam mortuos vivificat, per quam Deo reconciliat, per quam *fert omnia,* Hebr. 1: 3. confer Eſ. 40: 10. *Ecce Dominus* בְּחָזָק יָבוֹא *cum potentia venit.* Nec tantum, ſed & dicitur Filius Dei *in potentia,* hoc eſt, in omnipotentia ſignificationis eſt auditque Filius Dei, ita ut omnis δύναμις *vis & potentia,* quam vox *Filius* in latitudine ſua complectitur, in Chriſto Filio Dei eſſe cenſenda ſit; illumque habere vere & eſſentialiter omne id, quod vox Filius λογικῶς nobis poteſt facere in mentem venire, ſtatuendum ſit indubitabiliter.

§. 75. Igitur non opus eſt, ut anxie & ſollicite conquiramus argumenta, an Filius ſit Verus, Æternus, Omnipotens Deus: nam hoc omnium argumentorum maximum eſt, quod unum & ſolum abunde ſufficit æternæ illius divinitati probandæ, quod eſt & dicitur *Filius Dei,* & quidem *in potentia.* Qui enim *Filium* dicit, dicit illum abæterno genitum, ejuſdem cum Patre eſſentiæ, vitæ, naturæ, potentiæ, gloriæ; Viſibilem imaginem Dei inviſibilis; Hæredem omnium, Regem omnium, Dominumque vivorum & mortuorum, adeoque dicit illum *Magnum illum Deum,* Tit. 2: 13. *Verum Deum,* 1 Joh. 5: 20 *Deum benedictum ſuper omnes in ſecula.* Rom. 9: 5.

Quid ſit Ero illi. §. 76. Dicit autem Deus, אֶהְיֶה לוֹ *Ero illi in Patrem, & illud erit mihi in Filium.* confer Hebr. 1: 5. ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ αὐτός ἔσται μοι εἰς υἱόν. Quod ab æterno eſt, ante mundum conditum, ante montes fixos, ante abyſſum omnem, imo לִפְנֵי כֹל ante omnia

Dei

Dei *molimina* & decreta, Prov.8:23.24.id futurum enunciatur, Ero illi in Patrē, & ille mihi in Filium, quomodo?per apertam & claram denunciationem & demonſtrationem.Ita cum *vox è cœlo dixit, hic eſt Filius meus dilectus*, Matth.3:17. 17:ꝟ.5. certe impletum eſt, quod hic Deus promittit,Ero illi in Patrem, ille mihi in filium. Magis, quum Pater ipſi dedit *verba Dei loqui*, & *Deum invisibilem enarrare*, & maxima *opera facere*. Joh.1:verſ.18. 3:34. 5:20.36. 10:25. 14:10. 15:24.17:4. Magis,quum *ſolutus doloribus mortis*, Actor.2:ꝟ.24. excitatus eſt e mortuis. *E reſurrectione* enim *mortuorum* præciſè *definitus* eſt, cum excluſione quaſi Angelorum & hominum, & publice quaſi digito monſtratus omnibus, *Filius Dei in potentia, ſecundum Spiritum Sanctitatis*. Rom. 1:4. Magis, quum *exaltatus dextra Dei ſedit ad illam, & Spiritum promiſſionis* inde *effudit*. Actor.2:33. Inde enim ἀσφαλῶς *ſecure agnoſcamus*, credamus, confiteamur, quod Deus illum ἐποίησε *fecit* & ſolemniſſime declaravit, non tantum κύριον καὶ χριστὸν *Dominum & Chriſtum*; Actor.2:36. ſed & *filium unigenitum*, cum Patre *unum*, æternum & omnipotentem *Deum*.

§.77. De hoc Semine, quod *ædificat domum Domini*, cujus *ſolium firmat Deus*, quod eſt *Filius Dei*, ita porro vaticinium habet. *Et redarguam illud virgis hominum, & plagis filiorum hominis*. Notæ fuerunt παθήματα *paſſiones*, ferendæ à Semine. Filius Dei *virgis* hominum redargutus & cæſus eſt. Pilatus *dedit illum flagellandum*, Matth.cap.27:verſ.26. Marc.cap.15:verſ.15. *acceperunt calamum, & verberarunt caput illius*, Matth.cap.27:ꝟ.30. confer Eſ.50:6. *Tergum meum dedi cædentibus me*. Imo & *plagis filiorum hominis* adfectus, hoc eſt, illis plagis, quibus *filii hominis* in ſceleratos ſolent animadvertere & ſævire: qualis plaga erat, *Mors crucis*. Ita Chriſtus Dominus *per manus improborum adfixus ligno* ſuccubuit. Actor.cap.2:verſ.23. Deus id ſibi attribuit,quod improbi fecerunt:quia omne id factum τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει θεοῦ. Actor.cap.2:verſ.23. Imo quod alibi ut opus Diaboli deſcribitur, *ſerpens illi calcem conteret*, Geneſ.cap. 3: verſ. 15. unde & Satan dicitur חָפֵץ דַּכְּאוֹ *voluptatem habuiſſe* & deſiderium *atterendi illum*. Eſ.cap. 53:verſ. 10. Ad has virgas & plagas referendæ etiam ſunt internæ paſſiones *animæ*, cujus *triſtitiam* plangit, Matth.26:38. *Cordis*, quod *in ceram verſum*; & *in medio viſcerum liquefactum* conqueritur. Pſ.22:15. *Spiritus*, quem παρέδωκε & ἀφῆκε & *in manus Patris commendavit*. Joh.19: verſ.30. Luc.23:26. Matth. 27:50.

Semen hoc plagis afficiendum & virgis redarguendum.

§.78. Sed quid cauſæ fuit, quod *Filius Dei* Altiſſimi, *Semen* Davidis ita cæſus & percuſſus fuit? בְּהַעֲוֺתוֹ *eo quod prave egit*, inquit Prophetia. Filius Dei in ſe *ſanctus* eſt, *peccatum non novit*, 2 Cor.5:21. qua factus *Semen* Davidis, hoc eſt, *homo* ὅσιος eſt, ἄκακος, ἀμίαντος, *a peccatoribus ſeparatus*. Hebr.7:26. confer Joh.8:46. Eſ.53:verſ.9. Attamen quatenus *miſſus eſt in ſimilitudine carnis peccati*, Rom.8:3. & *peccata noſtra tulit*. *Dominuſque incurrere fecit in illum pravitates omnium noſtrum*, Eſ.53:4.6. noſtraque peccata illius facta ſunt, unde & illa appellat *ſua*. Pſalm. 40: 13. *apprehenderunt me pravitates meæ; plures ſunt capillis capitis mei*, & Pſalm. 69: 6. peccata ſuorum vocat *ſtultitias ſuas*; & *inter improbos* prave agentes habitus ac *numeratus*, Eſ.53:12. & *Belial* æſtimatus fuit, Pſalm.41:9. eatenus inquam dicitur *egiſſe prave*. Quod nos egimus,ille egiſſe dicitur, quia Sponſor & Mediator noſter factus eſt: dicitur *egiſſe prave*, quia prave acta luit, & quod *non rapuit, reſtituit*. Pſalm. 69: verſ. 5. Quia *prave egit*, hoc eſt, quia prave acta aliorum in ſe ſuſcepit, pro prave agentibus ſpopondit, *peccatum multorum tulit*, & *pro defectoribus interceſſit*, Eſ.cap. 53:12 ideo virgis cæſus, plagis adfectus, à Deo deſertus, morte multatus, & in crucem exaltatus fuit. Idem igitur hic dicitur,quod Eſ.53:5. *dolore affectus eſt propter defectiones noſtras, & attritus propter pravitates noſtras*.

§.79. Quam-

Gratia tamen Dei ab illo non receſſit.

§. 79. Quamvis autem ob pravitates commiſſas ab aliis, & in illum injectas, illique ut Sponſori & Vadi imputatas, tanta perpeſſus ſit, & à Deo rejectus ac derelictus, & in pœnam exemplarem traditus ſit, nihilominus *Gratia Dei* manſit ſuper illum, nec *receſſit ab illo*; Deuſque qui *parvo tempore* illum deſeruerat, amore illum & gloria ac majeſtate coronavit, Pſalm. 6: verſ. 8. & à plagis ſanato, à mortis doloribus ſoluto, è ſepulchro educto ἐχαρίσατο *gratis donavit illi nomen ſuper omne nomen.* Phil. cap. 2: verſ. 9. Vide, *gratis* donavit. Ita *gratia Domini* à Filio Davidis non receſſit. Quinimo ſi unquam *gratia*, *amore*, & *benevolentia Dei* gaviſus fuit (Matth. cap. 3: verſ. 17. ἐν ᾧ εὐδόκησα) ſane illa gaviſus eſt poſt παθήματα, mortem & humiliationem. *Agnus enim mactatus fuit dignus accipere robur, gloriam & benedictionem.* Apoc. cap. 5: 12. *Gratiam Dei* à Filio Davidis cæſo & percuſſo non receſſiſſe monſtrat, quod in mediis plagis *Angelus è cœlo viſus eſt* ἐνισχύων αὐτόν, Luc. cap. 22: verſ. 43. quod *ſpiritus* illius ſolutus à corpore per mortem, *fuit* cum Patre *in Paradiſo*, Luc. cap. 23: verſ. 43. *& in manus Patris ſuſceptus*, ibid. verſ. 46. quod fuit εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. Hebr. cap. 5: verſ. 7. Imo docet id *reſurrectio* illius è mortuis; *receptio illius ſurſum in gloriam*; collocatio ejus *ad dextram* Omnipotentis; miraculoſa & ſalutaris *effuſio Spiritus promiſſionis Sancti, ſecundi Paracleti*, in Eccleſiam & Apoſtolos.

Domus David idem quod Semen; ejus perpetuitas.

§. 80. *Et ſtabilis erit domus tua & regnum tuum in ſeculum.* Vocatur nunc *domus David*, qui antea *Semen David, Filius Dei* nominatus erat. confer Zach. cap. 12: verſ. 8. *Et domus David* erit כֵּאלֹהִים *ut Deus*, hoc eſt, Filius David demonſtrabitur *Deus* omnibus. (כְּ *veritatis* ſæpe eſt nota, ut & ὡς apud Græcos: Joh. cap. 1: verſ. 14. *Gloriam, ut unigeniti*) *Domus* David, hoc eſt, Filius illius ſpiritualis, Chriſtus, *& regnum illius* נֶאְמָן *manet in ſeculum. Juravit illi Dominus, tu es Sacerdos in ſeculum*, Pſalm. 110: verſ. 4. *una pro peccatis victima oblata, in perpetuum ſedit ad dextram Dei.* Hebr. cap. 10: verſ. 12. *Semper vivit*, Hebr. cap. 7: verſ. 25. *Et vivo, & fui mortuus, & ecce vivo in ſecula ſeculorum*, Apoc. cap. 1: verſ. 18. *Ad multiplicandum imperium, & paci non erit finis ſuper ſolio David, & regno illius, à nunc & uſque in ſeculum.* Eſ. 9: 6.

David hunc Prophetiæ hujus ſenſum optime intellexit.

§. 81. Hic verus oraculi hujus ſenſus eſt, verbis congruus, fidei conformis, & ſubjecto, hoc eſt, Chriſto Domino aptus & conveniens. David in hunc imprimis ſenſum illud accepit. Hinc poſtquam oraculum audiviſſet, & illuminante Spiritu bene intellexiſſet, & quanta gratia Deus ſe dignaretur, Meſſiam, Servatorem, Æternum Regem, Caput Eccleſiæ, Domum Dei, *è lumbis*, hoc eſt, familia illius manifeſtandum promittens, probe animadverteret, in humillimam gratiarum actionem erumpit. *Quis ego*, inquit, *Domine Deus, & domus mea, quod me adduxiſti huc uſque? Et parvum adhuc hoc in oculis tuis Domine Deus, & locutus es etiam de domo ſervi tui* לְמֵרָחוֹק *in longinquum*, hoc eſt, in omne tempus. וְזֹאת תּוֹרַת הָאָדָם *Et hæc eſt Lex hominis, Domine Deus!* hoc eſt, quæ in vaticinio hoc eximio locutus es, Domine, ea ſunt fundamentum & ſumma *Legis* illius, ad quam homines *preſtolabuntur*, Eſ. cap. 42: verſ. 4. in qua lege *beatus eſt, qui ambulat.* Pſalm. 1: verſ. 2. Eſt enim Lex fidei ad juſtitiam omni credenti. Pro his verbis alia verba ſunt non minus emphatica, 1 Chron. 17: 17. וּרְאִיתַנִי כְּתוֹר הָאָדָם הַמַּעֲלָה *& vidiſti me, ut in ſerie hominis, qui ſupra eſt*, hoc eſt, gratioſe me aſpexiſti & conſideraſti ut in ſerie Chriſti *Domini*, & *Filii hominis*, qui *ſupra omnia eſt*, *altior factus cœlis*, Hebr. 7: 26. conſideraſti me, ut *Patrem* illius; vel, *vidiſti meum ordinem, ut ordinem Chriſti*: promiſiſti enim mihi Filium Chriſtum.

§. 82. Denique ſubmiſſe rogat, ut quæ Deus, *de domo illius* h. e. de Regno & Paſſionibus Chri-

Chriſti locutus erat, *ſtare faceret in ſeculum, & domui illius benediceret*; hoc eſt, omni poſteritati ſuæ in Chriſto, benedictionis Autore, benedictiones veras & ſpirituales conferret לְעוֹלָם *in ſeculum.* 2 Sam. 7: 18 – 29. 1 Chron. 17: 17 – 27. Neque enim Davidem hæc intellexiſſe de corporali & caducâ ſua domo, apparet ex ultimis illius verbis, ubi docet, *Domum ſuam non eſſe ita rectam apud Dominum*; *non* ſemper *germinaturam*; tunc autem *omnem illius ſalutem exſtituram*, cum illa *non germinaret*, hoc eſt, tum implenda illa, quæ de *domo* ſpirituali, hoc eſt, Chriſto *Semine*, ſalutis Cauſa & Principe, gratioſè illi promiſſa erant & prædicta.

§. 83. Non tamen negari poteſt, eſſe in hac Prophetia nonnulla, quæ & in Salomonem filium Davidis accommodari poſſint; adeoque Salomonem ut typum benedicti Seminis, hoc eſt, Chriſti habendum eſſe. Ita & David ipſe hæc verba, *Ille ædificabit domum Nomini meo*; *Ille erit mihi in filium, egoque illi in Patrem, & ſtabiliam ſolium Regni ejus ſuper Iſraël in ſeculum*, Salomoni applicat, 1 Chron. 22: 8. 9. 10. quod & ipſe facit Salomoh. 1 Reg. 5: 5. *quemadmodum dixit Dominus ad Davidem Patrem meum*; *Filius tuus, quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, hic ædificabit domum nomini meo.* confer 1 Chron. 28: 6. 7. Sed omnia hæc umbratiliter tantum & imperfectè in Salomone & filiis illius impleta ſunt. Ædificavit Salomo *domum* Deo, ſed materialem tantum, & *manu factam, in qua* proprie *Deus non habitat*, Actor. 17: 24. Eſ. 66: 1. quæ non ita longo tempore ſtetit, ſed ut omnia humana collapſa eſt. *Stabilivit* Deus *Regnum illius*, quod tamen non longæ durationis fuit: nam ſub Rehabeam diviſio tribuum facta eſt, & defecerunt decem. Et in captivitate Babylonica omnino ſceptrum eſt ablatum, Regnumque deſiit. Fuit Salomoh *Deo in Filium* & vocavit nomen illius יְדִידְיָה *dilectus Domini*, 2 Sam. 12: 28. ſed id ſemper verum manet, etiam reſpectu Salomonis: *Cui unquam dixit, Tu es Filius meus?* Salomoh & poſteri ejus *prave agentes virgis hominum* cæſi ſunt. Salomoh in vivis habuit adverſarium Jeroboamum. Rehabeam deſertus eſt à decem tribubus. Filii illius ſæpè ab hoſtibus cæſi ſunt. Sceptrum denique & Diadema à Rege Babylon planè ablatum eſt. *Gratia Dei* non receſſit à domo David, qui ſæpè liberavit illius poſteros, ut Hiskiam & Joſiam; qui denique in plenitudine temporis fecit prodire è domo illius Semen promiſſum, Chriſtum Dominum. Igitur hoc oraculum accommodemus licet Salomoni & familiæ illius, ut typo, figuræ & umbræ. In Chriſto autem eſt illius veritas, corpus, & conſummatio.

Oraculum hoc etiam in Salomonem ex parte quadrat.

§. 84. David ut ut ſanctus, pius, bonus, clemens, graviter tamen ſæpe offendit & lapſus eſt. Memoravit Scriptura nonnullos illius lapſus, ut exemplo illius diſcamus cauti eſſe, & nobis non confidere.

Lapſus Davidis.

§. 85. Dormiverat David & ſomnum ceperat, aſcendit in tectum, videt fœminam ſe lavantem, capitur illius forma, rem cum illa habet, concipit illa ex illo: ne res palam fiat, jubet Uriam maritum è caſtris adeſſe, domum intrare ſuam, & ad uxorem accedere; ſine dubio propterea advocavit Uriam ut ex illo domum reduce putaret civitas gravidam factam mulierem Batſebam; ſed cum Urias recuſaret præ reverentia debita Regi domum intrare ſuam, conſilium capit, quomodo è medio illum tollat, & deinde Batſebam ſibi jungere uxorem poſſit. Lege hiſtoriam 2 Sam. cap. 11: verſ. 1 – 28. Horret animus referre. Sanctiſſimus Vir, Amicus Dei, tot Spiritus Sancti dotibus inſtructus, adulterium committit & homicidium; utrumque præceptum, *Non occides, Non adulteraberis* turpiter violat. Vitam aufert Uriæ; honorem Batſebæ. Nec tantum conſcientiam ſuam polluit, ſed & autor fit fœminæ, ut conjugalis fidei oblita turpi-

Congreſſus cum Batſeba; & Uriæ cædes.

turpiter ſe proſtituat. Ubi fuit, ô David, pietas tua, ubi fides, ubi timor Dei, ubi conſcientia, cum te dediſti in ſcelera hæc præcipitem?

Otium libidinem alit.

§. 86. Otium, quod tunc agebat David, turpem hanc excitavit libidinem. Otioſus ſedebat Hieroſolymæ. Bellica negocia commiſerat Joabo; is obſidione cinxerat *Rabba* urbem: curabat cuticulam; ſomnium de prandio ceperat: cumque turpe ſit παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα, hoc eſt, *Virum ſapientem totam ſomno conſumere noctem*, ille non tantum noctu, ſed & de die dormit. Otium libidinem alere omnes fatentur gentes. Ovidius

Quæritur Ægiſthus quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

§. 87. In tecto cum ambularet oculis ſubjicit omnes res circumjacentes. Ita videt mulierem ſe lavantem, quam turpiter deperit, turpius violat, violatam turpiſſime dimittit. Nonne te decuiſſet, ſancte vir, *fœdus pangere oculis, ne conſiderares virginem*? Job. 31:1. neque *concupiſcere pulchritudinem illius in corde tuo, nec palpebris illius capi*? Prov. 6:25. Et tu Batſeba, cur te ſub dio laviſti, ubi nuda à viris ſpectari poſſes? num forma tua fecit te ſuperbire, ut illam oſtenderes publice? aut num libidine acta non potuiſti te intra parietes tuos continere? cur Regis te dediſti in obſequium? obedientiam illi debebas cum juſtitia; non ſubjectionem cum turpitudine. Viro tuo poteſtatem feceras corporis tui, illam cum Rege partiri omnino te dedecuit.

§. 88. Joſeph adoleſcens, cœlebs, mancipium heræ, provocatus, ſpe gratiæ munerumque allectus, fortiter reſtitit, nec *obedivit Heræ*, לִשְׁכַּב אֶצְלָהּ לִהְיוֹת עִמָּהּ. Geneſ. 39:1-12. David ætate gravis, multarum mulierum vir, ſummus infirmæ Batſebæ Dominus, ſua libidine provocatus, ſpreta Dei lege, abjecto divinæ vindictæ metu, mulierem, minime id præſumentem, advocat, cogit, adulterat. Quantum ſcelus!

David numerari vult populum.

§. 89. Nec minus peccavit, cum elatus ſuperbia & ſtoliditate cordis *numerari* juſſit populum, quod ipſe Joabus, quanquam eſſet אִישׁ דָּמִים *vir ſanguinum*, interfecerat enim doloſe *Abnerum* 2 Sam. 3:27. & *Amaſam* 2 Sam. 20: verſ. 10. abhorrebat: nam, ut eſt 1 Chron. 21:6. נִתְעַב *abominatus eſt verbum Regis Joab.* Hæc Davidis ſtultitia multorum cæde piata eſt. 2 Sam. 24:1-24. 1 Chron. 21:1-27.

Incitatus à Satana.

§. 90. Id notandum, quod dicitur 2 Sam. 24:1. *Et accenſa eſt ira Domini in Iſrael,* וַיָּסֶת אֶת־דָּוִד בָּהֶם *& incitavit Davidem in ipſos, I numera Iſraelem*: quis incitavit Davidem? numquid Dominus? aut num imperſonaliter accipiendum, id eſt, pro, *Aliquis*, vel *aliquid incitavit.* Quis fuerit ille *Aliquis* patet è 1 Chron. 21:1. *Et ſtetit Satan contra Iſraelem, & incitavit Davidem ad numerandum.* Igitur Satan is fuit, qui incitavit Davidem. Satan incitavit ad peccata Chriſtum; ſed labore fruſtratus eſt. Matth. 4. Apoſtolos *quæſivit ventilare ut triticum*: ſed Chriſtus pro illis interceſſit. Luc. 22:32. *Ambulat* adhuc, *quærens, quem devoret*, 1 Pet. 5:8. ſed pro nobis eſt Chriſtus, dicens, *Increpet te Dominus* Jud. ℣. 9. qui tamen tentationi ſæpe ſuccumbimus. Ita & Davidem Satanas incitans, miſerum cepit. Igitur non Deus Davidem incitavit, ſed Diabolus. Ut Deus *neminem tentat* Jacob. 1:13. ita neminem ad malum incitat: nullius peccati cauſa eſt Deus, omnis autem boni fons & Autor eſt Dominus Deus noſter.

Reſipiſcentia Davidis.

§. 91. Peccavit igitur quidem David, ſed & a peccato reſipuit. lapſus eſt, ſed & reſurrexit: ſivit illum Deus labi, non ſivit illum in peccatis mori. Poſt occiſum Uriam ſtatim adeſt Monitor Natan 2 Sam. 12:7-12. Pſalmus quinquageſimus primus reſipiſcentiam illius & cordis contritionem teſtatur, & quale remedium quæſiverit peccato; nim. implorat

gra-

gratiam Dei, petit remiſſionem peccatorum, expiationem per Iſob, creationem novi cordis. Poſt numeratum populum *pulſavit illum cor illius*; coëgit conſcientia, & Spiritus Sanctus, qui ut *mundum*, ita & ſanctos de peccatis redarguit, coëgit inquam illum dicere, *Peccavi valde Domino*, נִסְכַּלְתִּי מְאֹד *ſtolide egi valde* 2 Sam. 24: 10. Non renuit caſtigationem divinam: norat enim, *illam retribuere pacificum fructum juſtitiæ.* Hebr. 12: 11. Ideo ſponte ſe ſubmittit, dicens: *cadamus in manus Domini*; *nam multæ ſunt miſerationes illius.* 2 Sam. 24: 14.

§. 92. Et ut Deus dixerat in ſupra citato oraculo, *Cum Semen tuum prave aget, corripiam illud*, ita & ipſi factum Davidi. Bone Deus, quam plena fuit vita illius calamitatum, dolorum, amaritudinum! Puer, quem ex inquinato Batſebah pepererat thoro, moritur. 2 Sam. 12: 15 -- 24. *Tamar* Filia ab *Amnon* fratre ſtuprum patitur. *Abſolom* cruentas in vindictam ſceleris manus inter epula Amnoni infert. 2 Sam. 13: 1 -- 38. Idem Abſalom contra Regnum Patris conjurat. Cogitur David ex urbe regia exire, & in exilium proficiſci. 2 Sam. 15. Abſolom pellices Patris publico congreſſu adulterat. 2 Sam. 16: 21. 22. 23. In fuga dum eſt, a Simeï maledicitur, & lapidibus petitur: tulit id David patienter *Maledicat*, inquit, *nam illi dixit Jehova* כִּי־אָמַר לוֹ יְהוָה 2 Sam. 16: 11. Non certe dixit id Dominus, ut jubens, aut licitum faciens; ſed dixit ut Judex, judicans, & Davidem ita humiliandum, & Simeï dignum, qui in tantum ſe præcipitaret ſcelus, dixit, ut impudenti flagitatori, id unice deſideranti, & quærenti occaſionem, maledicendi Regi & Domino ſuo. *Dixit* igitur Deus, quatenus ei occaſionem hanc dedit, & timore peccati ac ſceleris non inhibuit. Ita Satanæ dixit, ut Jobum percuteret. Denique Abſolom miſere perit, cujus mortem *cum horrore* deploravit, ſubinde dicens, *Fili mi, Fili mi Abſolom. Utinam mortuus eſſem ego pro te, Abſolom, Fili mi, Fili mi!* 2 Sam. 19: 1. Non tam deplorat, quod mortuus eſt, quam quod in peccatis mortuus eſt, & interiit. Caſtigationes illius.

§. 93. David Rex fuit πολύγαμος, plurimasque habuit uxores & concubinas. 2 Sam. 3: 2 -- 5. 5: 13. 14. 1 Chron. 14: 3. 4. David fuit πολύγαμος.

§. 94. Polygamia antiquo olim uſu obtinuit. *Lamech* Caini Nepos *ſumpſit ſibi* שְׁתֵּי נָשִׁים *duas mulieres.* Gen. 4: 19. *Lamechus*, inquit Hieronymus, *improbus vir fuit, qui unam coſtam diſtraxit in duas*. Gen. 6: 2. dicuntur *Filii Dei*, hoc eſt, ſancti *ſumpſiſſe ſibi mulieres*, forſan plures una, ut notetur, & illos jam tunc fuiſſe πολυγάμους. Eſau plures habuit uxores, *& duxit Machalat filiam Iſmael* עַל נָשָׁיו *præter uxores ſuas*, quas jam habebat, לְאִשָּׁה *in conjugem.* Geneſ. 28: 9. Jacob duas habuit ſorores, *Leam & Rahel*; dein & Ancilla Leæ, ac Ancilla Rahel illi exſtitit לְאִשָּׁה *in uxorem.* Gen. 29: 23. 24. 30. 30: 4. 9. Elkanæ *duæ erant mulieres Hanna & Peninah.* 1 Sam. 1: 2. Et quid juvat in re manifeſta plura adducere exempla? Polygamia diu in uſu fuit.

§. 95. Putant multi, Polygamiam in libris Moſis nullibi eſſe vetitam. Unde Cajetanus in Geneſin, *Conſideret*, inquit, *pius lector, de Polygamia nullam diſertis verbis ſcriptam eſſe Legem.* Atqui vetuit illam Moſes claris & diſertis verbis Levit. 18: verſ. 18. וְאִשָּׁה אֶל אֲחֹתָהּ לֹא תִקָּח *Et uxorem ad ſororem ejus ne ducas.* Hebraiſmus eſt, & notatur, unam mulierem ad alteram non eſſe adjungendam. Eadem loquendi ratione dicitur, *Et dicent* אִישׁ אֶל אָחִיו *Vir ad fratrem ſuum*, hoc eſt, alter ad alterum, confer Exod. 26: 17. אִשָּׁה אֶל אֲחֹתָהּ *altera ad alteram*, addit Moſes, *ut denudes nuditatem ejus ſupra illam in vita ejus.* Polygamia a Moſe vetita.

§. 96. Polygamia contraria eſt primæ inſtitutioni conjugii. Uni viro unam condidit uxorem Deus, non plures. *Vir adhærebit uxori ſuæ*, inquit, non uxoribus. Gen. 2: 24. Ad- Polygamiam illicitam eſſe probatur.

Addit, *Erunt in carnem unam.* ibid. Id ita expreſſit Chriſtus, *Et erunt* οἱ δύο *duo illi*, Vir unus & Fœmina una, εἰς σάρκα μίαν Matth. 19:5. Scite hac de re *Malachias* cap. 2: 15. *Nonne unum fecit* Deus? nim. unum par hominum, unum unius cum una conjugium; unum Adamum virum, unam Evam fœminam, de quibus dixit, *Erunt in carnem unam*: addit Propheta, *Et reliquum ei erat ſpiritus*; Spiritus & potentiæ ſatis ipſi ſuperfuit ad condendum plures Adamo conjuges. *Et quid unum illud*? una caro duorum, inquit Malachias: reſpondet, *Quærebat Semen Dei*, hoc eſt, ut è conjugio ſanctum Semen gigneretur & naſceretur; non obſcure docens, ubi non eſſet אֶחָד *unum*, una duorum caro, Semen ſanctum haberi non poſſe. Polygamia pugnat cum amore conjugum, & ſic rectitudine conjugum, impoſſibile eſt, ut vir multarum conjugum omnes ex æquo amare poſſit. Ita de Jacobo notatur, illum amaſſe Rahel præ Leah. Geneſ. 29:30. & Elkanah imprimis amabat Hannam. 1 Sam. [illegible]: 5. Atqui vir debet amare conjugem amore intenſiſſimo & perfectiſſimo. In Polygamia committitur *perfidia*. Mal. 2: verſ. 14. *Jehova teſtatus eſt inter te & inter uxorem juventutis tuæ, cum qua tu perfide agis, quum illa ſit ſocia tua, & uxor fœderata tua. Teſtatus eſt*, inquit inter te, dicendo nim. *Vir derelinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Tu autem *perfide agis* cum illa, dum non vis eſſe cum illa *unum*; ſed & adhæres alii. Ineſt etiam in illa *mœchatio*. Si enim is *mœchatur*, qui *relinquens uxorem ſine cauſa ſcortationis, ducit aliam*, Matth. 19:9. quidni is mœchabitur, qui retinens *uxorem juventutis ſuæ*, κουριδίην ἄλοχον, præter illam ducit aliam? Polygamia ſcatebra eſt multarum rixarum & contentionum: plures enim mulieres ſibi *invident*. Geneſ. 30: verſ. 1. *Et Rahel invidebat Sorori ſuæ*, ſe mutuo *infeſtant* & irritant, 1 Sam. 1:6. vocatur *Penina* צָרָתָהּ *infeſtatrix illius*, nim. Hannæ, & dicitur *illam valde irritaſſe & commoviſſe.* confer Lev. 18:18. *Ne ducas uxorem ad aliquam* לִצְרֹר *ad infeſtandum*, hoc eſt, ut ſemet invicem infeſtent, & controverſiam ſibi faciant; vitique in contentionis partem trahuntur: ita vir vel peccabit in mulierum unam, vel una aut altera mulierum peccabit in virum. Paulus monet. 1 Cor. 7:2. *Propter ſcortationem unuſquiſque ſuam habeat uxorem, & unaquæque ſuum virum*: non dicit *uxores*. Addit, *mulieri vir debitam benevolentiam reddat*, ℣. 3. id in polygamia ſemper fieri impoſſibile eſt. Polygamia facit, ut conjugium terreſtre non ſit amplius typus conjugii cœleſtis. Chriſtus unam habet ſponſam, unam uxorem, unam Eccleſiam. Et polygamus habebit plures uxores, non ergo illius conjugium typus conjugii cœleſtis erit. Polygamia judicium eſt animi incaſti, & ad venerem ac libidinem nimium quantum propenſi. Nuptias unius cum una tot ſequuntur moleſtiæ, quot ferri vix poſſunt, *tribulationem in carne habebunt.* 1 Cor. 7:28. Quæ ergo non ſequentur Polygamiam? *Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*, inquit Paulus, 1 Cor. 7: 4. Atqui ubi plures habentur mulieres, impoſſibile eſt, ut omnes debita ſua poteſtate gaudere poſſint. *Oblecta te cum uxore pubertatis tuæ; ſit cerva amorum, hinnulus gratiæ: ubera ejus te irrigent, in amore illius oberres ſemper*, monitum Salomonis. Prov 5: 19. Id facere non poteſt ὁ πολύγαμος. Laban monebat Jacobum hac de cauſa, *Ne affligas filias meas, neve alias uxores ſuperadducas.* Gen. 31: 50. Romanæ leges vetuerunt Polygamiam. Diocletianus & Maximianus Imperatores decreverunt, *ne quis habeat plures uxores.* Eſt alicubi Lex, *Infames judicentur, qui habent ſimul duas uxores.* Theodoſius, Arcadius, Honorius decreverunt, *ne Judæis, qui viverent ſub Romano imperio, liceret plures uxores ducere.*

§. 97. Liquet Polygamiam pugnare cum fine & prima inſtitutione conjugii, cum rectitudine naturali, cum officio conjugali, cum præcepto divino; imo & cum legibus humanis

non ergo licita eſt, nec unquam potuit eſſe juſta & laudabilis. Quid autem dicemus de Patribus, deque tot ſanctis Dei hominibus, qui polygami fuerunt? num omnes illos tam enormis peccati, & tam ingentis inſimulabimus ignorantiæ? Certe peccatum in nemine debet laudari. Lapſi ſunt ſancti Patres hac in re, ut in multis aliis, non attenderunt nec ad dictamen naturæ, nec ad judicium conſcientiæ, nec ad præceptum legis divinæ, non ſcrutati ſunt hac in parte voluntatem divinam. Deus autem voluit ſilendo & connivendo ad hæc delicta publice manifeſtum facere, quam caro ſit infirma, & ad omnem libidinem prona, etiam in ſanctiſſimis; quam inconſiderate & præcipitanter mens humana agat, niſi indeſinenter moneatur & corrigatur a Deo, quam ſecure homo peccet, vel tantillum relictus ſibi; quanta voluptatis carnalis & ignis libidinum ſit efficacia, ubi non coercetur. Igitur ut olim liberum fuit & permiſſum, ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας *dimittere uxores*, dato repudii libello; non quod illud juſtum eſſet & rectum: *non enim ita fuerat ab initio*, ſed πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν ad detegendam *duritiem cordis illorum*, Matth. 19: ỽ. 8: idem de permiſſa olim polygamia, nec punita, nec ſemper à Deo accuſata bono jure ſtatuemus.

§. 98. David Rex etiam προφήτης *Propheta* fuit. Act. 2:30. Id teſtatur liber Pſalmorum. Scriptura Novi Teſt. ſæpiſſime Davidis meminit; nec ullius priorum Sanctorum frequentior in illa mentio, quam *Abrahami, Moſis* & *Davidis*. Chriſtus ſæpe de illo locutus eſt. Luc. 20: 41. 42. 43. 44. Non puduit vocari *Filius David*. Luc. 1:32. 18:38. nec *natus eſſe è Semine David*. Rom. 1:3. 2 Tim. 2:8. Sed & dicitur *Dominus David*, & *Radix ac genus Davidis*, Apoc. 5:5. 22:16. imo &, *habere* τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβίδ *clavem Davidis*. Apoc. 3: verſ. 7. Apoſtoli è ſcriptis Davidis plurimas veritates demonſtrarunt. Actor. 1: 16. 2: 25-30. 4: 25. & alibi. David Propheta.

§. 99. Eximia ſunt *verba Davidis poſtrema*, quæ in fine vitæ videtur dixiſſe; certe poſt quæ nulla amplius edidit vaticinia. 2 Sam. 23: 1. Illorum nos probe decet eſſe memores. Si enim in laude ponitur, ſcire & noſſe memorabilia Sapientum inter gentiles dicta, Socratis, Solonis, Platonis, de quo Cicero olim dixit, *ſe malle cum illo errare, quam cum aliis verum dicere*, Ariſtotelis aliorumque, quanto magis decet nos non negligere, nedum contemnere *verba ultima* viri ſummi, *in ſublime elati, uncti Dei Jacob, ſuavis canticis Iſrael, ad quem locutus eſt Spiritus Domini, deque quo locuta eſt rupes Iſraelis?* 2 Sam. 23: 1. 2. 3. Davidis verba poſtrema.

§. 100. In his verbis vaticinatur de ortu ſolis, & modo ortus. *Et ut lux matutini orietur Sol.* וּכְאוֹר בֹּקֶר יִזְרַח שָׁמֶשׁ: Chriſtum intelligit, quem alibi nominat Scriptura *Solem juſtitiæ*. Mal. 4: verſ. 2. & *lucem*, imo *lucem veram*. Joh. 1: 4. 9. Illum dicit *orturum*, hoc eſt, *venturum in mundum, ut illuminet omnem hominem*. Joh. 1: 9. Eadem autem ratione ſurrecturum, ut *lux matutini* oriri ſolet, quæ poſt ſpiſſas tenebras noctis, poſt diuturnam diei amantium exſpectationem, cum tenuibus initiis incipit micare, & paulum ad claram lucem emergit. Ita & Chriſtus ortus eſt, poſtquam *tenebræ* mundum impleviſſent. Joh. cap. 1: verſ. 5. Eſ. 9: verſ. 1. poſtquam diu à ſanctis exſpectatus fuiſſet & deſideratus, Matth 13: 17. Act. 26: 7. in humili forma, ſine externo aſpectu, parvam à ſe lucem pandens, ſed poſtea ſerena luce jubaris inſtar omnia perluſtrans. Conſequentias orientis ſolis & effectus ita deſcribit Propheta. *Mane ſine nubibus.* Nubes ſolent in æſtate ſignum eſſe ſubſequentis pluviæ fertilis. Cum incepit Sol juſtitiæ habitare in hominibus parvæ erant apparentiæ pluviæ, incrementi, & victoriæ. Nil tamen illa humilitate obſtante, *herbam* dicit copioſe & *è terra* germinaſſe *a ſplendore & a pluvia*; hoc eſt, poſtquam Sol ortus exaltatus eſt, & ſplendore ac majeſtate coronatus & in gloriam aſſumtus:

imo & Spiritus ſanctus è cœlo *effuſus* eſt, ut aqua & pluvia, Eccleſiam creviſſe numero, donis, benedictionibus, & in altum emerſiſſe. Addit deinde David, de *fœdere Dei æterno, ipſi poſito*, è quo *ſalutem & beneplacitum ſibi* promittit, imprimis ſalutis omnis cauſam & principem, *domo ſua non amplius germinante*. Denique prædicit interitum *filiorum Belial*, tum Judæorum rebellantium, tum Romanorum Draconi ſervientium, tum Beſtiæ efferentis Antichriſtum; illoſque *omnes* fore ut *ſpinam*, quæ ob inutilitatem, & quod nocet ac urit, *amovetur*, exſcindendoſque *ferro & ligno haſtæ, igneque uſtulandos in conſeſſu*, hoc eſt, videntibus illis, qui *ſedent* coram Domino; imprimis autem illo veniente die, quo *ſedebit* ad judicandum vivos & mortuos Filius Dei, Sol, ab illis ſpretus & rejectus. lege 2 Sam. cap. 23. verſ. 4. 5. 6. 7.

§. 101. Sub finem vitæ è tenore mandati divini, quo Salomoh regno deſtinatus erat 1 Chron. 22: verſ. 9. 10. 29: 1. ungi illum, coronari & Regem proclamari juſſit. 1 Reg. 1: 33. 34. 35. Quibus actis *mortuus eſt in ſenectute bona, ſatur dierum, divitiarum, honoris.* 1 Chron. 29: 28.

Salomoh tertius Rex.

§. 102. Salomoh Batſebæ filius, Davidis Patris ſucceſſor, regnum tenuit florentiſſimum, opibus abundans, quiete pacatum, juſtitia boniſque legibus firmatum. In initio Regni animadvertit in nonnullos Reipublicæ domuſque ſuæ hoſtes. Adoniam fratrem, Regni æmulum, morte multavit. Abjatarum Sacerdotem loco movit, ita & tunc impletum eſt *verbum Domini, quod locutus erat de domo Eli in Siloh*. Joabum ἀρχιστράτηγον penes altare vita privavit; Simei maledictori juſtam pœnam retribuit. Omnes hi juſtiſſimo Dei judicio perierunt. 1 Reg. 2: 14-45.

Amavit Deum; ſacrificia multa obtulit.

§. 103. Salomoh dicitur *amaſſe Deum*. וַיֶּאֱהַב שְׁלֹמֹה אֶת־יְהוָה 1 Reg. 3: 3. Ita ille יְדִידְיָה *dilectus Dei*. 2 Sam. 12: 25. Deum dilexit. Non poſſunt non quos Deus diligit, Deum diligere, nemo prior Deum diligit, ſed prius à Deo diligitur. 1 Joh. 4: 19. *Nos diligimus illum*, ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς. Hoc amore actus, ſtipatus *tota Eccleſia Iſraelis* adiit הַבָּמָה הַגְּדוֹלָה *celſum illud magnum, quod erat in Gibeon, ubi erat tentorium conventus Domini, & altare ante tabernaculum, altare*, inquam *aneum, quod Bezalel filius Uri fecerat*. 1 Reg. 3: 4. 2 Chron. 1: 3. 5. Rogas, quid ibi egerit? Reſpondet Scriptura 1. ad *quærendum* ſeu conſulendum *Dominum*. 2 Chron. 1: 5. optime, ita enim fieri oportet. Eſ. 55: 6. *Quærite Dominum, dum invenitur*. 2. *Ad offerendum holocauſta* ſuper *altari æneo coram Domino, ante tentorium conventus*. 2 Chron. 1: 6. Ita juſſerat Deus, ne ullibi ſacrificia offerrentur, quam ſuper altare ſuum, quod tamen poſt deſtructum tabernaculum in Siloh neglectim obſervatum fuit, intrarunt enim ab illo tempore celſa, in quibus adoleverunt; quæ Deus quidem illo tempore permiſit; non tamen unquam probavit, ſed ſæpiſſime culpavit. Etiam Salomoni imputatur, quod fuerit *ſacrificans & adolens* בַּבָּמוֹת *in celſis*. 1 Reg. 3: 3. Salomoh obtulit in ſolemni hoc actu holocauſta multa, *mille* nimirum, idque *faciebat tota Eccleſia cum illo*. 2 Chron. 1: 3. 6. Fecit id Salomoh non ea mente, qua ſuadebat Iſocrates Demonico, ut multas victimas ſacrificaret, quia id eſſet τὸ τῆς χρημάτων εὐπορίας σημεῖον, *opum multarum ſignum*; & ut id faceret μάλιστα μετὰ τῆς πόλεως, hoc eſt, cum *omnis civitas* publice ſacra faceret, quia ita futurum erat, ut videretur τοῖς νόμοις ἐμμένειν *legibus patriis inſiſtere*; ſed *fide* obtulit, quodcunque Salomoh obtulit; & ut exemplum præberet fidei publicum toti cœtui, quo & ille Regis ad exemplum compoſitus, cultum, quem Deus Dominus præceperat, quique fidei & ſpei alendæ proprius erat, omni obſervantia & fide animi obiret.

Illius petitio.

§. 104. In Gibeon, ubi ſolemnia ſacra fecerat, *apparuit illi Dominus in ſomno nocturno* (confer Num. 12: 6. Geneſ. 28: 11. 12.) *& dixit, Pete, quid dabo tibi*. Magna certe & gratuita

tuita Dei liberalitas. Potuiſſet Salomoh petere *vitam longam*, aut *divitias*, aut *honorem*, aut *animam hoſtium*, quæ omnia talia ſunt, ut inter maxima bona hujus vitæ habeantur; quamvis revera fluxa tantum ſint & fragilia. ζωὴ γὰρ τίμιον μὲν, ἀλλ' ἀμετάστατον. πλοῦτος τίμιον μὲν, ἀλλὰ κακίας ὑπηρέτης ἐστὶν, & ſæpe τοῖς πονηροτάτοις μέτεστι. Δόξα γε μὴν σεμνὸν ἀλλ' ἀβέβαιον. Quid igitur petiit Salomoh? חָכְמָה וּמַדָּע *ſapientiam & ſcientiam*. 2 Chron. 1: 10.11.12. לֵב שֹׁמֵעַ לִשְׁפֹּט *cor prudens ad judicandum*, *& ad diſcernendum inter bonum & malum*. 1 Reg. 3:9. Hæc ſunt, quæ Salomoh petiit. Joſephus Archaiologias l. 8. c. 2. τὰ κάλλιστα καὶ μέγιστα καὶ θεῷ παρασχεῖν ἥδιστα, καὶ λαβεῖν ἀνθρώπῳ συμφορώτατα τὸν θεὸν ᾔτησεν. Ipſi olim Gentiles faſſi ſunt, σοφίαν τὸ ἐν ἡμῖν μόνον εἶναι ἀθάνατον καὶ θεῖον. Non igitur male petiit Salomoh, nec ingrata Deo hæc petitio fuit; gratior tamen futura, & in ſe ipſa ſanctior ac perfectior, ſi & illam diſtinctius poſtulaſſet *ſapientiam*, quam David Pater tanti æſtimaverat, deque qua gloriatus fuerat, Pſalm. 51. 8. 9. *In occulto ſapientiam mihi notificaſti. Expiabis me hyſſopo.* Sapientia politica maxime neceſſaria eſt τῷ ὀρθῶς βασιλεύοντι, καὶ τὴν πόλιν, ὡς χρὴ, διοικοῦντι. Sapientia autem cœleſtis & ſpiritualis eſt *melior illa pars*, quæ ante omnia *eligenda* eſt, quærite *primum regnum Dei*. Matth. 6: 33. Sapientiam civilem primo loco petiit Salomoh, & dedit illam illi Deus. Sapientiam, quæ ἄνωθεν *deſuper eſt*, cujus excellentias lege Jac. 3: 17. non ita expreſſe petiit; & nil minus illi, etiam non petenti, divinitus collata eſt. Sapientiæ mundanæ, quam petiit Salomoh, fructus fuit, ut in judicando eſſet ſagax & promtus, cujus ſpecimen edidit in cauſa duarum meretricum 1 Reg. 3: 16-28. ut ſciret accurate loqui de naturalibus, veluti de natura *arborum, pecudum, volucrium, reptilium, piſcium*; denique ut felix eſſet in ſolvendis αἰνίγμασι, qualia *Regina Saba* (Matth. 12:42. βασίλισσα νότου) ipſi objecit. 1 Reg. 4: 31. 10: 1. Tanta hæc in illo fuit ſapientia, ut Scriptura teſtetur, *Sapientiam Salomonis majorem fuiſſe ſapientia omnium filiorum orientis, & omni ſapientia Ægyptiorum*, 1 Reg. 4: 30. quos tamen Antiquitas ſapientiſſimos olim mortalium habuit. Sapientiæ autem cœleſtis & ſpiritualis & ſalvificæ donum fuit, quod de cœleſtibus & iis, quæ in Deo abſcondita ſunt, in quæ ipſi Angeli cupiunt inſpicere, tam eximia cecinit, & vaticinatus eſt. Inde ortum eſt *Canticum* id, quod *Canticum Canticorum* audit, hoc eſt, quod omnia alia cantica, quæ aut Mirjam, aut Moſes, aut Deborah, aut Hanna, aut David, aut ullus ſanctorum olim cecinit, in ſe complectitur, omnibus illis comparandum, ſi non præferendum. Perpetuis id conſtat Dialogis. Perſonæ colloquentes ſunt *Sponſus & Sponſa*, *Amicus & Amica*, *Jeſus & Eccleſia*. Conjugium cœleſte & ſpirituale, Jeſum inter & Eccleſiam, admirabili & incomparabili modo in illo deſcribitur; conjugium inquam illud, quod ſanctos facit cœli cives; beatitudinis hæredes, lucis filios, Chriſti fratres, Dei domeſticos. Inde ortus eſt liber *Proverbiorum*, in quo præter innumerabiles gnomas, ingens pondus ad inſtruendam recte vitam habentes, & ad formandos mores, *Sapientia* æterna Dei, quæ eſt *Filius hodie genitus*, ita deſcribitur, ut quid ſit, unde ſit, & quid illa faciat, latere poſſit neminem, adeoque non poſſit non fieri, ut deinceps *ſapientia juſtificetur a filiis ſuis*. Matth. 11: 19. Quæ de λόγῳ ſcripta ſunt, Joh. 1: 1. 18. hauſta ſunt è capite octavo hujus libri. Ibi *Sapientia* dicitur *genita fuiſſe ante abyſſos*, fuiſſe *initio viæ Dei*, *ante* מִפְעָלָיו *molimina ejus*, hoc eſt, conſilia & decreta. *Unde à ſeculo, ab initio, à primis terræ; fuiſſe apud Deum* אָמוֹן ἐγκόλπιον, *ſinu geſtatam*; *delicias illius die die*, hoc eſt, cottidie, *luſiſſe coram illo omni tempore*, hoc eſt, ſuaviter Patri cohabitaſſe, illumque delectatione affeciſſe. Denique è ſapientia Solomonis ſpirituali ortus eſt liber קֹהֶלֶת dictus; quod vocabulum notat ÷ ἐπισυναγόμενον, hoc eſt, *eum qui ſe recipit ad cœtum*, nimirum ad Eccleſiam Dei vivi. Ænigmatico hoc nomine ſe ipſum Salomoh inſignivit. In hoc libro vanitatem mundi,

Sapientia duplex.

Canticum Canticorum.

Proverbia.

Cohelet.

fragilitatem rerum terrenarum, inconſtantiam bonorum ſublunarium, mortem humani corporis, immortalitatem animarum, ſanctarumque reditum ad Deum, aliaque plura graphice deſcripta ſunt. Putatur in ipſa illius reſipiſcentia ab illo conſcriptus fuiſſe. Scribit præterea Joſephus libr. 8. Antiquitatum cap. 2. *Salomonem excantationes quaſdam & exorciſmos compoſuiſſe.* Atqui non debent illa, quamvis Salomonis nomine circumferantur, pro Salomonis haberi inventis. Superſtitionibus enim ſcatent, & geſtibus ridiculis ac idololatricis repleta ſunt. Pertinet huc *liber clavicula.*

ædificavit domum Domino. §. 105. Ædificavit Salomoh οἶκον *domum* Domino. Actor. 7:47. *in Ieruſalem, in monte Morijah.* 2 Chron. 3:1. Fuit illa *longa cubitos ſexaginta, lata viginti, profunda triginta.* 1 Reg. 6:2. Conſtitit 1. דְּבִיר ἐνσηκῷ *adyto*, quod & *Sanctum Sanctorum* dicitur, eratque *cubitorum viginti.* 2. הֵיכָל *templo, cubitorum* 40. id quod & dicitur הֵיכָל לִפְנֵי *templum anterius.* In דְּבִיר ſive *in domo Sancti Sanctorum fecit* Salomoh *duos Cherubim*, qui *ſuper pedes ſtabant*, & *alis* totum tegebant adytum. *Ante facies* autem *templi* erat הָאוּלָם *veſtibulum.* Tota hæc domus, conſtans *adyto, templo, veſtibulo*, uno ſæpe nomine appellatur הֵיכָל à majori ſcilicet illius parte. 1 Reg. 6: v. 3. 16. 17. 8:7. 2 Chron. 3: 10-13.

§. 106. Fecit etiam *Altare æneum*, 2 Chron. 4:1. *ante veſtibulum.* 2 Chron. 8:12. triplo majus Altari, quod Moſes fecerat. Exod. 38:1. Fecit etiam הַיָּם מוּצָק *mare fuſum*, ut *Sacerdotes ſe lavarent in illo*, ſtetit id ſuper *duodecim boves*, quorum *tres orientem, tres occidentem, tres meridiem, tres aquilonem reſpiciebant.* 2 Chron. cap. 4: verſ. 2-6. Hoc *mare fecit* poſtmodum *deſcendere Rex Achas de bubus æneis, & poſuit illud ſuper baſin lapideam.* 2 Reg. 16:17. Fecit præterea *labrum æneum.* 2 Chron. 3:6. denique fecit *Atrium Sacerdotum*, & *Aream magnam*, וְהָעֲזָרָה הַגְּדוֹלָה 2 Chron. 4:9. in cujus medio *Altare, Labrum, Mare* fuere. 2 Chron. 6:13.

§. 107. Non inutiliter conferetur hæc domus cum tabernaculo Moſaico, quod factum fuit in deſerto, & hucuſque fuerat in Gibeon. Tabernaculum conſtabat *Sancto, & Sancto Sanctorum*; habuit & *Atrium.* Domus hæc conſtitit *Debir*, & *Hecal* ſeu *templo.* habuit etiam *veſtibulum*, quod Græcis dicitur ςόα, Joh. cap. 10: verſ. 23. Actor. cap. 3: verſ. 11. cap. 5: verſ. 12. & *Aream magnam*, & *Atrium Sacerdotum*, quæ non leguntur diſtincta fuiſſe in Tabernaculo. *Mare fuſum* idem non habuit, ſed *labrum* tantum *æneum.* Exod. 30: 18-21.

§. 108. Ut autem tabernaculum Moſis, ita etiam Templum Salomonis fuit ὑπόδειγμα 1. *Corporis Chriſti.* 2. *Eccleſiæ.*

Initiatio domus. §. 109. Ut Domus perfecta fuit, convocavit Salomoh omnem Eccleſiam Iſraël. *Arca, Tentorium conventus*, & *omnia vaſa Sanctuarii, quæ in tentorio erant*, deducuntur à Sacerdotibus & Levitis in דְּבִיר הַבַּיִת *adytum domus*, hoc eſt, *in Sanctum Sanctorum* 1 Reg. 8: 4. 5. 6. Ut ut exeunt Sacerdotes è ſancto, *Nubes implet domum, & gloria Domini*; & Dominus incipit in templo *habitare* בָּעֲרָפֶל *in caligine.* 1 Reg. 8: 10. 11. 12. Sacrificia plurima offeruntur & à Rege, & ab omni populo. Deus autem mittit *ignem è cælo*, qui *holocauſta & ſacrificia comedit.* 2 Chron. 7:1. Omnia hæc etiam facta ſunt, cum tentorium erigeretur in deſerto. Exod. 40: 34. 35. Lev. 9:24.

§. 110. Rex Salomoh peregit in templi initiatione omnia officia boni Regis & ſancti viri, orando & monendo. lege 1 Reg. 8:14 24. Et quamvis nunc Deus videretur *habitare in terra inter homines*, impleverat enim gloria illius domum, tamen agnoſcit Salomoh, Deum domo hac parva capi minime poſſe. *Ecce*, inquit, *cæli, & cæli cælorum te non capiunt, multo minus domus*

domus hæcquam ædificavi. 1 Reg. 8:27. 2 Chron. 2:6. *Quis ſufficeret ad ædificandum ei domum. Et quis ego, ut ædificem illi domum?* כִּי אִם לְהַקְטִיר לְפָנָיו *tantum eſt ad ſuffitum faciendum coram illo.* Hac domo ſtante omnes ceremoniæ Moſaicæ reſtitutæ ſunt; *ſuffitus aromatum, ſtrues* panum *faciei, oblatio holocauſti mane & veſperi, in Sabbatis & noviluniis, & in ſtatis temporibus.* 2 Chron. 2:4. 8:13. Atque ita revixit ac vigorem plenum recepit cultus ille dogmaticus, quem Moſes tanto ſtudio in deſerto præceperat; quique hucuſque varie & diverſimode labefactatus fuerat.

§. 111. Salomoh typus Chriſti fuit. 1. Qua nominatus *Salomoh*, hoc eſt, *vir pacis, & Jedidjah*, hoc eſt, *dilectus Domini.* 2 Sam. 12: 24. 25. 1 Chron. 22:9. 2. Qua *Rex.* 3. Qua ditiſſimus, ſapientiſſimus, magnificentiſſimus. 4. Qua ædificans domum Domino. 5. Qua viſitatus ab exteris & muneribus adfectus. Chriſtus Dominus eſt vere *Salomoh*, tranquillator & pacis autor. Gen. 49:10. Matth. 11:28. 29. Luc. 1:69. 71. Joh. 14: 27. *Dilectus Domini.* Eſ. 5:1. Jerem. 11: 15. Deut. 33:12. 16. Matth. 3:17. *Rex* Regum, Pſ. 2:6. Zach. 9:9. *ditiſſimus* 2 Cor. 8:9. *Sapientia Dei* Prov. 8:1. 12. imo חָכְמוֹת *ſapientiæ*, hoc eſt, ſapientia ſumma, incomparabilis, Prov. 9:1. אַדִּיר *magnificus* Jerem. 30:21. *Dominus gloriæ*, Pſalm. 24:8. 9. 10. *architectus* & *exſtructor domus Dei vivi.* Hebr. 3:3. 1 Cor. 3:11. Matth. 16:18. Imo & *omnes gentes illum adorarunt, Reges Tarſis & inſulæ munus adduxerunt, Reges Scheba & Seba donum attulerunt illi.* Pſal. 72:10. 11. Hinc & in Cantico Chriſtus Dominus ſub nomine *Salomoh* ſæpe innuitur. Cant. 3:7. 9. 11. *Exite & aſpicite Filiæ Ieruſalem Regem Salomoh.* Imo & id, quod dicitur Cant. 1: 1. *Canticum canticorum*, אֲשֶׁר לִשְׁלֹמֹה commode ita vertitur, *quod eſt de Salomone*, hoc eſt, quod agit de ſpirituali Salomone, Chriſto Domino. לְ enim præpoſitio ſæpiſſime notat *De.* Gen. 20:13. Exod. 14:3. Deut. 33:7. 8. Pſ. 3:3. 87:5. Eſ. 5:1.

§. 112. Salomonem inſigniter lapſum eſſe, & enormiter peccaſſe, & graviſſime impegiſſe, Scriptura teſtis eſt. Notatur fuiſſe πολυγαμώτατος, & duxiſſe *mulieres peregrinas ex omni gente* contra legem & mandatum Domini. 1 Reg. 11: 1. 2. 3. Deinde exſtitit γυναικοκρατούμενος, hoc eſt, à mulieribus victus & ſeductus eſt; inter quarum greges tanquam alter *Sardanapalus* conſenuit. Dicuntur *Mulieres deflexiſſe cor illius poſt Deos alios*; ita ut *iverit poſt Aſtoret, Deam Zidoniorum, & poſt Milcom, abominabile Ammonitarum*; & *ædificarit celſum Cemoſch idolo Moabitarum, & Molech idolo filiorum Ammon*; & permiſerit fœminis ſuis peregrinis *adolere & ſacrificare* לֵאלֹהֵיהֶן *diis ſuis*; idque dicuntur feciſſe *in tempore ſenectutis Salomoh.* Immane hoc ſcelus his Scriptura deſcribit phraſibus. *Non fuit cor illius*, Salomonis, *integrum cum Domino Deo ſuo. Fecit Salomoh malum in oculis Domini, & non implevit poſt Dominum* h. e. non plenam illi præſtitit obedientiam. *Deflexit cor ſuum a Domino Deo Iſraël, qui apparuerat illi bis* (1 Reg. 3:5. 9:2. 3. 4.) *& præceperat illi, ne ambularet poſt Deos alios.* 1 Reg. 11:4–10. Ita Salomoh neglexit *& non obſervavit fœdus & ſtatuta Domini.* Ibid. ℣. 11: Ex hoc Salomonis exemplo apparet veritas dicti, *Scortatio & vinum aufert cor.* Hoſ. 4:11.

Lapſus Salomonis.

§. 113. Quis non ſtupeat? Rex Iſraëlis, à Deo dilectus, ſapientia & inſignibus donis inſtructus, à Deo dignus habitus, qui ædificaret domum nomini illius, Typus Jeſu Chriſti, Exemplum juſtitiæ, maxime pius in diebus Juventæ, nunc in ſenecta, ubi hanc vitam mox depoſiturus erat, ſiſtendus *Deo* juſto Judici, it poſt Deos alios; ædificat illis templa; fitque exſtructor templorum Diaboli, qui gratia Dei factus erat δημιουργὸς domus Domini.

§. 114. Non quidem dicitur ita iviſſe poſt Deos alios, ut illis *ſerviverit*, & illos *adorarit*,

rarit, & *Dominum Deum dereliquerit*, id quod dicitur de Iſraëlitis, Jud. 2: 12. 13, 20. & de Achaſia Rege Iſraël, 1 Reg. 22: 54. attamen dicitur *poſt illos iviſſe*, *templa illis exſtruxiſſe*, *deflexiſſe cor à Domino Deo, feciſſe malum*, *non obſervaſſe fœdus*; quæ ſi ſtricte accipere velimus, vix excuſari & liberari poterit à crimine derelictionis Domini, & adorationis idolorum; & 1 Reg. 11: 33. id ipſum etiam Salomoni videtur imputari.

§: 115. Peccare à ſanctis haut alienum eſt, ſunt enim omnes natura peccatores, habemus in Sacris ebrietatem Noachi, inceſtum Lothi, ἀπιςίαν Moſis, vitulum fuſum ab Aharone, adulterium & homicidium Davidis; attamen nullus horum omnium tam inſigniter, neque adeo pertinaciter peccavit, quam Salomoh. In Euangelio habemus *Petrum*, Dominum abnegantem cum diris & execrationibus, ſed ad cantum galli converſum, & peccatum amare deflentem. Matth. 26: 70. 72. 74. 75. At non legimus, Salomonem peccata mox defleviſſe, fana idolorum, quæ ædificaverat, deſtruxiſſe, aut idola è medio ſuſtuliſſe, quinimo legimus, *illum quæſiviſſe interficere Jeroboamum*, 1 Reg. 11: 40. cui Deus in caſtigationem Salomonis Regnum in decem tribus deſtinaverat, quod indicium eſt cordis aliquamdiu impœnitentis, Dei minis & animadverſionibus ſeſe opponentis, neque ſe ſub virga Dei ſtatim humiliantis.

§. 116. Si unquam quis ſanctorum Vet. Teſt. *fuit inobediens*, *& dolore affecit Spiritum Sanctum Dei*, Eſ. 63: 10. certe Salomoh id imprimis feciſſe putandus eſt. Is enim Spiritus Sancti factus particeps, qui in ipſo fuit *Spiritus gratiæ & precum*, ut ex orationibus Salomonis variis apparet; imo & *Spiritus conſilii & roboris*; imo & *Spiritus agnitionis Domini*, contriſtatus eſt Spiritum ſanctum; fecitque talia, quæ Spiritui ſancto & bono non poterant non eſſe ingratiſſima; utpote illius operationi maxime adverſa.

§. 117. Quamvis peccatum Salomonis horrendum, & in ſanctis fere inauditum ſit, non putamus tamen illud cum totali & finali illius defectione & apoſtaſia conjunctum fuiſſe. Id enim Scriptura nullibi dicit, & charitas vult, ut ſperemus meliora, dicit quidem Scriptura, *cor illius non fuit integrum*, *quemadmodum cor Davidis Patris*; non autem dicit, cor illius omnino & in perpetuum corruptum fuiſſe, dicit quidem, *illum iviſſe poſt Deos alios*; non autem directe illi cultum & adorationem illorum imputat, ut jam jam monuimus. Imo dicit, *non implevit Salomoh poſt Dominum*; non autem dicit, omnino abnegavit Dominum, denique dicit, *Declinavit cor à Domino*; non negat autem, illum cor ad Deum reflexiſſe. Certe in omni peccato, quod ſancti committunt, eſt declinatio cordis à Deo; quemadmodum & in omni ἁμαρτίᾳ eſt aberratio à ſcopo & via.

§. 118. Ut leniſſime omnia capiamus, eatenus dicitur Salomoh *iviſſe poſt Deos alios*, *cor avertiſſe à Domino*, *fœdus illius non obſervaſſe*, quatenus mulieribus ſuis non obſtitit, quatenus Deos illarum & idola conſpectum ſuum ſubire paſſus eſt, quatenus illa tulit, nec abolevit; imo quatenus media opeſque conceſſit templa ædificandi illis, & ut libere illis adolerent. Id debuiſſet Salomoh non permittere, neque muliebribus adulationibus tantum indulgere. Gloria Dei debuit illi ante omnia curæ eſſe, neque ita amandæ ſunt mulieres, ut illarum gratia vel tantillum ab amore Dei remittatur. Habuit ſine dubio etiam mutabilis Salomoh argumenta carnalia, quibus motus fuit ad agendum talia, cogitavit forſan, ſe non poſſe mulieres ſuas ad fidem Iſraëlis cogere: forſan etiam, cum illas ambiret, liberum illis idololatriæ cultum & exercitium promiſit; non ſatis expendens, quantum malum huic rei ſubeſſet. Manet, Salomonem valde peccaſſe. Nolimus autem eo progredi, ut dicamus Salomonem exſtitiſſe hoſtem Dei, blaſphemum, abnegatorem æternæ illius juſtitiæ & gratiæ, cultorem idolorum, & è filio Dei factum eſſe filium

ſium Diaboli, è typo Chriſti typum Satanæ; impoſſibile enim eſt, *Filios Dei, natos è Deo,* talia *peccata facere*, aut tam immaniter *peccare poſſe, manet enim in illis ſemen Dei, & ex illo geniti ſunt.* 1 Joh. 3:9.

§. 119. Deum quòd attinet, dicit Scriptura, וַיִּתְאַנַּף יְהוָה בִּשְׁלֹמֹה *& iratus eſt Deus in Salomoh*, 1 Reg. 11:9. & in pœnam peccati illi nunciat *fiſſuram* ſeu *lacerationem Regni*, ea tamen cum gratiæ denunciatione, *non id fore in diebus* illius, 1 Reg. 11:verſ. 11. imo & excitavit illi *adverſarium*. ibid. verſ. 14. qui Salomonem exercuit, & quietem illius turbavit. Lenes hæ fuere caſtigationes, & *plagæ humanæ*, & *virga filiorum hominis*. Quod ſi autem Salomoh plane à Deo defeciſſet, & juratus Domini hoſtis eſſe cœpiſſet, annon videtur graviores minas & maledictiones pœnaſque immittendas illi fuiſſe? Leniter & ut filium aberrantem caſtigavit illum Deus, & ut reduceretur in viam, & ſanaretur; non vero ut hoſtem plane abjecit, aut in reprobam mentem tradidit, aut æternæ maledictioni devovit.

§. 120. Non habemus quidem in Sacris expreſſè deſcriptam pœnitentiam & reſipiſcentiam Salomonis; non tamen dubitamus, quin revera reſipuerit, cadit juſtus, ſed erigit illum Dominus, abnegat Petrus, ſed retroſpicit ad illum Chriſtus, labitur David, ſed adeſt Natan, neque igitur ſecus de Salomone æquum ſentire. Impius Menaſſe locum reſipiſcentiæ invenit, 2 Chron. 33:11-17. & dilectus Domino Salomoh non invenerit? Quanquam lentior illius videatur reſipiſcentia, tamen certa illa nobis eſſe debet; imprimis ſi conſideremus Salomonem ſe ipſum nominare *Cohelet*, quod vulgo *Eccleſiaſtes* vertitur; re ipſa tamen notat τ' ἐπισυναγόμενον, hoc eſt, eum, qui per veram ſeriamque pœnitentiam recipitur ad Regnum populumque Dei, & iterum admittitur & aggregatur ad illos, à quibus exierat; & librum, qui Cohelet vocatur, à Salomone ſcriptum eſſe in ſenecta & provectiori ætate; omnium enim rerum experientia, cujus ſpecimina in illo edidit, non cadit in juvenem, ſed in ſenem, adeoque poſt peccatum hoc commiſſum. Quinimo ſumma totius libri nil aliud eſt, quam profunda humiliatio hominis lapſi, & peccatoris contriti coram Deo. Et in illo libro paſſim damnat ſcelus, quod commiſerat; & quod ſe ita temere mulieribus commiſerat, vide cap. 7:26. *Et invenio amarum præ morte; fœminam, quæ eſt laqueus, & retia eſt cor ejus, vincula manus ejus. Qui placet Deo, evadit eam; & peccator capitur ea.* vide etiam verſ. 20. *Nam homo non eſt juſtus in terra, qui agat bonum, & non peccet.*

Reſipiſcentia Salomonis.

§. 121. Poſt mortem Salomonis diviſum & laceratum eſt Regnum Iſraëlis. Ita debuit *impleri verbum, quod locutus erat Dominus per manum Achijæ Silonitæ*, 1 Reg. 12:ỽ. 15. confer cap. 11:29-40. Tribus Juda *Rehabeamum* Filium Salomonis tenuit Regem. Reliquæ elegerunt *Jeroboamum* Filium Nebat; id factum ſecundum verbum Domini. 1 Reg. 11:29-40. 12:1-25. 2 Chron. 10:1-19.

Diviſio Regni Iſraëlis.

§. 122. Rehabeam, non nunc Rex Iſraëlis, ſed *Rex Jehudæ* operam dedit, ut omni modo vires augeret. 2 Chron. 11:5-12. Pietatis non adeptus eſt laudem, dicitur enim *dereliquiſſe legem Domini, feciſſe malum, nec diſpoſuiſſe cor ſuum ad quærendum Dominum. Omnis Iſraël peccavit* עִמּוֹ *cum illo*, 2 Chron. cap. 12: verſ. 1. 15. confer 1 Reg. cap. 14: verſ. 23. *Et fecit Jehuda malum in oculis Domini, & ad zelum provocarunt illum peccatis ſuis, & ædificarunt etiam illi celſa & cippos & lucos.* In ſpecie notatur, quod tunc etiam fuerit קָדֵשׁ *meritorius in terra.* ibid. verſ. 24. Id interdixerat Deus. Deut. 23:17. *Non erit meritorius è filiis Iſraël.* Hebræi hanc dicunt vocem ſignificare מוּכָן לְמִשְׁכָּב *ſcortum virile*, adſuefactum ad concubitus, & ut muliebria patiatur. Igitur immania gentilium ſcelera, quos Paulus docet à Deo traditos εἰς πάθη ἀτιμίας *operatos eſſe* & effeciſſe *mares*

Rehabeam Rex Jehudæ.

in maribus τὴν ἀσχημοσύνην, Rom. 1: 26. 27. ab Iſraele non fuerunt aliena. Maximi & ſapientiſſimi olim gentilium, *Socrates*, *Plato*, *Xenophon*, *Æſchynes*, *Cebes*, aliique τοὺς ἄῤῥενας ἐδοκίμασαν ἔρωτας, referente Plutarcho in libello *de educatione puerorum.* Ita ſapientes hi in ſapientia ſua ἐμωράνθησαν *infatuati ſunt.*

Jeroboam primus Rex decem tribuum.

§. 123. Jeroboam decem tribuum Rex majora adhuc peccata patravit. Fecit è proprio arbitrio, contra Legem Dei, *Cherubinos duos*, quos Scriptura per contemptum vocat *duos vitulos aureos*: de illis dixit, *Ecce Deos tuos Iſraël, qui eduxerunt te ex Ægypto*, 1 Reg. 12: 28. ædificavit *domum celſorum*, בֵּית־בָּמוֹת: *fecit ſacerdotes* מִקְצוֹת הָעָם *è reliquo populo, qui non erant è filiis Levi*, hoc eſt, è familia Aharonis. Ibid. ℣. 31. *Levitas* autem, quibus ſacerdotium & ſervitium tabernaculi concreditum erat, *expulit* מִכַּהֵן לַיהוָה *ne Sacerdotio Domini fungerentur.* 2 Chron. 11: 14. In Betel *fecit altare*, ſupra quod *ipſe aſcendit* לְהַקְטִיר *ad adolendum*, ſumens ſibi honorem Sacerdotii, ad quod non vocatus erat. Imo *è commento cordis* feſtum inſtituit *octavo menſe*, in quo nullum Moſes inſtituerat feſtum; cujus ultimum, *feſtum* nimirum *tabernaculorum*, ſeptimo habebatur menſe. Levit. 23: 34. Lege 1 Reg. 12: 29—33. confer 2 Chron. 11: 15. *Et conſtituit ſibi* Jeroboam *Sacerdotes celſis*, *& hircis*, hoc eſt, dæmoniis, *& vitulis*, *quos fecerat.* Ita mutavit omnia ſtatuta Moſaica, & alium plane cultum introduxit; cum tamen id Deus ſub pœna maledictionis caviſſet. Ideo & factum hoc vehementer Deo diſplicuit. *E Iuda venit vir Dei in verbo Domini*, hoc eſt, cum mandato illius. Is ita exclamat, *Altare*, *Altare*, *ſic dicit Dominus*, *Oſſa hominis comburent ſuper te.* Idem *ſignum dedit*; *Findetur altare*; ut & factum illud. Jeroboami *manus*, qua jubebat Prophetam hunc comprehendi, ſubito *exareſcit*, quæ tamen mox ad interceſſionem Prophetæ ſanatur. 1 Reg. 13: 1—7. Non tamen movetur Jeroboam, neque miraculo neque vaticinio territus, ut à via mala deſiſteret. 1 Reg. 13: 33. 34. Ideo mittitur *Achijah Silunitinus*, qui idem Regnum illi promiſerat; nunc autem interitum nunciat. *Quia*, inquit, *male egiſti præ omnibus*, *qui fuerunt ante te*, *& feciſti tibi Deos alienos & fuſilia*, *& me abjeciſti poſt tergum tuum*, *ideo ego exſcindo Ieroboamo mejentem in parietem.* (ita *mares* vocantur per ἐξευτελισμὸν, hoc eſt, vilipendii cauſa.) *Et percutiet Dominus Iſraelem, quemadmodum agitatur calamus in aquis.* &c. 1 Reg. 14: 9—18. Factum ita, mortuus eſt Jeroboam, ſucceſſit illi quidem *Nadab* filius, ſed breve habuit Regnum, interfectus à *Baaſa*, qui & omnem familiam Jeroboami funditus evertit. 1 Reg. 15: 25. 26. 27. 29. Quid autem Jeroboamum moverit ad introducendum cultum novum, non tacuit Scriptura, nimirum timebat, ne ſi populus quotannis Hieroſolymam viſitaret, facturus ſacra, pœnitentia ductus rejectæ domus Davidis, illi ſe rurſum dederet, & Jeroboamo regnum ac diadema auferret. Igitur templum in Betel ædificavit; alios Sacerdotes illi præfecit; in cultu plurima mutavit, ut ita populus magis magisque à fratribus ſuis, viris Juda alienaretur. 1 Reg. 12: verſ. 26. 27. *Multas regnare per urbes*, quamvis res ſit plena laboris, oportet tamen ut & ſit plena ſuavitatis; regnum oblatum vix quisquam repudiavit. Jeroboam cœlum ipſum mutat, & ſacra omnia corrumpit, ut Regnum ſibi ſuisque aſſerat perpetuum. Et notabile eſt, omnes Jeroboami ſucceſſores, quamvis ex alio eſſent genere & ſtemmate, & alio vivendi genere uterentur, in depravando cultu ad unum omnes Jeroboamum ſecutos eſſe; ſine dubio, quia judicarunt hunc unicum eſſe modum firmandi ſolium, & diviſionem fomentandi tribuum, 1 Reg. 15: verſ. 34. dicitur de Rege *Baaſa. Et ivit in via Ieroboam, & in peccato illius, quo peccare fecerat Iſraelem.*

§. 124. Ne-

§. 124. Neque tamen opus eſt omnium Regum, ut ſibi invicem ſucceſſerunt, meminiſſe, illorum tantum mentionem faciemus, qui aut pietate fuere clariſſimi, aut impietate famoſiſſimi. Inter pios Reges Jehudah numeratur *Aſa*, filius Abia, nepos Rehabeami. Is enim dicitur *rectum feciſſe*, removiſſe קְדֵשִׁים *meritorios è terra; omnia etiam ſtercora & idola*, etiam מִפְלֶצֶת *terriculamentum*, hoc eſt, tremendum idolum, quod fecerat *Maaca mater illius*, igne combuſſit. 1 Reg. cap. 15: 10-15. confer 2 Chron. cap. 14: verſ. 1. 2. Etiam *innovavit* ſeu *reſtauravit Altare Domini, quod ſtabat ante veſtibulum Domini*, hoc eſt, in atrio templi. 2 Chron. 15: 8. Illo curante *intravit* populus *in fœdus ad quærendum Dominum è toto corde & anima*, imo *juraverunt Domino, & gaviſi ſunt omnes viri Iuda* ſuper *juramento*, nam *juraverant è toto corde illorum*. 2 Chron. 15: ℣. 12. 14. 15. Duplex tamen peccatum Aſæ narratur. Primo crudelitas exercita in *Chanani videntem*, ob annunciatam illi divinam reprehenſionem, quo tempore *multos* Aſa *è populo vexavit* & afflixit. 2 Chron. 16: 10. Deinde, quod *in morbo ſuo non quæſivit Dominum*, ſed nimium ſecurus fuit בָּרֹפְאִים *in medicis*. 2 Chron. 16: 12. Aſa Rex Judæ.

§. 125. Inter ſceleratiſſimos Reges Iſraël primum meritò locum obtinet *Achab* Rex Iſraël. 1 Reg. 16: 30. *Is enim fecit malum præ omnibus, qui fuerant ante ipſum. Leve illi fuit ambulare in peccatis Ieroboam; ivit & ſervivit Baal, & adoravit illum; ædificavit illi altare, & domum in Samaria, & lucum.* ibid. verſ. 31. 32. 33. dicitur *ſe vendidiſſe ad faciendum malum*. 1 Reg. 21: 20. *abominabiliterque egiſſe ad eundum poſt ſtercora, ſecundum omne, quod faciebant Amorei*. ibid. verſ. 26. denique *Michaam Prophetam* incluſiſſe in carcerem, & cibaſſe *pane anguſtiæ, & aquis anguſtiæ*. 1 Reg. 22: 26. 27. Uxor illius fuit *Iſabel, filia Regis Zidoniorum*; à qua *ſeductus fuit*. 1 Reg. 21: 25. Hæc ſcelerata interfecit *Prophetas Domini*. 1 Reg. 18: 4. *Eliæ* mortem minata eſt. 1 Reg. 19: 2. *Nabotum* ficto crimine interfecit. 1 Reg. 21: 10. Typus etiam illa fuit ſpiritualis illius Iſabel, de qua, Apoc. 2: 20. Achab Rex. Iſabel.

§. 126. Achabo huic coætanens fuit *Elias Tiſbita*. 1 Reg. 17: 1. qui quia multam cum Achabo rem habuit, non debet hic præteriri. Elias quamvis nobis ὁμοιοπαθὴς, Jacob. 5: verſ. 17. vir fuit magni Spiritus & potentiæ. Johannes Baptiſta, alter Elias, dicitur *veniſſe in Spiritu & potentia Eliæ*. Luc. cap. 1: verſ. 17. Achab habebat Eliam pro hoſte. *An inveniſti me, Inimice mi*, inquit, 1 Reg. 21: 20. & pro turbatore Reipublicæ, *num tu es Turbator Iſraelis*? 1 Reg. 18: 17. Elias Tiſbita.

§. 127. Mirabili potentia Deus Eliam ſervavit. In valle Cerith mittit illi cibum per *corvos* mane & veſperi. 1 Reg. 17: 6. Apud *viduam* Zareptanam cum ageret, urceus farinæ illius non defecit, & ſitula olei non diminuta fuit. 1 Reg. 17: 10-16. confer Luc. cap. 4: verſ. 25. 26. *Multæ fuerunt viduæ in diebus Eliæ, cum clauſum fuit cœlum, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias*, niſi εἰς Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος, πρὸς γυναῖκα χήραν. Denique Angelus dormientem illum ſuſcitavit, dicens, *ſurge, ede*. Et vidit Elias *urceum aquæ & placentam toſtam*, quem cibum ſine dubio Angelus attulit. Imo dicitur Elias בְּכֹחַ הָאֲכִילָה הַהִיא *in virtute hujus prandii iviſſe 40. dies & totidem noctes*. 1 Reg. 19: 5-8. Mirabilis circa illum Dei potentia.

§. 128. In precibus Elias fuit fervidus & efficax. Super puerum viduæ Zareptanæ mortuum invocavit Dominum, & exauditus eſt, & revixit puer. 1 Reg. cap. 17: verſ. 20. 21. 22. Deinde προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι *orando oravit, ne plueret; & non pluit ſuper terra annos tres & menſes ſex* (confer Luc. cap. 4: verſ. 25.) *Et rurſum oravit, & dedit cœlum pluviam, & terra protulit fructum ſuum.* Jacob. cap. 5: ℣. 17. 18. Id depromſit Jacobus Fervor illius in precibus.

ex 1 Reg. 17: 1. *Et dixit Elia. Vivit Dominus, ſi erit annis his ros aut pluvia,* כִּי אִם לְפִי דְּבָרִי *niſi ad verbum meum*, hoc eſt, orationem meam, & è 1 Reg. 18: 42. *Et Elias aſcendit in cacumen Carmel, & flexit ſe ad terram*, ut conſideret ſeu ſellum caperet, *& poſuit faciem ſuam inter genua ſua*, nimirum ut oculis ab objectis circumjacentibus averſis ardentius oraret, quid? ut imbres deſcenderent & pluviæ, quas promiſerat Achabo, dicens, *ſurge, ede, bibe, nam vox ſtrepitus aquārum* mox aderit. Ibid. verſ. 41. 45. Etiam fervide oravit Elias, cum ignem peteret cœleſtem, qui conſumeret hoſtiam ſuam. *Reſponde*, inquit, *mihi, Domine, Reſponde.* 1 Reg. 18: 36. 37.

Miracula illius. §. 129. Miracula edidit Elias. Puerum mortuum in vitam revocavit. 1 Reg. cap. 17: verſ. 22. Pallio aquas Jordanis diviſit. 2 Reg. 2: 8. Ignem *è cœlo* deſcendere fecit & comedere *præfectum cum quinquaginta viris*, 2 Reg. 1: verſ. 10. cujus facti memores Jacobus & Johannes, cum in vico Samaritarum non reciperentur, ita dicunt, *Domine, visne dicamus ut deſcendat ignis è cœlo, & conſumat illos,* ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησεν *ut & Elias fecit.* Luc. cap. 9: verſ. 54. Redarguit illos quidem Jeſus, *Neſcitis*, inquit, *cujus ſpiritus eſtis vos, non venit Filius hominis perdere, ſed ſervare hominum animas.* ibid. verſ. 55: 56. quaſi dicat, non cogitatis Spiritum, qui vobis cœlitus datus eſt, decreviſſe tempora gratiæ promulgare per vos; non autem iram exercere. Attamen Elias redarguendus non eſt, hoſtes enim Dei, blando ore, ſed infenſo pectore dicentes, *vir Dei, Rex dixit, deſcende*, 2 Reg. cap. 1: verſ. 9. & ſanguinem illius ſitientes, juſta ira ultus eſt; nec privato motu, ſed à Deo actus, quippe qui ignem à cœlo emiſit, & quod Elias dixerat, facto ipſo implevit.

Zelus illius. §. 130. Glorioſum pro Dei gloria zelum habuit Elias. Ut populum Dei à cultu idolorum abduceret, cupit omnes *Prophetas Baal*, & *Prophetas luci, comedentes de menſa Jeſabel.* Ibi publice volebat cognoſcendum dare, cujus Deus *verus ille* eſſet; nimirum cujus ſacrificium igne abſumeretur cœleſti. Sacrificium Prophetarum Baal nullus attigit ignis, quamvis illi indeſinenter vociferarentur, *Baal, reſponde nobis*, & circum altare claudicarent, & mutuis ictibus ad fuſionem ſanguinis ſe percuterent, qui peſſimus idololatrarum mos erat. At Sacrificium Eliæ, bene madefactum, illico ignis cœlitus delapſus comedit; quod videns omnis populus, confeſſus eſt, *Iehova eſt Deus; Iehova eſt Deus.* Elias plenus zeli *Prophetas Baal* ad unum omnes capros, & deductos ad torrentem Kiſchon jugulat. 1 Reg. cap. 18: verſ. 19-41. Bonum erat è medio auferri hos Diaboli miniſtros. Samuel olim interfecit Agagum. 1 Sam. cap. 15: verſ. 33. Pinchaſus virum Iſraëlitam ſecutus in πορνεῖον una cum ſcorto transfixit. Num. cap. 25: verſ. 8. Moſes Ægyptium percuſſit. Exod. cap. 2: verſ. 11. 12. Levitæ ob fuſum vitulum tres mille interemerunt. Exod. cap. 32: verſ. 28. Hic nunc Elias falſos Prophetas, quos Lex vita privari juſſit, Deut. cap. 13: verſ. 5. 17: verſ. 5. in necem dat, non fecit hoc privatæ vindictæ ſtudio, aut cœcis abreptus affectibus, aut odio occupatus, ſed motu plane heroico & divino, ad liberandum populum à ſeductione, ad exſtirpandum Regnum Satanæ, ad aſſerendum gloriam, juſtaque judicia Dei.

§. 131. Zelum, quem pro Domino Deo habuit, ipſe indicavit. 1 Reg. cap. 19: verſ. 10 *Zelando zelavi pro Domino Deo exercituum*, hoc eſt, cum zelo cauſam Domini egi, *eo quod dereliquerunt fœdus tuum; occiderunt Prophetas tuos, & ſuperſtes ſum ego ſolus, & quærunt animam meam auferre*; Apoſtolus monet, Eliam hiſce verbis ἐντυγχάνειν τῷ θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ, Rom. 11: verſ. 2. 3. quemadmodum etiam è verbis Dei, quæ Eliæ reſpondit, *Reliqui ſeptem mille, quorum genua non incurvarunt ſe Baali, quorum os oſcula illi*

illi non dedit, 1 Reg. 19: 18. concludit, ut olim, ita & ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ᾽ ἐκλογὴν χάριτος γεγόνεται. Rom. 11: 4. 5.

§. 132. Neque hoc tacendum eſt, quod *Dominus* coram Elia *præterire* voluit, ut & Moſi dixit, *Faciam tranſire omnem bonitatem meam ante faciem tuam.* Exod. 33: 19. confer Exod. 34: 6. *Et præterivit Dominus coram facie illius?* Ita autem cum Elia ſe res habuit. *Et dixit Dominus, exi, & ſta in monte coram Domino; & ecce Dominus prateribat, & ventus fortis, rumpens montes, & frangens petras ante Dominum, non in vento Dominus: & poſt ventum terræ motus, non in terræ motu Dominus. Et poſt terræ motum ignis, non in igne Dominus. Et poſt ignem* קול דְּמָמָה דַקָּה *vox auræ tenuis.* Cum illam audiret Elias, *texit faciem pallio*, reverentiæ & timoris plenus. 1 Reg. 19: 11. 12. 13.

Dominus coram Elia præterit.

§. 133. In deſerto Deus apparuit in Sina monte cum *igne*, *nube*, *caligine* & *procella.* Hebr. cap. 12: verſ. 18. & *locutus eſt è medio ignis*, Deut. cap. 4: verſ. 12. 33. & fuit in *caligine.* Exod. cap. 20: verſ. 21. *Moſes autem accedebat ad caliginem, ubi Deus erat.* Ibi *terra commota eſt, hic Sina mons, à facie Domini, Dei Iſrael.* Pſalm. 68: verſ. 9. Deuſque tam terribili voce locutus eſt, ut rogarent Iſraëlitæ, *Ne loquatur amplius ad nos Deus, ne moriamur.* Exod. cap. 20: verſ. 19. Hebr. cap. 12: verſ. 19. Hic autem, ubi Eliæ apparet Dominus, eſt *ventus*, eſt *motus*, eſt *ignis*; ſed *non in vento, non in motu, non in igne fuit Dominus.* Eſt *vox*; at non terribilis & concitata, ſed *tenuis auræ*, hoc eſt, dulcis, ſuavis, canora. *Ventus* notavit robur Dei & potentiam, quæ omnia poteſt, & coram qua nil ſubſiſtere poteſt, ſi ad illam petræ franguntur, montes rumpuntur, quid miſero fiet homini? *Terræ motus* notavit Dei in mundo judicia, terram movet, regna transfert, altos humiliat, humiles exaltat, urbes exſcindit, & ima ſæpe ſummis miſcet. *Ignis* notavit, *Deum*, ut *ignem conſumere* omnia; Hebr. cap. 12: ỳ. 29. ſtramen & quiſquilias coram illo non manere. Quod autem Dominus dicitur non fuiſſe in vento, motu, igne, eo notatum fuit, Deum in omnibus his turbis non turbari; in mutationibus non mutari; ſed eſſe immutabilem, quietum, tranquillum, quamvis iram exercet, in corde tamen fervorem iræ non ſentit, quamvis omnia movet, ille à nemine commovetur, & à nulla re. Apud illum *non eſt umbra converſionis.* Jacob. cap. 1: verſ. 17. *Vox lenis auræ* notavit Dei dulcedinem, φιλανθρωπίαν, manſuetudinem, συγκατάβασιν. Potuit & Elias cogitare, fore olim ut Dominus ſit עֹבֵר *tranſiens* & ambulans inter ſuos, carne indutus, *os* habens ad loquendum, quodque omnis caro viſura eſſet, quomodo *os Domini* loqueretur. Eſ. 40: 5. quodque *vox* illius audienda eſſet, & *vocatura Urbem.* Mich. 6: 9. ea tamen cum manſuetudine & lenitudine, ut de illo dici poſſet, *Non clamavit, non extulit, non fecit audire foris vocem ſuam*, Eſ. 42: 2. & ut omnino ſimilis futura eſſet *tenuis auræ*, quæ non multum facit ſtrepitum, non procul auditur, ſed ſuaviſſimo refrigerio homines recreat & pecudes; aërem purgat, campoſque à ſolis æſtuantis ardore refocillat. Imo tum quidem fore multum ventum, motum, ignem; quis enim neſcit, quæ judicia, motus, fervores ante adventum Domini anteceſſerint, exercita in Judæos & gentes; imo & illum ſecuta ſint. Attamen Dominus non fuit in vento, motu, igne; neque illius culpa judicia hæc illata ſunt, ſed hominum malitia illa contraxit. Imo in mediis judiciis indoluit Dominus, *manſuetus corde*, hominibus, illorumque malis; & ne ſancti in illis motibus perirent, perpetuo interceſſit.

§. 134. Aſſumtus denique eſt Elias in cœlum. 2 Reg. cap. 2: verſ. 1. *Et fuit cum aſcendere faceret Dominus Eliam in procella in cœlum.* Id futurum diu ante noverant homines ſancti. Ita *filii Prophetarum in Betel & Jericho* dicebant Eliſæ, *An noſti, quod hodie Dominus*

Elias aſſumtus in cœlum.

 minus

minus aſſumet Dominum tuum deſuper capite tuo, & dixit, etiam ego novi, filete. 2 Reg. cap. 2: verſ. 3. 5. nec Elias ipſe id ignoravit. Dicit enim Eliſæ, *Pete, quid faciam tibi* בְּטֶרֶם אֶלָּקַח מֵעִמָּךְ *antequam auferar à te.* ibid. verſ. 9. Filii Prophetarum putabant, non ita auferendum Eliam ab Eliſa, ut non ad illum rediret: ſed auferendum tantum ad tempus à *Spiritu Domini*, & deinde rurſum ponendum *in una civitatum, aut vallium,* quare *quærere* Eliam incipiunt, emiſſis illum in finem nonnullis. Eliſa autem errorem illum agnoſcens dehortatus eſt, dicens לֹא תִשְׁלָחוּ *ne mittatis.* ibid. verſ. 16. 17. Modus evectionis in cœlum talis fuit. Elias & Eliſa *ambulabant ambulando & colloquendo*, & ecce *currus ignis, & equi ignis ſeparationem fecerunt.* בֵּין שְׁנֵיהֶם *inter ambos illos. Ita aſcendit Elias* בִּסְעָרָה הַשָּׁמָיִם *in turbine cœlum verſus.* Eliſa id *vidit*, igitur βλέποντος αὐτοῦ id factum, *exclamavit, Pater mi, Pater mi. Currus Iſrael, & equites illius.* Ita clamans, tandem ex oculis illum plane amiſit, *& non vidit illum amplius.* וְלֹא רָאָהוּ עוֹד 2 Reg. 2: 11: 12. confer Act. 1: 9.

Totus, quoad animam & corpus.

§. 135. Elias totus, & quoad animam & corpus ἐπήρθη *ſublatus eſt.* Nihil enim poſt ſe reliquit, niſi *pallium, quod cecidit de illo*, quodque *Eliſa* aſſumſit, 2 Reg. cap. 2: verſ. 13. Adfuerunt *currus igneus, & equi ignei*, qui, ut *nubes* Chriſtum Actor. cap. 1: verſ. 9. ὑπέλαβον αὐτὸν ab oculis Eliſæ. Fuerunt forſan *currus & equi illi ignei* Angeli Domini, qui ordinario *mittuntur in miniſterium illorum, qui ſalutem hæreditant.* Hebr. 1: 14. Illi ob *lucem*, quæ illis ineſt, & quod ardent ac flagrant amore Dei Creatoris vocantur שְׂרָפִים *Seraphim*, hoc eſt, ardentes ſive ignei. Eſ. 6: 2. Illi ut *currus & equi* viſi ſunt Eliſæ, totum enim Eliam cinxerunt, circumdederunt, & ſublatum in cœlum deduxerunt. Fuit illo tempore *procella & turbo*, quod non fuit, cum Chriſtus aſcendit. Ita ſublatus Elias aſcendit in *cælum.* Cyprianus olim dicebat, *Quo raptus fuerit*, Elias, *Deus novit.* Atqui *in cælum* illum raptum novimus. 2 Reg. 2: 1. non, ut maneret in cœlo aërio, ibi enim, ut inquit Chryſoſtomus, non ſunt ſanctorum ſedes, ſed *Satanæ* potius, quippe qui *Princeps aeris* eſt, Epheſ. cap. 2: verſ. 2. neque ut hæreret in orbibus aſtriferis, ſed ſublatus eſt in illud *cœlum*, quod Scriptura vocat *tertium*, & *Paradiſum*, 2 Cor. cap. 12: verſ. 2. 4. *thronum Dei*, Eſ. cap. 66: ℣. 1. *domum Patris*, Joh. cap. 14: verſ. 2. in quo eſt *noſtrum* πολίτευμα, & è quibus *exſpectamus Servatorem*, Phil. cap. 3: verſ. 20. quippe qui *in illud aſcendit* Eph. cap. 4: verſ. 10. *ſupra omnes alios cœlos*, unde dicitur factus *altior cælis*, Hebr. cap. 7: verſ. 26. in quod & animæ noſtræ, ſolutæ per mortem corporibus ſuis, proficiſcuntur. 2 Cor. 5: 1. 2. In hoc cœlum primus *Enoch*, confer libr. 1. cap. 5. §. 10. 11. 12. 13. nunc ſecundus *Elias* intravit, non quoad *animam* tantum, quod & fecerunt omnes ſancti ab initio, quorum quippe *Spiritus reverſus eſt ad Deum, qui illum dederat*, Eccleſ. cap. 12: ℣. 7. ſed & quoad *corpus.* Igitur & *mortem non vidit*, Hebr. cap. 11: verſ. 5. nec *caro illius* διαφθορὰν *corruptionem.* Tamen quia *ſanguis & caro regnum Dei non poſſunt hæreditare*, 1 Cor. cap. 15: verſ. 50. neque corpus in gloriam introductum poteſt iiſdem ſubjectum manere qualitatibus, quas in terra habuit, hoc eſt, non poteſt in cœlo tale eſſe, ut indigeat cibo & potu, ut vigiliis ſuſtentetur & ſomnis, ut creſcat & decreſcat, ut ſanguis circa præcordia bulliat, oportet ſtatuamus, Eliæ ut & Henochi corpora in aſſumtione in cœlum ſubito immutata, & è mortalibus facta immortalia, è corruptibilibus incorruptibilia: quod fieri potuit ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ 1 Cor. cap. 15: verſ. 52. Igitur quemadmodum Elias pallium ſuum poſt ſe reliquit, neque id in cœlum intulit, ita & qualitates illas corruptibiles, & affectiones illas humanæ infirmitatis, & paſſiones tum animæ tum corporis, aſcendens in cœlum, per gratiam Dei & potentiam, ſubito exuit & depoſuit.

§. 136. Et.

§. 136. Et quid cauſæ ſuberit, quo minus cenſendus ſit Elias in cœlum tertium tranſlatus? Num aër interjacens & aſtra interpoſita fuerunt impedimento? Atqui Elias pallio ſuo diviſit aquas, & tranſiit ſicco pede. 2 Reg. 2:8. Quidni Deus potuerit imperare nubibus & corporibus cœleſtibus, ut Eliæ aſcendenti locum facerent? Num, quod Chriſtus nondum illuc iverat, ut *pararet locum*? Joh. 14:2. Atqui jam erant, antequam Chriſtus in hunc mundum venit, *in domo Patris μοναὶ πολλαὶ manſiones multæ* ibid. ℣. 2. hoc eſt, multi manſionem facientes, & habitantes, & introducti. confer Hebr. 2:10. 12:23. Num quod dicitur Joh. 3:13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui e cœlo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo*? Atqui hic agitur de illo in cœlum aſcenſu, qui conjunctam habet *captivationem captivitatis*, & *dationem donorum in hominibus*, Eph. 4:8. non autem de aſſumptione Sanctorum, de qua eſt Pſ. 73:24. *In gloriam aſſumis me.*

§. 137. De hac Eliæ tranſlatione non una omnium ſententia eſt. Sunt, qui putant. In ipſo raptu veſtes illius igne abſumptas, & ipſum corpus exſtinctum fuiſſe, & animam ſolam migraſſe ad ſuperna. Atqui Scriptura dicit, *Aſcendit Elias*, totus nempe Elias. Alii opinantur, Eliam deductum in Paradiſum terreſtrem. Ita Auguſtinus libr. 1. cap. 3. de Peccatorum meritis & remiſſione; *Fortaſſe*, ait, *Elias in Paradiſo paſcitur, quemadmodum primus Adam, antequam inde ob peccatum ejiceretur.* Atqui Elias aſcendit ad ſuperna: quando ergo intravit in hortum hunc terreſtrem? & annon & ille in diluvio primi mundi interiit? Sunt denique, qui ſtatuunt, Eliam delatum *in ſinum Abrahæ*, de quo Autor libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui inter opera Auguſtini habetur, definit. 87. 89. ita loquitur. *Ante adventum Chriſti omnes piorum animæ ad ſinum Abrahæ deſcenderunt. Ab ejus verò aſcenſu omnes fideles animæ ad Deum proficiſcuntur.* Atqui nullum agnoſcimus Abrahæ ſinum, diverſum à ſede beatorum in cœlis. Differentia ſententiarum.

§. 138. Fixum manet, Eliam in cœlum tertium tranſlatum eſſe. Id cœlum non eſt ubique, nec ſpirituale, nec incorporeum, ut multa infeliciter fœcunda excogitarunt ingenia. Quod enim capit & continet corpora, incorporeum eſſe non poteſt. Atqui Sanctorum in illud evehentur corpora. Quodque *Deum non capit*, non poteſt eſſe ubique. Atqui *cœli cœlorum Deum non capiunt.* 1 Reg. 8. Si cœlum hoc eſt ſpiritualis ſubſtantiæ, oportet, ut aut ſit Deus ipſe, aut Angelus. Atqui *Deus* non eſt: eſt enim thronus & ſolium Dei. Neque *Angelus* eſt: tunc enim non eſſet ubique. Angeli enim dicuntur eſſe in loco *definitive*, hoc eſt, ſubſtantiam & naturam habere finitam. Neque enim Angelus ſimul multis in locis eſt. Angelus, qui apud Johannem fuit in Inſula Pathmo, non fuit eodem illo tempore Epheſi. Angelus, qui cum Daniele fuit in Babylone, non potuit eſſe eodem illo tempore in Judæa. Cœlum tertium non eſt ubique.

§. 139. Mittimus nunc & ſuis relinquimus autoribus, quæ de reditu Enochi & Eliæ ad ſubeundum certamen cum Antichriſto à nonnullis ſtatuuntur. Etiam Judæi exſpectant *Eliam*, qui omnia dubia & difficultates illis ſoluturus ſit: unde in rebus obſcuris adhibent Proverbium תשבי יתרץ *Tisbi*, hoc eſt, Elias *ſolvet* ſeu explicabit. Reſpondeat autem illis Chriſtus Matth. 17: verſ. 10. 11. 12. *Dico vobis, quod Elias jam venit.* confer Matth. 11:14.

§. 140. In monte videntibus Petro, Jacobo, & Joanne apparuit Chriſto Domino *Elias, & cum illo locutus eſt.* Matth. 17:3. Aves ſcire, quid? ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ. Luc. 9:31. Sed nunc redeamus ad Reges Juda & Iſraël.

§. 141. Inter pios Reges Jehudæ omnino numerandus eſt *Iehoſaphat* filius Regis Aſæ. 2 Chron. 17: verſ. 1. Illius *cor ſublimatum* fuiſſe dicitur *in viis Domini* ibid. ℣. 6. Jehoſaphat Rex Judæ.

Is emiſit *Levitas* & *Sacerdotes in omnes urbes Judæ*, qui *è libro legis Domini docerent* & erudirent *populum* 2 Chron. 17: verſ. 8. 9. imo dicitur *convertiſſe populum ad Dominum Deum.* 2 Chron. 19:4. *In Hieruſalem* conſtituit rurſum Senatum Eccleſiaſticum, compoſitum *è Levitis, Sacerdotibus & capitibus familiarum*, qui debebant judicare totum Iſraëlem *inter legem & preceptum*, *& judicia & ſtatuta*; & illum *monere* ac *erudire.* 2 Chron. 19:8. 9. 10. confer Deut. 17:8 -- 13. Videtur hic Senatus inter tam longas turbas & confuſiones multum à dignitate ſua amiſiſſe, & fere ſublatum fuiſſe: hinc non tantum dicitur, *Et in Ieruſalem conſtituit è Sacerdotibus* &c. *ad exercendum judicium Domini*, ſed & additur, *Et reverſi ſunt Hieroſolymam* 2 Chron. 19:8. quaſi dicat, antiquam ſuam ſedem & cathedram, quam hactenus dereliquerunt, de novo repetierunt & occuparunt. *Amariah* כֹּהֵן הָרֹאשׁ *Sacerdos ſummus fuit ſuper illos* לְכֹל דְּבַר יְהוָה *in omni negocio Domini*, hoc eſt, præſidium habuit in rebus Eccleſiaſticis; *Sebadjahu* autem, *Princeps domus Iudah* - לְכֹל דְּבַר הַמֶּלֶךְ præſedit *in rebus Regis*, hoc eſt, in talibus rebus, quæ politiam tangebant, & ad regiam inſpectionem, curam, & deciſionem pertinebant. 2 Chron. 19: 11. Pulchrum & pium etiam hoc illius eſt verbum, *Audite me, Iehuda & cives Ieruſalem. Credite in Dominum Deum veſtrum & permanebitis: credite Prophetis illius, & proſperabimini.* 2 Chron. 20:20. Non tamen potuit Jehoſaphat omni ſuo ſtudio efficere, ut *diſponeret populus cor ſuum ad Deum Patrum ſuorum.* Ibid. ℣. 33.

Jehoram Rex Iſraël. §. 142. Impium Achabum, Regem Iſraël, regno excepit primum *Achazjah* filius, ſed cum is mature moreretur, alter illius filius *Iehoram*, qui etiam quidem *malum* dicitur *feciſſe in oculis Domini*, *non* tamen, ut *Parentes illius*, Achab & Iſebel, ſed *adhæſiſſe* tantum *peccatis Ieroboami*, *& ab illis non receſſiſſe.* 2 Reg. 3: 1. 2. 3. Peccata Jeroboami videbantur Politicis illius temporis imprimis facere ad conſervandum Regnum decem tribuum, in eo, quo tum erat ſtatu, hoc eſt, ſeparato & diviſo à Regno domus Judæ. Igitur piaculum fuit, Jeroboami viam deſerere, ut bene & prudenter ſecundum carnem & mundum inventam & poſitam. Mala certe politica eſt, peccandum potius in Deum, quam Rempublicam mutationis ſubjiciendam periculo; & cultum Dei Reipublicæ ſtatui debere accommodari; & Religionem Regionis miniſtram tantum eſſe.

§. 143. In bello, quod Jehoram cum Rege Moab, qui ab illo defecerat, geſſit, notabile eſt, quod cum in deſerto penuria aquarum exercitus ſiti pene enectus eſſet, Deus ſine pluvia & vento tantam aquarum miſit copiam, ut tota vallis & terra, ubi exercitus caſtra fixerat, ſubito aquis impleretur. 2 Reg. 3: 9 -- 20. Deinde, quod Rex Moab anguſtia preſſus, & intra urbem ſuam incluſus, cum fruſtra exitum quæſiviſſet, eouſque ſuæ ſaluti deſperavit, ut *Filium ſuum unigenitum*, regni hæredem, *in muro civitatis*, *offerret in holocauſtum*, quod ſive fecerit ad placandum Deos ſuos; ſive ad terrorem faciendum iis, à quibus obſidione cingebatur; ſive quod maluit Filium ſua interire manu, quam in hoſtium incidere poteſtatem, tale fuit, ut exſtiterit קֶצֶף גָּדוֹל *fervor magnus*, hoc eſt, plaga magna. confer Num. 17: 11. *ſuper Iſraël.* Indigne tulit Dominus, Populum tam immanis facinoris ſpectatorem factum; quod ipſi deinde magno omnipotentis faſtidio ſæpe leguntur imitati. vid. Ezech. 20: 31. *dum tranſire facitis filios veſtros* בָּאֵשׁ *per ignem.*

§. 144. Sub imperio hujus Jehorami tanta fames in urbe Samaria fuit, ut *caput aſini*, quod alias eſui non habetur, *octoginta* valuerit *argenteis*; imo ut fimum columbinum pro deliciis haberetur: denique ut & mulier cruentas manus filio inferret, & mactatum comederet. Ita verum eſt illud *Antiphanis* apud Stobæum, ἅπανθ' ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὑτῦ ποιεῖ.

Omnia

Omnia fames dulcia præter ſe ipſam efficit. Lege. 2 Reg. 6: 26--35. ſed violentam hanc famem ſecuta eſt ingens commeatus abundantia, ita ſubito & repente, ut Tribunus quidam Eliſæ Prophetæ illam annuncianti, reſponderet, *Ecce, faciat Deus feneſtras in cœlo, numquid fieri res hæc poteſt?* 2 Reg. 7: 1. 20.

§. 145. Hoc regnante Jehoramo vixit Eliſa, qui è ſervo Eliæ ſucceſſor illius factus eſt, Propheta inſignis, vir ſpiritus, qui magna & mirabilia fecit in Iſraël. *Narra mihi*, dicebat Jehoram Rex, *omnia magna, quæ fecit Eliſah.* 2 Reg. 8: 4. Elias juſſu divino Eliſam ſibi junxit. *Eliſam unges in Prophetam loco tuo.* 1 Reg. 19: 16. Invenit Elias illum arantem, & in re agraria occupatum; accedit ad illum, & *conjicit pallium ſuum ſuper ipſum*, hæc fuit illius unctio. Attactus fimbriæ Jeſu ſanavit multos. Matth. 9: 20. 21. 22. Marc. 6: 56. Attactus pallii Eliæ ex Eliſa ruſtico Prophetam ſervumque fecit Dei. Non fimbria ſanavit, ſed potentia illius divina, cujus corpus fimbria veſteque tectum erat. Non pallium infudit in Eliſam dona Prophetiæ, ſed illius manus, qui ungi Eliſam juſſit, hoc eſt, Dei. Eliſa relicto agro ſecutus eſt Eliam: ſic & Diſcipuli Dominum relictis retibus. 1 Reg. 19: 19. 20. Ab illo tempore fideliter ſervivit Eliæ, quod Hebræo loquendi modo dicitur, *fudit aquas ſuper manus Eliæ.* 2 Reg. 3: 11. Eliſa Propheta.

§. 146. Cum Elias jam jam ab Eliſa auferendus eſſet, dixit illi, *Pete age, quid faciam tibi?* reſpondit Eliſa; *ſit quæſo* פִּי שְׁנַיִם בְּרוּחֲךָ *duplex portio Spiritus tui ſuper me.* 2 Reg. 2: 9. Magnam menſuram donorum Spiritus Sancti acceperat Elias. Eliſa duplicem poſtulat. Tantum bonum æſtimat *Spiritus Sancti communionem.* Si *beata* dicitur *fames & ſitis juſtitiæ*, Matth. 5: 6. ſane beatiſſimum eſt deſiderium communionis Spiritus Dei. *Spiritum Sanctum* ſancti ſemper habuerunt pro autore omnis boni, quod in homine eſt. Pſ. 143: 10. 51: 13. Illius duplicem portionem Eliſa ſancte petiit. Elias reſpondet, הִקְשִׁיתָ לִשְׁאוֹל *rem difficilem petiviſti*, quaſi dicat, meum non eſt Spiritum dare; ipſe enim illum dono accepi. Tamen in Domino roboratus id, quod Eliſa petierat, promittit, nil dubitans, daturum Dominum, quod ſancte petierat Eliſa. *Si videris*, inquit, *me auferendum à te, ſit tibi ſic. Et ſi non, non erit* 2 Reg. 2: 10. Obſervavit verbum hoc Eliſa, expreſſe id annotante Scriptura, *Et aſcendit Eliah. Et Eliſa videbat, & clamabat.* ibid. ℣. 11: 12. Igitur & impletus Spiritu ambulavit deinceps in robore Domini, & edidit maxima miracula, omnem naturæ & humanitatis vim longiſſime excedentia; agnoveruntque Prophetarum filii, quod *ſuper illum quieſceret* רוּחַ אֵלִיָּהוּ *Spiritus Eliæ.* 2 Reg. 2: 15. Petitio Eliſæ.

§. 147. Hic igitur Eliſa pallio Eliæ percuſſit aquas, dicens, *ubi eſt Dominus Deus Eliæ,* אַף הוּא *certe ille eſt, & diviſæ ſunt aquæ huc & huc, & tranſiit* Eliſa. 2 Reg. 2: 14. *Aquas malas* edulcavit & *ſanavit*, projecto *ſale* ibi, ubi *aquarum ſcaturigo* erat. 2 Reg. 2: 20. 21. Pueros petulantes è Betel, quamvis *parvos* & admodum pueros, *illudentes ei, aſcende calve, aſcende calve, urſis* lacerandos tradidit. 2 Reg. 2: 23. 24. Etiam parvuli docendi ſunt, ne illudant ſanctis Dei. In mundo primo multi erant parvuli, quibus tamen Deus non pepercit. Omnis enim Caro undis exſtincta eſt: neque licet parvulis omnia impune agere. Ut multorum ex illis eſt regnum cœlorum, ſic & multorum ex illis eſt regnum tenebrarum. Jehoramo Rege Iſraëlis ad illum accedente, cum inopia premeretur aquarum, primo quidem auſtere illum excipit, *Quid mihi tecum, I ad Prophetas Patris tui & Matris tuæ*, deinde tamen illi prænunciat, ſubſecuturas aquas & cladem Moabitarum. 2 Reg. 3: 13. 14. 16. 17. Ibi antequam Prophetiam ederet, dicitur poſtulaſſe מְנַגֵּן, hoc eſt, virum, qui coram illo pſalleret. *Et cum Pſallens modularetur, exſtitit ſuper illum manus Domini.* ibid. ℣. 15. confer 1 Sam. 16: 23. David *modulabatur manu ſua ante Saulum,* Miracula illius.

&

& receſſit à Saulo Spiritus malus, & reſpiravit, & bene illi fuit. Mulieri viduæ, cui moleſtus erat creditor, oleum multiplicat, & ex una ampulla & lecytho complures complet. Ita accipit miſera illa, unde vivat, & unde æs alienum ſolvat. 2 Reg. 4: 1 -- 7. Mulieri illi ſpectatæ & eximiæ dignitatis *in Sunem*, quæ toties illum benigne exceperat hoſpitio, cuique non erat proles, dicit, *juxta tempus vivum* ſeu præſens *tu amplecteris filium*, 2 Reg. 4: 16. quale Dominus ipſe olim prædixerat Abrahamo & Saræ. Geneſ. 18: 10. Eundem Filium mortuum vivum matri reddidit. 2 Reg. 4: 35. 36. Filios Prophetarum in Gilgal pulte cibat, cumque illa amara eſſet, ita ut exclamarent, *Mors in olla Vir Dei*, farina in illam projecta, ſtatim dulcem illam facit, וְלֹא הָיָה דָּבָר רָע בַּסִּיר *& non erat res mala* amplius *in olla.* 2 Reg. 4: 40. 41. Deinde paucis panibus multos homines ſatiat. *Et ederunt* וַיּוֹתִירוּ *& ſuperabundarunt.* ibid. ℣. 44. Tale quid etiam Chriſtus fecit. Matth. 14: verſ. 17 -- 20. Naamanum à lepra purgat, nulla opera, nulla contractatione leproſæ carnis præmiſſa, ut perſuadebat ſibi Naaman, ſed jubendo illum, ut ſe lavaret ſepties in Jordane. 2 Reg. 5: 10. 11. Gehaſi ſervo mentienti exprobrat accepta à Naamano munera. Ita etiam ſciebat, quæ ſe abſente facta erant, agnoſcebat id ſervus Syriæ Regis, *Eliſa*, inquit, *Propheta narrat* ſeu indicat *Regi Iſrael verba, quæ loqueris in penitiſſimo cubiculi tui.* 2 Reg. 6: 12. Deinde avarum ſervum lepra percutit. *Et lepra Naaman harebit in te & ſemine tuo in perpetuum, & exiit* Gechaſi *à facie ejus leproſus ut nix* 2 Reg. 5: 27. *Ferrum* aquis merſum *facit fluere.* 2 Reg. 6: 5. 6. Emiſſos à Rege Syriæ cæcitate percutit. Puero præ timore clamanti, *Ah Domine, quid faciemus*; putabat enim ſe jam captum, reſpondet, *Ne time, nam plures ſunt, qui nobiſcum ſunt, præ illis,* qui cum hoſtibus. Aperiuntur oculi pueri, & ecce, totus *mons plenus erat equis & curribus ignis circumcirca Eliſam.* Id vere eſt, ut Pſalm. 91: 11. dicitur, *Angelis ſuis præcipiet ſuper te.* Cæcitate percuſſos in mediam ducit Samariam, quos non ferro interemit, ut volebat Rex Iſraël, *Num percutiam, percutiam Pater mi?* ſed liberaliter cibo potuque refectos ad Dominum ſuum remiſit. 2 Reg. 6: 15 -- 24. Samariæ eſurienti & famelicæ abundantiam, & Tribuno incredulo mortem annunciat. *Ecce tu videbis oculis tuis, & inde non comedes.* 2 Reg. 7: 1. 2. Benhadado Regi Syriæ mortem, Haſaeli autem Regnum prænunciat, multis cum lacrymis, noverat enim mala, quæ à manu illius paſſurus erat Iſraël. 2 Reg. 8; 10. 11. 12. Jehu filium Jehoſaphat per manum unius è filiis Prophetarum ungit in Regem Iſraël. 2 Reg. 9: 1. 2. 3. Cum incidiſſet in morbum ipſi fatalem viſitat illum Joas Rex Iſraël: illi nunciat quoties Syros fuſurus & acie victurus eſſet. 2 Reg. 13: 15 -- 19. Et in morte ipſa operatus eſt mirabilia. Vir enim in ſepulchrum Eliſæ projectus, mortua illius oſſa tangens, *revixit,* & pedum recepit uſum. וַיָּקָם עַל־רַגְלָיו 2 Reg. 13: 20. 21. Igitur Eliſa fuit par Eliæ, & in multis major: in hoc tamen minor, quod *mortem vidit*, nil minus tamen beatus. *Beati* enim, *qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14: 13.

Eliſa fuit Doctor in Iſraël.

§. 148. Eliſa Propheta fuit inſignis in Iſraële Doctor, qui alios docuit legem & vias Domini. Inde dicuntur *filii Prophetarum ſediſſe ante illum.* 2 Reg. 4: 38. Diſcipulorum autem eſt ſedere ante Doctores, quos etiam cibis refecit, quibuſque nutrimenta largitus eſt. 2 Reg. 4: 38. 44. Ita dicit Paulus, *ſe nutritum ad pedes Gamaliel.* Actor. 22: 3. Videtur habuiſſe locum publicum, ubi doceret, & magnum in illo loco confluxum. 2 Reg. 6: 1. 2. *Et dixerunt Filii Prophetarum ad Eliſam. Locus, ubi nos ſedemus ante te, arctus* ſeu *anguſtus eſt præ nobis, faciamus nobis locum*, majorem ſcilicet, *ad ſedendum ibi.* Eliſa fuit μακροχρόνιος ἐπὶ τῆς γῆς. Fuit enim coætaneus *Jehorami* Regis, filii Achab; Regemque *Jehu*, qui regno potitus eſt 28. Annis 2 Reg. 10: 36. imo & *Jehoachaſum*,

filium

filium Jehu, qui regno præfuit Annos 17. 2 Reg. 13: 1. ſupervixit, & regnante *Jehoaſo* demum mortuus eſt. 2 Reg. 13: 14. 20. Et vivente adhuc Elia, jam multos, ut videtur, annos illum ſecutus erat.

Explicatio loci 2 Reg. 5: 18. 19.

§. 149. Id unum conſiderationem adhuc meretur, Naaman Syrus, à lepra purgatus, ſpondet & pollicetur Eliſæ, *Non faciet amplius ſervus tuus holocauſtum & ſacrificium Diis aliis*, כִּי אִם־לַיהוָה *niſi Domino.* 2 Reg. cap. 5: 17. Ita mirabiliter enim ab incurabili lepra ſanatus, coactus fuit fateri, *Ecce novi, quod non eſt Deus in tota terra, niſi in Iſrael.* ibid. verſ. 15. ſed addit, *Rem hanc condonabit Dominus ſervo tuo, cum venerit Dominus meus* Rex Syriæ ad *fanum Rimmon*, idoli, *ad adorandum ibi*; *& ille innitatur ſuper manum meam, & ego* הִשְׁתַּחֲוֵיתִי *incurvavero me* in *fano Rimmon*, בְּהִשְׁתַּחֲוָיָתִי בֵּית רִמֹּן *in flexione corporis mea in domo Rimmon condonabit Dominus ſervo tuo in re hac.* verſ. 18. Reſpondit Eliſa, *Abi in pace.* verſ. 19. Putant hinc nonnulli ſequi, Eliſam autorem exſtitiſſe Naamano, ut ſimulata hypocriſi idolum coleret, quod tamen corde non colebat amplius.

§. 150. Atqui nulla hic videtur eſſe difficultas, dummodo verba recte accipiantur. Verbum הִשְׁתַּחֲוָה, quod vulgo vertitur *adorare*, (quamvis proprie ſignificet, *procumbere in terra*, & inclinari ad pedes, & eis oſculum ferre, quæ Græci vel ſervorum eſſe putabant, vel ſolis deberi diis; Perſæ tamen aliique Orientales etiam hominibus detulerunt) in Sacris ſumitur vel pro *religioſa adoratione*, qualis ſoli Deo competit; quæque non tantum fit geſtu, ſed imprimis mente & animo ac corde, ut, Pſalm. 45: verſ. 12: & 97. confer Pſalm. 95: verſ. 6. vel pro *civili* adoratione, qualis hominibus, qui ſunt in excelſo poſiti, reverenter defertur. 2 Sam. 16: 4. *Et dixit Saba ad Davidem,* הִשְׁתַּחֲוֵיתִי *adoro.* Geneſ. cap. 23: verſ. 7. וַיִּשְׁתַּחוּ *& adoravit populum terræ.* 1 Reg. cap. 1: verſ. 31. *Et demiſit Batſebah faciem terram verſus, & adoravit Regem.* confer 2 Sam. cap. 14: verſ. 33. Hiſce obſervatis facile eſt commodo ſenſu verba Naaman accipere, nimirum cupit ſibi à Deo condonari, ſi ratione officii, quo Domino ſuo tenebatur, cogeretur Domino intranti in ſacellum Rimmon, *ad adorandum ibi*, more gentilium, adoratione religioſa, adeſſe; tumque manibus ſuis portans aut ſuſtentans Regem, ſe deberet in fano Idoli coram Rege incurvare, civili nimirum incurvatione. Hanc inflexionem corporis ſui & civilem Regis adorationem quum fieret in domo Rimmon, petit ſibi condonari, quippe quæ non amplius Idolo, ſed Domino tantum & Regi ab illo deferenda eſſet. Quodque de hac civili adoratione Naaman loquatur, ipſa verba videntur, ſi iis attendamus, præ ſe ferre. *Cum venerit Dominus in domum Rimmon, & nixus fuerit ſuper manum meam, & incurvavero me in templo Rimmon; in hac mea flexione condonabit mihi Dominus.* Illorum enim, ſuper quos alii innituntur, ut commode innitantur, eſt, ſe incurvare; imprimis ſuper quos Reges ſe inclinant, omni humili geſtuum reverentia inclinantem Regem excipere debent. Dices; Naaman non habebat opus petere, ut hæc honoris in Regem demonſtratio ipſi à Domino condonetur; quippe quam æquam eſſe & licitam ipſa honeſta ratio dictat. Atqui quamvis id Naaman ſciverit, tamen id ipſum ſollicitum habebat, ſi quando in ſacello idoli deberet id agere, ubi id videri poſſet, non in Regis tantum, ſed & in idoli gratiam ab illo fieri. Præſumitur enim, honorem, qui in loco ſacro exercetur, imprimis illi deferri & attribui, cui locus ſacer eſt, hoc eſt, Deo ſive idolo. Igitur ne Deus Iſraelis, quem nunc elegerat in Deum ſuum, id de illo præſumeret; imo id in honorem Regis ſui, non vero idoli facienti condonaret, Naaman, recens converſus, è conſcientia debili & timida, quæ ſcrupulis multis ſemper angi ſolet, petit rogat-

que. Ita bene quadrat Eliſæ reſponſio, *I in pace*. Si hoc feceris, non peccabis. Deus id tibi condonabit. Ille enim cor aſpicit; ſcitque qua mente te in idolæo incurves, neque tibi iraſcetur, quod Dominum tuum omni honoris teſtatione proſequeris, quare ne angatur, neque turbetur mens tua, ſed pace fruatur tranquilla.

§. 151. Qui autem verba Naamanis ita vertunt, *Rem hanc condonabit mihi Dominus, quod, cum venit Dominus meus in domum Rimmon, ad adorandum ibi, & innixus fuit ſuper manum meam, ego etiam adoravi in fano, in hac adoratione mea in domo Rimmon condonabit Dominus ſervo tuo*, adeo ut Naaman condonari ſibi petat id, quod jam antequam converteretur fecerat & commiſerat, non autem adhuc poſt converſionem facturus & commiſſurus erat, quamvis qui ita vertant, non omnino culpandi ſint; tamen videtur phraſis & conſtructio hebraica, & particula copulativa, quæ ſolet in tali ſermonis genere præteritum convertere in futurum, illam non admittere interpretationem & verſionem. Quinimo ſi hæc fuit mens Naamani, ut condonationem peteret idololatriæ antea commiſſæ, non fuiſſet opus, ut tot uteretur ſpecialibus, ac ſi idololatra non fuiſſet, niſi intrando cum Rege in ſacellum, ſed potuiſſet ſimpliciter dicere, *Condonabit mihi Dominus*, quod antea me coram Rimmon incurvavi, illumque adoravi, & pro Deo meo habui, non tantum in fano illius, ſed & extra illud; niſi dicas, illum in ſpecie condonari ſibi cupere publicum idololatriæ exercitium, quod factum fuit in ſacello, in quo omnium maxime ſe peccaſſe judicabat. Denique ſi fuit mens Naamani veniam petendi idololatriæ ante commiſſæ, videtur nil opus fuiſſe, ut mentionem faceret in petitione ſua *venientis in fanum Domini ſui*, ac ſi Rimmonis fanum non intraſſet, niſi cum Domino ſuo, & non alias in illo ſacra feciſſet.

Jehu Rex Iſraëlis. §. 152. *Jehu* unctus Eliſæ juſſu, divina ſic ordinante providentia, in Regem Iſraëlis, peragit judicia Domini; percutit domum Achab; vindicat ſanguinem Nabot, & Prophetarum, quos interfecerat Iſabel; ſuperbamque illam, πολυτελῶς ornatam è feneſtra præcipitari jubet, ibi caro illius à canibus comeditur, & cadaver illius factum eſt, *ut ſtercus ſuper faciem agri*. lege 2 Reg. 9:1-37. 2:10. 1-15. Ita impletum Eliæ verbum. 1 Reg. 21: 20-25. Jehu templum Baalis & cippos igne conſumſit, fecitque illud in latrinam, omnes Sacerdotes, Prophetas & ſervos Baal, ad unum omnes vita privavit. Ita *abolevit Baal ex Iſrael*. 2 Reg. 10: 18. 28.

§. 153. Ipſe tamen Jehu à peccatis Jeroboam nil receſſit. Vitulos aureos in Betel & Dan conſervavit; neque adeo *ſervavit legem Domini è toto corde ſuo*. Hinc nec illius ſolium diuturnum fuit, & quarta tantum illius progenies illud tenuit. 2 Reg. 10: 29. 30. 31. Ultimus & quartus è proſapia Jehu Rex Iſraëlis, *Zacharias*, abnepos Jehu, poſtquam *ſex* tantum *menſes* regnaſſet, à *Sallum*, inita conjuratione; *coram omni populo interfectus eſt*. 2 Reg. 15: verſ. 10.

Sallum. §. 154. *Sallum* conjurator regnum occupavit, ſed non diu tenuit. Poſt *menſem* enim *unum* factum illi ut fecerat, & à *Menahem* vita & regno exutus eſt. 2 Reg. 15: 14. *Menahem* imperium male acquiſitum diutius tenuit, & Filium *Pekachjah* ſucceſſorem habuit, 2 Reg. cap. 15: verſ. 22. ſed & ille duorum tantum annorum Rex à *Pekach* filio Remaljahu ſede motus & vita privatus eſt. 2 Reg. 15: 25. Nec felicior Pekachi exitus fuit, nam & ipſe ab *Hoſeah*, filio Ela, interfectus eſt. 2 Reg. 15: 30. Ecce quanta in Iſraële confuſio! ut omnia rapinarum plena! Is in Iſraële fuit Rex, qui potentior. Succeſſores Zachariæ non *Reges*, ſed latrones fuerunt & Tyranni, Regum nomine indigni. Hinc notat Scriptura, *Regnum domus Iſrael abolitum fuiſſe, cum ſanguines Izreelis viſitati ſunt in domum Iehu*, Hoſ. cap. 1; verſ. 4. quod finaliter factum in cœde Zachariæ per manus

Menahem

Pekach.

Hoſeah.

Sallum,

Sallum, ut vidimus. Ab illo tempore nullum quaſi ampliusRegnum in Iſraële fuit, ubi enim non eſt Rex, ibi proprie non eſt regnum. Illi, qui poſt Zachariam regnarunt, quamvis regia poteſtate & authoritate gaviſi ſint, non merentur *Reges* vocari. Nomen enim *Regis* eſt nomen non tantum majeſtatis, ſed & virtutis; & non competit niſi illi, qui jure & juſtitia, non vi, ſcelere, rapinis & cœdibus regnum obtinet. Omnes alii, quamvis regnent, & *Reges* dicantur, in veritate rei *Reges* non ſunt, ſed *Tyranni*, ſeditioſi, & ut Scriptura illos nominat *Fures*. Hoſ. cap. 7: verſ. 1. *Fur venit*. Fur regni pro rege. Eadem fere facies Imperii fuit Romani ſub illius finem, ubi optimi quique Imperatorum ſeditioſe interfecti; peſſimi vero regnum ad ſe rapuerunt; qui aut ὤνιον acceperunt τὴν βασιλείαν, & argento illam mercati ſunt; aut factionibus & malis artibus illam acquiſiverunt, aut cœdibus & prœliis ad ſe attraxerunt; ut cuilibet vel leviter verſato in hiſtoria Romana conſtat. Revolvantur exempla Pertinacis, Juliani, Severi, Nigri, Albini, Baſſiani, Maximi, Gordiani, aliorumq;.

§. 155. *Hoſeah* filius Ela ultimus fuit Regum decem tribuum, hunc *Schalmaneſer Rex Aſſur* victum in cuſtodiam dedit, & poſt triennem obſidionem cepit *Samariam*, populumque deportavit in Aſſyriam. 2 Reg. 17: 1-6. Finis Regni decem tribuum.

§. 156. Rogas cauſas divinæ hujus ſeveritatis? reſpondet Scriptura, quia *timuerunt Deos alios, & ambularunt in ſtatutis gentium, Deumque oneraverunt verbis* ſeu *rebus non rectis, fecerunt celſa, cippos, lucos, ſerviverunt ſtercoribus, ſpreverunt fœdus Dei & teſtimonia, iverunt poſt vanitatem & vani facti ſunt; adorarunt omnem exercitum cœlorum; fecerunt fuſile & duos vitulos; traduxerunt filios per ignem; divinationibus indulſerunt & auguriis; & ſe totos vendiderunt ad faciendum malum in oculis Domini.* Ideo *reprobavit* & rejecit *Deus omne ſemen Iſrael, & excluſit illos a facie ſua; & transportari* ac in exſilium juſſit ire *in Aſſur*; ubi manſerunt, & nunquam plene reverſi ſunt. lege 2 Reg. cap. 17: verſ. 7-23. Ita impletum quod eſt Hoſ. cap. 8: verſ. 2. *Abjecit Iſraelem Bonus*, hoc eſt, Deus, & verſ. 8. *Abſorptus eſt Iſrael, nunc exſtiterunt in gentibus, ut vas,* כּוּ חֵפֶץ אֵין *in quo nulla voluptas eſt*.

§. 157. Reges omnes decem tribuum, inde à *Ieroboamo* Filio Nebat uſque ad *Hoſeam*, filium Ela, fuere, ſi bene ſupputavi, numero *novendecim*. Qui longiſſime regno potitus eſt, fuit *Ierobo.am pronepos Iehu*. Is regnavit annos 41. 2 Reg. 14:23. qui breviſſime omnium, *Simri* interfector Elæ, filii Baaſah, is enim *ſeptem dies* tantum regnum tenuit, 1 Reg. 16:15. poſt illum *Schallum*, qui *unum menſem*, 2 Reg. 15:13. & poſt illum *Zacharias*, è ſtemmate Jehu, qui *ſex menſes* rebus potitus eſt. 2 Reg. 15:8. Summa omnium, ni me computus fallit, annorum eſt, 235 anni, 7 menſes, 7 dies. Numerus Regum 10 tribuum.

§. 158. Non autem vacuas reliquit Rex Aſſur urbes filiorum Iſraël; ſed miſit homines & familias è *Babel, Cuta, Avah, Chamath*, & *Separvaim*; qui occuparunt Samariam, & *habitarunt in civitatibus illius*. 2 Reg. 17:24. In hos homines, quia *Deum*, in initio habitationis non colebant, ſed gentili modo vivebant, idola colentes, & vitiis indulgentes, immiſit Deus *Leones*; à quibus cum dente corriperentur aſpero, juſſu Regis Aſſyriæ *unus è Sacerdotibus Iſrael* è captivitate & exilio reductus eſt, qui in urbe *Betel*, ubi Jeroboam ſtatuerat vitulum, ſedem fixit, & *docuit* gentes illas, אֵיךְ יִירְאוּ אֶת יְהוָה *quomodo timere* deberent *Dominum*; à quo tempore dicuntur *timuiſſe Dominum*. Quod tamen hic è captivitate reductus Sacerdos non recte illas inſtituerit, (fuit enim ſine dubio unus ex illis, qui in celſis adoleverant, & Baal adoraverant) quodque timor ille Dei non fuerit verus timor, qualem Deus exigit, & Spiritus in Sanctis operatur, & fidei ſalvificæ comes eſt indivulſus, ſed timor tantum externus & πρόσκαιρος, non ulterius Habitatores terræ Iſraël poſt abductas decem tribus, illorumque vivendi ratio.

tendens quam ad aliqualem remotionem infamis & tetræ nimium idololatriæ, & coercitionem vitiorum nimis pudendorum & abominabilium, inde apparet, quod dicitur גוי גוי *gens gens*, hoc eſt, unaquæque gens *feciſſe* אֱלֹהָיו *Deos ſuos, in urbibus ſuis*, & illis feciſſe בֵּית הַבָּמוֹת *domum celſorum*, hoc eſt, celſa, quemadmodum *fecerant* הַשֹּׁמְרֹנִים *Samaritæ*; quodque quædam ex illis combuſſerint igne *filios ſuos Diis* dictis *Adrammelech & Anammelech*: denique quod dicuntur ſimul *timuiſſe Dominum, & ſerviiſſe Diis ſuis.* Verus Domini timor cum ſervitute Deorum & idolorum hautquaquam conſiſtere poteſt. 2 Cor. 6: 14. 15. 16. De his lege 2 Reg. 17: 25 – 33.

Jehoram Rex Judæ. §. 159. Abducto nunc Iſraële decem tribuum, finitoque illius regno, redimus ad tribum Juda illiusque Reges, ut & illorum fata & finis agnoſcatur. Jehoſaphatum pium, de quo §. 141. excepit regno filius *Jehoram*, ſancti Parentis degener filius. *Ivit* enim *in viis domus Achab*; *fecit celſa* Baali *in urbibus Judah*, fecitque *ſcortari*, ſpirituali imprimis ſcortatione, *cives Hieruſalem*, וַיַּזְנ & *impulit* illos ad ἀποστασίαν. 2 Reg. 8: 18. 2 Chron. 21: 11. Crudelis etiam fuit, & ſanguinolentis cœdibus *Fratrum*, qui dicuntur fuiſſe טוֹבִים מִמְּךָ *meliores illo*, ac *Principum Judæ*, populum perturbavit. *Elias* propheta, qui illo adhuc vixit regnante, miſit ad eum מִכְתָּב *epiſtolam* nunciatricem divinæ vindictæ ob tot commiſſa ſcelera. Morbo acerrimo, duriſſimo, & tenaciſſimo obiit; tantis viſcerum affectus doloribus, ut tandem poſt תַּחֲלֻאִים רָעִים *dolores malos*, hoc eſt, acutiſſimos *eruperint viſcera illius.* 2 Chron. 21: 12 -- 19. Ita ſolet divina ultio notare Tyrannos & Eccleſiæ hoſtes ac corruptores. Nec deſunt exempla ſerioribus ſeculis. *Judas* proditor Domini ἐλάκησε μέσος καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Actor. 1: 18. *Arius* presbyter Alexandrinus, vehementiſſimus oppugnator divinitatis τοῦ λόγου, in latrina conſidens, dicitur effudiſſe inteſtina. *Galerius Maximianus*, referente Euſebio libr. 8. cap. 18. Eccleſiaſtic: hiſt. inflatis ſubito, & tabo conſumtis viſceribus & genitalibus horrendum in modum exſpiravit. Ita & præterito ſeculo *Gregorius* XIV. Papa Romanus, qui Henricum Bourbonium, poſtea Galliæ Regem, proſcripſit, ſtranguria vehementer ſcribitur adfectus fuiſſe, & deinde incidiſſe in phtiriaſin, hoc eſt, pedicularem morbum; carneque univerſi corporis pediculorum ſorde corrupta, pedoris magnitudine incredibili animam efflaſſe. Sub finem ejuſdem ſeculi *Philippus ſecundus*, Hiſpaniarum Rex, qui tot mala Belgio intulit, morbo horribili interiit; ſanguinis fluxu, qui nulla potuit arte coërceri, ſuffocatus, & à vermibus, qui catervatim è pectore illius prodierunt, conſumtus.

Achasjah. §. 160. Nil parente melior *Achasjah*, filius Jehorami, ſucceſſor parentis. Domus Achab, cujus erat γαμβρὸς *gener*, dedit ipſi conſilia לְמַשְׁחִית *ad exitium illi*, hoc eſt, exitialia. Mater illius *Ataliah* dicitur fuiſſe יוֹעַצְתּוֹ לְהַרְשִׁיעַ *conſiliaria illius ad improbe agendum.* 2 Chron. 22: 1. 6. 2 Reg. 8: 26. 27. Interfectus eſt à *Jehu*, Rege Samariæ; notat Scriptura, *à Deo exſtitiſſe* תְּבוּסָתוֹ *conculcationem illius.* 2 Chron. 22: 7.

Ataliah regina. §. 161. *Ataliah* mater Achasjæ poſt mortem Filii regnum vi ad ſe rapuit, interfecto *omni ſemine regio.* Sed nec illius fata feliciora fuerunt. 2 Reg. 11: 3. 2 Chron. 22: 10. 23: verſ. 15. Hoc tempore regnum Juda à ſtirpe *Salomonis* tranſlatum eſt ad poſteros *Natan*, qui etiam fuit filius Davidis; quique in genealogia Chriſti, omiſſo Salomone, inſeritur. Luc. 3: 31.

Joas Rex. §. 162. *Joas* puer clam ereptus ſævitiæ mulieris hujus tyrannicæ, & ſex annis occultatus, ſeptimo demum anno, ſtudio & opera *Jehojadæ Sacerdotis ſummi*, regno præfectus eſt. Idem hic fidelis Dei ſervus, pepigit illo tempore fœdus *inter Dominum, Regem, populum* ut eſſent *in populum Domini.* 2 Reg. cap. 11: verſ. 17. Igitur *domus*

Baalis,

Baalis, & *altaria illius* deſtruuntur; & *imagines* abolentur, & *Mattan Sacerdos Baal* interficitur. 2 Chron. 23: 17. *Ioaſum* quod attinet, dicitur is *feciſſe rectum in oculis Domini omnibus diebus ſuis, ut docuerat illum Iehojadah Sacerdos*, 2 Reg. 12: 2. *fuitque cum corde illius* לְחַדֵּשׁ *ad innovandum domum Domini*. 2 Chron. 24: 4. At mortuo Jehojada Sacerdote, qui centum triginta annorum vir obiit, feceratque טוֹבָה *bonum in Iſraël, & cum Deo, & domo illius*. 2 Chron. 24: 16. Rex Joas, ſeductus à Principibus Judah permittit, ut luci & idola iterum conſtituantur. 2 Chron. 24: 17. 18. Miſit tum quidem Dominus *Prophetas* לַהֲשִׁיבָם *ad reducendum illos ad Dominum*, ſed non auſcultarunt illis. ibid. ℣. 18. Imò *Zacharias* filius Sacerdotis Jehojadæ, *indutus Spiritu Dei*, publice redarguens populum, *è præcepto Regis*, qui jam oblitus erat beneficii, quod à Parente illius acceperat, *lapidibus obruitur*. Proximus morti exclamat, יֵרֶא יְהוָה וְיִדְרֹשׁ *Reſpiciet Dominus & requiret*. Major in *Stephano* martyre videtur fuiſſe patientia & condonandi facilitas. Is enim magna clamabat voce, *Domine, ne imputes illis peccatum*. Act. 7: 60. Sed Zacharias non vindictæ ſtudio hoc elocutus eſt verbum, ſed motus *a Spiritu*, quo indutus erat. Ut enim dictum, ita factum. Joas inita conſpiratione in lecto interficitur. 2 Chron. 24: 20–26. Igitur ut ipſe fecerat, כֵּן שִׁלַּם לוֹ יְהוָה *ſic retribuit illi Dominus*. Jud. 1: 7.

§. 163. *Amaziah* filius Joaſi regno præfectus interfecit illos, qui contra Parentem con- Amaziah.
juraverant. Dicitur *feciſſe rectum*, רַק לֹא בְּלֵבָב שָׁלֵם *ſed non corde integro*, hoc eſt, ab externa idololatria initio regni ſibi caviſſe, quamvis integro adfectu Deo non adhæreret. Bellum moturus in Edomitas conducit militem è decem tribubus, quem monitus à *Viro Dei*, hoc eſt, à ſancto quodam Doctore, Sacerdote, aut Prophera, rurſum dimittit. Cum de pecunia in milites conductos expenſa ſollicitus eſſet, reſpondit illi Vir ille Dei, יֵשׁ לַיהוָה לָתֵת לְךָ הַרְבֵּה מִזֶּה *habet Dominus, ut dare tibi poſsit plus hoc*, quod tu expendiſti. Victis Edomitis deficit *ad Deos filiorum Seir, ponit illos ſibi Deos, illos adorat*, illiſque *ſuffimenta offert*, & ſtudioſe ſectatur אֱלֹהֵי אֱדוֹם *Deos Edom*. Monitus à *Propheta*, quem ad illum miſerat Dominus, indigne illum repellit. Hinc exitium. Temerarium infert bellum *Ioaſo* filio Jehu, à quo victus benè humiliatur. Tandem & ipſe à conjuratoribus occiditur. 2 Reg. 14: 1–20. 2 Chron. 25: 1–28.

§. 164. *Aſariah*, alias dictus *Uſsiah*, filius Amaziæ, diu ſceptrum tenuit. 2 Reg. 15: Aſariah.
2. In illo notabile, quod eo elatus fuit temeritatis, ut *intraret in templum Domini*, & *accederet ad altare, ad adolendum ſuffitum*. Hunc honorem, ad quem non vocatus erat, injuſte ſibi ſumpſit. Hoc peccatum male ceſſerat Jeroboamo; 1 Reg. 13: 1–6. nec melius nunc cedit Uſſiæ. *Azariah Sacerdos ſummus* כֹּהֵן הָרֹאשׁ & octoginta Sacerdotes Domini cum illo inſurgunt in Regem, & dicunt, *Non tuum eſt, ô Uſsiah, adolere Domino: ſed ſacerdotum filiorum Aharon, qui ſanctificati ſunt. Exi è ſanctuario: nam prævaricatus es*, וְלֹא לְךָ לְכָבוֹד מֵיְהוָה אֱלֹהִים *& non id tibi in honorem* ſeu gloriam erit *à Domino Deo*. Uſſiah monitionum impatiens lepra percutitur, quæ longa in eo hæſit ſenecta. Sub hoc Uſſiah concionari cœpit *Eſaias Propheta*, 2 Chron. 26: 16–23. & *in anno, quo Uſsiah mortuus eſt, vidit* mirabilem illam viſionem, *Dominum ſedentem in ſolio, fimbriis implentem templum, cinctum Seraphim*. Eſ. 6: 1. 2. 3. Id fuit *videre gloriam Chriſti*. Joh. 12: 41.

§. 165. Poſt *Iotamum*, filium Uſſiæ, qui הֵכִין *firmas fecit vias ſuas coram Domino* Jotam.
Deo ſuo, 2 Chron. 27: 6. 2 Reg. 15: 32–37. regnum accepit *Achas* filius Jotami. Is Achas.
ivit in viis Regum Iſrael, Filium ſuum traduxit per ignem; ſecundum abominationes gentium adolevit in celſis, & collibus, & ſub omni arbore viridi 2 Reg. 16: 2. 3. 4. *fecit* מַסֵּכוֹת *fuſiles Baalibus*; 2 Chron. 28: 2. etiam *Altare* Domini *aneum* ſemovit, & ad aliud ad formam

altaris Damaſceni, aſtipulante Uriah Sacerdote exſtruxit, ſuper quo holocauſta obtulit, & ſacrificia omnia offerri juſſit. 2. Reg. 16: 10 – 15. Hic Achas *clauſit januas domus Domini, & fecit ſibi altaria* בְּכָל־פִּנָּה *in omni angulo Hieroſolymæ.* 2 Chron. 28: 24. Cum hoc Achaſo rem habuit Eſaias Propheta, qui illi, cum à Rege Aram, & Pekach Rege Iſraël obſideretur, nunciat, *ſecurus eſto, ne time: nec emolliatur cor tuum a duabus caudis titionum horum fumigantium*, & deinde, *Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo, profundato petere*, hoc eſt, pete è profundo; aut *exalta ſurſum*, hoc eſt, ex alto pete. Achas hypocrita reſpondet, *Non petam, & non tentabo Dominum.* Tot temeraria induxerat inſtituta; nunc juſſus à Propheta, in nomine Domini, petere, renuit, quod bono jure facere poterat. Hinc Eſaias, *Audite domus David: numquid parum vobis defatigare homines*, hoc eſt, me, Prophetam, Dei ſervum, vas infirmum, *quod defatigatis etiam Deum:* hypocriſis Deum quaſi fatigat. Hac occaſione editur Prophetia de *Immanuele naſcendo è Virgine.* Eſ. 7: 1 – 15.

Hiskiah. §. 166. *Hiskiah* filius Achaſi, regni hæres, Parentis ſucceſſor, ſummæ pietatis vir fuit. *In Domino Deo Iſraël confiſus eſt; illi adhæſit*, nec *receſſit ab illo, & ſervavit præcepta illius, quæ præcepit Moſi.* Hinc laudem hanc adeptus eſt, *Poſt illum non fuit ut ille, in omnibus Regibus Juda, & qui fuerunt ante illum.* 2 Reg. 18: 5. 6. Novus hic Rex ſtatim ſub initio Regni id egit, ut falſum cultum auferret, & verum rurſum introduceret. *Removit celſa, fregit cippos, excidit lucum, contudit ſerpentem æneum, quem Moſes fecerat* (Num. 21: 89.) qui hactenus dictus erat נְחֻשְׁתָּן, hoc eſt, *maſſa ænea*, cuique *filii Iſraël adoleverant*, ut Idolo. 2 Reg. 18: 4. Deinde rurſum *aperuit januas templi*, quas Parens Achas occluſerat, & congregavit *Sacerdotes & Levitas*, ut *ſanctificarent & purgarent domum Domini, & altare Domini, & menſam panum faciei, & omnia vaſa ſanctuarii* in locum reducerent ſuum. Hactenus enim cultus divinus, ſub imperio Regum profanorum, planè abrogatus, & Tabernaculum Domini planè neglectum videbatur: *fecerunt malum Patres noſtri; averterunt facies ſuas a tabernaculo Domini, etiam clauſerunt valvas templi, extinxerunt lucernas, ſuffimenta non adoleverunt, & holocauſtum non obtulerunt in ſancto Deo Iſraël.* confer 2 Chron. 29: 2 – 19. Quanta impietas! cultus ille, quem Deus inſtituerat, cui tot ſignis & portentis teſtimonium exhibuerat, cujus obſervationem ſub comminationibus inſignium pœnarum, & promiſſionibus ingentium beneficiorum commendaverat, de quo ipſorum faſſi erant Majores, *Et juſtitia erit nobis, cum obſervabimus facere omne præceptum hoc coram Domino Deo noſtro, ut præcepit nobis*, Deut. cap. 6: verſ. 25. hic, inquam, cultus ita proſtratus & mutatus, & neglectus obtorpuit.

§. 167. Purgato ſanctuario offeruntur *à filiis Aharon Sacerdotibus* ſolemnia ſacrificia, *pro peccato, holocauſta, pacifica*, inter cantus ſacros & tubarum clangores, & Muſicæ amœnitates. 2 Chron. 29: 20 – 31. Deinde *fit Paſchah*, ad quod non tantum viri Juda, ſed & omnis Iſraël per epiſtolas & nuncios invitatus fuerat. Multi ex invitatis *luſerunt & ſubſannarunt legatos*; multi autem נִכְנְעוּ *humiliarunt ſe, & venerunt Hieroſolymam.* 2 Chron. 30: 1 – 14. Ita ſanctuario redditus ſplendor, legibus & ceremoniis reſtituta obſervantia, Sacerdotibus & Levitis antiqua impoſita functio, rebuſque ſacris & toti populo ſuus retributus decor fuit, revixit Religio, quæ hucuſque quaſi ſepulta fuerat, receptus Moſes, qui hucuſque deſertus; & in priſtinam Iſraël tranſmutatus formam, & ab idololatria gentilium, & cultu falſorum Deorum abductus, & cum Deo vero reunitus eſt. *Sacerdos ſummus* illius temporis fuit *Aſariah.* 2 Chron. 31: 10.

§. 168. *San-*

§. 168. *Sancherib, magnus Rex Aſſyriæ*, toti Judææ, Hieroſolymæ, & imprimis Hiskiæ arctum fecit. Superba oratione Legati illius populum Hieroſolymitanum ad deditionem hortantur; multa contumelioſè in Deum omnipotentem locuti. 2 Reg. 18: 17 -- 35. Hiskiah tot anguſtiis preſſus intrat *domum Domini*; orat ardenter; Eſaiam conſulit Prophetam; Populum monet, ne timeat. *Orat*, inquam, *Domine Deus*, inquit; *habitans inter Cherubim; flecte aures tuas & audi; aperi oculos tuos, & vide; ſerva nos Domine Deus noſter: nam tu Dominus Deus ſolus es.* 2 Reg. 19: 15 -- 20. *Conſulit* Eſaiam. *Dies*, inquit, *anguſtiæ, redargutionis, & contemptus dies hic. Venerunt filii ad partitudinem, & non ſunt vires ad pariendum*, 2 Reg. 19: 3. quaſi dicat, ſpes noſtra ad extremum venit; nec apparet ſalutis & liberationis remedium. *Monet.* 2 Chron. 32: 7. 8. *Fortes eſte & validi; ne timete a Rege Aſſur, & a multitudine, quæ cum illo:* כִּי עִמָּנוּ רַב מֵעִמּוֹ *nam qui nobiſcum eſt potentior eſt eo, qui cum illo. Cum illo brachium carnis, ſed nobiſcum Iehova Deus noſter.* Orationem illius exaudivit Dominus. *Sic dicit Dominus Deus tuus, quod petiiſti de Sancherib Rege Aſſur, exaudivi* 2 Reg. 19: 20. Conſilio adfuit Eſaias. *Et dixit Eſaias. Sic dicetis Hiskiæ, Ne time. Ecce Dominus dabit in illum ſpiritum, & audiet rumorem, & revertetur in terram ſuam, & faciam illum cadere gladio.* 2 Reg. 19: 6. 7. Monitionibus auſcultavit populus. *Et innixi ſunt populus verbis Hiskiæ.* 2 Chron. 32: 8. Nec Promiſſio Dei, nec Prophetia Eſaiæ, nec fiducia populi fruſtra aut inanis & vana fuit. *Angelus Domini una nocte in caſtris Aſſyriorum percuſſit* 185000. Ita omnia plena exſtiterunt פְּגָרִים מֵתִים *cadaverum mortuorum.* Ipſe Sancherib abiit *in pudore vultus*, & in fano, ab iis, qui *è viſceribus ejus egreſſi erant*, hoc eſt, filiis, gladii ictu transfixus eſt. 2 Reg. 19: 35. 36. 2 Chron. 32: 21. Doceat hic Sanherib mundanos omnes, in vanum *hominem miſerum è terra formidabilem ſe facere.* Pſalm. 10: verſ. 18. — *Sancherib in Hiskiam movet.*

§. 169. Sanheribi fama ad gentes pervaſit. Herodotus σενναχάειβον commemorat, imo in *Euterpe* cap. CXLI. id illius Elogium recitat, Εἰς ἐμέ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἴσω: *quicunque me intuetur timeat.* Narrat idem Herodotus, σενναχάειβον in bello contra Ægyptios per miraculum cæſum fuiſſe. Judæorum autem & Hiskiæ non meminit. Verum tamen eſt, quod de bello Ægyptiaco Sennacheribi dixit: nam quo tempore is Judæam & Hieroſolymam oppugnavit, *Tirhaka Rex Cuſch*, partis Ægypti, *venit ad pugnandum cum illo.* 2 Reg. 19: 9. Ita ſimul bella gerens cum Ægyptiis, ſimul oppugnans Judæos occubuit. — *Sanheribi fama gentibus innotuit.*

§. 170. De Sanheribo, ejusque expeditione & interitu Prophetæ vaticinati ſunt. Nahum. 1: 12. 13. 14. *Frangam jugum ejus à te, & vincula tua rumpam.* Id factum tempore Hiskiæ, qui Deo annuente & volente ab illo defecit, jugumque illius excuſſit. 2 Reg. 18: 7. 20. *Et præcepit de Te Iehova. Non erit Semen de Nomine tuo adhuc*, hoc eſt, inopinata morte ſublatus nullum amplius Semen nomini tuo excitabis. *E domo deorum tuorum exſcindam ſculptile & fuſile*, hoc eſt, ſculptilia tua, quæ tu tanti æſtimas, exſcindentur aliquando; imo & tu ante illa exſcinderis. *Ponam ſepulchrum tuum*: nim, ante idola, in quorum conſpectu jugulaberis. כִּי קַלּוֹתָ *nam vileſces*; ipſis tuis filiis vilis videberis, & toti mundo fœtori & contemptui eris. Verbum hoc fœmininum, eſt μειωτικὸν & ἐξουθενητικὸν, & in vilipendium Sanheribi adhibitum. De cataſtrophe & everſione Aſſyriorum, quorum Rex fuit Sancherib, lege Eſ. 10: 16 -- 19. ubi memorabile hoc eſt Verbum, וְהָיָה כִּמְסֹס נֹסֵס *& erit ut tabes Eminentiſſimus*, hoc eſt, Rex ipſe. — *Vaticinia Prophetarum de Sanherib.*

§. 171. Redeamus nunc ad Hiskiam. Is dicitur in morbum incidiſſe lethalem. Eſaiamque — *Morbus Hiskiæ.*

que Prophetam juſſum à Deo illi dixiſſe, *Præcipe domui tuæ: nam morieris, & non vives*; deinde autem poſt preces effuſas & lacrimas, *Ecce ſanabo te die tertio aſcendes in domum Domini, & addam ad dies tuos quindecim annos*, quod & miraculo confirmatum, & in rei veritate impletum fuit. 2 Reg. 20: 1 – 11. Eſ. 38: 1 – 9. Morbus Hiskiæ qualis fuerit, haut conſtat: talis tamen fuit, qui fecit in carne illius exſtare שְׁחִין ἕλκ@ *ulcus* aut inflammationem, fuit ergo morbus acutus & ardens, qualis ſolet eſſe *peſtis*, cujus indicia ſunt *ulcera*; aut *febris* acuta continua. Morbus is hominibus videbatur letalis: mors certa imminebat; mox ſecundum humanam apparentiam Hiskiam abſumptura: ideo bono jure dici poterat Hiskiæ. *Præcipe domui: nam morieris; nec revaleſces*, cura quæ curanda habes: præſens enim hic morbus facit, ut non poſſis non exſpectare mortem, & abjicere ſpem revaleſcentiæ. Dicit Dominus, *Præcipe domui, nam morieris:* nec tamen Hiskiam mori volebat, eadem ratione, ut Abrahamo dicebat, *Sume & offer filium tuum* Geneſ. 22. quem tamen offerri & interfici nolebat. Igitur ut id dixit *ad tentandum* Abraamum, hoc eſt, fidem & obedientiam illius; ita & hoc Hiskiæ dixit ad faciendum tentamen & capiendum experimentum fidei, precum & pœnitentiæ Hiskiæ; quæ ubi apparuit, ecce illico adeſt Dei verbum; *Vidi lacrumas tuas, andivi precationem tuam. Ecce ego ſanabo te, & quindecim annos* producam vitam tuam. Nulla hic in Deo mutatio conſilii aut propoſiti divini. Conſilium enim Dei ab æterno tale fuit, Hiskiæ vitam morbo capitali periclitari; illamque interveniente pœnitentia à morbo liberare, non quod pœnitentia & preces ſint cauſa hujus liberationis; ſed quod Deus vult beneficia ſua non niſi pœnitentibus conferri, & à gratis mentibus accipi; ſimulque decrevit largiri donum ſanctarum precum, & beneficium efficacis ac ſalutaris auxilii. Eſaias jubet *maſſam ficuum* ulceri imponi. Tum demum remedia utiliter adhibentur, ubi divina adeſt benedictio. Potuiſſet Deus ſine illis Hiskiæ reſtituere valetudinem, voluit tamen adhiberi remedium, ut agnoſcamus, non fruſtra remedia à Deo creata & humano generi conceſſa eſſe.

De termino vitæ. §. 172. Vitam hominum quod attinet, poſuit illi Deus terminum, quo incipit, & quo deſinit. Nativitatis diem omnibus fixit; etiam Mortis; nec tantum, ſed & modum genuſque morbi. Omnibus ſtatutum eſt mori; etiam quo die, & quo morbo mori, *deciſi ſunt dies hominis, numerus menſium illius cum Deo eſt, limites modumque illius fecit, quem non tranſibit.* Job. 14: 5. Ita ſtat ſua cuique dies, quem nec anticipare, nec retardare, aut impedire quiſquam aut quicquam poteſt. Ut *nemo ſibi vivit*, ita *nemo ſibi moritur*, Rom. 14: 7. nemo intrat in mundum ſine Deo, nemo exit è mundo ſine Deo. *In Deo vivimus, movemur, ſumus: ille dat vitam, halitum & omnia.* Actor. 17: verſ. 25. 28. Ille ſine dubio etiam deſcripſit omnia vitæ noſtræ momenta ad extremum uſque halitum. *Cognita* enim ſunt *illi à ſeculo omnia opera ejus.* Actor. 15: 18. *Paſſeres non cadunt in terram ſine Patre cœleſti*, Matth. 10: 29. & homines, qui πολλῶν ϛρυθίων διαφέρουσι ℣. 31. caderent? *Omnes pili capitis noſtri numerati ſunt.* ibid. ℣. 30. & dies vitæ noſtræ non numerati ſint? De *cibo, potu, veſtimentis* providet nobis Dominus, illa curat, Matth. 6: 31. 32. & vitam noſtram, illiuſque durationem & modum non curaret? Nil fit ſine Deo. Deus eſt in omnibus, & mors nos invaderet ac abriperet illo nec diſponente, nec volente nec jubente? Quinimo quia Hiskiæ dicit, *Addam ad dies tuos quindecim annos*, diſcamus, Deum numerum dierum annorum vitæ noſtræ certum poſuiſſe & fixiſſe. Primi mundi hominibus deſtinaverat *dies vitæ, centum & viginti annos*; Geneſ. 6: verſ. 3. & hujus noſtri mundi hominibus dies ſuos haut aſſignarit? Igitur certo ſtatuamus, nos & naſci & mori, eo die eoque modo, quem divina providentia ab æterno fixit

& con-

& conſtituit. Et quamvis illi inter homines, qui violentas ſibi inferunt manus, aut petulantes in extrema ſe conjiciunt diſcrimina, aut commeſſationibus & ingurgitationibus immodicis corpus plane corrumpunt, ut deſinat eſſe commodum animæ hoſpitium, quamvis inquam illi, humanitus loquendo mortem ſibi accelerent; potuiſſent enim diutius vivere, & in humanis ſupereſſe rebus, unde & illi optime latrones vitæ ſuæ dicuntur, tamen certum eſt, neminem ita cadere aut perire ſine diſpoſitione & directione efficacis & ſemper vigilis & nullibi excluſæ providentiæ divinæ; cujus judicia & vias ſi in omnibus non poſſumus aſſequi & conciliare cum cogitationibus noſtris, ne tamen culpemus aut accuſemus, ſed cogitemus *imperſcrutabilia & imperveſtigabilia* illa eſſe nobis, quamvis in ſe ſemper juſtiſſima, ſanctiſſima, optima. Rom. 11: 33. *Iudex totius terræ* annon ille *faceret* מִשְׁפָּט *judicium*, hoc eſt, quod rectum & juſtum eſt? Geneſ. 18: 25. Num putabimus ſine Dei providentia Saulum occubuiſſe in gladium, cum Pſeudo-Samuel etiam dicebat, *Cras eris mecum?* aut Judam proditorem factum præcipitem, cujus *ἀπαγχόνην* (?) *curationem* Deus dudum deſtinaverat alteri? aut Jonam in mare abjectum, & à piſce deglutitum, quum Deus illum Typum Chriſti morituri & reſurrecturi eſſe voluerit? Oportet certe ut cum Epicuro ſomniare & dormire Deum, nec humana curare ſtatuat, qui ſtatuit hominem naſci, vivere, mori inſcio & non curante Deo.

§. 173. Hiskiah poſtquam *ægrotaſſet & à morbo convaluiſſet*, ſcripſit מִכְתָּב *ſcripturam* lectu & obſervatu digniſſimam. Eſ. cap. 38: verſ. 9.-20. In illa poſtquam miſeriam exantlatam enarraſset, *Privor reſiduo annorum meorum; amputavi ut textor vitam meam, ut leo fregit omnia oſſa mea, ut grus pipiebam, ut hirundo gemebam*, &c. narrat etiam, unde petierit auxilium, *attenuati ſunt oculi mei ſurſum.* דַּלּוּ עֵינַי לַמָּרוֹם hoc eſt, cœlum & ſuperna intuendo. Ad Deum, qui eſt בַּמָּרוֹם *in excelſo* extulit oculos. יְהוָה עָשְׁקָה־לִּי עָרְבֵנִי *Domine vis mihi fit, ſponde pro me.* Invocavit *Dominum*, & quidem Dominum *Sponſorem*, hoc eſt, Angelum Faciei, Chriſtum, Teſtamenti Sponſorem; illi queſtus eſt, *vim ſibi fieri*, hoc eſt, ſe graviſſime angi, tentari, affligi, illius *ſponſione* & interceſſione cupivit juvari. *Sponde pro me*; intercede pro me, *ſit & tibi arctum in hac mea anguſtia; ſerva me, bajula me, affere me in amore & compaſſione tua.* Eſ. 63: 9. Proſit ad hoc mihi æterna tua ſponſio, ut non tantum liber ſim ab æternis peccati pœnis, ſed & nunc liberer à temporalibus hiſce hujus vitæ caſtigationibus. Sponde pro me, *potes* id facere jure, à Deo Patre enim es *vocatus*; & *prægnuius* Sponſor digniſſimus, decentiſſimus, & *per Spiritum æternum te obtuliſti. Vis* id facere benevolè. Sponſor enim es fidelis & miſericors, amoris plenus & gratiæ, *facies* id fructuoſe, hoc eſt, magno mei fructu & inſigni bono. Sponſio enim tua Deo Patri gratiſſima eſt, juſtitia fulfulta, amore & benevolentia temperata. Igitur *ſponde pro me.* confer Pſalm. 119: verſ. 122. *Sponde pro ſervo tuo in bonum, ne opprimant me violenti.* Johannes Apoſtolus docet, nos *habere advocatum apud Patrem.* 1 Joh. cap. 2: verſ. 1. 2. Hiskias & David *noverunt* ſe habere *Sponſorem*, interceſsorem in cœlis, *Dominum*; de quo Job dixerat, *Novi, quod redemtor meus vivit.* Pergit Hiskias. *Quid loquerer?* non opus erat mihi longo ſermone, aut prolixa oratione, וְאָמַר לִי *& dixit mihi*, quid? ſpondebo pro te, וְהוּא עָשָׂה *& ille fecit*, nimirum quod dixerat; ſpopondit pro me. O benevolum Sponſorem! Hiskiæ petenti, *ſponde*, illico reſpondit, *ſpondebo*; nec *dixit* tantum, ſed & *fecit*, ac re ipſa ſpopondit & pro miſero interceſſit. Quid autem profuit tibi hæc divina ſponſio Hiskiah? multum ſanè, id ita enarrat. *Procedam omnes annos meos propter amaritudinem animæ meæ.* Amaritudo animæ meæ longa annorum proceſſione ob

 ſpon-

Sponſionem Sponſoris compenſabitur, *feciſti me convaleſcere & vivificaſti me. Ecce in pacem amarum mihi vertit*, hoc eſt, amaros & acutos dolores mutavit in pacem, & bonum & tranquillitatem, ut liber ab illis non amplius illos perſentiſcam. *Projeciſti poſt dorſum tuum omnia peccata mea*; ne illa mihi imputentur, aut ego ob illa in judicium vocer, (quis nunc negabit, remiſſa veteribus peccata fuiſſe?) *Jehova fuit ad ſervandum me* non homo, non potentia mea, non medicamentorum vis, non precum mearum dignitas, non vitæ anteactæ integritas, ſed Jehova illius ſponſio, gratia, amor, compaſſio illius ſalutem hanc mihi attulit. Ergo Jehova *Servator meus* eſt.

Lapſus Hiskiæ. §. 174. Id denique in Hiskia obſervandum, quod ut ut ſanctus & integer, & gratiæ divinæ particeps, & tot beneficiis adfectus, à præſentiſſima morte liberatus, tamen lapſus eſt & offendit. Lætus ob gratulationem valetudinis factam illi per legatos Regis Babel, illis omnes ſuos theſauros, opes & glorias oſtendit. Debuiſſet illis enarrare potius & plenis buccis decantare gratiam Dei, illius erga ſe beneficia, miraculoſam ſui conſervationem, morbi præteriti vim & efficaciam, auxilium cœleſtis Sponſoris, de his bonis Hiskias tacet, non glòriatur ſe Dei eſſe amicum, & à Deo amatum, ſed *divitias* oſtendit fluxas & fragiles, ob illas vult ab extraneis laudari, & illis in admiratione eſſe. Si illarum vanitatem & infinitatem non aliunde agnoviſſet, inde illam debuiſſet emetiri; quod omnes illi theſauri non ſuffecerant ad minuendos dolores, quos exhauſerat; nedum ad reddendum ſanitatem & vitam, nedum ad liberandum à morte. Magna vanitas eſt felicitatem in ipſa ſtatuere vanitate. Si quid in orbe vanum eſt, id divitiæ ſunt; quæ & homines vanos reddunt, ſecuros & ſibi fidentes. confer Eſ. 39: 1-13.

Menaſſeh. §. 175. Hiskiam regno excepit *Menaſſeh* filius, peſſimus & impientiſſimus. *Fecit* enim *malum ſecundum abominationes gentium, readificavit celſa, altaria, lucum, ut fecerat Achabus, adoravit omnem exercitum calorum*, hoc eſt, Solem, Lunam, ſidera. confer 2 Reg. 21: 1-5. *Sol*, ſiderum princeps, à multis olim *Deus* creditus fuit. *Solem Perſæ unum Deum eſſe credunt*. Juſtin. lib. 1. cap. 10. ſolebant Solem appellare *Mithren* ſeu *Mithram*. Syri & plerique orientales *orientem* religioſe ſolebant ſalutare *Solem*. Sol *Homero* non videre tantum, verum audire etiam dicitur. Avienus Solem abſolute appellat *Deum*, ejus vim & poteſtatem admiratus Plinius eundem *Deum* credidit. lib. 11. cap. 6. Solem inquit, *mundi eſſe totius animam, ac planius mentem; hunc principale Naturæ Regimen ac Numen credere decet opera ejus æſtimantes*, & cap. 7. ita exorditur, *Quapropter effigiem Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ reor. Quis eſt Deus (ſi modò eſt alius, præter Solem puta) & quacunque in parte totus eſt ſenſus. Luna, ad cujus motum variant animalia corpus*, (Manil. lib. 1 1.) magna enim illius vis eſt in tes animales, (vide Gellium lib. 20. cap. 7.) etiam gentilibus in honore fuit. Inde forſan aut in illius honorem factus eſt Deus *Lunus*, apud Cartas, de quo Spartianus in Antonino Caracallo. Sed redeamus ad Menaſſen. *Is ædificavit altaria exercitui calorum in domo Domini, & in duobus atriis illius. Traduxit filium per ignem, in valle Ben-hinnom.* וְעוֹנֵן *& conjectavit, divinavit, auguria obſervavit,* וְנִחֵשׁ *& auguratus eſt*, hoc eſt, è ſerpentibus captavit omina, habebant olim, referente Heſychio τοὺς ὄφεις εἰς τὰς μαντείας, οὓς ... ἔλεγον. וְכִשֵּׁף *& præſtigiis uſus eſt*, contra mandatum divinum. Levit. 19: 26. Nec tantum ſed & *fecit* אוֹב וְיִדְּעֹנִים *Pythones & dæmones*. אוֹב notat ἐγγαστρίμυθον, hoc eſt, hominem, per quem impurus Spiritus loquitur, deinde notat ἀσκὸν *utrem*. Sunt enim illi homines ut utres inflati, à Dæmone obſeſſi. Sæpe notat ipſum Spiritum impurum. Deut. 20: 18. 1 Sam. 28: ℣. 7. 8. Voci יִדְּעֹנִי in Græco convenit τὸ δαίμων. unde conjicitur, id nomen denotare ipſum Spiritum

μαν-

μαντικόν. Dicitur Menaſſeh feciſſe *Pythones*, hoc eſt, ad ſe alllexiſſe, & plenam dediſſe libertatem agendi quæ vellent hominibus cum Diabolo conſortium habentibus. Ita & fecit יִדְּעֹנִים *Dæmones*, quum enim cultus & prophetia dæmonum ſtabilitur, ipſi Dæmones inſtituuntur & ſtabiliuntur. Imo & poſuit Menaſſeh פֶּסֶל הָאֲשֵׁרָה *ſculptile luci*, ſive פֶּסֶל הַסֶּמֶל *ſculptile ſimulacrum, quod fecerat.* Videtur *idolum* ſibi ſculpſiſſe, quod *luci* dicitur, quia in gratiam falſorum Deorum, qui in lucis amaverunt coli, confectum, id poſuit *in templo*, voluitque in majori certe pretio eſſe, quam Arcam cum Cherubinis. 2 Reg. 21: 1-8. 2 Chron. 33:2-7. Ita fecit errare Menaſſeh *Jehudam & cives Hieruſalem, ut facerent pejus gentibus*, 2 Chron. 33:verſ. 9. *fecitque illos peccare* בְּגִלּוּלָיו *per ſtercora ſua.* 2 Reg. 21: 11. Omnes falſi Dei, omneſque falſæ opiniones & ſententiæ de Deo ac juſtitia Dei ſunt σκύβαλα *ſtercora.*

§. 176. In tanta impietate non ſiluit, nec ſe continuit Dominus. *Locutus eſt ad Menaſſe & ad populum ſuum, ſed non auſcultarunt.* 2 Chron. 33: 10. Locutus *eſt per ſervos ſuos, Prophetas*, dicendo. *Ego adducam malum ſuper Iudam. Extendam ſuper Hieruſalem lineam Samariæ*, וְאֶת־מִשְׁקֹלֶת *& libellam domus Achab. Et extergam Hieruſalem, ut extergit quis paropſidem, & exterſam invertit*, וְהָפַךְ עַל פָּנֶיהָ *Et omittam reliquum hæreditatis meum, & erunt in prædam.* 2 Reg. 21:10-13. Ita & hæredium Dei, quod quemadmodum ſeptem mille genua, tempore Eliæ, incorruptum ſervavit Dominus ab idololatria Menaſſis, una cum impiis luere debuit.

§. 177. Manaſſeh videtur non tantum non auſcultaviſſe, ſed & ſæviiſſe in Prophetas monentes & redarguentes. Nam *ſanguis innoxius*, quem dicitur *fudiſſe* in tanta copia, ut *impleverit Hieroſolymam* פֶּה לָפֶה *ab ora ad oram* (confer Eſr. 9: 11. מִפֶּה אֶל־פֶּה) 2 Reg. 21: 16. ſine dubio Prophetarum fuit & ſervorum Dei. Sunt qui ajunt Eſaiam Prophetam juſſu Manaſſis *ſerra* fuiſſe diſſectum: ita Chryſoſtomus Epiſtola ad Cyriacum ſecunda; ἐὰν βούλεται ἡ βασίλισσα με πρίσαι, πριέτω με, τὸν Ἡσαΐαν ἔχω ὑπογραμμόν. *Si vult me Regina ſerrare, ſerret: Eſaiam exemplum habeo*; Juſtinus Martyr contra Tryphonem, ὃν πρίονι ξυλίνῳ ἐπρίσατε, loquitur de Eſaia. Tertullianus de Patient. *His patientiæ viribus ſecatur Eſaias, & de Domino non tacet.* Idem Iſidorus de vita & morte Sanctorum, idem Epiphanius de vita & obitu Prophetarum, idem Euſebius nec non Hieronymus prodiderunt, adde Joſephum. Quæ Rabbini de cæde Eſaiæ tradunt, lege apud Galatinum libr. 4. cap. 6. Videtur & Apoſtolus Hebr. 11:37. Eſaiam ſignificare, cum ait ἐπρίσθησαν. Nam ſi non Eſaias, nemo veterum ſerra diſſectus eſt. Dicitur Manaſſes gener fuiſſe Eſaiæ; illiuſque filiam duxiſſe uxorem.

§. 178. Cum monelæ & minæ Prophetarum parum valerent, ſeverius caſtigandum cenſuit Menaſſen Dominus. Ab Aſſyriis captus & Babelem ductus, & ligatus compedibus ἐν δεσμωτηρίῳ πολλοὺς κατεσχέθη χρόνους, & *impietatis* τῆς ἀσεβείας οὐ μεμπτὴν ἔδωκε δίκην. Ita cum in arcto eſſet, incepit ſe humiliare. חִלָּה אֶת־פְּנֵי יְהוָה *ſupplicavit Domino*; ad verbum, *infirmavit*, vel *mollivit faciem Domini.* Convenit hæc formula cum Græco δυσωπεῖν, quatenus notat ſuppliciter orare, precibus flectere, vel ad pudorem negandi adigere, *& humiliatus eſt valde coram Deo.* Idem & de Achabo dicitur 1 Reg. 21: 29. qui tamen in impietate ſua interiit. Videtur in Menaſſeh vera fuiſſe humiliatio, nam & exauditus eſt à Deo, וַיִּשְׁמַע תְּחִנָּתוֹ: & regno redditus *removit Deos peregrinos, & ſimulacrum è domo Domini; & omnia altaria projecit extra urbem, & reſtauravit altare Domini, & ſacrificavit ſacrificia & confeſſionem, totique* Jehudæ *dixit*, hoc eſt, præcepit *ad colendum Dominum Deum Iſraël. Cognovit* enim, hoc eſt, re ipſa expertus eſt, & di-

dicit, *quod Iehova Deus eſt.* 2 Chron. 33: ℣. 11-17. Laudat Scriptura תְּפִלָּתוֹ *orationem* Manaſſis. Libris, qui vulgo dicuntur ἀπόκρυφοι, quia abſcondita eſt illorum origo, autoritas & autor, invenimus adjectam orationis formulam, quæ *Menaſſi* inſcripta eſt, de qua tamen merito dubitatur, quia in Judæorum, quos Deus librorum ſacrorum fecit *capſarios*, Rom. 3: 2. canone nullibi invenitur.

§. 179. Menaſſeh diuturnum habuit regnum, *regnavit* enim 55. *annos*, 2 Chron. 33: 1. quem annorum numerum nemo omnium Regum, qui aut Menaſſen anteceſſerunt, aut ſecuti ſunt, implevit. Solus Uſſia 52. annos ſceptrum tenuit. 2 Reg. 15: 2.

Amon.

§. 180. *Amon* filius & ſucceſſor Menaſſis fecit eadem mala, quæ Menaſſeh, in eo tamen pejor, quod *non humiliatus eſt coram Domino*; quodque הִרְבָּה אַשְׁמָה *multiplicavit reatum.* 2 Chron. 33: 20-25. Filius autem illius *Ioſiah* exſtitit exemplar vivum pietatis, fidei, & in Deum obedientiæ, cujus laudem lege 2 Reg. 23: 25. Ut à bonis parentibus mali ſæpe gignuntur, ita & à malis ſæpe boni. Peſſimus *Amon* reliquit optimum *Iehoſiam.* Non ſine providentia Dei id ita fieri cenſemus, ut doceamur gratiæ dona naturæ fertilitate hautquaquam propagari, nec *apud Deum eſſe* προσωποληψίαν. Rom 2: 11. Nam & impientiſſimorum liberos in gratiam aſſumit.

Joſiah.

§. 181. Regnante Joſiah invenit *Hilkijahu, Sacerdos magnus, librum legis in domo Domini.* 2 Reg. 22: 8. 2 Chron. 34: 14. illum nimirum librum, de quo eſt, Exod. 24: 7. & Hebr. 9: 19. & Deut. 31: 24. 25. 26. *Sumite librum legis hunc, & ponetis illum a latere arcæ fœderis Domini.* In quo libro contentum fuit *bonum & malum, benedictio & maledictio, vita & mors.* Deut. 30: 19. Joſias lecto hoc libro *lacerat veſtes*, intelligebat enim inde, populo maxima mala ob inobedientiam imminere. Conſulitur *Hulda Propheteſſa*, quæ affirmat, mala incumbere terræ & populo; & prædicit Joſiæ, illum *collectum iri ad Patres, non viſurum malum* Hieroſolymæ, *ſepeliendum in pace.* 2 Reg. 22: 11-20. Ita & factum. In pace non eſt mortuus Joſiah, ſed in pace èſt ſepultus, hoc eſt, nemine impediente, omnique populo illum lugente, imo & Propheta Jeremia obitum illius plangente. 2 Chron. 35: 24. 25. In acie cecidit Joſiah; ſed à ſervis mortuus elatus eſt in Hieroſolymam, & ut dictum, ibi mandatus humo. 2 Reg. 23: ℣. 29. 30. Bellum, quod Joſiah Pharaoni Ægyptio intulit, nullam juſtam ob cauſam inceptum, infelix eventu Joſiæ fuit. 2 Chron. 35: 20-24.

§. 182. Igneus plane zelus fuit Regis Joſiæ in abolenda idololatria. Poſtquam convocato omni populo publice *pepigiſſet fœdus coram Domino, ad eundum poſt Deum, ad obſervandum præcepta, ſtatuta, teſtimonia illius* populuſque *ſubſtitiſſet in hoc fœdere*, hoc eſt, promiſiſſet obſervationem & obedientiam, 2 Reg. 23: ℣. 3. jubet *educi e domo Dei omnia vaſa facta Baali, imagini luci, & omni exercitui cœlorum* verſ. 4. deinde abolevit הַכְּמָרִים *Popas*, hoc eſt, exteros ſacerdotes; ita dictos aut à veſtibus atris, quibus induebantur; aut à flammarum æſtu, quem inter multas ſentiebant oblationes; aut à zelo & æſtu quo in falſum ferebantur cultum, verſ. 5. *domus* הַקְּדֵשִׁים *meritoriorum*, ſive ſcortorum virilium, Veneri conſecratorum, publicæ libidinis victimarum, *deſtruxit* verſ. 7. *omnia celſa* amovit verſ. 8. 9. *Tophet in valle hinnom*, ubi liberi comburebantur *Molecho*, impurum fecit. verſ. 10. *Equos*, quos Reges anteceſſores *dederant*, hoc eſt conſecraverant *Soli*, quales gentilibus *equi ſolis* dicti, abrogavit verſ. 11. *Perſæ equos Soli Deo ſacratos ferunt.* Juſtin. lib. 1. cap. 10. Omnia *altaria*, facta in tectis, item à Menaſſe *in duobus atriis*, (quæ Menaſſeh converſus dicitur quidem removiſſe. 2 Chron. 33: 15. Amon autem rurſum videtur erexiſſe) fregit & in pulverem convertit. verſ. 12. Etiam *celſa,*

à dextra

à dextra montis הַמַּשְׁחִית *Maſchit* (qui mons eſt *mons olivarum*, notus ex Euangelio, alias dictus *Mons unctionis* הַר הַמִּשְׁחָה : quia ex olivis ejus optimum oleum, quod in unctionibus adhibebatur, fiebat; nunc autem dicitur הַר הַמַּשְׁחִית, hoc eſt, *mons corruptionis*, ob corruptas in illo vias Iſraëlis) facta à *Salomone* in honorem *Aſtartes*, *Cemos*, *Milcom*, quæ, ut hinc apparet, tempore Joſiæ adhuc ſuperſtiterunt, profanavit. ℣. 14. Etiam *altare Ieroboami in Betel* evertit ℣. 15. 16. 17. ita impleta Prophetia *Viri Dei*. 1 Reg. 13:2. Denique removit *Pythones*, *Dæmones*, *ſimulacra*, *& omnia ſtercora ac abominabilia*, quæ hactenus *viſa erant in Iuda & Ieruſalem*. ℣. 24. Ex hiſce apparet, quanta ſcelera, quanta impietas in populo fuerit: nihilo meliores Judæi fuerunt gentibus, obliti fœderis divini, ſtatutorum Moſis, & inſtitutorum ſacrorum.

§. 183. Etiam edixit Joſiah, ut *Paſcha fieret Domino Deo*, ℣. 21. quod tanta cum ſolemnitate factum, ut inde *à diebus judicum* (2 Chron. 35:18. *inde a diebus Samuelis Prophetæ*, ultimi judicum) *& omnibus diebus Regum Iſrael non fuerit factum Paſcha*, ut fecit *Ioſias*, & *Sacerdotes & Levitæ*, *& omnis Iuda & Iſrael* הַנִּמְצָא *qui præſto erat*. ℣. 22. 2 Chron. 35: 17. 18. Hiskias tamen etiam magna ſolemnitate Paſcha celebravit. 2 Chron. 30: 1 – 26. Non ſine cauſa pii Reges ſollicitè curarunt, ut in renovatione cultus divini, Paſchatis fieret ceremonia: quia omnino ad ſalutem neceſſarium erat, ut ſciret Iſraël, *Paſcha verum mactandum* adhuc eſſe. 1 Cor. 5:7.

§. 184. Fecit ita quidem pius Joſiah, quantum in illo fuit, ut placaret Deum, Populo offenſum, & ut à cervice populi imminentia averteret mala, attamen Scriptura teſte, *non receſſit æſtus iræ magnus Dei*, *quo incenſus erat in Judam ob omnes irritationes*, quibus *eum irritaverat Menaſſeh*; *ſed dixit*, *Etiam Judam removebo à facie mea*, *ut removi Iſraelem*; *& rejiciam Jeruſalem*, *de qua dixi*, *Erit nomen meum ibi*. 2 Reg. 23: 26. 27. 24: 3. 4. Id quod non diu à morte Joſiæ factum.

§. 185. *Iehoachas* filius Jehoſiæ malus & improbus victus à Pharaone Necoh, & abdu- Jehoa-
ctus in Ægyptum mortuus eſt ibi, *tres menſes* gavisus regno. 2 Reg. 23: verſ. 31. 32. 33. chas.
2 Chron. 36: 1 – 4. Ita prædictum erat ipſi per Jeremiam, apud quem videtur *Sallum* nominari. Jerem. 22: 11. 12.

§. 186. A manu & è gratia Pharaonis victoris accepit Regnum *Eljakim*, *filius* pii Joſiæ, Eljakim;
frater impii *Iehoachaſi*; cujus nomen Victor mutavit, voluitque eſſe *Iehojakim*. 2 Reg. alias Jehojakim.
23:34. 2 Chron. 36:4. Etiam fecit *malum & abominationes*. Volumen libri, quem Baruch ex ore Jeremiæ ſcripſerat, *ſcidit cultello ſcribæ*, *& conjecit in ignem*. Jerem. 36: 25. Infelix illius fuit exitus: à Nebucadnezare, Rege Babel victus & ligatus eſt, ut Babelem abduceretur. 2 Reg. 24: 1 – 5. 2 Chron. 36: 5 – 8. In illum vaticinatus eſt Jeremias cap. 22: verſ. 18. 19. *Sic dicit Dominus de Iehojakim. Non facient ei planctum*; *ah frater mi*, *& ah ſoror*: *non plangent illi*, *ah Dominus*, *& ah Majeſtas ejus*, *ſepultura aſini ſepelietur*, *trahetur & projicietur ultra portas Hieroſolymæ*. Non videtur Jehojakim Babilonem uſque veniſſe, ſed mortuus eſſe in itinere; & ita cadaver illius projectum, aut leviter tantum terra contectum & obrutum. confer Jerem. 36: verſ. 30. *Non erit Iehojakimo ſedens in throno Davidis*, *& cadaver ejus erit projectum æſtui de die*, *& frigori in nocte*.

§. 187. *Iehojacin* filius Jehojakim, *trium menſium & decem dierum rex* 2 Chron. Jehoſa-
36: verſ. 9. à Nebucadnezare captus, & in Babel abductus eſt; 2 Chron. 36: verſ. 10. cin.
nec ſolus in id abiit exilium: ſed & *mater* ac *uxores illius*, *præfecti & magnates illius*. 2 Reg. 24: 9. – 16. In illum exſtat Prophetia Jerem. 22: 24 – 30. *Vivo ego*, *ait Dominus*, *ſi eſſet*

Chonjahu ſigillum in manu dextra mea, inde avellerem te. An opus ſpretum, diſſipatum, Vir hic Chonjahu? nunquid vas, in quo non eſt voluptas? Sic dixit Dominus. Scribite virum hunc ſterilem, hominem, qui non proſperabitur in diebus ſuis: nam non proſperabitur de ſemine ejus quiſquam ſedens in throno Davidis, & poteſtatem habens amplius in Judah. Habuit hic Jehojakim *ſemen* Jerem. 22: verſ. 28. *quare projecti ſunt ipſe & ſemen ejus?* Ex illius ſemine eſt *Zorobabel, filius Sealthiel*, de quo Hag. 2: verſ. 24. Tamen jubetur *ſcribi* & reputari inter *ſteriles*, quia hæredem Regni è filiis nullum habuit. Non enim proſperatus eſt de ſemine illius *ullus ſedens*, hoc eſt, ut ſederit *in throno Davidis*, ad gerendum regnum carnale, quale David in populo Dei geſſerat. Zorobabel nepos illius fuit פַּחַת יְהוּדָה *præfectus Juda*, non Rex. Tolerabilis & clemens illius fuit captivitas. 2 Reg. 25: 27. 30.

§. 188. Ita bonus tamen fuit Rex Babel, ut regnum Jechoniæ ablatum daret *Matania*
Zidkijahu. *Patruo ipſius*, cui nomen impoſuit *Zidkijahu*: ſed cum is in Regem Babel rebellaret, mox regno exutus, captus, oculis privatus, & Babelem abductus eſt; filiis illius ante oculos illius mactatis. 2 Reg. 25: verſ. 1 -- 7. Etiam ſub hoc Rege prophetavit Jeremias, & capturam urbis prædixit, unde & in carcerem, ut ſeditioſus præco incluſus eſt, Jerem. 37: 1 -- 21. 38: 1 -- 6. fuit in urbe Jeremias cum capta eſt, Jer. 38: 28. & à Rege Babel clementiſſime exceptus & habitus. Jerem. 39: 11 -- 14.

Sub illo urbs capta, & populus in exilium abductus eſt. §. 189. Hieroſolyma obſeſſa & capta, etiam *domus Domini combuſta eſt*; & ingens populi, omnis ſexus, generis, conditionis multitudo interfecta, & in Babyloniam deportata eſt; ubi fuerunt Regi Babel לַעֲבָדִים *in ſervos*. 2 Chron. 36: 17 -- 20. *Serajah Sacerdos magnus* illius temporis, & *Zephanjahu ſacerdos ſubalternus* juſſu Regis Babel *in Riblah, in terra Chamat* interfecti ſunt. 2 Reg. 25: 18 -- 21.

§. 190. Ita וַיִּגֶל יְהוּדָה מֵעַל אַדְמָתוֹ *exulavit Iuda à terra ſua*, 2 Reg. 25: 21. terraque promiſſionis, terra Dei, *locus, quem ad habitandum ſibi aptaverat*, exſtitit ſolitudo & exemplum crudelitatis idololatrarum, gentilium, & illorum, qui erant *in mundo, ſine Deo*; & populus Dei *diſperſus* בְּכָל הַגּוֹיִם *in omnes gentes*. Deut. 30: 1. Regnum à domo Davidis ablatum; & tabernaculum ac domus Dei ſolo æquata. Arcæ fœderis non fuit id fatum, quale fuit, cum tempore Eli Sacerdotis à Philiſtinis caperetur, qui illam in templo Dagon, ad exhibendum illi maximum honorem collocaverant; ſed penitus nunc ablata & in nihilum redacta eſt, ſecundum vaticinium Jeremiæ 3: 16. *Non dicent amplius, Arca fœderis Domini, non aſcendet in cor, non mentionem facient illius, non viſitabunt, & non fiet amplius.* Quod olim uxor Pinchaſi, id nunc è vero repetere poterat Iſraël, *Migravit gloria ab Iſraele: nam ablata eſt Arca Dei*, 1 Sam. 4: 21. interiit templum, receſſit ſceptrum, abolita eſt politia, ablata eſt omnis prærogativa.

§. 191. Hæc ſeveritas Dei ſequela eſt verbi dicti Davidi, *Si perverſe egerit ſemen tuum, redarguam id virgis hominum, & plagis filiorum hominis.* 2 Sam. 7: 14. Et quod ſæpius Moſes dixerat, cavete, *ne evomat vos terra* Lev. 18: 28. 20: 22. confer Lev. 26: 31. 32. 33. *Dabo terram veſtram deſolatam, deſolabo ſanctuaria veſtra, & non odorabor odorem veſtrum. Et vos diſpergam in gentes.* confer Deut. 28: 1 -- 68. David ipſe dudum Spiritu Prophetico præviderat, *Domum illius*, hoc eſt, poſteritatem, aliquando *non germinaturam.* 2 Sam. 23. Scriptura *tugurium* illius ut *lapſum* depinxit. Amos. 9. & familiam Jeſſe ſub emblemate גֶּזַע *trunci* vel *ſtipitis*, carentis ramis & foliis ac ornatu. Eſ. 11: 1. Jacobus Patriarcha prædixerat, *ſceptrum receſſurum*. Gen. 49. Et Deus Ezech. 21: 26. *auferendam cidarim, & tollendam coronam*, imo *corruptum, corruptum, corruptum ponendam*

dam eſſe. confer Ezech. 19: 14. *In illa vite*, hoc eſt, familia Davidica ***non erit Virga roborus, ſceptrum ad dominandum.***

§. 192. Diſcamus & hinc Dei juſtitiam, veritatem, ſapientiam. Peccata maxima Iſraëlitarum talibus par erat caſtigari pœnis, id juſtitiæ fuit. Peccatis tales ſe pœnas immiſſurum, multis modis & vicibus Deus comminatus fuerat. Illas immittere Veritatis fuit. Iſraël ita caſtigatus, domus Davidis ita humiliata & lapſa in eam venit hac ratione diſpoſitionem, ut ex illa prodiret ſtatuto tempore *Meſsias*, qualis deſcriptus erat, pauper, miſer, ſpretus. Sapientiæ fuit, ita pœnas immittere, & de malis diſpenſare, ut & bonum inde prodiret, & ſalutis negocium promoveretur.

§. 193. Reges Judæ à Rehabeamo uſque ad Zedekiam, ſi & Ataliah numeretur, fuere ***viginti***, regnarunt ***Annos 393. menſes 6. dies decem.*** Numerus Regum Judæ.

§. 194. Reges totius Iſraël, hoc eſt, omnium tribuum fuere tres; ***Saul, David, Solomoh***, quorum quilibet 40. annos diadema geſſit: de Saulo vide Actor. 13: 21. de Davide 1 Reg. 2: 11. 1 Chron. 29: 27. de Salomone 1 Reg. 11: 42. 2 Chron. 9: 30. Erunt in univerſum 120. Anni. Totius Iſraël.

§. 195. Hos 120. annos ſi cum ſuperioribus 393. jungas omnis periodus Sceptri Regnique Iſraelitici erit annorum 513. menſium *ſex*, dierum ***decem.*** Duratio regni Iſraelitici.

§. 196. Coronodis loco notemus. 400. annos duravit afflictio & ſervitus Ægyptiaca. Geneſ. 15: 13. Exod. 12: 40. Gal. 3: 17. 450. annos duravit Regimen Judicum. Act. 13: 20. 513. annos Imperium Regium.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

In quo demonſtratur doctrina Euangelica de Jeſu Chriſto θεανθρώπῳ è Scripturis Propheticis.

§. 1. PRæcedente capite egimus obiter & curſim, ut in tanta rerum oportuit varietate, de Regibus populi Dei, de illorum initiis, ſucceſſibus, ſucceſſionibus, & fine. Oſtendimus quis Eccleſiæ ſub Illis fuerit ſtatus, quæ facies, ut illa ſub malis gemuerit, corrupta preſſaque ſit; & ut illa ſub bonis reſurrexerit, revixerit, & priſtinam receperit formam. Quis non ſtupeat, potuiſſe Eccleſiam in illo populo, qui habebat Dei eloqiria, cui cottidie aderant Prophetæ, in cujus medio habitabat ipſe Deus, qui tam inſignia expertus eſt judicia, eouſque ſæpe collabi, deficere & corrumpi, ut ſæpe vix veſtigium in illa veri cultus & ſanctæ ac ſalvificæ religionis apparuerit, iſtaque ſimilior catervæ Diaboli, quam Eccleſiæ Dei vivi fuerit & evaſerit? Ut ut enim verum ſit, habuiſſe Deum ſemper *ſemen ſecundum electionem*, confer Eſ. 1: 9. *Niſi Dominus Deus exercituum reliquum feciſſet nobis reſiduum, ut parum, ut Sodoma extitiſſemus, Gomorrhæ aſſimilati fuiſſemus*; hinc & tempore Achabi, quo idololatria omnino creverat, & latiſſime ſe effuderat, ſeptem millia dicuntur fuiſſe hominum, qui genu Baali non flexerant, tamen ob longe majorem deficientium multitudinem omnis fere Iſraël defeciſſe à Deo ſuo videri poteſt. Infeliciora tamen hic cernimus fuiſſe fata decem tribuum, in Aſſyriam abductarum, quam tribus Judæ, quæ in Babyloniam transportata eſt. Illæ enim Aſſyriis permixtæ, ut fidem Iſraëlis, ita & nomen amiſerunt, & tandem vix à gentibus dignoſci potuerunt: nec Deus unquam plene illas in terram ſuam reduxit, ſed ſivit illas, ut omnes alias olim gentes viis ſuis incedere: &

non

non niſi pauci ex illis Sionem reducti ſunt. confer Jerem. 3: verſ. 14. *Et capiam vos unum de civitate, & duos ex familia, & deducam vos Zionem.* Et quamvis pii Reges Judæ initio transportationis illarum laborarunt, ut in fide & cultu Dei Iſraelis permanerent, quem in finem Hiskiah Rex paſcha celebraturus in omnes tribus legatos miſit, qui invitarunt omnes, dicendo, *Filii Iſraël, revertimini ad Dominum Deum Iſrael. Ne ſitis ut Patres veſtri, quos dedit in deſolationem; date manum Domino, & venite ad ſanctuarium illius, & ſervite Domino Deo veſtro*, tamen in plerisque celebris hic conatus fruſtra fuit, qui *illuſerunt legatis*, & *ludibrio illos habuerunt.* 2 Chron. 30: verſ. 1 -- 10. Tribus autem Juda quamvis multos impios, tamen & nonnullos bonos habuit Reges; & quamvis abducta in captivitatem, in media tamen illa habuit Deum gratioſum, Prophetas docentes, & tandem libertatem redeundi in terram, inſtaurandi ſacra, & priſtina gaudendi conſuetudine.

Prophetæ miſſi ad populum. §. 2. Quamdiu utrumque Regnum, tum decem tribuum, tum tribus Judæ ſtetit, miſit Deus & ſæpe & crebro *Viros Dei, Prophetas, Videntes*, qui hortarentur Reges, monerent populum, docerent Eccleſiam. Ita miſit ad Jeroboamum *Achijam Silonitam.* 1 Reg. 11: 29. 14: 2. Item *Virum* quendam *Dei ad altare Betel* 1 Reg. 13: 1. 2. *Schemanjah* ad Rehabeamum. 1 Reg. 12: 22 -- 25. *Aſariam filium Oded* ad Aſam regem 2 Chron. 15: 1. *Jehu filium Chanani* ad Baaſam regem 1 Reg. 16: 1. confer 2 Chron. 16: 7. חֲנָנִי הָרֹאֶה 2 Chron. 19: 2. Achabi tempore fuerunt *centum Propheta*, quos Obadiah ſervavit. 1 Reg. 18: 4. Ad Achabum acceſſit Propheta, dicens, *Sic dicit Dominus, Ego dabo Benhadad in manum tuam.* 1 Reg. 20: 13. Idem accerſivit ad ſe *Micjahum, filium Imlah, Prophetam*, qui *vidit Dominum in ſolio ſedentem*, & rogantem exercitus cœlorum, *Quis ſeducet Achabum?* 1 Reg. 22: 8. 19. 20. 21. Ad eundem acceſſit *Propheta* quidam, percuſſus & vulneratus. 1 Reg. 20: 13. 22. 28. 37. 38. Fuit & ſuper *Jechaſielem Levitam Spiritus Domini* בְּתוֹךְ הַקָּהָל *in medio Eccleſiæ.* 2 Chron. 20: verſ. 14. *Prophetavit* etiam *Elieſer* filius *Dodavahu.* 2 Chron. 20: 35. Fuit etiam Propheta עֹדֵד שְׁמוֹ *Oded nomen illius.* 2 Chron. 28: 9. 10. Tempore Joſiæ fuit *Chulda Propheiis.* 2 Reg. 22: 14. De magnis illis viris, & Prophetarum multorum Patribus, *Elia* & *Eliſæo* diximus ſupra.

Multorum Prophetiæ ſcriptæ & ſervatæ ſunt. §. 3. Sed præter hos miſit adhuc Deus alios Prophetas, *in quibus multis modis & vicibus ſanctis olim locutus eſt*, Hebr. 1: 1. quorum Prophetiæ etiam ſcriptæ, & hunc uſque in diem ſervatæ ſunt, quibus *benè faciemus attendentes*, 2 Pet. 1: 19. 20. 21. utpote potentibus nos σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. 2 Tim. 3: 15. Ad horum numerum pertinent *quatuor* Prophetæ, dicti *majores*; & *duodecim* dicti minores, qui vixerunt partim in Iſraël & Juda, ſtante utroque regno, ut Eſaias, Jeremias, Hoſeas, Amos, Jonas, Micha, Zephaniah; partim in ipſo exilio & captivitate fuerunt, & illa durante exſtiterunt, ut Jeremias, Ezechiel, Daniel; partim ſub finem captivitatis, & in initio reductionis imo & poſtquam templum ſecundum fuiſſet exædificatum adfuerunt, ut Haggæus, Zacharias, Malachias. In horum Prophetarum oraculis *ante promiſſum eſt Euangelium Dei de Filio illius*, Rom. 1: 12. 13. *per illas manifeſtatum eſt myſterium temporibus ſecularibus tacitum* Rom. 16: 25. 26. in illis *juſtitia Dei, nunc ſine lege manifeſtata teſtimonium habet.* Rom. 3: 21. Illi prophetarunt περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος, *ſcrutantes Chriſti paſſiones & glorias* 1 Pet. 1: 10. 11. A Moſe *& ab illis incipiens Chriſtus, interpretatus eſt in omnibus ſcripturis* τὰ περὶ αὐτοῦ: Luc. 24: 27. *extra prophetas loqui* aliquid piaculum cenſuit Paulus. Actor. 26: 22. Igitur non putandum eſt, hos Prophetas tantum locutos eſſe de rebus ſui temporis; nam & nobis ſcripſerunt, & de *Chriſto*, Domino noſtro, Servatore noſtro locuti ſunt; imo & de

rebus

rebus noſtri temporis, tum illius, quod præteriit dudum; tum hujus, quod etiamnum adeſt; tum illius, quod futurum eſt, multa & graviſſima vaticinati ſunt.

§. 4. Cum autem hic locus, ut & hic libellus non permittat, ut integras illorum Prophetias recitemus, omnia alia mittentes brevem exhibebimus delineationem è quatuor majoribus, & duodecim minoribus Prophetis, adjectis nonnullis teſtimoniis è libro Pſalmorum & Proverbiorum, fidei & doctrinæ Chriſtianæ de Jeſu Chriſto Domino. Id autem acturis incumbet ex illis demonſtrare 1. Deum habere *Filium.* 2. Illum *factum hominem.* 3. Hujus θεανθρώπε *nativitatem*; *formam*, in qua apparuit, *doctrinam*, *miracula*, *paſſiones*, *mortem*, *ſepulturam*, *reſurrectionem*, *aſcenſionem in cælum*, *ſeſſionem ad dextram Dei*, *effuſionem Spiritus ſancti*, *Regnum perpetuum*, *reditum ad judicium* claris teſtimoniis aſſerere. Unde apparebit, omnem doctrinam de Jeſu Chriſto æque clare & plene & ſufficienter in Prophetarum traditam eſſe oraculis, ut in Novi Teſtamenti & Apoſtolorum ſcriptis eſt expreſſa. Neque tamen teſtimonia illa ab adverſariorum vindicabimus ſtrophis, ſed ſimpliciter tantum & ut jacent enarrabimus.

Prophetiæ docent.

§. 5. Ut igitur veritatem doctrinæ Euangelii de Chriſto, Deo & homine, è ſcripturis propheticis demonſtremus, ſciendum illas docere, 1. Deum T. O. M. creatorem cœli & terræ, eſſe *Patrem*, & habere *Filium.* 2 Sam. 7: 14. *Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium.* Pſalm. 2:7. *Jehova dixit ad me, Filius meus tu.* verſ. 12. *Oſculamini Filium.* Eſ. cap. 9: verſ. 5. *Filius datus eſt nobis.* Ezech. cap. 21: verſ. 10. *Virga Filii mei* eſt gladius *ſpernens omnem arborem.* Hoſ. cap. 11: verſ. 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Prov. 30: verſ. 4. *Quantum eſt nomen ejus, & nomen Filii ejus, ut cognoſcas*, quod quantum & quam *excellens* ſit ὄνομα docet Paulus. Hebr. 1:4. 5. 2. Filium illum eſſe *genitum* à Deo Patre. Pſalm. 2: 7. *Filius meus tu, ego hodie te genui.* Prov. 8: 22. dicit *Sapientia*, *Dominus* קָנָנִי *habuit me*, per genituram nimirum ut apparet è verſ. 24. *Cum nondum eſſent abyſſi* חוֹלָלְתִּי *genita ſum.* Hæc generatio eſt non tantum ante *abyſſos omnes, ante fontes, montes & colles*, Prov. 8: 24. 25. ſed eſt *initium viarum Dei, ante omnia ejus molimina*, hoc eſt, conſilia & decreta. ibid. verſ. 22. Æternitas illius etiam inde probatur, quod dicitur *hodie te genui*, non eſt in illa heri, quod præteriit; nec cras, quod futurum eſt; ſed merum *hodie*, præſentia continua, adeoque puriſſima & perfectiſſima æternitas. Eſt illa etiam durationis æternæ; & ut non incepit, ita nec deſinit, ut initio ita & fine caret, dicitur enim, *hodie te genui*; quaſi dicat, hodie & ſemper ab æterno in æternum, Filium *gigni*, & *vitam* accipere à Patre, Joh. cap. 5: verſ. 26. id quod & indicatur, Mich. cap. 5: verſ. 1. ubi illi, qui eſt *dominator in Iſraele*, attribuuntur מוֹצָאוֹת *egreſſiones*, quaſi egreſſiones indeſinentes & perpetuæ; *olim, à diebus ſeculi.* 3. Filium hunc eſſe יָחִיד *unigenitum*, Amos. cap. 8: verſ. 10. Zach. cap. 12: verſ. 10. בְּכוֹר *primogenitum*, Zach. cap. 12: verſ. 10. eſſe *dilectum* Domini. Eſ. cap. 5: verſ. 1. Jerem. 11: 15. *Quid dilecto meo in domo mea?* eſſe אָמוֹן *in ſinu geſtatum.* Prov. 8: 30. *Et exſtiti apud illum* אָמוֹן *Filius in ſinu* (confer Joh. 1: 18.) *& fui deliciæ cottide.* 4. Filium hunc naturæ divinæ & æternæ eſſe participem, & ejuſdem cum Patre eſſentiæ. Eſ. 61: 1. *Spiritus Domini Dei ſuper me*, h. e. ſpiritualis Dei natura, *omniſque plenitudo Deitatis in me habitat.* Col. 2: 9. Ita πνεῦμα pro natura illius divina ſumitur, Rom. 1: 4. 1 Tim. 3: 16. 1 Petr. 3: 18. 19. Hebr. 9: 4. Hunc Deus illum vocat גֶּבֶר עֲמִיתִי *virum proximum ſuum*, Zach. 13:7. quaſi dicat אִישׁ כְּעֶרְכִּי *virum ſui ſimilem* Pſal. 55: 14. h. e. ejuſdem naturæ participem. Hinc nominatur *Angelus faciei Dei* Eſ. 63: 9. *facies Dei* Exod. 33: 14 15. *in cujus medio nomen Dei*, Exod. 23: 21. 5. Filium hunc eſſe *Deum.* Eſ. 9: 5.

1. Deum habere Filium.

2. Filium genitum eſſe à Patre.

3. Eſſe unigenitum & primogenitum.

4. Naturam habere divinam.

5. Eſſe Deum.

Eſ. 9: 5. *Filius datus nobis; & vocabitur nomen ejus* אֵל *Deus fortis.* Eſ. 7: 14. עִמָּנוּאֵל *nobiſcum Deus.* Pſalm. 2: 4. אֲדֹנָי *Dominus ſubſannat illos;* Is dicitur ita, cui dictum *Filius meus tu.* Pſalm. 110. Is cui dictum, *Sede ad dextram* verſ. 1. vocatur אָדוֹן *Dominus,* & verſ. 5. אֲדֹנָי *in dextra tua diſlixit in ira ſua Reges.* Atqui hoc eſt nomen Dei incommunicabile.

6. Attributa habere divina.

6. Filium hunc habere omne, quod in Deo eſt. Eſt *æternus.* Eſ. 9: 5. *Pater æternitatis,* immutabilis. Pſalm. 102: 28. *Tu idem es, & anni tui non abſolvuntur.* Hinc apud Danielem dicitur עַתִּיק יוֹמִים *permanens dierum.* Dan. 7: 9. 13. confer Eſ. 9: 6. *Nomen ejus, Mirabilis,* גִּבּוֹר, Victor.

7. Feciſſe opera divina.

7: Filium hunc feciſſe omnia opera divina, creaſſe *cœlum.* Pſalm. 33: ℣. 6. *Verbo Dei* cœli *facti ſunt,* terram. Pſalm. 102: 26. לְפָנִים *olim terram fundaſti, & opus manuum tuarum ſunt cœli.* confer Heb. 1: 10. montes & mare. Pſalm. 95: 14. 5. dicitur de *Petra ſalutis; ſublimitates montium ejus* ſunt, *ipſius eſt mare, & ille fecit illud, & aridam manus ejus formarunt.* confer Prov. 30: 4. Eſ. 45: 17. 18. 48: 13. Addatur denique his omnibus locus, Hoſ. 9: 8. צֹפֶה *ſpeculator Ephraimi* eſt עִם־אֱלֹהָי *cum Deo meo,* eodem modo eſt Joh. 1: 1. *Sermo erat apud Deum.*

Filius eſt Meſſias Unctus.

§. 6. Hic Filius à Deo genitus eſt מְשִׁיחוֹ *Chriſtus* ſeu *unctus illius.* Pſalm. 2: 2. Actor. 4: ℣. 26: Spiritus Domini ſuper me, *ideo unxit Dominus me.* Eſ. 61: 1. *unxit te ô Deus, Deus tuus.* Pſalm. 45: 8. Unctio æterna eſt, ut generatio. Prov. 8: 23. *Ab æterno uncta ſum,* inquit ſapientia, *ab initio, à ſeculis terræ.* Unctio notat *vocatum,* ordinatum & præagnitum eſſe Filium ad maxima obeundum munia: qualia? 1. *Regis.* Pſalm. 2: 6. *Et ego unxi Regem meum.* Eſ. 9: 5. *& erit principatus ſuper humerum illius.* 2. *Sacerdotis.* Pſalm. 110: verſ. 4. *Juravit Dominus, tu es ſacerdos in ſeculum.* Jerem. cap. 30: verſ. 2. *Magnificus ejus erit ex illo,* וְהִקְרַבְתִּיו *quem facio accedere ad me, & accedet ad me.* Sacerdotum autem & ſpondentium eſt accedere ad Deum. *Vir, cujus nomen Germen,* eſt *ſacerdos ſuper ſolio ſuo.* Zach. 6: 12. 13. 3. *Prophetæ, Præconis, Doctoris.* Unxit me לְבַשֵּׂר *ad præconiandum,* לִקְרֹא *ad concionandum,* לְנַחֵם *ad conſolandum.* Eſ. 61: 1. 2. confer Deut. 18: 18. *Prophetam excitabo illis.*

§. 7. Quà *Propheta* locutus eſt ab initio. Eſ. 48: 15. *Ego, ego locutus ſum.* verſ. 16. *non ab initio in occulto locutus ſum.* confer Eſ. 45: 19. Hinc vocatur *verbum.* Hag. 2: 5. 6. *Ego ſum vobiſcum cum verbo, quod pepigi vobis,* hoc eſt, promiſi: & *loquens.* Eſ. 52: 6. *Cognoſcet populus nomen meum, quod ego ſum is, qui loquitur. Spiritus,* quo *ſancti Dei homines, locuti ſunt olim.* 2 Petr. 1: 21. Hebr. 1: 1. fuit *Spiritus Chriſti.* 1 Petr. 1: 11. Quà *ſacerdos* ſervavit & aſſeruit ſuos. Eſ. 63: 9. *In omni anguſtia ſervavit illos Angelus faciei, in amore & compaſſione ſua ille aſſeruit illos, & tulit illos, & bajulavit illos omnibus diebus ſeculi.* Job. 33: 23. 24. *Angelus interceſſor gratia proſecutus eſt illos. Dixit, Redime, ne deſcendat in foveam inveni lytrum. Satana* comparente ad accuſandum *Iehoſuam Sacerdotem magnum,* ille dixit, *increpet Dominus te Satan, increpet te Dominus;* imo Jehoſuæ dixit, *ecce feci tranſire à te iniquitatem tuam.* Zach. 3: 1. 2. 4. Qua *Rex* duxit illos, ſervavit in omni via, exivit in exercitibus illorum, in gloriam introduxit illos. Pſalm. 73: 24. *In conſilio tuo ducis me, & poſtea in gloriam aſſumis me.* confer Mich. 2: 13. *Aſcendit perfractor ante ipſos, & tranſit Rex illorum ante ipſos, & Iehova in Principiis illorum.*

Filius caro, homo factus & natus eſt è virgine.

§. 8. Hic Dei Filius *natus eſt, carnis* cœpit eſſe particeps, *homo* factus eſt. Eſ. 9: 5. *Filius, datus nobis* eſt, & *Puer natus nobis.* Ecce clariſſimum locum, *Filium* Dei, nobis datum, *Puerum natum eſſe.* Puer natus eſt, ſed modo plane ſingulari & extraordinario. Eſ. 7: 14. *dabit Dominus ſignum. Ecce virgo gravida, & pariet Filium, cujus nomen Immanuel.* Jerem. 31: verſ. 22. *Creabit Dominus novum in terra, mulier circumdabit virum.*

§. 9. Hæc

§. 9. Hæc nativitas & incarnatio Filii Dei alibi & alibi in prophetiis prædicta eſt. Eſ. 8: ℣. 14. *Dominus, qui exſtitit in rupem offenſionis & lapidem ſcandali*, (Luc. 2: 34. 1. Petr. 2:7.) dicitur factus eſſe לְמִקְדָּשׁ *in ſanctuarium*, hoc eſt, *templum corporis* ſibi feciſſe. Joh. 2: 21. Idem Dominus verſ. 18. ita introducitur loquens, *ecce ego & pueri*, *quos dedit mihi Dominus.* confer Hebr. 2: 13. 14. quaſi dicat, ecce ego, *particeps factus carnis & ſanguinis*, quemadmodum pueri mei illorum κεκοινώνηκε. Zach. cap. 2: verſ. 10. *Ecce ego venio*, וְשָׁכַנְתִּי *& habitabo in medio tui*, nimirum ita ut eſt, Joh. 1: ℣. 14. *habitavit in nobis, caro factus.* Pſalm. 8: 5. *Quid eſt miſer homo, ut recorderis illius? & Filius hominis, ut viſites illum?* hoc eſt, humana natura, ut digneris illam aſſumere. Ita è mente multorum id quod dicitur. Hebr. 2: 16. *Non Angelos, ſed ſemen Abraam aſſumit*, tantundem eſt, ac, *natura humanæ, non Angelicæ, fit particeps.*

§. 10. Hanc incarnationem Filii Dei confirmant divinæ illæ apparitiones, in forma hominis, Prophetis factæ. Eſ. 6: 1. *Vidi Dominum ſedentem in ſolio excelſo, & fimbriæ illius implebant templum*, qui fuit aſpectus gloriæ Domini Jeſu Joh. 12: 41. Ezech. 1:26.27. *Vidi, ut aſpectum lapidis ſapphir, ſimilitudine ſolii, & ſuper ſimilitudinem ſolii ſimilitudo erat ut forma hominis ſuper illud. Et vidi à lumbis ejus ſuperne & inferne, ut aſpectum ignis, & ſplendor illi circumquaque.* confer Ezech. 10: 1.8.18. Dan. 7: 9.

§. 11. Ab hac incarnatione eſt, quod *non pudet* ſanctum Iſraëlis, *nos fratres ſuos nominare.* Hebr. 2: verſ. 11. *Narrabo nomen tuum Fratribus meis.* Pſalm. 22: verſ. 23. Imo, quod ſancto Iſraëlis omnia humana attribuuntur; venter matris, & ubera. Pſalm. 22: 10.11. *Tu educis me ex utero, facis me ſecurum apud ubera matris. Ex utero matris Deus meus es tu.* Oſſa. Pſalm. 22: 15. *diſſipata ſunt omnia oſſa mea.* Cor, viſcera. Pſalm. 22: 15. *Cor meum liquefactum eſt in medio viſcerum meorum.* Anima. Pſal. 22: ℣. 21. *Eripe è gladio animam meam; è manu canis* יְחִידָתִי *unicam meam.* Caro. Hoſ. 9: 12. *Væ illis*, בְּשׂוּרִי מֵהֶם, quod ſecundum *Tikkum ſopherim* legendum eſt בְּשָׂרִי מֵהֶם *caro mea ex illis eſt.* Ita LXX. σάρξ μου ἐξ αὐτῶν. Ecce, Deus Iſraël *carnem* habet ex Iſraël, ſunt cognati illius κατὰ σάρκα. Os. Eſ. 40: 5. *Videbunt omnis caro, quod Os Domini locutum eſt.* Manus, Pedes, Pſalm. 22: 17. *Perforarunt manus meas, & pedes meos.* Aures. Pſalm. 40: 7. *Aures perforaſti mihi.* Tergum, genæ. Eſ. 50: 6. *Tergum dedi & maxillas, faciem non abſcondi.* Mors. Pſal. 22: 16. *In pulverem mortis diſponis me.* confer Eſ. 53: 12.

§. 12. Ab illa vocatur ſanctus Iſraëlis humano nomine פְּרִי הָאָרֶץ *fructus terræ.* Eſ. 4: 2. *Virga ex Iſai, & ſurculus.* Eſ. 11: 1. יוֹנֵק *ſtolo.* Eſ. 53: 2. בֵּית דָּוִד *domus Davidis*, Zach. 12: 8. & ut è Geneſi conſtat זֶרַע. *Semen*, tum mulieris, tum Abrahami. *Servus.* Eſ. 42: 1. *Ecce ſervus meus.* Eſ. 49: 5. *dixit Dominus, qui formavit me ab utero in ſervum ſibi.*

§. 13. Hunc Deum incarnatum Prophetiæ exſerto quaſi digito oſtendunt. Eſ. 40: 9. *Dicite civitatibus Iudæ, ecce Deus veſter.* Eſ. 52: 8. *Vox ſpeculatorum tuorum, efferunt vocem, ſimul jubilant, nam oculo ad oculum cernunt*, בְּשׁוּב יְהוָה צִיּוֹן *veniente Domino Zionem.* Imo locum incarnationis exprimunt, *& tu Betlehem Ephrata, ex te exibit mihi.* Mich. 5: 1. *Vocabunt Hieroſolymam, Solium Domini.* Jerem. 3: 17. *Veniet Dominus ad templum ſuum.* Mal. 3: 1. ſed *ad tentoria Iudæ initio*, hoc eſt, civitates Hieroſolymam circumjacentes, ut & illæ *ſalventur*, hoc eſt, ſalus illis notificetur, *ne magnificetur decus domus Davidis, & decus habitatoris Hieroſolymæ ſuper Iudam.* Zach. 12: 7.

§. 14. Imo hanc admirabilem illius incarnationem aliis aliiſque nominibus deſcribunt, nunc *adventum.* Pſalm. 40: verſ. 8. *Ecce veni.* Zach. cap. 2: verſ. 10. cap. 9: verſ. 9. nunc *miſſionem.* Zach. 2: 11. *Et cognoſces, quod Iehova miſit me ad te.* Eſ. cap. 48: verſ. 16.

verſ. 16. 61: 1. confer Gal. 4: 4. nunc *exortum*. Mal. 4: verſ. 2. *Orietur vobis Sol juſtitiæ*: nunc *excitationem*. Jerem. cap. 23: verſ. 5. *Ecce dies veniunt, & excitabo Davidi Semen juſtum.* confer Jerem. 33: 15. 16. nunc *viſitationem*. Hoſ. 9:7. *venerunt dies viſitationis.* Mich. 7: 4. *viſitatio tua venit.* confer Pſalm. 8: 5. Luc. 1:78. nunc *exitum* nominant. Jerem. 30: 21. *Dominator ejus è medio ejus exibit.* confer Mich. 5: 1.

§. 15. Denique & tempus illius incarnationis deſignant. Hoſ. 9: verſ. 5. *Quid faceretis* לְיוֹם מוֹעֵד *in diem præſtituti temporis.* Habac. 2: 3. *Adhuc viſio ad ſtatutum tempus, & præco ad finem* illius *veniet, non tardabit.* Mich. 4: 1. *In poſtremo dierum erit mons domus Domini ſublimis.* Dan. 9: verſ. 26. *Et poſt ſeptimanas ſexaginta & duas exſcindetur Meßias.* Quinimo omnia ſigna tum ipſius, in quo incarnatio facta eſt temporis; tum illius, quod illam anteceſſit, tum quod illam excepit, accuratè delineant. Antecedere debuit humiliatio domus David, & ablatio coronæ. *Salus mea*, hoc eſt, Salvator meus aderit, cum *domus mea non germinabit.* 2 Sam. 23: 5. *Corruptum, corruptum, corruptum ponam illam*, coronam & cidarim, *uſque dum veniat, cujus eſt judicium.* Ezech. 21: 26. 27. Imò & Hieroſolymæ deſtructæ reædificatio, populi captivi reductio, ſenatus Judaici ſtabilitio. Jerem. 30: 18-22. *Ecce reducam captivitatem Jacob; ædificabitur urbs ſuper acervum ſuum, & palatium*, hoc eſt, templum, *juxta judicium ſuum ſedebit*, hoc eſt, ſecundum priſtinam conſuetudinem ædificabitur & viſitabitur, *& erunt filii ejus ut olim, & cœtus illius*, hoc eſt, *συνέδριον conſtabilietur. Et*, hoc eſt, tunc *erit magnificus illius ex illo*, &c. confer Jerem. 3: 16. 17. 18. Hoſ. 1: 10. 11. Eſ. 40: 4. 5. Mich. 9: 6-15. Dan. 9: 25. *ad ædificandum Hieroſolymam uſque ad Meßiam Principem.* Adeſſe debuit, cum appareret *templum.* Mal. 3: 1. *Veniet ad templum ſuum.* Hag. 2. 10. *Implebo domum hanc gloria. Judicium & dominatio*, illud Seniorum, hoc Romanorum. Eſ. 53: 8. *E judicio & dominatione aſſumtus eſt. Filia legionum obſidium* circa populum. Mich. 4: 14. unde exſtitit *ejulatus* ſeniorum, *& blaſphematio nominis Domini.* Eſ. 52: 5. Sequi debuit urbis deſtructio, populi diſperſio, gentium converſio, de quibus loqui ſuperſedemus. confer tamen, ſi placet. Dan. 9: 26. *Exſcindetur Meßias; & urbem & ſanctum perdet populus Principis advena, & finis ejus in inundatione.*

Præcurſor Filii.

§. 16. Filius Dei, natus puer, debuit habere anteambulonem ſeu præcurſorem. Eſ. 40: 3. *Vox clamantis* eſt ſeu auditur *in deſerto. Parate viam Domino, complanate in campeſtribus viam ſtratam Deo noſtro.* Mal. 3: 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante me.* Mal. 4: 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini.* confer Matth. 11: 14. Luc. 1: 17.

Filius Dei homo ſanctus, ſine peccato.

§. 17. Filius Dei è virgine natus, carnis, non autem peccati factus eſt particeps. Eſt enim קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *ſanctus Iſrael*, קֹדֶשׁ יְהוָה *ſanctum Domini.* Mal. cap. 2: verſ. 11. donis Spiritus Sancti natura illius humana abundantiſſime exornata fuit, *quievit ſuper illum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & prudentiæ, conſilii & roboris, agnitionis & timoris Domini.* Eſa. 11: 2. *Et odorari illius in timore Domini.* ibid. verſ. 3. In omni vita ne minimum commiſit peccatum. *Non fecit injuriam, nec fraus in ore ejus fuit.* Eſ. 53: 9. Imò & in teterrimis *noctibus*, hoc eſt, graviſſimis tentationibus, *erudiverunt illum renes.* Pſalm. 16: 7. ita revera *dixit Domino*, אֲדֹנָי אַתָּה *Dominus tu*, Pſalm. 16: 2. & comprobatum, *Legem Dei in medio* fuiſſe *viſcerum illius.* Pſalm. 40: verſ. 9. Inde dicitur *pulcherrimus filiorum hominis unctus oleo alacritatis præ omnibus conſortibus.* Pſalm. 45: 3. 8. confer Hebr. 7: 26.

Apparuit in forma vili & humili.

§. 18. Filius Dei, quamvis mirabili modo è virgine, & ſine peccato natus, tenui forma & ma-

& magna humilitate & vilitate *intravit in mundum.* Hebr. 10: verſ. 5. *Exiit è ſtipite Jeſſe,* Eſ. 11: verſ. 1. *è Betlehem, quæ parva erat præ ut eſſet inter familias Juda,* Mich. 5: 1. *è tugurio Davidis lapſo & jacente* Amos. 9: verſ. 11. *Aſcendit* כַּיּוֹנֵק *ut ſtolo* imbellis, *& ut radix è terra arida, non fuit illi forma, nec decus, & vidimus illum, ſed non erat aſpectus, ut concupiſceremus illum,* Eſ. 53: verſ. 2. *ſpretus fuit, & nil æſtimavimus illum,* ibid. ℣. 3. *ſtupuerunt ſuper te multi. Sic corruptus fuit præ viro aſpectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum.* Eſ. 52: 14. Hinc dicitur *ſpretus anima, abominatio gentium.* Eſ. 49: 7. confer Zach. 9: 9. *Rex tuus venit, inops & vectus aſino.* Quamvis aſino vehi olim non adeò fuerit inglorium, Jud. 10: verſ. 4. tamen cum triumphis & pompa Regum mundanorum id non omnino convenit. Pſalm. 22: verſ. 7. *Ego vermis, & non Vir.*

Cum multa tamen gloria.

§. 19. Ut ut autem pauper & humilis apparuit Filius hominis, tamen longe fuit *pulcherrimus.* Pſalm. 45: 3. *Vidimus gloriam illius.* Joh. 1: 14. *Domus,* hoc eſt, Filius *David, fuit* כֵּאלֹהִים *ut Deus, ut Angelus Dei ante illos.* Zach. 12: 8. *Manifeſtata eſt gloria Domini, & vidit omnis Caro.* Eſ. 40: 5. *Major fuit gloria domus ſecundæ.* Hag. 2: 10. *Radix Jeſſe ſtetit in ſignum, & fuit* מְנֻחָתוֹ *quies illius* כָּבוֹד *gloria.* Eſ. 11: 10. confer Pſal. 24: 7. 8.

Factus eſt ſub legem.

§. 20. Filius Dei natus, factus eſt ſub legem, Gal. 4: 4. id dicitur Pſal. 40: 7. *Aures perforaſti mihi.* Servorum hic erat ritus. Aures præbebant perforandas. Exod. 21: 5. 6. Imo cum *ſervus* vocatur. Eſ. 49: 3. *Et dixit mihi, ſervus meus es tu.* Et ſervus מֹשְׁלִים *dominatorum,* ibid. ℣. 7. & dicitur *minor factus præ Diis,* Pſal. 8: 6. nim. *nominatis illis diis* 1 Cor. 8: 5. tum *Angelis, in quorum diſpoſitiones Lex data erat,* Act. 7: 53. tum *hominibus* iis, qui vocantur *Legiſlatores,* Gen. 49: 10. à quibus judicari voluit. Eſ. 53: 8. *E judicio aſſumptus eſt.*

Fuga in Ægyptum.

§. 21. Filius Dei, nunc & *Filius hominis* in tenerrima juventute ad evitandam Herodis perſecutionem Matth. 2. fugere debuit cum parentibus in Ægyptum, non tamen ibi manere. Hoſ. 11: 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Jerem. 31: 15. *Vox in Ramah eſt audita, ejulatus, fletus amaroris, Rahel flet ſuper Filios ſuos, renuit ſolatium:* כִּי אֵינֶנּוּ *nam non ille eſt. Dominus* diu exſpectatus videbatur *non* amplius *adeſſe,* abiiſſe, aufugiſſe, & forſan non rediturus. Sed metum hunc & ſollicitudinem ſtatim adimit Dominus ℣. 16. *Cohibe vocem tuam a fletu, & oculos tuos a lacrymis: nam redibunt è terra Inimici;* Filius meus revertetur cum parentibus ſuis ex Ægypto. vide Matth. 2: 20.

Filius Dei à maximis rejectus, à minimis exceptus fuit.

§. 22. Filius Dei mundum ingreſſus non exceptus aut agnitus fuit, Joh. 1: 10. 11. quinimo ſpretus & rejectus à maximis. *Contemptus & deſertus a Viris, & ut abſconſio faciei ab illo fuit,* Eſ. 53: 3. *dereliquerunt Dominum, ſpreverunt Sanctum Iſrael,* Eſ. 1: 4. *non voluerunt audire,* Eſ. 28: 12. Hoſ. 9: 17. Pſal. 2: 1. 2. exſtitit *in petram offendiculi, & lapidem ſcandali, & in laqueum & decipulam.* Eſ. 8: 14. Hinc queritur. *Quare veni, & non eſt Vir; vocavi, & non eſt reſpondens.* Eſ. 50: 2. *Væ mihi, quia exſtiti ut in collectionibus autumnitatis, ut in racemationibus vindemiæ: non eſt racemus ad comedendum; præcoqua, quam concupivit anima mea.* Mich. 7: 1. Qui illum *acceperunt,* Joh. 1: 12. & exceperunt, & agnoverunt, & ſecuti ac confeſſi ſunt, fuere minimi, & *ſtulta ac infirma mundi.* 1 Cor. 1: 27. 28. *Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur,* Pſal. 8: 3. confer Eſ. 28: 9. Deut. 32: 5. Eſ. 8: 18. *Ecce ego & Pueri, quos dedit mihi Dominus, in ſigna & portenta in Iſraël.*

Filii Dei triplex in terra opus.

§. 23. Filii Dei, Pueri nati, opus in terrâ fuit 1. *docere.* 2. *pati.* 3. *in gloriam intrare.* Luc. 24: 26. Act. 26: 23. 1 Petr. 1: 11. Iſtud qua *Prophetæ;* illud qua *Sacerdotis,* hoc qua *Regis.* Hæc fuit *voluntas Dei,* quam *facere delectatio illi fuit.* Pſal. 40: 9.

 §. 24. Fi-

Filius Dei Doctor & Præco.

§. 24. Filium Dei fore *Doctorem* & Præconem patet è Joël. 2:23. *Filii Zion gaudete & hilaramini in Domino: nam dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam, qui faciet vobis deſcendere pluviam matutinam & ſerotinam.* Eſ. 61:1. *Miſit me Dominus ad Euangelium annunciandum.* Eſ. 40: verſ. 5. *Et videbunt omnis caro, quod Os Domini loquitur.* Mich. 6:9. *Vox Iehovæ*, qui *urbem vocat*, exſtat, *Audite ô Tribus.* confer Eſ. 52:6. Eſ. 1:2. *Audite cœli, percipe terra; nam Iehova loquitur.* Hinc vocatur יָפֵחַ Hab. 2: verſ. 3.

Magna illius in docendo aptitudo.

§. 25. Magna illum aptitudine & ſuavitate docturum, imo & modeſtia, ſine φρυάγματι *ſtrepitu* eſt Eſ. 50:4. 5. *Dominus dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam tempeſtive loqui verbum cum feſſo.* Pſalm. 45:3. *Gratia effuſa eſt in labiis tuis.* Eſ. 42:1–4. *Dabo ſpiritum meum ſuper illum. Non clamabit, & non efferet, & non faciet audire vocem ſuam foras: calamum quaſſatum non franget, & linum fumigans non exſtinguet: non caligabit, & non curret.* Hinc *labium* illius dicitur שָׂפָה בְרוּרָה Zoph. 3:9.

Summa doctrinæ & concionum.

§. 26. Quid autem docturus eſſet conſtat ex Eſ. 2:3. *Eamus ad domum Dei Iacob, & docebit nos a viis ſuis.* Eſ. 42:4. *Ad legem ejus inſulæ preſtolabuntur.* Legem erat annunciaturus, de qua Jerem. 31:32. 33. Eſ. 61:2. *ad prædicandum annum beneplaciti Domini.* Pſalm. 40:10. 11. *Annunciavi juſtitiam in cœtu magno, fidem tuam, & ſalutem dixi, non celavi gratiam & veritatem tuam cœtui magno.*

§. 27. Imo & *judicium* annunciaturus populis. Mich. 4:3. *Iudicabit inter populos multos & redarguet.* Eſ. 42:4. *Donec ponat in terra judicium*, Ezech. 21:27. *donec veniat, cujus eſt judicium, & dabo illud*, Eſ. 11:4. *percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet improbum.* Pſalm. 82:1. *Deus ſtat in cœtu Dei.* Iſraël cœtus Dei erat, *in medio Deorum* (ita *dictorum* 1 Cor. 8:5.) *judicabit.*

Inobedientia in doctrinam illius.

§. 28. Multos contradicturos & inobedientes futuros concioni illius & doctrinæ etiam Scriptura notavit. Eſ. 5:24. *Reprobarunt legem Domini, & Verbum Sancti Iſraël ſpreverunt.* Eſ. 53:1. *Quis credidit ei, quod nos audivimus?* Mich. 6:9. *Vox Iehovæ* auditur. *Audite ô Tribus, & quis fecit illam convenire*, hoc eſt, Tribus noluit ad vocem Jehovæ ſe convertere, confer Eſ. 28:12. *& non voluerunt audire.* Nahum. 1:11. *Ex te*, Hieroſolyma, *exivit cogitans contra Iehovam malum, Conſiliarius nequitiæ*, Pſalm. 82:5. *non norunt, non intelligunt, in tenebris ambulant.* confer Eſ. 6:10. Hab. 1:5. *Opus molitur, Deus; non credetis, quum narrabitur.*

Miracula comitata doctrinam.

§. 29. Miracula comitata ſunt doctrinam. Hebr. 2:4. A miraculis vocatur פֶּלֶא *Mirabilis.* Eſ. 9:5. confer Eſ. 40:10. *Ecce Dominus Deus cum robore veniet, & brachium ejus dominabitur illi.* Id robur in patrandis etiam oſtendit miraculis. Ab illis vocatur dies *adventus* illius *dies magnus & tremendus.* Mal. 4:5. confer Joël. 2:30. *Dabo ſigna & portenta in cœlo & terra.* Ad miracula pertinet Sanatio ægrotorum (Matth. 11:5.) Eſ. 35: 5. 6. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum aperientur. Tunc ſaltabit ut cervus claudus, & jubilabit lingua muti.* Eſ. 32:4. *Cor præcipitantium faciet intelligere, & lingua balbutientium accelerabit loqui clara.* Eſ. 53:4. *Morbos noſtros abſtulit, & dolores noſtros bajulavit.* confer Matth. 8:17.

Filius Dei παϑητὸς.

§. 30. Filium Dei paſſurum, & quidem extrema, idque à Judæis, multis docemur. Eſ. 53:4. מֻכֵּה אֱלֹהִים id commodè verti poteſt *Percuſſus Deus*, hoc eſt, Deus, qui percuſſus eſt, qui ſanguinem fudit; *Princeps vitæ occiſus, Dominus gloriæ crucifixus.* Zach. 13:7. *Gladius ſurge ſuper Paſtorem meum, & ſuper Virum proximum meum, inquit Dominus. Percute Paſtorem*, Zach. 9:9. dicitur נוֹשָׁע *ſervatus*; Unde? ab anguſtia

& paſ-

& paſſionibus, Eſ. 63:1–3. depingitur *veniens ex Edom & Bozrah fermentatus veſtibus, & ruber & pollutus:* nimirum à ſanguine fuſo, & martyrio exantlato, Mal. 1:12. 13. imputatur Iſraëlitis, *Germen Domini* וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ *feciſtis exſpirare illud.* Mal. 2:11. *Perſide egit* cœtus *Juda: nam profanavit Judah Sanctum Domini, quod amat,* Dan. 2:45. *a monte exciſus eſt lapis.* Dan. 9:26. *Exſcindetur Meſsias,* וְאֵין לוֹ *& nil illi* ſupererit. Eſ. 53:8. *Exciſus eſt è terra viventium.* Pſal. 118:22. *Lapidem reprobarunt Architecti.* Mich. 4:14. *Virga percutiunt in mala Judicem Iſraëlis.*

§. 31. Quæcunque paſſus eſt, paſſus eſt τῇ ὁρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει Θεοῦ. Actor. 2: Paſſus eſt
23. Id dicitur Pſal. 118:22.23. *Lapidem reprobarunt. A Domino id factum.* Eſ. 9:6. conſilio & præ-
7. *Puer natus nobis. Zelus Domini fecit hoc.* Hinc quod Eſ. 53:4. eſt מֻכֵּה אֱלֹהִים poteſt agnitio-
etiam verti, *Percuſſus Dei,* ſive *à Deo,* hoc eſt, conſilio & voluntate Dei, ibid. ℣. 10. ne Dei.
introducitur Deus ab illo poſtulans animæ poſitionem; *Si poſuerit animam ſuam ſacrificium pro dilecto.* Pſ. 8:6. Deo adſcribitur, *Et feciſti illum minorem præ Deo.*

§. 32. Sed & omnes paſſionis partes & circumſtantias habemus in Scripturis Propheticis pleniſſimè deſcriptas. Ordiemur à proditione. Prodidit illum diſcipulus. Pſal. 41:10. *Vir pacis meæ, cui fidebam, comedens panem meum, calce petiit me:* cujus proditoris triſtis fuit exitus. Pſal. 109:8. *Curationem ejus accepit alter.* confer Actor. 1:20. Prodidit illum exiguo pretio *triginta ſiclorum* conductus. Viliſſimum quodvis mancipium tantum valere potuit. Zach. 11:12. *Ponderarunt mercedem meam triginta ſiclos.* Introducitur ibi Chriſtus, ut ipſe id pretium à Pontifice & Sacerdotibus poſtulans. *Et dixi ad illos; ſi bonum in oculis veſtris, pretium meum date: & ſi non* חֲדָלוּ *omittite:* quia & conſcio & volente Chriſto proditor egit, quæcunque egit; & ii, quibus proditus eſt.

§. 33. Chriſtus ante & poſt proditionem magnos animi angores ſenſit, lacrymas pre- Magnos
ceſque fudit, & à Deo quaſi derelictus fuit. Pſalm. 22: verſ. 1. *Deus mi, quare me* ſenſit an-
dereliquiſti? ℣. 15. *Effuſus ſum ut aqua* (confer Luc. 22:44.) *cor meum factum eſt ut* gores.
cera, liquefactum in medio mei. Pſal. 88:16. *Tuli terrores tuos* אָפוּנָה *deficio.* Eſ. 16: verſ. 9. 11. *Idcirco fleo in fletu Jaaſer, irrigabo te lacryma mea. Viſcera mea ut cithara ſtrepunt.*

§. 34. Proditus derelictus eſt à ſuis. Pſal. 88:9. *Notos meos elongaſti à me, poſuiſti* Dereli-
me abominationem illis. ℣. 19. *Elongaſti à me amicum & ſocium.* Zach. 13:7. *Diſper-* ctus eſt à ſuis.
gantur oves.

§. 35. Ante tribunal ductus eſt, ut accuſaretur. Eſ. 53:8. *Ex imperio & judicio ſum-* Ductus
ptus eſt. Si ſumptus, ergo prius ante id ſiſti debuit. Pſal. 22:17. *Circumdederunt me ca-* eſt ante tribunal.
nes. Romani, in quorum manus traditus eſt, notantur. *Cœtus maleficorum me circumdederunt.* Cœtus legiſlatorum & ſeniorum. Pſal. 2: 1.2. *Concilium agunt pariter contra Unctum illius.*

§. 36. Hic non fuit tutus à violationibus & illuſionibus, imo nec à plagis & flagellis. Ignomi-
Eſ. 50:6. *Corpus meum dedi percutientibus me, & maxillas depalmantibus, faciem* niam ſen-
meam non occultavi ab ignominiis & ſputo. Mich. 4:14. *Virga percutiunt,* Pſal. 22: ſit & pla-
15. *diſſeparata ſunt omnia oſſa mea;* vi nimirum ictuum & flagellorum. Eſ. 53:4. dicitur gas.
percuſſus, & *vibicibus ejus* adſcribitur *Sanatio.* ℣. 5.

§. 37. Tandem ad ultimum ducitur ſupplicium, Eſ. 53:7. *ut ovis ad mactationem* Ad ſup-
ducebatur. Supplicium paſſus eſt extra Hieroſolymam. Eſ. 63:1. *Quis exit è Botſra?* ad plicium ductus
patiendum ſcilicet: Hieruſalem ſpiritualis Botſra eſt. eſt.

§. 38. Potuiſſent Sacerdotes contenti eſſe flagellatione & excommunicatione Jeſu: ſed

ſan-

ſanguinem illius ſitiebant: ideo clamant, crucifige: Pſalm. 109: 16. *quia non meminit pietatis, & perſequutus eſt virum inopem & egenum, & contritum corde ad interficiendum.*

Partitio veſtium.

§. 39. Hic partitio facta veſtium ipſius. Pſalm. 22: 19. *Partiuntur veſtes meas ſibi, & ſuper indumento meo conjiciunt ſortem.*

Cruci adfixus eſt.

§. 40. Tandem cruci adfixus eſt. Pſalm. 22: 17. 18. *Perforarunt manus meas & pedes meos. Annumero omnia oſſa mea. Illi intuentur; ſpectant me.* Eſ. 53: 9. *Et dedit populus meus ſepulturam ejus cum improbis*, hoc eſt, ſceleratis, ob crimen publico judicio damnatis. Crux talium ſepultura fuit, ut hodie furum patibulum, latronum rota eſt; & ut projectio in ſuperficiem agri *ſepultura* dicitur *aſini*. Jerem. 22: 19. Idem dicitur Eſ. 52: 13. *Ecce prudenter aget ſervus meus*, ירום *exaltabitur*, in cruce nimirum, & ut olim ſerpens in deſerto. Duplex eſt *exaltatio* Chriſti: una ignominioſa in crucem, de qua & Joh. 3: verſ. 14. una glorioſa in cœlum: de qua etiam Eſaias dicto loco, *Et efferetur & ſublimis fiet valdè.* Nec ſolus cruci adfixus eſt, ſed cum illo adhuc alii. Eſ. 53: 12. *Cum defectoribus numeratus eſt.* In cruce pendens non fuit liber ab illuſionibus. Pſal. 22: 8. 9. *Omnes videntes me ſubſannant me: diducunt labium, quaſſant caput*; dicunt. *Devolvit ad Dominum, faciet ipſum evadere, eripiet ipſum, quia delectatur ipſo.* confer Matth. 27: 39 -- 44.

Solis tenebræ.

§. 41. Scelus hoc in Perſonam ſanctiſſimi commiſſum ipſe *Sol* horruit, qui ἐσκοτίσθη. Matth. 27: 45. Luc. 23: 45. Amos. 8: 9. *Et erit in die illo dicit Dominus; faciam occidere ſolem in meridie, & tenebras faciam terræ in die lucis.*

Sitis Domini in cruce.

§. 42. In cruce pendens ſitim ſenſit, & potus ipſi exhibitus fuit. Matth. 27: 34. Joh. 19: 28. Pſal. 69: 22. *dederunt in cibo meo fel, & pro ſiti mea potant me aceto.*

Crurifragium evaſit; non autem transfixionem.

§. 43. Crura illius in cruce non ſunt fracta: ita in illo impletus eſt typus agni paſchalis. Ioh. 19: 36. confer Pſal. 34: 21. *Conſervans omnia oſſa ejus, unum illorum non eſt fractum.* Attamen transfixus eſt. Zach. 12: 10. *Reſpicient ad Dominum, cum eo quem transfixerunt.* confer Ioh. 19: 37. Apoc. 1: 7.

Mors.

§. 44. Crucifixionem ſecuta eſt *Mors*. Eſ. 53: 12. *Effudit in mortem animam ſuam*, quæ mors *ſomnus* dicitur. Jerem. 31: 26. *Somnus meus dulcis mihi fuit.* Pſal. 3: 6. *Ego cubui & dormivi.* Pſal. 110. 7. *E torrente in via bibet*: è torrente paſſionum & mortis. Eſ. 49: 4. *Conſumſi vim meam.* confer §. 30.

Hæc omnia paſſus eſt ob peccata noſtra.

§. 45. Quæcunque paſſus eſt, ob peccata paſſus eſt: non autem ſua, ſed noſtra. Eſ. 53: 5. *Sed ille dolore affectus fuit ob defectiones noſtras, attritus ob pravitates noſtras. Pœna pacis noſtræ ſuper ipſum.* confer ỳ. 12. *Effudit animam, & peccata multorum tulit.* Pſal. 69: 5. *Quod non rapui, tunc reſtituam.*

Satanas per mortem victus.

§. 46. Diabolus, antiquus ſerpens, qui *calces Seminis* promiſſi dicitur *conterere*, Gen. 3: 15. hac paſſione & morte abſorbere ſtuduit, & in nihilum redigere Chriſtum, Dei Filium, & ne unquam ſurgeret, quæ & impia Judæorum exſpectatio fuit, Pſal. 41: 9. *ubi cubuerit, non addet ſurgere.* Eſ. 53: 4. *Reputavimus eum* כֵּהָה *viribus orbatum*, plane oppreſſum. Hinc Satanas dicitur חָפֵץ דַּכְּאוֹ *volens enervare illum*, juſtum Dei ſervum. Sed *Dominus* הֶחֱלִי *infirmavit* eum. Eſ. 53: 10. Ita ſpe excidit, & plane contrarium evenit. Satanas, qui per paſſionem & mortem Chriſtum enervare ſatagebat, ipſe per illam enervatus, victus, abolitus eſt. Hebr. 2: 14.

Mors lytrum, ſacrificium eſt.

§. 47. Mors & paſſio Chriſti eſt אָשָׁם *ſatisfactionis pretium*, quo multi empti & redempti ſunt. Eſ. 53: 10. *Si poſuerit animam ſuam*, hoc eſt, ſe ipſum totum, *Aſcham*, videbit ſemen. ỳ. 11. *A labore animæ ejus videbit, ſatiabitur. Non enim in vanum laboravit, nec in inane vires ſuas conſumpſit.* Eſ. 49: 4. Eſt כֹּפֶר *lytrum.* Job. 33: 24. *Inveni lytrum*; id

nunc

nunc patiendo & moriendo ſolvit & expendit. Eſt זבח *ſacrificium*. Pſalm. 50: 5. *Pangentes fœdus mecum ſuper ſacrificio*. Sanguis illius eſt ſanguis fœderis & redemtionis. Zach. 9: 11. *Sanguine fœderis tui dimiſi vinctos tuos è fovea*. Is ſanguis eſt *fons apertus pro peccato & menſtruo*. Zach. 13: 1. De redemtione per ſanguinem hunc pretioſum acquiſita veriſſimè dicitur id, quod eſt Eſ. 52: 3. *Gratis venditi eſtis, & non argento redimemini*. Redemtio adeſt, at non facta argento, ſed ſanguine. confer 1 Pet. 1: 18. 19.

§. 48. Paſſiones Meſſiæ Filii Dei ſequuntur *gloria*, *decuit* enim *illum pati & in gloriam intrare*. Luc. 24: 26. Paſſio ad parvum fuit tempus. Pſalm. 8: 6. *Et minoraſti illum parum, & honore & gloria coronaſti illum*. Pſal. 110: 7. *E torrente bibet, idcirco efferet caput*. Eſ. 52: 13. *Servus meus exaltabitur*, in crucem, *& ſublimabitur valde* in gloriam. Eſ. 53: 8. *E judicio & dominatione aſſumtus eſt*. Ergo liberatus. confer Phil. cap. 2: verſ. 8. 9. Hebr. 2: 6-9. Gloria Filii Dei poſt paſſiones.

§. 49. Primum, quod in gloria illius animadvertendum, honeſta illius *ſepultura* eſt. Sepultura. Poſt infamem enim illam in cruce, *data* eſt illi *ſepultura cum divite*. Eſ. 53: 9. confer Luc. 23: 50-53. Ibi *procubuit caro illius ſecure*. Pſal. 16: 9. 10. & *ſomnus illius ipſi dulcis fuit*. Jerem. 31: 26. Illa ſepultura in corde terræ, in exemplo Jonæ, in balena triduum latentis, præfigurata fuit. Matth. 12: 40.

§. 50. Secundum eſt *reſurrectio*. Pſal. 3: 6. *dormivi, & experrectus ſum*. Pſal. 16: 10. 11. Reſurrectio. *Non derelinques animam meam in inferno, non dabis pium tuum videre corruptionem, feciſti me cognoſcere iter vitæ*. confer Actor. 2: 27-32. Pſal. 40: 2. *Fecit me aſcendere è fovea corruptionis, è luto cœnoſo*. Job. 19: 25. *Redemtor meus vivit, & poſtremus ſuper pulverem ſtabit*. *Vivit*, poſt peractam redemtionem & guſtatam mortem. Vivit devicta morte. Apoc. 1: 18. Stat ſuper pulverem, ut victor ſuper proſtratum ſtat hoſtem. Jerem. 31: 26. *Propter hoc, expergefactus ſum, & vidi*. Hoſ. 6: 2. *die tertio excitabit nos*. Eccleſia ſperat ad exemplum Servatoris ſui die tertio, hoc eſt, parvo intercedente intervallo, reſuſcitari, & poſt oppreſſionem exaltari. Amos. 9: 11. *Deſtructa illius* Davidis, hoc eſt, Chriſtum, Filium illius mortuum, *erigam*, per reſurrectionem è mortuis. Habac. 3: 2. *Iehova*, *molitio tua* eſt *in medio annorum vita ejus*, *quam, vel, quem in medio annorum notificas*. Zephan. 3: 8. *Præſtolamini me uſque ad diem, ait Iehova, quo ſurgam in perpetuitatem*. Sermo eſt Domini, in medio populi ambulantis.

§. 51. Tertium eſt *aſcenſio*. Pſalm. 68: verſ. 19. *Aſcendiſti in altum, captivam egiſti captivitatem*, *accepiſti dona in hominibus*. Prov. cap. 30: verſ. 4. *Quis aſcendit in cælum & deſcendit? quantum eſt nomen Filii ejus?* Amos. 9: 6. *Qui ædificat in cælum gradus ſuos*. Aſcenſioni juncta eſt *ſeſſio ad dextram*. Pſalm. 110: ℣. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam*. verſ. 5. *Dominus ad dextram tuam*. Dicitur illa etiam *ſeſſio in cælis*. Pſalm. 2: verſ. 4. *ſedens in cœlis ridet*; *Dominus ſubſannat illos*. Adde Pſal. 45: verſ. 5. *Et decus tuum trajice*, id Apoſtolo eſt, διέρχου τοὺς οὐρανούς. Hebr. cap. 4: verſ. 14. *ſuperinſide*, hoc eſt, altum vehere. Pſalm. 8: 2. *Poſuiſti majeſtatem tuam ſupra cœlos*. Eſt in cœlo, ut intercedat. Eſ. 53: 12. *Et pro defectoribus intercedit*. Pſal. 68: 19. 20. *Aſcendiſti in altum*. *Benedictus Dominus, cottidie portat nos*. *Deus* potens *ſalus noſtra*. *Deus ille nobis Deus eſt ad ſalvationes, & Domino Deo ſunt exitus mortis*. Aſcenſio.

§. 52. Quartum aſcenſionem ſecuta *effuſio Spiritus Sancti*. Hic Spiritus effuſus, eſt omnium illorum donorum, quæ aſcendens Chriſtus accepit danda hominibus, Epheſ. cap. 4: verſ. 8. ſummum & præſtantiſſimum donum, omnium aliorum applicator, ut ita loquar. Eſ. 48: 16. *Nunc miſit me Dominus* יהוה *& Spiritum ſuum*. Joël. 3: 28. *Effundam* Effuſio Spiritus S.

X x

dam Spiritum meum ſuper omnem carnem. Zach. 12: 10. *Effundam ſuper domum David Spiritum gratiæ & ſupplicationum.* Eſ. 44: 3. *Effundam aquam ſuper aridam; & fluenta ſuper ſitientem, effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper progeniem tuam.* Zach. 9: 12. *Redite ad munimentum, vincti exſpectationis. Etiam hodie* מַגִּיד מִשְׁנֶה *Indicem alterum reddam tibi.* Chriſtus unus eſt Index & teſtis; Spiritus S. alter, ut Chriſtus unus παράκλητος; & Spiritus S. ὁ ἄλλος. Joh. 14: 16. 17: 20. 1 Joh. 2: 1. 2.

Converſio gentium. §. 53. Quintum eſt *converſio gentium*, à Noacho prædicta. Gen. 9: 27. Abrahamo promiſſa, Gen. 22: 18. & à Jacobo prænunciata. Gen. 49: 10. vide Eſ. 11: 10. *Radix Jeſſe, ſtans in ſignum populorum, ad illam gentes requirent.* Eſ. 2: 2. 3. *Et confluent ad illum omnes gentes.* Eſ. 27: 6. *Advenas radicabit Iacob.* Eſ. 42: 1. 4. 52: 15. *Aſperget gentes multas.* 55: 4. 5. *Ecce teſtem nationum dedi te. Gentem, quam non noſti, vocabis; & gentes, quæ te non norunt, ad te current.* 56: 5. confer Jerem. 3: 17. Hoſ. 9: 13. *Vidi Tyro plantatam in ovili*; hoc eſt, gentibus, quarum olim Tyrus metropolis, adoptatos in filios Dei, & factos cives Eccleſiæ, quæ eſt ovile Dei. confer Mich. 5: 2. Zoph. 3: 9. *Vertam ad populos labium purum, ut omnes illi invocent nomen Domini, & ſerviant illi humero uno.* Hag. 2: 7. *Commovebo omnes gentes, & venient ad deſiderium omnium gentium*, hoc eſt, Chriſtum amplectentur. confer Zach. 2: 15. 3: 19. 9: 10. Malach. 1: 11. *Magnum erit nomen meum in gentibus.* Pſal. 2: 8. *Dabo gentes hæreditatem tuam.* confer Pſal. 16: 5. 6. 22: 29. 30. 45: 13. *Et, ô Filia Tyri, cum munere ſupplicabunt tibi divites populi*, quaſi d. ô miſera gentilitas, Apoſtoli, ditati omni benedictione in ſupercœleſtibus, *rogabunt te, Deo adhortante per illos*, 2 Cor. 5: ℣. 20. & munera cœleſtia tibi offerent acceptanda. Pſal. 68: 19. *accepiſti rebelles habitare pulchritudinem Dei*, hoc eſt, gentes ad communionem adduxiſti ſanctorum. confer Pſal. 72: 17. 86: 9. 87: 4. 5. 6. Ezech. 16: 61. *Quum accipies ſorores tuas majores te cum minoribus te; & dabo illas tibi in Filias.* Adde Ezech. 40: verſ. 7. 22. Joël. cap. 3: verſ. 5. Amos. 8: verſ. 27.

Regnum perpetuum. §. 54. Sextum eſt *Regnum perpetuum.* Deut. 33: 5. *Factus eſt in Ieſchurun Rex* Dominus, qui *populum medio pede perambulaverat.* ℣. 3. Eſ. 9: 5. 6. 7. *Exſtitit Principatus ſuper humerum illius; ad augendum principatum.* Eſ. 32: ℣. 1. *Ecce in juſtitia regnabit Rex.* Jerem. 23: 5. *Excitabo Davidi Semen juſtum, & regnabit Rex.* Eſ. 52: 7. *Dicit Zioni, Rex factus eſt Deus tuus.* Zach. 9: 9. 10. *Rex tuus venit, & dominari ejus a mari ad mare.* Pſalm. 2: 6. *Unxi Regem meum.* Pſalm. 45: 7. *Solium tuum ſeculum & æternitas, ſceptrum æquitatis ſceptrum regni tui.* Dan. cap. 2: 44. *Excitabit Deus cœli Regnum, quod in æternum non corrumpetur; & populo alii non relinquetur, comminuet & perdet omnia alia regna,* וְהִיא תְּקוּם לְעָלְמַיָּא *& illud ſtabit in ſecula.*

Beneficia Meſſiæ. §. 55. Neque tacet prophetia inſignia illa beneficia, quæ Filius Dei, natus homoque factus adducturus erat, de iis promiſcue dicta quædam citabimus. Eſ. 9: 6. *Paci non erit finis.* Zach. 9: 10. *Et loquetur pacem.* Eſ. 9: 3. *Iugum oneris illius, & virgam humeri ejus, virgam* הַנֹּגֵשׂ בּוֹ *Exactoris in illum fregiſti.* Zach. 9: 8. *Non tranſibit illos amplius exactor.* ibid. verſ. 11. *dimiſi vinctos tuos è fovea, in qua non erat aqua.* Eſ. 28: 12. *Dixit illis, hæc requies, date quietem feſſo, & hæc tranquillitas.* Eſ. 45: 24. 25. *In Domino juſtitia & robur. In Domino juſtificabuntur & gloriabuntur.* Eſ. 61: 1. 2. *Miſit me ad obligandum fractos corde; ad nunciandum annum acceptationis Domini, ad conſolandum omnes lugentes.* Eſ. 55: 1. *Heu! omnis ſitiens venite ad aquas.* verſ. 2. *Comedite bonum, & oblectetur in pinguedine anima veſtra.* Eſ. 64: 4. *A ſeculo non audiverunt, non perceperunt, oculus non vidit, Deus, præter te, quod facit exſpectanti illum.* Jerem. 31: 14. *Irrigabo animam Sacerdotum pinguedi-*

guedi-

guedine, & populus meus bonitate mea ſatiabuntur. verſ. 25. *Irrigavi animam feſſam, & omnem animam anxiam implebo.* verſ. 33. 34. *Hoc eſt Teſtamentum, quod pangam poſt dies hos. Inſcribam legem meam in corda illorum; & condonabo pravitates illorum, & illis ero in Deum.* Hoſ. 1: 10. *Dicemini, Filii Dei vivi.* Hoſ. 2: 18. *Deſponſabo te mihi in fide, in juſtitia,* &c. Zach. 3:9. *Et abſtergam pravitatem terræ illius uno die.* En quot beneficia parata in Filio Meſſia 1. *Pax.* 2. *libertas.* 3. *requies.* 4. *juſtitia.* 5. *ſatietas.* 6. *remiſſio peccatorum.* 7. *Novum Teſtamentum.* 8. υἱοθεσία. Lege Pſal. 23: 1. 2. *Dominus Paſtor meus* לֹא אֶחְסָר *non deſtituar* re. Pſal. 103: 1-5.

§. 56. Officia illi exhibenda etiam ex illa habemus. Geneſ. 49: 10. *Et ei erit obedientia.* Eſ. 55: 2. *Audite audiendo ad me.* Hoſ. 6: 6. *Pietate delector, & non ſacrificio, & agnitione Dei præ holocauſtis.* Imprimis commendatur *fides* in illum. Pſal. 2: 12. *Beati confugientes ad illum,* nimirum ad Filium, à Deo genitum. verſ. 7. Eſ. 28: 16. *Ecce fundo in Zion lapidem. Qui credit non confundetur.* Eſ. 53: 11. *In cognitione ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos.* Habac. 2:4. *Iuſtus in fide illius vivet,* nempe illius יָפֵחַ *teſtis* ſeu *præconis,* qui *veniendo venit, & non mentitus eſt.* Adde Zach. 3: 9. *Super lapidem unum ſeptem oculi.* Officia Meſſiæ exhibenda.

§. 57. Hic Dei Filius Meſſias noſter glorioſiſſimus plurimis in Scriptura prophetica venit nominibus, quæ ipſi competunt, nunc qua *Deus,* nunc qua *homo,* nunc qua *Deus* eſt & *homo,* θεάνθρωπος. Id facile cuivis eſt dignoſcere. Nomina Meſſiæ.

§. 58. Vocatur *Immanuel,* Eſ. 7: 14. *Mirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Victor, Pater æternus, Princeps Pacis.* Eſ. 9: 5. *Germen.* Zach. 6: 12. נִיר Mal. 1: 12. *Germen Domini, Fructus terræ.* Eſ. 4:2. *Virga, Surculus Ieſſe.* Eſ. 11: 1. 53: 1. *Lapis.* Zach. 3: 9. *Lapis angularis, probationis.* Eſ. 28:16. Pſal. 118: 22. Dan. 2: 45. *Rupes.* Eſ. 44: 8. *Rupes ſalutis.* Pſal. 95: 1. *Sol.* 2 Sam. 23: 4. *Sol juſtitiæ.* Mal. 4: 2. *Servus.* Eſ. 49: 3. 5. 52: 13. *Angelus faciei.* Eſ. 63: 9. *Angelus fœderis.* Mal. 4: 1. *Teſtis, Præceptor.* Eſ. 56: 4. *Lux gentium, Fœdus populi.* Eſ. 49:6. 8. *Dominator.* Mich. 5: 1. *Iudex,* Mich. 4: 14. Eſ. 16: 5. *Sanctum Domini.* Mal. 2: 11. *Paſtor.* Zach. 13: 7. *Magnificus.* Jerem. 30: 21. *Dominus exercituum.* Eſ. 6: 5. *Juſtus.* Eſ. 3: 10. אִמְרוּ צַדִּיק *dicite,* hoc eſt, in ore ferte *Juſtum, nam bonus eſt.* Eſ. 53: 11. Non repetimus nunc illa nomina, quorum ſupra paſſim facta eſt mentio. Vocatur etiam *Arx Dei.* Eſ. 27: 5. *Aut apprehendat Arcem meam. Munimentum.* Zach. 9: 12. *Redite ad munimentum. Perfractor.* Mich. 2: 13. גּוֹאֵל *Redemtor, Aſſertor.* Eſ. 54: 5. Job. 19: 25. מוֹשִׁיעַ *Servator.* Eſ. 45: 15. 17.

§. 59. Dominum, qui aſcendit in cœlos, rediturum ad judicium, expergefacturum mortuos, judicaturum omnes, pariter facile eſt è prophetiis demonſtrare. Sed hæc, quæ diximus, nunc nobis ſufficient. Abunde autem ex illis conſtat, omnia, quæ de Jeſu Chriſto credenda ſunt, in Prophetiis luculenter eſſe deſcripta; adeo ut Apoſtolus veriſſime dixerit, cum dixit, *ſe nihil extra Prophetas locutum eſſe.* Act. 26: 22. Nunc finis huic ſit capiti. *Benedictus* autem, *qui venit in nomine Domini.* Pſalm. 118: 26.

Caput Decimum Octavum.

De ſtatu Eccleſiæ & populi Judaici durante captivitate Babylonica, ubi & de Nebucadnezare aliiſque regibus Babel, & Imperio illorum, Imperiique fine agitur.

§. 1. HIeroſolymam captam, templum igne deletum, regnum ablatum, populumque Iſraeliticum in captivitatem à Rege Babel abductum ſuperius vidimus. Nunc de illis altius quædam repetemus, & quis ſtatus populi & Eccleſiæ durante fuerit captivitate pariter ac inſimul exponemus.

Captivatio Jehudæ cœpit ſub Rege Jehojakimo.

§. 2. Cœpit Jehuda captivari regnante *Eljakimo* ſive *Iehojakimo*, filio Joſiæ. *Anno* quippe *tertio regni illius aſcendit Rex Babel*, Dan. 1: verſ. 1. illumque *ſervum* fecit ſibi. 2 Reg. 24: 1. Jehojakim expertus, quam gravis ſit caſus in ſervitium de regno, interjectis *tribus annis rebellare* cœpit. 2 Reg. cap. 24: verſ. 1. Igitur ſecunda in illum vice movit Babelis Rex; tuncque datus eſt *in manum illius Iehojakim Rex Iehuda a Domino.* Dan. 1:2. Ligavit illum Rex Babel compedibus לְהֹלִיכוֹ בָּבֶלָה *ad ducendum illum Babelem*, 2 Chron. 36: 6. quo tamen non veniſſe, ſed in via mortuus videtur, & hac occaſione *ſepultura aſini ſepultus.* Jerem. 22: 18. 19.

Diu ante prædicta.

§. 3. Captivitatem & abductionem diu ante minatus eſt Deus Regi Jehojakimo & populo. Sed ut multa alia, ita & hoc verbum לֹא אָבוּא שְׁמוֹעַ *noluerunt audire. In initio regni Iohojakim exſtitit verbum hoc a Domino. Dabo domum hanc ut Siloh, & civitatem hanc dabo in execrationem omnibus gentibus terræ.* תֶּחֱרַב מֵאֵין יוֹשֵׁב *vaſtabitur ut non ſit incola.* Jerem. 26: 1. 6. Sacerdotes & Prophetæ ita indigne dictum hoc ferebant, ut judicarent Jeremiam, verbi hujus nuncium, mortis crimen commiſiſſe. ibid. verſ. 8. 9. 11. Imo & deinceps librum ex ore Jeremiæ ſcriptum, quia in illo exſtabat, *veniet Rex Babel, & perdet terram hanc, & abolebit ex illa hominem & pecus*, Jehojakimus Rex conſcidit totum, & cremavit in cinerem. Jerem. 36: 23. 29. denique *Uriam filium Schemanjah*, quia *prophetaverat in nomine Domini contra civitatem & terram* כְּכֹל דִּבְרֵי יִרְמְיָהוּ *ſecundum omnia verba Ieremiæ*, tanta crudelitate perſecutus eſt, ut reductum ex Ægypto, quo Uriah, periculum à Rege ſibi metuens, aufugerat, *gladio percuſſerit, & cadaver ejus projecerit ad ſepulchra plebejorum.* אֶל קִבְרֵי בְּנֵי הָעָם Jerem. 26: 20. 21. 22. 23. Ita non in vivum tantum, ſed & in mortuum ſæviit. Hic *Uriah*, antequam naſceretur, nominatus eſſe videtur cum altero Propheta *Zacharia* adhuc citeriore. Eſ. 8: 2.

§. 4. Cum Jehojakimo abduxit Rex Babel multos *è filiis Iſrael*, imo & *è ſemine regio, & è proceribus*; inter hos fuit *Daniel* cum ſociis; quos, una cum pluribus aulæ ſervitiis deſtinavit Babylonius, *linguamque & literas Chaldæas edoceri* juſſit. Dan. 1: 2. 3. 4. Ita impletum Eſaiæ verbum, *è filiis tuis, quos genuiſti, ſument, & erunt aulici in palatio Regis Babel.* Eſ. 39: 7.

Aucta ſub Rege Jehojachin.

§. 5. Poſt abductum Jehojakimum rerum regnique potitus eſt *Iechonias filius illius*, 2 Reg. cap. 24: verſ. 6. quod factum à Deo haut comprobatum brevitate apparuit imperii, quippe regnavit tantum *tribus menſibus, decemque diebus*; & obſeſſa tunc Hieroſolyma. Rex Jehojacin ſponte exivit, ſeque & *matrem*, & *ſervos*, & *Principes* & *aulicos*, in poteſtatem tradidit Regis Babel. Illo tempore *deportavit* Rex Babel *totam Hyeroſolymam, & omnes expeditos robore, & omnes fabros & collegia Babelem*; nec reliquum quid manſit

...ſit in terra *præter tenues populi.* 2 Chron. 36: 10. 2 Reg. 24: 15. 16. Ipſum Jechoniam diuturno multavit carcere. 2 Reg. 25: 27 – 30.

§. 6. Inter abductos cum Jehojachin fuit & *Mordecai filius Iair*, אֹמֵן *curator* ἐπίτροπος, τροφεὺς, & κομιστὴς factus *Eſteræ filiæ* דוד *patrui illius*; quæ ad regni dignitatem evecta eſt. Eſther. 2: 5. 6. Imo & *Ezechiel, filius Buſi, Sacerdos.* Ezech. 1: 1. 2. 3.

§. 7. Poſt abductum Jechoniam & optimos populi *monſtravit Dominus* Jeremiæ *duas olias ficuum, conſtitutas ante templum Domini*, quarum una *ficus* habebat *valde bonas*, altera *valde malas.* Cum *ficubus bonis* comparat Dominus גָּלוּת יְהוּדָה *exules Iudæ*; illos dicit miſſos in terram Chaldæorum *in bonum*, ſuper illos promittit ſe *poſiturum oculum in bonum* &c. Cum malis שְׁאֵרִית יְרוּשָׁלַם *reliquias Ieruſalem, ſuperſtites in terra* h. e. qui cum Jehojachin ſponte in exilium non abierant. Igitur *olla bonas* ficus *Babylon*, *malas* habens eſt *Hieruſalem*, & gratam fecerunt Deo rem, qui ſponte adierunt Babylona. Jerem. 24: 1 – 9.

§. 8. *Ieremias Propheta* non petiit Babyloniam, illuc migrante Jechonia, divina id ita voluit providentia. Miſit Jeremiah *nomine Domini Dei exercituum, Dei Iſraël epiſtolam ex Ieruſalem ad ſeniores exulum, & ad omnem populum*, qui deportatus erat cum Jechonia. In illa monuit, ut *ædificarent in Babylone domus, plantarent hortos, ducerentque uxores*, imo ut *quærerent pacem urbis*, in qua exulabant, *orarentque pro illa Dominum.* Deinde ſpem fecit reſtitutionis in patriam, cum benedictione omnimoda. Jer. 29: 1 – 14.

§. 9. Noluit autem Rex Babel reliquias Judæorum Rege carere & Moderatore. Regem enim conſtituit illis *Matthaniam*, alias *Zedekiam*, qui *patruus* erat Jechoniæ, *frater* Jehojakimi, *filius* Joſiæ, 2 Reg. 24: 17. 2 Chron. 36: 10. Jerem. 37: 1. & *jurare illum fecit* בֵּאלֹהִים *per Deum.* 2 Chron. 36: 13. Violavit jusjurandum Zedekiah, ita forſan cogitans, ut eſt apud Euripidem, ἡ γλῶσσα ὀμώμοκεν, ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος, hoc eſt, vertente Cicerone in Officiis, *juravit lingua, mentem injuratam gero.* Conſummata ſub Rege Zedekia.

§. 10. Zedekiæ imprimis autor fuit Jeremias Propheta, ut *collum ſubderet jugo Regis Babel, & ſerviret illi, & viveret.* Jerem. 27: 12. 13. Huic conſilio contradicebant impii *Prophetæ* & *Augures* & *Divinatores*, dicentes: *Non ſervietis Regi Babel.* Jerem. 27: 9. 14. Inter quos eo procedebat temeritatis *Chananjah filius Azur Propheta*, ut auderet dicere *in oculis Sacerdotum & totius populi. Sic dicit Dominus Deus. Frangam jugum Regis Babel. Intra biennium dierum ego reducam ad locum hunc Iechoniam Regem, & omnes exules Iudæ.* Jerem. 28: 1 – 4. Quam audaciam temerarius vates morte luit. *Anno hoc tu morieris*: ita reſpondebat illi Jeremiah. *nam receſſionem es locutus de Iehova. Et mortuus eſt Chananjah anno illo.* Jerem. 28: 16. 17.

§. 11. Zedekiah *confiſus mendacio* horum nebulonum *rebellavit in Regem Babel.* 2 Reg. 24: 20. 2 Chron. 36: 13. Hinc illæ lacrymæ. Venit Nebucadnezar, obſidione cinxit urbem, &, ut Joſephi verbis utar, ἐντεταμένως σφόδρα καὶ προθύμως τῆς πολιορκίας εἴχετο. confer 2 Reg. 25: 1. 2.

§. 12. Rebus huc deductis adhuc ſerio monuit populum Deus. Ierem. 21: 8. 9. *Ad hunc dices populum. Ecce ego do coram vobis viam vitæ & mortis, qui manebit in urbe hac morietur gladio, & qui exibit ad Chaldæos, vivet, & erit ipſi anima illius ſpolium*: Ierem. 38: 17. 18. ſerio monetur Zedekiah, *Sic dicit Dominus*; *ſi exibis ad principes Regis Babel, vivet anima tua*; *& urbs hæc non comburetur igne. Et ſi non exibis dabitur civitas hæc in manum Chaldæorum & comburent illam, & tu non evades è manu illorum.* confer Ierem. 34: 1-4. Sed nil effecit Ieremias: quinimo carcerem & lora ferre debuit. Ierem. 32: 2 – 5. 38: 6. Animuſque crevit miſeris his, cum copias Pharaonis audirent

 acce-

accedere, ut ſuppet[illegible] ferrent obſeſſis, quæ id etiam effecerunt; ut Chal[illegible] ſolverent obſid[illegible]onem: tunc enim ita ratiocinati ſunt, *Abeundo [illegible]unt a nobis Chaldæi*: nec atte[illegible]aderunt ad verbum Jeremiæ, *Revertentur Chaldæi, & oppugnabunt urbem hanc, & capient, & igne abſument.* Jerem. 37:5 -- 10.

§. 13. Illo tempore Jeremiah deſerere volens Hieroſolymam, & *exire in terram Benjamin*, ut *facilius inde ſe miſceret populo*, incuſatus, *Ad Chaldæos tu transfugis*, prehenditur, cæditur, & in carcerem includitur, in quo latuit יָמִים רַבִּים *dies multos*, adeoque male habuit, ut Zedekiam oraret, *Audi quæſo Domine mi, Rex, Liceat, age, implorare gratiam tuam, & ne jubeas me reduci domum Ionathanis ſcribæ*, (ibi erat carcer) *ne ibi moriar.* Jerem. 37:12 -- 20.

§. 14. Tandem poſt acerrimam obſidionem perrupta eſt civitas, Rex captus, Templum combuſtum, omniſque reliquus Babylonem deportatus eſt populus. Lege hiſtoriam Jerem. 52. 2 Reg. 25. Jerem. 39.

§. 15. Jeremias, qui eouſque ſederat *in atrio cuſtodiæ*, nunc juſſu Nebucadnezaris liberatur, & curæ commendatur *Nebuſaradam* præfecti ſatellitum; *Sume illum*, inquit Rex, *& oculum tuum pone ſuper illum, & ne facias illi quicquam mali. Sed quemadmodum loquetur ad te, ſic fac cum illo.* Jerem. 39:11 -- 14. Deinde optionem illi dedit Nebuſaradan, *ſi bonum eſt in oculis tuis ad veniendum mecum Babylona, veni, & ſi malum eſt in oculis tuis, ſine. Ecce tota terra coram te; ad bonum & ad rectum in oculis tuis ire, illuc ito.* Jerem. 40:4. 5.

§. 16. Jeremias maluit manere *in medio populi, eorum, qui remanſerant in terra*, ſeditque & habitavit *in Mizpah.* Ierem. 40:6. Ita ἡδέως εἶχεν ἐπὶ τοῖς ἐρειπίοις τῆς πατρίδος, καὶ τοῖς ταλαιπώροις αὐτῆς διαζῆσαι λειψάνοις, quæ Flavii annotatio eſt.

§. 17. Ut ut enim omnem multitudinem Babylonius deportaverit, tamen *de populo infimos*, אֲשֶׁר אֵין לָהֶם מְאוּמָה *quibus nihil erat, reliquos fecit in Iudæa, & dedit ipſis vineas & agros illo die.* Ierem. 39:10.

Gedalias à Rege Babel præfectus reliquiis Judæorum. §. 18. Præfecit autem huic populo *Gedaliam, filium Achikam*, abſque ullo tamen inſigni regio aut imperii nomine. *Paucis* enim *præeſſe & calamitoſis nulla dignitas erat.* Fixit ille domicilium in Mizpah; quo collegit diſperſos Iudæorum, illiſque juravit, dicens: *Habitate in terra, & ſervite Regi Babel, & bene erit vobis.* 2 Reg. 25:24.

Occiſus ab Iſmaele. §. 19. Inopinanter novus hic Præfectus periit, ab *Iſmaele*, qui erat *Vir regii generis*, doloſè & malitioſè interfectus, una cum *Iudæis & Chaldæis, qui cum ipſo in Mizpah erant.* 2 Reg. 25: verſ. 25. Addit Ioſephus de ſuo, Gedaliam cum interficeretur, fuiſſe βεβαπτισμένον εἰς ἀναισθησίαν καὶ ὕπνον ὑπὸ τῆς μέθης, viſus id ſibi colligere è Ierem. 41:1 -- 5.

Inde fuga reliquiarum in Ægyptum. §. 20. Cædes hæc tanto reliquos Iudæos perculit metu, ut ſtatuerint, relicta patria & natali ſolo, Ægyptum adire: *timebant* enim *Chaldæos*, ne fuſum ſanguinem ulciſcerentur; neque enim credibile erat, Regem Babel mortem præfecti ſui paſſurum inultam. 2 Reg. 25:26. Ierem. 41:17. 18.

Contra Dei conſilium. §. 21. Et quamvis Deus iter hoc valdè diſſuaderet, promittens incolumitatem & tranquillitatem, ſi in terra manerent; minatuſque famem, gladium, & certiſſimam mortem, ſi in Ægyptum deſcenderent, Ierem. 42:1 -- 22. illi tamen aſſueto malo inſolentes parendi ſalubribus conſiliis & divino imperio *non audiverunt vocem Domini* לָשֶׁבֶת בְּאֶרֶץ יְהוּדָה *ad manendum in terra Iuda*, ſed coadunata manu profecti ſunt in Ægyptum. Imo & *Ieremiam Prophetam*, & *Baruchum, filium Nerijahu*, qui erat ἐξ ἐπισήμου σφόδρα οἰκίας, καὶ τῇ

καὶ τῇ πατρῴᾳ γλώττῃ διαφερόντως πεπαιδευμένος, illuc traxerunt. Ierem. 43: 1 – 7. Lege verbum Domini in illos Ierem. 44: 1 – 30.

§. 22. Ita Iudæa omnibus deſtituta incolis ſolitudo exſtitit, *Omniſque civitas derelicta*, וְאֵין יוֹשֵׁב בָּהֵן אִישׁ *nec ullus in illis habitans.* Ier. 4: 29. Salmanaſſar, qui decem tribus abduxerat in Aſſyriam, transportaverat in terram illarum τὸ Χουθαίων ἔθνος, οἱ πρότερον ἐνδοτέρω τῆς Περσίας καὶ Μηδίας ἦσαν; confer 2 Reg. 17: 24. At Babylonius, qui duas abduxit tribus, nullam aliam gentem in terram illarum adduxit. καὶ διὰ τοῦτο, ut rurſum Ioſephi utar verbis, ἔρημος Ἰουδαία πᾶσα καὶ Ἱεροσόλυμα καὶ ὁ ναὸς διέμεινεν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα. Miſeria & ſolitudo Iudææ.

§. 23. Miſerum hujus temporis ſtatum graphicè depingit Propheta. *Vidi*, inquit, *Terram, & ecce inordinatum & inexſtructum eſt. Et ad cælos, & non eſt lux eorum. Vidi Montes, & ecce tremunt: & omnes colles* הִתְקַלְקָלוּ *diruuntur. Vidi, & ecce non eſt homo, & omnes volucres abierunt*, Ierem. 4: 23. 24. 25. imo & acerbè deplorat. *Velle comam tuam, & projice, & attolle in cacuminibus lamentum: quia ſprevit Iehova & omiſit* דּוֹר עֶבְרָתוֹ *ætatem dignam excandeſcentia ſua.* Ierem. 7: 29. Inde Threni: *Quomodo conſidet ſolitaria Urbs illa populoſa? Facta eſt ut vidua, præampla in gentibus.* Thren. 1: 1. *Abiit à filia Sion omnis majeſtas ejus. Manum ſuam expandit hoſtis ſuper omnia deſiderabilia ejus: intrarunt in ſanctuarium, de quibus juſſiſti,* לֹא יָבֹאוּ בַקָּהָל לָךְ *non intrabunt in Eccleſiam Tibi.* Thren. 1: 6. 10. *Quomodo obnubilat in ira ſua Dominus filiam Sion? Exſtitit Dominus, ut inimicus: deſtruxit Iſraëlem: deſtruxit omnia palatia ejus: munitiones illius corrupit, & multiplicavit in filia Iuda* תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה *mœrorem & mœſtitiam.* Thren. 2: 1. 5. *Quid conteſtabor te? quid aſſimilabo tibi Filia Ieruſalem? quid exæquabo tibi, ut conſoler te, virgo Filia Sion? nam magna eſt, ut mare, confractio tua; quis medebitur tibi?* Thren. 2: 13. Deplorata à Prophetis.

§. 24. Domitor Hieroſolymæ *Nebucadnezar*, græcè ναβουχοδονόσορος, *Rex Babel* in gentium laudatur ſcriptis. Strabo libr. 15. è *Magaſthene* deſcribit Ναυοκοδρόσορον τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, *Nauocodroſorum in majore apud Chaldæos laude fuiſſe, quam Herculem*; vel, *majores res geſſiſſe apud Chaldæos, quam Herculem.* Ioſephus eundem citat Megaſthenem, dicentem *in quarto Indicorum, Regem hunc* τῇ ἀνδρείᾳ καὶ τῷ μεγέθει τῶν πράξεων ὑπερβεβηκότα τὸν Ἡρακλέα; *fortitudine & claritate operum Herculem anteiviſſe.* Nebucadnezar domitor Hieroſolymæ gentibus laudatus.

§. 25. Fuere multi multis ante Nebucadnezarem annis Babylonis Reges. Tempore Hiskiæ miſit *Merodach Baladan, filius Baladan Rex Babel literas & dona.* Eſ. 39: 1. Hic Merodach alibi putatur dictus *Mardocempadus*, & regnaſſe annos duodecim. Ante illum fuere multi Babylonis Reges.

§. 26. E Ptolomaico Regum Canone conſtat in Babel regnaſſe *Beleſin*, annos 14. *Nadium* ſive *Nabium*, annos 2. *Chinzium & Porum*, annos 5. *Arkianum*, totidem, poſtque illius obitum biennii fuiſſe interregnum. Tum *Belithum* ſive *Belilum* Babyloniorum regnum obtinuiſſe annis 3. *Regebelum* anno uno. *Meſeſimordakum* annis 4. Tumque rurſum interregnum fuiſſe annorum octo. Poſt illud, deficiente Babyloniorum regia ſtirpe, *Eſarchaddonum* ſeu *Aſſaradinum* Regem Aſſyriæ ſub antiquum Babylonios reduxiſſe jugum, & occupato Babyloniæ regno per annos 13. illud obtinuiſſe. Igitur ab illo tempore Babylon fuit Regum Aſſur; & qui Rex Aſſur, fuit & Rex Babel: unde & principes exercitus Regis Aſſur, qui Menaſſem ceperunt, latentem inter *ſpinas*, dicuntur duxiſſe illum בָּבֶלָה *Babelem*, 2 Chron. 33: 11. & 2 Reg. 17: 24. dicitur *Rex Aſſur deduxiſſe & transportaſſe ex Babel*, ut urbe ſuæ ditionis, *in urbes Someron.* Porrò è

dicto

dicto Ptolemæi opere conſtat, poſt memoratum *Aſſaradinum* imperium Aſſyriacum & Babylonicum tenuiſſe *Saoſduchinum* annis 20. Hic e ſententia nonnullorum in libro Judith communi Regum Babyloniorum nomine *Nabuchodonoſor* appellatur; diciturque fuiſſe *Rex Aſſyriorum*, & in civitate magna Nineve regnaviſſe. Jud. 1: 1. Sub hoc Rege militavit *Holophernes*, cui apud Bethuliam urbem Judææ à Juditha Simeonitide amputatum caput. Huic *Saoſduchino* in regno Babylonico ſimul & Aſſyrico ſucceſſit *Chynoladanus*, aliis *Saracus*, quod *latronem* notat, dictus; imperavitque annis 22. Hic à *Nabopollaſaro* Babylonio, quem *Saracus* Rex exercitui præfecerat, expugnatus captuſque eſt: ſublato illo regnum Chaldæorum ſuſcepit & 21. annis adminiſtravit interfector illius Nabopollaſarus, ſive quod idem eſt Nabuchodonoſorus. Hic Nabopollaſarus, qui τὴν Ἀσυρίων Ἀρχὴν καταλέλυκε, adjutus à *Medis*, teſte Joſepho libr. 10. Antiq. cap. 6. fuit Pater *Magni* hujus *Nebucadnezaris*, quem Hieroſolymam expugnaſſe, populumque Judaicum abduxiſſe vidimus.

§. 27. Hunc Nebucadnezarem regnaſſe ſcribit Ioſephus ἔτη τεσσαράκοντα τρία *annos* 43. laudatque illum, quod fuerit ἀνὴρ δραστήριος, καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων εὐτυχέστερος, *Vir actuoſus & felix.*

Succeſſores illius. §. 28. Habuit Nebucadnezar ſucceſſores; Filium *Evilmerodachum*, & Filium Filii *Beltaſarum*. Secundum prophetiam Ierem. 27:7. *Et ſervient illi omnes gentes, & Filio illius, & Filio Filii illius.*

§. 29. Ioſephus ἀρχαιολογ. λογ. ι. κεφ. ιϛ. poſt Nebucadnezarem narrat *Abilamarodachum* filium illius, qui *Evilmerodachus* eſt; deinde *Niglиſſarum*, quem dicit regnum tenuiſſe annis 40. poſt ad *Laboſordachum* dicit veniſſe τῆς βασιλείας τὴν διαδοχὴν *ſucceſſionem imperii*; denique id tranſiſſe ad βαλτάσαρον, τὸν καλούμενον ναβοάνδηλον παρὰ βαβυλωνίοις inque hunc moviſſe *Cyrum Perſarum*, & *Darium Medorum Regem.* Atſecurè nobis licet prætcrire Reges, quos ſacræ literæ prætereunt.

Antiqui hiſtorici non meminerunt Imperii Babylonici. §. 30. Hiſtorici Veteres, Juſtinus, Vellejus, aliique, de ſummis mundi imperiis ſcribentes, non meminerunt Babyloniorum & Chaldæorum; ſed primo loco ponunt *Aſſyrios*, quos mille trecentis annis obtinuiſſe Imperium Iuſtinus libr. 1. cap. 2. Vellejus autem mille ſeptingentis tradit libr. 1. cap. 6. Poſt Aſſyrios, principes omnium gentium, rerum potitos Medos, poſtea Perſas; adeoque imperium Aſiaticum ab Aſſyriis ad Medos tranſlatum fuiſſe. Ultimum Aſſyriorum Regem dicunt fuiſſe *Sardanapalum*, virum illum muliere corruptiorem, mollitiis fluentem, nimiumque felicem malo ſuo, tertio & triceſimo loco ab Nino & Simiramide, qui Babylona condiderant, natum: huncque à *Pharnace Medo* imperio vitaque privatum. Ita Vellejus, Juſtinus *Arbactum* nominat. *Poſt hunc*, inquit, *rex conſtituitur interfector ejus Arbactus, qui præfectus Medorum fuerat. Is imperium ab Aſſyriis ad Medos transfert.*

§. 31. At quandoquidem non gentilium hiſtoriæ, quæ ſæpè fallunt, ſed ſacræ literæ, quæ nulli errori ſunt obnoxiæ, norma nobis ſunt dicendorum, age preſſius agamus de iis, quæ regnantibus Nebucadnezare, Evilmerodacho & Beltaſaro eveniſſe illæ docent; ut ita inde ſtatus Eccleſiæ captivatæ populique abducti agnoſcatur diſtinctius.

Captivitas Judæorum caſtigatio ſevera, ſed juſta, & utilis. §. 32. Abductio & captivitas populi *ſevera* certè caſtigatio fuit. Thren. 4:6. *Et major exſtitit pravitas*, hoc eſt, pœna *filiæ populi mei præ peccato Sodomæ, quæ everſa eſt tanquam momento, & in qua non doluerunt manus. Juſta* tamen. Thren. 1:8. *Peccavit peccatum Jeruſalem, ideo comploratio facta eſt.* ℣. 18. *Juſtus ipſe eſt Iehova: nam ori*

ori illius inobediens exſtiti, & utilis. Jerem. 24: 5. *Miſi exules Juda in terram Chaldeorum* לְטוֹבָה *in bonum.* Ita enim caſtigati experientia didicerunt, quàm ſit *malum & amarum deſerere Dominum Deum, & timorem illius omittere.* Jerem. 2: 19. compulſi ſunt ad quærendum Dominum. Eſ. 26: 16. *Domine, in arcto quæſiverunt te,* ad agendum pœnitentiam. Thren. 2: 18. *Mure filiæ Zion, dimitte inſtar torrentis lacrymam die & nocte, ne des intermiſſionem tibi.* verſ. 19. *effunde ut aquas cor tuum coram facie Domini, tolle ad illum palmas tuas,* ad meditandum ſeriam converſionem. Deut. 4: 30. *Cum arctum tibi erit, & evenient tibi omnia hæc in poſtremo dierum, convèrtes te ad Dominum Deum tuum, & obedies voci illius.* Denique agnoverunt inſtabilitatem cultus Levitici, hactenus impoſiti, quòdque æternæ non ſit durationis. Tunc enim *fecit Jehòva in oblivionem venire feſtivum conventum & Sabbatum, repulit altare ſuum, polluit ſanctuarium ſuum.* Thren. 2: 6. 7. Qui cultus abrogari ad tempus poterat, perennis eſſe non poterat, quoque ſine poterant *εὐαρεστῆσαι grata facere Deo,* ut ſancti durante fecerunt captivitate, quamvis excluſi ab exercitio illius cultus, ille *infirmus* & *inutilis* & ad vitam & ad juſtitiam eſſe deprehenditur. Imo & edocti ſunt terreſtrem hæreditatem, quâ nunc in exilio privati carere cogebantur, non eſſe *τὴν ἀγαθὴν μερίδα optimam portionem.* Optima enim meliorque pars à ſanctis *non auferiur.* Luc. 10: 42. *Gratia Dei* eſt *ἀμεταμέλητος,* Rom. 11; ℣. 29. illius *gratiæ* ſunt הַנֶּאֱמָנִים *fideles* ſeu *perſeverantes.* Eſ. 55: 3. *Gratia illius non recedit, & fœdus pacis non vacillat.* Eſ. 54: 10.

§. 33. Magnum certe & inſigne fuit beneficium, quod Deus dignatus eſt populo adeſſe, illiusque rationem habere in ipſa captivitate, amiſit populus urbem, ſanctuarium, libertatem, communionem Dei, ſenſumque divinæ gratiæ non amiſit. Ipſe quaſi Deus cum populo ivit in exilium. Fuit *cum illis cum* VERBO ſuo, & *Spiritus ipſius ſtetit in medio illorum.* Hagg. 2: 6. Vidit Ezechiel poſt *procellam, venientem ab aquilone, nubemque magnam,* triſtem & obſcuram, vidit inquam *ignem,* & quidem ignem non vorantem, & conſumentem, ſed אֵשׁ מִתְלַקַּחַת *ignem ſe continentem,* & *ſplendore* cinctum *undique,* Ezech. 1: 4. ut doceamur ignem divinæ charitatis, gratiæ, illuminationis & ſanctificationis miſeris captivis affulſiſſe, cum demonſtratione gloriæ & eminentiæ. Hactenus Deus habitaverat in Sancto Sanctorum; in nube viſus ſuper propitiatorio; ſoli reſpondens Sacerdoti ſummo, placatus per ſacrificia. Nunc habitare incipit inter gentes; propitium ſe exhibet longe proculque à propitiatorio; reſpondet omnibus rogantibus; & placatur *rationabilibus* victimis. Rom. 12: 1. Ita implevit, quod promiſerat, *Agnoſcam exules Iehudæ, ponam ſuper illos oculum meum in bonum,* Jerem. 24: 5. 6. confer Mich. 4: 10. *pervenies, filia Tſijon, uſque in Babyloniam. Ibi eripieris. Ibi aſſeret te Iehovah è manu inimicorum tuorum.* Prophetas in medio juſſit eſſe exulum, quorum miniſterio in ipſa captivitate maxima & futura revelavit. Id ipſum deprædicat populus Jerem. 29: 15. *Dixiſtis, excitavit nobis Dominus Prophetas Babylonem.* Inter hos inſignis fuit *Daniel, vir* ille *deſiderii.* Dan. 9: 23. ſagax *in viſionibus & ſomniis,* Dan. 1: 17. ſapientia eminentiſſimus. Ezech. 28: 3. *Ecce ſapiens, tu præ Daniele.* Juſtitiæ particeps æternæ. Ezech. 14: 14. *Tres illi viri, Noah, Daniel, & Iiob, illi evadere facient animas* בְּצִדְקָתָם *in juſtitia ſua.* Imo & *Ezechiel filius Buſi,* cui *aperti fuerunt cœli, ut videret viſiones Dei.* Ezech. 1: 1. 2. Taceo de *Haggeo, Zacharia, Malachia,* quorum miniſterium eductis è Babylone, & reductis in terram, imprimis ſalutare fuit. Dona cœleſtia copioſè diſtribuit inter exules, quis abunde mirabitur dona continentiæ in Daniele & Sociis, qui in aula Regis Babel firmiter induxerunt in animum, ut ne polluerentur cibo potuque regio; elegeruntque legumina & aquam præ cupediis & nectare. Imo conſtantiæ & fortitudinis in iiſdem, maluerunt

Beneficia divina populo durante captivitate collata.

corpora ſua committere flammis; quàm incurvare ſe ſtatuæ & imagini. Non detrectavit Daniel objici Leonibus, ne tantillum remittere volens à diligentia precum. Nullæ minæ, nulla pericula adducere potuerunt Mardocheum, ut honores plusquam humanos deferret *Hamano* Agagitæ. Nullus terror impedivit Zerubabelem, & Jehoſuam, quo minus ſtructuram templi, ringentibus adverſariis, abſolverent. Spiritus *precum & ſupplicationum* abunde in corda illorum effuſus fuit. Lege ardentiſſimas preces *Danielis*, Dan. cap. 2: verſ. 20-23. cap. 9: verſ. 3. &c. *Eſræ*. Eſr. cap. 9: verſ. 6. 7. &c. aliorumque. Divina illos induit virtute, dum quibusdam dedit *exſtinguere* δύναμιν πυρός; aliis *obturare* λεόντων στόματα. Hebr. cap. 11: verſ. 33. 34. Etiam hæc gratiæ teſtimonia ſunt, quod multos humiles & abjectos ad ſummum evexit honoris faſtigium; fecitque captivatos imperare captivantibus. *Eſther* ſerva fit multorum populorum nationumque Regina. *Mardocheus*, cui furca parata & patibulum, regio ornatur ſplendore. *Socii* Danielis conſtituuntur provinciarum præfecti. *Daniel* aureo torque donatus proclamatur *Dominator tertius in Regno*. *Eſra* ſcriba ingenti à potentiſſimo Rege afficitur honore & gratia. Denique nec hoc prætereundum, quod ipſis gentilium Regibus ſe patefecit Dominus, exhibendo illis viſiones & ſomnia, excitando ſpiritum illorum, cogendo illos in decantationem laudum ſuarum; illorumque ferociam & ὑπεροπτικὸν ὄγκον inſignibus judiciis compeſcuit & ſubegit.

§. 34. Ita quidem ſuccinctè ſummam rerum complexi ſumus. Nec tamen ab re fuerit ordine & ſigillatim ac pluribus ſingula retexere.

Memorabilia, quæ narrantur de Rege Nebucadnezare.

§. 35. Memorabilia imprimis ſunt, quæ narrantur de magno Rege Nebucadnezare, quem Daniel vocat *Regem Regum*, Dan. 2: 37. cujus immenſam potentiam & majeſtatem multis verbis laudat, *Deus cœli regnum, potentiam, robur & ſplendorem dedit tibi; & in omni ubi habitant filii hominis, beſtias agri, & volucres cœli dedit in manum tuam*, Dan. 2: verſ. 37. 38. innuens omnes gentes ita illi ſubjectas, ut apud quaſvis aucupia exercere & venationes libere poſſit, id quod dominii ſignum eſt, quæ ingens potentia etiam inde cernitur, quod in publicis illius edictis compellantur עַמְמַיָּא אֻמַּיָּא וְלִשָּׁנַיָּא *populi, nationes, linguæ*, ut ſubjectæ. Dan. cap. 3: verſ. 4. imò cujus ſummam, illimitatam & abſolutam poteſtatem agendi omnia pro libitu his verbis effert, *Quem volebat, occidebat; quem volebat, conſervabat; quem volebat, exaltabat; quem volebat, humiliabat*. Dan. 5: 19.

§. 36. Hic Nebucadnezar victor & captivator Judæorum juſſit *è filiis Iſrael* ſumi *juvenes*, forma præſtantes, ingenio eximios, dociles que; & erudiri in *literis & lingua Chaldæorum*, ut apti eſſent & idonei ad *ſtandum coram Rege*, hoc eſt, negocia illius curandum. Dan. 1: 4. Chaldæorum nota ſunt encomia. De iis ſic Strabo libr. VII. *Conſtat nuſquam diligentius ſeveriuſque mathematica ſtudia exculta fuiſſe, quam apud Chaldæos*. Cicero libr. 1. de Divinat. cap. 1. *Qua in natione*, loquitur de Aſſyriis, *Chaldæi* (NB. Chaldæa regio Aſſyriæ eſt, Arabiæ vicina) *non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſervatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet*. Addit tamen, *multos promiſſis ſuis fefellerunt Chaldæi*. Hinc & Nebucadnezar advocavit Chaldæos, ſomnium ipſi indicaturos.

Fuit vir generoſus, & ſapiens.

§. 37. Nebucadnezar vir generoſæ videtur fuiſſe mentis; amans literarum, cultor ingeniorum, nec ignarus liberalium artium; ipſe enim requiſivit & rogavit à Daniele ſociiſque דְּבַר חָכְמַת בִּינָה *res ſapientiæ & intelligentiæ*. Dan. cap. 1: verſ. 20. Voluit in aula ſua eſſe viros omni ſcientiarum genere politos, nec exteros à ſervitiis ſuis excludit.

dit. Ita mirabili caſu Daniel cum ſociis tribus in aulam intrat Regis. Et per Danielem ſociosque Nebucadnezari & gentibus innotuit Deus Iſraelis.

§. 38. Initio occurrit *ſomnium* Nebucadnezaris. Dan. 2. Sunt ſomnia *naturalia*, vulgaria illa nimirum & communia, quæ Græcis dicuntur ἐνύπνια, ſunt & *divina*, Græcis dicta ὁράματα & χρηματισμοὶ θεόπεμπτοι; ſunt denique *diabolica* ſeu δαιμονιόπεμπτα ὁράματα. Somnium hoc Nebucadnezaris medii fuit generis, teſtante Daniele, *Deus cæli notificavit Regi, quid futurum ſit poſthac.* Dan. 2:28. 29. Somnium illius.

§. 39. Habemus plura in ſacris ſomnia, tum ſanctorum, *Jacobi* Geneſ. 28: 11. 12-16. *Joſephi*, Geneſ. 37:5-9. *Danielis*. Dan. 7: 1. tum aliorum, *Pharaonis*. Geneſ. 41:1-6. & *duorum aulicorum*, Geneſ. 40:5. Non infrequens olim fuit, ut *innoteſceret* Deus Prophetis *in viſione*, illiſque *loqueretur in ſomnio*. Num. 12:6.

§. 40. Somniavit Nebucadnezar & vidit *imaginem magnam, ſplendoris eximii, aſpectus terribilis. Caput* fuit *auri puri. Pectus & brachia argenti. Venter & femora æris. Crura ferri, pedes & digiti* pedum *partim ferri, partim teſtæ figulinæ; ferrumque fuit commixtum teſtæ luti.* Vidit præterea Nebucadnezar *Lapidem*, 1. *Qui non erat in manibus.* 2. *Qui exciſus eſt a monte.* 3. *Qui percuſſit imaginem in pedibus ejus ferreis & teſtaceis, & eos comminuit.* 4. *Qui factus eſt mons prœmagnus, & implevit totam terram.* Dan. cap. 2: 31-36. 45. Imago viſa in ſomnio.

§. 41. Occaſio ſomnii notata eſt. *Cogitationes illius in cubili illius aſcenderant de eo, quod futurum eſſet poſtea.* Dan. 2: 29. Nebucadnezar Monarcha vir fuit magni ſpiritus. Occaſio ſomnii. Sublimia cogitavit, imprimis conſiderans mutationes imperiorum, vices & ſucceſſiones humanarum rerum, inſtabilitatem mundi, non potuit non ſollicitus eſſe de rebus ſubſecuturis & imminentibus, de duratione domus ſuæ, deque ſucceſſore imperii. Hæc dum ſollicite agitat animo, ſomnus obrepit, ſomno captus ita ſomniavit.

§. 42. Territus fuit Rex nocturno hoc viſu. Dan. 2:1 Hinc convocati *Magi & Chaldæi, ut indicarent Regi ſomnia ſua.* Dan. 2:2. Voluit Rex ab illis notificari *ſomnium & interpretationem ejus.* verſ. 5. 6. prius ſomnium, dein interpretationem. Indicationem ſomnii voluit antecedere; illam ut ſignum & argumentum habiturus ſubſecuturæ veræ interpretationis, *quamobrem ſomnium dicite mihi, ut cognoſcam, quod interpretationem ejus indicaturi ſitis mihi.* verſ. 9. Scilicet, ſi Chaldæi ſomnium poſſent narrare, probabile erat, illos & veram ſomnii expoſituros interpretationem, qui enim ſomnium, quod alius ſomniavit, narrare poteſt, quod æque mirum & magnum eſt, quàm cogitationes alterius ſcrutari, quidni & id interpretari poſſit? Hinc *unam hanc legem* omnibus ſtatuit Rex Chaldæis, quod ſi *ſomnium ipſi non fecerint notum, logon, mendacium & corruptum parent dicere.* verſ. 9. Terror è ſomnio; & convocatio Magorum ad indicandum ſomnium & interpretationem.

§. 43. Non igitur dicere neceſſum eſt, Nebucadnezarem ſomnii oblitum fuiſſe Magos, ut id in memoriam illi revocarent; quæ ſententia eſt Joſephi, ὁ βασιλεὺς inquit, Ναβουχοδονόσορος, ὄναρ ἰδὼν θαυμαστὸν, τούτου μὲν ἐπιλανθάνεται, διαναστὰς ἐκ τῆς κοίτης. Ut ut enim verum ſit, multorum nos capere ſomniorum oblivionem; noſque ſæpe meminiſſe, quod paradoxa ſomniavimus, neſcire autem quæ & qualia illa ſint, tamen de Nebucadnezare id nulla certitudine dici poteſt. Non enim quod dicit, מִלְּתָה מִנִּי אַזְרָא *verbum a me exit*, Dan. cap. 2: verſ. 5. hunc ſenſum habet, *oblitus ſum verbi*, fugit me memoria illius; ſed, *edico, jubeo, decerno*, quemadmodum & ſtatim addit, quodnam id ſit verbum, quod ab illo exierit, hoc eſt, quod jubeat fierique velit; *ſi non notificaveritis mihi*, &c. *in fruſta concidemini*, ſecus autem, *honorem accipietis*. verſ. 5. 6. Et ita bene congruit, quod dicit Rex verſ. 8. *Pro certo cognoſco, quod tempus ematis, quia* Non fuit Nebucadnezar oblitus ſomnii.

à me vidiſtis exire verbum, hoc eſt, quia me ſeriò hoc à vobis velle, voſque inſtanter jubere conſpicitis.

§. 44. Neque probabile eſt, Regem, ſi oblitus inſomnii fuiſſet, tantam curam adhibiturum fuiſſe, ut id reſcitet, non enim uſque adeo nos torquent res, quarum obliti ſumus; nec moveri quis facile poteſt, ut ſcrutetur illa, quæ qualia ſint, ipſe ignorat. Et cum ſomnia raro fidem mereantur, nil proclivius eſt, quam illa ſpernere & cogitatione ac ſcitu indigna judicare, quæ ſua ſponte ſubito memoria exciderunt.

Magorum temeritas & impotentia.

§. 45. Chaldæi audacter promittunt, *interpretationem indicabimus,* ſed *ſomnium* ſibi *dici* enixè rogant, ✝. 4. 7. *non* enim *eſſe hominem ſuper arida*, qui id poſſit, *Deorum id eſſe, quorum converſatio cum carne non eſt.* ✝. 10. 11. Turpis certe temeritas. Interpretationem pollicentur rei, quam nondum audiverant. Volunt videri obſcurarum rerum interpretes, qui ſomnii non poterant eſſe revelatores, quidlibet jactant ſe poſſe interpretari, & unicum hoc inſomnium negant ſe poſſe enarrare. Fatentur converſationem Deorum cum carne non eſſe, adeoque ipſos carere alloquio, inſtinctu & inſpiratione Deorum; & nil minus interpretationem præcipitanter promittunt. Quanto moderatior prudentiorque Daniel, qui arcanum hoc ſcrutaturus *Deum cœlorum* ante invocavit ✝. 17. 18. & coram Rege faſſus eſt, non eſſe in humanis poſitum viribus, *Arcanum, quod exigebat Rex, indicare*; *Dei id eſſe opus*, ſeque non *per ſapientiam* inſitam arcanum hoc revelare, ſed per revelationem Dei, qui eſt גָּלֵי רָזַיָּא *revelans arcana.* verſ. 28. 29. 30.

§. 46. Rex ægrè ferens, ſe eludi à Magis, *irarum* plenus, ut ſolent illi, quorum res in excelſo ſunt, jubet Magos interfici; Danieli autem *tempus dedit ad indicandam interpretationem.* verſ. 16.

Danieli arcanum hoc divinitus revelatum.

§. 47. *In viſione noctis arcanum iſtud Danieli à Deo revelatum eſt.* ✝. 19. Igitur protinus ad Regem introductus prius ſomnium exponit, deinde פִּשְׁרֵהּ *interpretationem ejus addit.*

In ſomnio notificatæ res futuræ.

§. 48. Imprimis monet, *Deum notum feciſſe Regi, quid futurum ſit diebus poſterioribus* verſ. 28. אַחֲרֵי דְנָה μετὰ ταῦτα *poſt hæc* verſ. 29. Igitur in hoc ſomnio indicata ſunt præcipuè illa, quæ longo poſt intervallo eventura erant, quorum plenum implementum vix erit ante conſummationem ſeculi. Quamvis etiam illa, quæ jam erant præſentia; id quod liquet ex interpretatione, *tu es caput aureum.* Ita & Apocalypſis ſolet cum futuris ſæpe jungere præſentia & exſtantia.

Imago, illius ſpecies; ſplendor, terror.

§. 49. *Imaginem* vidit Nebucadnezar, res enim alias viſio repræſentabat. Imaginem *ſpecie humana*, ſive ſimilitudine hominis; habebat enim *caput, pectus, brachia*, &c. quia res hominibus eventuras exhibebat. Imaginem *ſplendidam*, quia res illæ ſplendore haut erant carituræ; *terribilem*, quia nec terror & rigor erat defuturus.

Caput aureum.

§. 50. Primum in imagine *caput* eſt, idque *aureum.* Caput primum eſt in corpore: Aurum in metallis. Caput hoc aureum, eſt Rex Nebucadnezar, *tu Rex, tu inquam es caput aureum*, hoc eſt, te tuumque imperium hoc caput denotat. Dan. 2: 37. 38. Imperium Aſſyriacum ſeu Babylonicum omnium in mundo imperiorum primum eſt, ratione ſcilicet temporis. Poſt caput ſequuntur membra. Babylonicum ſecuta ſunt alia Imperia. Caput in corpore unum eſt. Regnum Babylonicum fuit ferè monarchicum. Quatenus autem caput membris imperat, & ut primum eſt in corpore, ita & primas tenet in corpore, eatenus nil ſignificans invenimus in Monarchia Babel, non enim illa ſequentibus Monarchiis imperavit, ſed ab illis deleta eſt, niſi quatenus ſequentes ab illa didicere, quomodo deceat abſolutè imperare. *Aurum* notat Regni hujus excellentiam, fuit regnum bene ordinatum, bonis legibus munitum. Nebucadnezar, caput hujus regni, fuit vir dignus laude, Promotor

motor literarum, Amicus miniſtrorum bonorum. Inter ſubditos habuit multos Prophetas, ſanctos, juſtoſque, ex Hieroſolyma abductos, quorum fidei *δοκίμιον* deprehenſum eſt *πολὺ τιμιώτερον χρυσίου, τοῦ ἀπολλυμένου.* 1 Pet. 1:7.

§. 51. Secundum in Imagine eſt *pectus & brachia*, non ex auro, ſed *argento*. Notatur מַלְכוּ אָחֳרִי *regnum aliud*, quod *ſurget* בָּתְרָךְ *poſt te*, nimirum Nebucadnezarem, illiuſque imperium; idque אֲרַע *infra illum*, hoc eſt, regno ipſius inferius. Pectus & brachia proximè ſequuntur caput. Hoc regnum proximè ſecutum eſt Babylonicum. *Duo* brachia duarum nationum hoc regnum fore notant, Medorum & Perſarum. *Argentum* notavit habiturum hoc regnum decus ſuum & præſtantiam, non tamen par fore primo aureo. Hoc regnum crebras ſenſit jacturas. Cædes Cyri fundatoris turpis ſatis eſt. Turpior fuga Magni Xerxis. Turpiſſima ſtrages Darii ultimi, ibi plures fuerunt capti, quàm qui caperent. Hæc Medorum & Perſarum Monarchia adumbratur etiam per *Arietem*. Dan. 8: verſ. 3. 4. 20.

Pectus brachiaque ex argento.

§. 52. Tertium in Imagine *venter* eſt & *femora, ex ære.* Notatur *regnum tertium*, Macedonicum nimirum Alexandri, ducumque illius, è quibus duæ familiæ, *Lagidarum*, qui Ægyptum; *Seleucidarum*, qui Aſiam tenuerunt, imprimis notabiles ſunt. *Æreum* dicitur; ut notetur dura illius dominatio. Item, *dominabitur in totam terram.* Maximam orbis partem, Aſiam, Africam, Ægyptum, Scytiam, Græciam, &c. ſubegit. Hoc regnum per *Hircum* adumbratur. Dan. 8: 5. *Cornu ſpecioſum inter oculos* hirci, quod & dicitur *magnum*, notavit הַמֶּלֶךְ הָרִאשׁוֹן *Regem illum primum*, nimirum Alexandrum Magnum, quod Cornu *fractum* dicitur כְּעָצְמוֹ *ſecundum invaleſcere illud*, hoc eſt, cum pleno robore & vigore uteretur. Alexander Magnus in ipſo victoriarum curſu occubuit. confer verſ. 5. 7. 20.

Venter & femora ex ære.

§. 53. Quartum in Imagine ſunt *crura*, *è ferro*, notatur *regnum quartum*, *robuſtum*, *ut ferrum, omnia frangens.* Sunt, qui hæc accipiunt de regno ſucceſſorum Alexandri in Syria & Ægypto. Atqui id *in femoribus* jam vidimus repræſentatum. Deinde Regnum Alexandri & ſucceſſorum unum eſt, ideo & ſub emblemate unius Hirci repræſentatur. Dan. 8. Debuit certè in Imagine hac *Romanum Imperium* non præteriri. Cui & exactè conveniunt, quæ de cruribus pedibuſque dicuntur. Denique debet id imperium per crura intelligi, ſub quo *exciſus eſt Lapis*, hoc eſt, Chriſtus. Is enim *percuſſit Imaginem ſuper pedes.* Atqui Chriſtus ſub Romano paſſus eſt imperio. Et abſurdum valde eſt Romanum imperium dici notatum per *lapidem, a monte exciſum.*

Crura è ferro.

§. 54. Statuamus igitur per *Crura* Imperium Romanum, in mundo quartum, notari. Crura *duo* forſan adumbrant duas ſedes Romani imperii, *Romam & Byzantium*, ſeu Conſtantinopolin; quæ alias *Nova Roma* dicta eſt. Crura *ferrea* duritatem roburque hujus imperii denotant, ut *ferrum omnia comminuit*, ita & hoc imperium maxima quæque regna fregit & debilitavit, Parthos, Perſas, Germanos, &c. Imo & Judæam, & templum & urbem funditus evertit. Ità impletum, quod dicitur, כָּל־אִלֵּין *omnia illa comminuet & conquaſſabit.*

§. 55. Cum cruribus junguntur *pedes & digiti* pedum; qui *partim teſta, partim ferrum.* Notatur mutatio ſtatus hujus Imperii, id quod ante fuerat totum ferreum, omni ex parte robuſtum & validum, incipiet eſſe פְּלִיגָה *diviſum*, partim *robuſtum*, partim *fractum* ſ. invalidum. *Ferrum* autem dicitur *mixtum* fuiſſe *teſtæ luti*, notatur 1. Mixtura per ſemen humanum; *miſcentur ſemine humano.* Dan. 2:43. 2. Defectus cohæſionis; *& non erunt cohærentes* דְּנָה עִם דְּנָה *hic cum illo, quemadmodum ferrum non commiſcetur cum teſta.* Dan. 2:43.

Pedes & digiti è ferro & è luto.

§. 56. Ubi

§. 56. Ubi in imperio Romano diviſa exſtitit poteſtas, una politica Laicorum, Eccleſiaſtica altera Clericorum, qui & ipſi *ſuum habent Principem ſpiritualem, a quo etiam in temporalibus reguntur*, & utraque poteſtas, tum *Laicorum cœtus, tum Clericorum, diverſas habet leges, diverſum Principem, diverſa tribunalia*, unde componit *duas formaliter Civitates* (verba hæc ſunt Bellarmini libr. 1 de Clericis) quis dubitabit impletum; quod vidit Nebucadnezar, *Regnum diviſum fore*? Quod autem hoc Regnum partim *robuſtum*, partim *debile* dicitur, eo indicatur, aliam poteſtatem robur habituram; aliam per ſe & in ſe nullas vires habituram. Omne robur, quod Clerici uſurpant, acceperunt datum & donatum à Laicis & ſecularibus. *Mixtura ſemine humano* notat mutuam propagationem; qui alteram gerunt poteſtatem, ex altera noſcendos parte; imo & populos nationeſque utrique promiſcuè poteſtati ſubjectum iri. Quod denique *cohæſio* negatur, notat, imperium hoc diviſum eſſe inſtabile, & non manſurum idem, & non eſſe bene aptatum in ſeſe. Idem hoc myſterium ἀνομίας ſignificatur, Dan. 7: 8. per *cornu parvum creſcens inter cornua alia*, & Dan. 11: 36. &c.

§. 57. Qui per pedes ferreos & teſtaceos imperium intelligunt Chriſtianorum & Muhammedanorum, eo ipſo refutantur, quod oſtendere non poſſunt, quomodo duo hæc imperia ſemine mixta ſint humano. Muſulmannico imperio nulla hujus imaginis pars quadrat. videtur id deſcribi Dan. 7: 6. in emblemate *Beſtiæ tertiæ, pardi inſtar, quatuor habentis alas, & capita quatuor.*

Lapis viſus à Nebucadnezare.

§. 58. Vidit etiam Nebucadnezar *Lapidem*. Chriſtus innuitur, dictus *Lapis* Eſ. 28: 16. Pſalm. 118: 22. Geneſ. 49: 24. Zach. 3: 9. & *Petra* Deut. 32: 15. Pſalm. 95: 1. 1 Cor. 10: 4. De illo lapide dicitur, דִּי לָא בִידַיִן *qui non in manibus*. Manibus humanis nil hic lapis debet, niſi quod διὰ χειρῶν ἀνόμων occiſus eſt. Actor 2: 23. Neque enim ab homine miſſus eſt, nec ab homine exiit, nec è voluntate viri genitus, nec ab hominibus ſuſtentatus & ſervatus eſt. Lapidem hunc vidit *exciſum*: notata ſunt Chriſti παθήματα, confer Dan. 9: 26. Eſ. 53: 8. & quidem מִטּוּרָא *a monte*. Intelligitur *populus Judaicus*, qui adhuc fuit inſtar *montis*, hoc eſt, reipublicæ & ordinariæ poteſtatis, quamvis jam deſtitutus poteſtate inferendi judicia capitalia, ſpeciem habuit, quum Lapis exciſus eſt. Lapis exciſus à monte, hoc eſt, impulſu & ad accuſationem & clamorem Judæorum, *factus eſt* ipſe *mons magnus, implens totam terram*. Chriſti notatur *regnum* Luc. 22: 29. quod eſt in omnibus gentibus. De illo regno ita Daniel ṽ. 44. *Excitabit Deus cœli regnum, quod in ſecula non corrumpetur, & populo alii non relinquetur, & ſtabit in æternum*, quod Regnum etiam eſt קַדִּישֵׁי עֶלְיוֹנִין *Sanctorum excelſorum*, hoc eſt, qui Dei Tyrannius excelſi filii ſunt & hæredes, ſancti Deo, ſanctificati à Deo. Dan. 7: 18 - 27. Filius enim Rex ſanctis ſuis διέθετο τὴν βασιλείαν. Luc. 22: 29. Hoc regnum, ut ut glorioſum & inſuperabile ac potentiſſimum, *de hoc* tamen *mundo non eſt*. Ioh. 18: 36. Idem Lapis *percutit imaginem ſuper pedes ferreos & teſtaceos*, illoſque *comminuit*. Dan. 2: 34. Regnum Antichriſti abolet, imo & denique Romanum. Omnia enim Regna mundi aliquando deſinent. Adſcribitur denique Lapidi comminutio non tantùm *ferri & teſtæ*, ſed & *æris, argenti, auri*; quæ ante adventum & exciſionem lapidis jam dudum defecerant. Lapis enim ultimum Regnum exſcindens, omnia alia aboleviſſe cenſendus eſt, & omnibus ſimul Regnis impoſuiſſe finem. Regno Lapidis pariter tribuitur, *Et perdet omnia illa regna*. Dan. 2: verſ. 44.

§. 59. Tempus, quo Regnum Lapidis incipiet, indicatur Dan. 2: 44. *Et in diebus regum illorum excitabit Deus Regnum* &c. Ergo Regnum hoc exſtitit. 1. Quum jam qua-

tuor

tuor regna eſſe cœperint. 2. Antequam quatuor illa regna finiantur. 3. Quarto adhuc regno ſtante. Excitatur enim *in diebus, quatuor horum Regum.* Regnum hoc, quamvis *à diebus Johannis Baptiſtæ vim fecerit*, & *tulerit*, Matth. 11: 12. plenius & glorioſius ſperamus iri manifeſtatum.

§. 60. Nebucadnezar audito ſomnio & interpretatione *cecidit in faciem, adoravit Danielem, libarique illi* ac *adoleri munus & odoramenta* juſſit. Dan. 2: 46. Ioſephus. ᾧ τρόπῳ τὸν Θεὸν προσκυνοῦσι, τούτῳ τὸν Δανίηλον ἠσπάζετο, καὶ θύειν ὡς Θεῷ προσέταξεν. Fecit eundem *Præfectum Provinciæ Babel.* Dan. 2: 48. Denique non potuit ſe continere, quin in hanc erumperet confeſſionem. *Ex vero eſt, quod Deus veſter ſit Deus Deorum, & Dominus Regum, & revelator arcanorum* Dan. 2: 47. Nebucadnezaris in Danielem gratitudo.

§. 61. Nebucadnezar, qui ſomnians viderat imaginem, nunc vigilans etiam ipſe facit *imaginem auream, proceritate cubitorum 60. latitudine ſex. Illam poſuit in valle Durah, in provincia Babel* Dan. 3: 1. Ioſephus. ἐν τῷ μεγάλῳ τῆς Βαβυλῶνος πεδίῳ. Hanc imaginem ſolemniter, congregatis omnibus regni magnatibus *dedicat*, & per præconem jubet nunciari omnibus populis, ut *procidant & adorent illam, quo tempore audierint vocem inſtrumentorum muſicorum*, denunciata pœna *ignis* omnibus non adorantibus. Dan. 3: 3 – 6. Nebucadnezar imaginem auream ſtatuit; quam ſolemniter dedicat & ab omnibus adorari vult.

§. 62. Non habuit Nebucadnezar imaginem hanc pro Deo ſuo, ut nec alii viri Chaldæi, id quod liquet è ſermone Nebucadnezaris ad ſocios Danielis, *An*, inquit, *Deos meos non colitis, & imaginem auream, quam erexi, non adoratis?* Dan. 3: 14. & Chaldæorum ſocios Danielis accuſantium Dan. 3: 12. Nihilominus illam vult adorari, judicans, *Deos ſuos* non coli, & de cultu ac honore illorum detrahi, ni *Imago* hæc adoretur. Igitur putavit Nebucadnezar, in imagine hac, ut Symbolo, Deos ſuos coli; nec id uſque adeo diſplicere poſſe Deo Iſraëlis, qui ſpeciem imaginis, indicem maximarum rerum, ipſi exhibuerat videndam. Putarunt olim cæci mortales, Deum poſſe coli in imagine, ut ſymbolo, ut corpore, cui ſpiritus quis invocatus adeſſet, idque in hominis eſſe poteſtate. Ita teſtatur Auguſt. libr. 8. de Civit. Dei cap. 23. Hermetem Triſmegiſtum tradidiſſe, habere hominem poteſtatem faciendi Deos, faciendo illis corpora. Ita & Nebucadnezar imaginem faciens, indubiè putavit, Deos ſuos illam inhabitaturos, & in illa religioſè colendos & honorandos. Agnoverat quidem Rex Deum Danielis, utpote quem *Deum Deorum, & Dominum Regum* appellaverat: non tamen propterea Deos *ſuos* deſerit, aut negligit, ſed nil minus religioſus in illos videri vult. Iudicavit præterea Rex, è re eſſe, ut ſubditi unanimiter unos eoſdemque Deos colant, & quidem illo modo & ratione, quæ Regi æquiſſima optimaque videatur. Hinc magnates ſuos convocat, & voce præconis voluntatem ſuam omnibus proclamari vult, ſtatuens è poteſtate Regum eſſe, de religione ſubditorum decernere, & promulgare leges, non politiæ tantum, ſed & religionis ac cultus divini, omniumque animos cogere in obſequium.

§. 63. Imagine initiata omnes nationes populique illam adorant coluntque. Et ſine dubio multi Iudæorum, metu ignis, illam adorarunt: multi etiam, ſine dubio illam non adorarunt, martyrium mortemque præ vita eligentes. Si enim multa millia genuum olim ſe non flexerant Baali, quidni & nunc multos plurimoſque cultum divinum ſtatuæ huic denegaſſe cenſebimus? Inter hos fortes in Domino fuit certè *Daniel*; quamvis is non expreſsè nominetur; ut nec advocatus legitur ad dedicationem imaginis; neque enim omnes omnino adeſſe poterant homines: nec Daniel inter provinciarum erat præſides, id enim muneris deprecatus erat, Dan. 2: 49. qui ſi à precibus cottidianis noluit abſtinere, nec horruit Id quod facere recuſavit Daniel, & ſocii illius.

hiantes

hiantes Leonum fauces, quomodo metu flammarum & formidine uſtulationis ad adorandum Idolum adigi potuerit? In ſpecie nominantur *ſocii* Danielis, adorationem ſtatuæ denegantes.

Unde accuſantur.

§. 64. Hinc ut contemtores mandati regii accuſantur, & coram Rege ſiſtuntur. Rex ferocia elocutus verba & minacia, tandem addit, *& quis eſt Deus qui liberabit vos ex manibus meis?* Dan. 3: 15. ut alter Pharao Deum Iſraëlis ὀνειδίζων. Heb. 11: 26. Exod. 5: 2.

Illorum martyrium.

§. 65. Eximia fuit virorum horum fides & conſtantia. Non terret illos Regis ira, non imminens flamma, accenſuſque ignis. Fortior omnibus flammis igneque eſt in illis charitas Dei Omnipotentis, illius confiſi inſuperabili potentiæ, *Ecce*, inquiunt, *Deus noſter poteſt liberare nos à fornace ignis; & a manu tua, ô Rex, liberabit*; illius denique ſanctæ ſe ſubmittunt voluntati, *& ſi non, notum ſit tibi, ô Rex, quod imaginem auream non ſimus adoraturi.* Dan. 3: 17. 18.

Mirabilis liberatio.

§. 66. Ita abjecti in fornacem, mirabiliter ſervantur. Joſephus, εἰς τὸ πῦρ ἐμβληθέντες, θείᾳ σώζονται προνοίᾳ, καὶ παραδόξως διαφεύγουσι τὸν θάνατον. Flamma conſumit injicientes, parcit injectis: qui illam accenderant, comeduntur, propter quos accenſa erat, ſervantur. Lora vinculaque, quibus conjecti in ignem ligati erant, conſumit ignis, corpora ligatorum non tangit. Ita ignis hic illorum fit Liberator, quorum debebat carnifex eſſe & deſtructor.

§. 67. Nebucadnezar ad fornacem accedens videt illos *ſolutos, ambulanteſque*; & cum *tres* tantùm in ignem injecti ſint, nunc videt *viros quatuor*, quartumque *ſimilem* לְבַר אֱלָהִין *filio Deorum.* Dan. 3: 25. Mirum! In igne, qui corpora minuit atteritque, juvenum numerus multiplicatur. Quartum hunc dicit Nebucadnezar *Angelum. Benedictus Deus, qui miſit Angelum ſuum, & eripuit ſervos ſuos.* Dan. 3: 28. Habemus & alibi exempla, Angelos Dei adfuiſſe ſanctis comites & ſoſpitatores in maximis periculis & incendiis, ubi ab omni humana deſtituti videbantur ope.

§. 68. Educti è fornace deprehenduntur ſalvi & integri, immunes ab omni noxa, videntibus id præfectis, Satrapiſque Regis. Dan. 3: 26. 27.

Gloriæ inſerviens divinæ.

§. 69. Maximè inſerviit inſigne hoc miraculum gloriæ divinæ. Nam non tantùm Nebucadnezar *benedixit Deum Schadrach, Meſach & Abednego*, ſed & *decretum* poſuit, ut *omnis, qui loquetur errorem ſuper Deo Schadrach,* &c. *in fruſta concidatur, quandoquidem*, inquit, *non eſt Deus alius, qui eripere poſſit hoc modo.* Dan. 3: 28. 29. Ita potentiſſimus Rex coactus fuit *mentiri Deo.*

Nebucadnezar typus Antichriſti.

§. 70. Ecce autem in hoc Nebucadnezare effigiem Antichriſti & ſpiritualis Babel. Nebucadnezar dominum ſe facit religionis, cogit conſcientias. Deos viſibiles ſtatuit. Imaginem diis facit. Cultum à ſe inſtitutum omni genere cantus & melodiæ ac muſicarum deliciarum commendat, amabilemque facit. Principes & Magnates habet ſibi applaudentes. Quæ & qualia in ſpirituali Babel facta ſatis ſuperque novimus, quæ & ipſa igne decernit in reſiſtentes, ut Nebucadnezar.

Secundum ſomnium Nebucadnezaris.

§. 71. Vidimus ante Nebucadnezarem ſomniaſſe inſomnium, quo Deus cœli futura in poſtremis diebus illi notificaverat. Nunc occurrit ſecundum illius ſomnium, quo Deus patefecit, quæ in ſpecie Nebucadnezari paucis interjectis diebus eventura erant. Vidit ſomnians *Arborem præaltam in medio terræ. Crevit Arbor, attigit cælum, frondoſa* fuit, *frugifera, cibus omnibus, habitaculum volucribus, operculum* ſeu umbra *beſtiis.* Vidit *Vigilem & Sanctum de cælo deſcendentem*, jubentem *arborem incidere, ramoſque illius detruncare; ſtipitem* autem *radicum ejus in terra relinqui, &* quidem *in vinculo ferreo atque æreo in gramine agri. In deciſione Vigilum* fuit *hoc verbum, & in dicto ſanctorum hæc rogatio.* Dan. 4: 10-18.

§. 72. Hoc

§. 72. Hoc ſomnium, non ut primum, voluit Rex à Magis ſapientibuſque Babel primo recitari, deinde explicari, ſed ipſe id illis enarravit; petitque tantùm, ut ſomnium illi conjicerent, & interpretatione explicarent, ſed fruſtra. Dan. 4: 7. Unde etiam magis apparet illorum temeritas, antea audacter reſpondentium, *Dic, ô Rex, ſomnium, & interpretationem indicabimus*. Dan. 2: 4.

§. 73. Eam ob cauſam advocatur Daniel, nunc dictus *Belteſchaſar* כְּשֻׁם *juxta nomen Dei* Nebucadnezaris. Dan. 4: 8. *Beli* nim. Hunc *Belum* appellat Nebucadnezar πρόγονον ſeu *progenitorem* ſuum in Abydeni Aſſyriacis: templumque illius è manubiis belli Judaici magnificè à Nebucadnezare exornotum, Beroſus teſtis eſt. Advocatur autem Daniel, eo quod Rex noſſet, *quod Spiritus* אֱלָהִין קַדִּישִׁין *Deorum ſanctorum in eo eſſet*. Dan. 4: verſ. 8. confer verſ. 18. Vide ſimilem loquendi modum Joſ. 24. 19. Hoſ. 12: 1. Hiob. 5: 1. **Explicatum à Daniele.**

§. 74. Daniel audito ſomnio *attonitus tacuit circiter horam unam*, & poſtquam præfatus eſſet, *Domine mi, ſomnium ſit oſoribus tuis, & interpretatio hoſtibus tuis*, Dan. 4: verſ. 19. oſtendit, Regem adumbratum per *Arborem illam*; illumque *expellendum ex hominibus, & cum fera agri manſionem* habiturum. Dan. 4: 22-26. Itaque ſermonem ita concludit, *Quare, ô Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua per juſtitiam avelle; & pravitates tuas per gratificationem inopum; ſi forte ſit prolongatio tranquillitatis tuæ*. Dan. cap. 4: verſ. 27. Intelligit *juſtitiam* illam, quam cap. 9: 24. *æternam* vocat, *adductam* per Meſſiam. Qui illam agnoſcit, amat, amplectitur, peccata avellit, filum peccatorum abrumpit, ab iiſque deſiſtit. Pariter *pravitates* avelluntur *per gratificationem* & miſericordiam, quæ erga *inopes*, & viribus deſtitutos exercetur. Non enim poteſt *prave* agere, & hominibus injurias inferre, qui inopibus tenuibuſque vult gratificari, & benignè ac piè cum illis agere.

§. 75. Si monelæ hujus diligens fuiſſet Rex, forſan excelſiſſimè porro floruiſſet, ſed contra fecit, ideo & *omne* id, quod prædixerat Daniel, *evenit Regi*. Dan. 4: 28. *Regnum ejus tranſiit ab illo, ab hominibus pulſus eſt, cum fera agri habitavit, herbâ, ut boves, cibatus eſt, rore cæli corpus ejus maduit, pili ejus creverunt ut pennæ aquilarum, & ungues ejus ut volucrum*. Dan. 4: 32. 33. *Cor ejus ab homine mutatum, & cor feræ datum illi*. ibid. verſ. 16. confer Dan. 5: 21. *& cor ejus cum beſtiis poſuit*.

§. 76. Quanta hæc παραφροσύνη! Homo hic Deum non timens, ſe ipſe & ſagenam ſuam adorans, opinione ſui inflatus, animum accepit ferum & immanem, à dæmone in deſerta actus, & acri œſtro exagitatus, & ad cibos non humanos appetendos compulſus eſt; nihilque humani præter formam retinuit, unde & ab hominibus expulſus eſt, homoque hic θηριώδης ita privatus fuit cognitione ſui, ut putaverit ſibi vivendum eſſe, ut bovi aut onagro. Megaſthenes hanc ἀποθηρίωσιν videtur vocare ἀφανισμόν, ita enim inquit, ὁ μὲν θεσπίσας παραχρῆμα ἠφάνιστο. **Nebucadnezaris ἀποθηρίωσις.**

§. 77. Ita *ſeptem tempora tranſiverunt ſuper* illum, Dan. 4: verſ. 16. 25, hoc eſt, ut Joſephus interpretatur, μετὰ θηρίων ἔσχε τὴν δίαιταν ἔτεσιν ἑπτά, *ſeptem annis cum beſtiis vixit. Ad finem dierum oculos ad cælum levavit, & intellectus illius ad illum rediit, & Altiſſimo benedixit*, agnoſcens, *habitantes in terra ut nihil reputari, Deumque agere* omnia כְּמִצְבְּיֵהּ *ſecundum velle ſuum. Et ſuper regno firmatus eſt, & majeſtas major addita illi*. Dan. 4: 34. 35. 36.

§. 78. In hoc apparuit Nebucadnezare, quomodo Deus celſiſſimus poſſit *humiliare* מַהְלְכִין בְּגֵוָה *ambulantes in ſuperbia*. Dan. 4: 37. 5: 20.

§. 79. Nebucadnezari ſucceſſit Filius *Evilmerodach*, qui putatur ab idololatris dictus **Evilmerodach**

Z z *Evil,*

ſucceſſor Nebucadnezaris.

Evil, hoc eſt, *ſtultus*, eo quod Deum Iſraëlis æſtimavit, magnique fecit. Illius hoc factum laudatur, quod *Iechoniam Regem Iudæ*, poſt diuturnum carcerem extulit, illumque honore affecit, & ut Joſephus loquitur, ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις φίλοις εἶχε, *ſoliumque ejus poſuit ſuper ſolium Regum, qui cum ipſo in Babel erant.* 2 Reg.25:27-30. Jer.52:31.34. Rex Babylonius erat *Rex Regum*, ita Nebucadnezarem à Daniele audivimus vocatum, erat ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας; ut poſtea vocati Perſarum Reges. Ita narrat Plutarchus de Educ. puerorum; *Socratem à Gorgia rogatum*, ἣν ἔχοι περὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως ὑπόληψιν, *quam habeat de magno Rege opinionem*, intelligit Perſarum Regem, καὶ εἰ νομίζοι αὐτὸν εὐδαίμονα εἶναι, *& an putet illum beatum eſſe*, reſpondiſſe, οὐκ οἶδα, πῶς ἀρετῆς καὶ παιδείας ἔχοι, *neſcio an virtuoſus & bene eruditus ſit.* Etiam *Benhadad* Syrus videtur fuiſſe Rex Regum. 1 Reg.20:1. Etiam Romani ſubjectos ſibi habuerunt Reges, & nominarunt ac fecerunt Reges, ut *Herodem.* Hujus *Evilmerodachi* meminerunt etiam Beroſus, Abydenus, & Ptolemæus, diciturque propter iniquitates & libidines paſſus eſſe inſidias, & à marito ſororis ſuæ *Neriglißoro* peremtus, quum paulo plus quam duobus annis regnaſſet. Beroſus in tertio rerum Chaldaicarum libro à Joſepho citatus libr. 1. contra Appionem.

Belſchatzar ſucceſſor Evilmerodachi

§. 80. Poſt Evilmerodachum occurrit *Belſchatzar*; idem hoc nomen cum illo, quod Danieli impoſitum eſt, niſi quod in nomine Danielis eſt ט Belteſchatzar. Non eſt idem hic cum Evilmerodacho; ut liquet ex Jerem. cap.27: verſ.7. *Et ſervient ipſi*, Nebucadnezari, *omnes gentes, & filio ejus, & filio filii.* Ergo Nabuchodonoſoro ſucceſſit filius, *Evilmerodach*, & filius filii, *Belſchatzar.* Sicubi igitur vocatur *filius* Nabuchodonoſoris, & is *Pater illius*, ut fit, Dan. cap. 5: verſ. 2. 11. 18. 22. id intelligendum eſt non proximo, ſed altero & remotiori gradu. Hic Belſchatzar apud Herodotum videtur *Labynitus* dici, dicit enim Labynitum, ἔχοντα τὸ τοῦ πατρὸς ἑωυτοῦ τοὔνομα, à Cyro exutum regno. Megaſthenes παῖδα Νηριγλισσάρου *filium Neriglißari* appellat λαβασσοάρασκον, quod nomen, tranſpoſitis quibusdam literis, non alienum eſt à *Belſchatzar*, nil enim propius videtur, quam βαλοσκάοσαρος. Beroſus λαβοροσοάρχοδον eundem vocans, longius paulo abit.

Somnium Danielis primum ſub regno Beltaſari.

§. 81. *Anno primo* hujus *Belſchatzari Regis Babel* vidit Daniel Propheta *ſomnium*, de quatuor illis *animalibus magnis, aſcendentibus è mari*; quorum primum fuit *ut Leo*; ſecundum *ſimile Vrſo*; tertium *ut Pardus*; quartum *metuendum & terribile, & robuſtum valde, diverſum à tribus prioribus*, habens *decem cornua*, inter quæ vidit Propheta *aſcendere cornu aliud parvum, cui oculi, ut oculi hominum, & os loquens magna, & ſpecies ejus magna præ ſociis ſuis*; quod *bellum faciebat cum ſanctis, & verba juxta Altißimum loquitur, & ſanctos Altißimorum abolet, & cogitat mutare tempora & legem.* Dan. 7: 1-9. & verſ. 17-25.

§. 82. In eodem ſomnio vidit *thronos poni*, & עַתִּיק יוֹמִין *permanentem dierum conſidere, & libros aperiri.* Vidit *cum nubibus cæli venire* quendam, *ut Filium hominis*, & ad *permanentem dierum accedere, illique dari dominium & gloriam & Regnum.* Dan.7: 9-15.

§. 83. Indicatum illi eſt, *quatuor hæc animalia eſſe*, hoc eſt, ſignificare *quatuor Reges. Cornua decem* quarti animalis eſſe *decem Reges. Cornu parvum eſſe* אָחֳרָן *alium*, Regem ſcilicet. *Filium* autem *hominis* eſſe *ſanctos Altiſſimorum, accipientes Regnum*, idque *poſſidentes in ſeculum, & in ſeculum ſeculorum.* Dan.7: 17-25. Quis autem ſit *permanens dierum*, non quidem dicitur; facili vero negocio ille agnoſcitur eſſe is, cui omne judicium datum à Patre, *Lapis*, olim exciſus à monte; nunc mons factus magnus.

§. 84. An-

§. 84. Anno *tertio regni* hujus Belſchatzari *rurſum viſio exhibita eſt Danieli*, viditque *primo Arietem, habentem cornua duo*, quem *Gabriel* miſſus, ut illi *viſum* explicaret, dicebat eſſe *Reges Mediæ & Perſiæ*, deinde, *Hircum caprarum*, qui habebat קֶרֶן חָזוּת *cornu ſpecioſum inter oculos ſuos*, quod *cornu magnum*, cum *robuſtiſſimum eſſet, fractum eſt*. Hunc *hircum* Gabriël declarat eſſe מֶלֶךְ יָוָן *Regem Græciæ*; *Cornu magnum*, *Regem primum*, hoc eſt, ſummum & primarium, majorem omnibus aliis, qualis *Alexander magnus*. Dan. 8: 1-27.

Secundum.

§. 85. Belſchatzar Rex, mollitiis fluens, κύριος ϗ χρημάτων πλείςων ϗ πραγμάτων μεγίςων, narratur feciſſe לְחֶם רַב *convivium magnum*, hoc eſt, regale opiparè paratum, *magnatibus ſuis mille*; quos in convivium hoc omnes admoveri voluit. Cteſias apud Athenæum teſtatur, Perſarum Regem δειπνῆσαι μετὰ ἀνδρῶν μυρίων πενταϰισχιλίων *convivari cum quindecim millibus viris*. Ita horum adhuc major fuit magnificentia & luxus. confer Eſtheræ 1: 3. &c.

Convivium Belſazari.

§: 86. Juſſit Rex בִּטְעֵם חַמְרָא ἐν γνώμῃ οἴνου *in potu vini* afferri *vaſa illa argentea & aurea*, quæ *è templo Hieroſolymitano* ablata erant; bibitque in eis cum *magnatibus, uxoribus, & pellicibus ſuis*, hauſto largius mero *laudarunt Deos aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos & lapideos*; quanta amentia, laudare *Deos, qui non vident, neque audiunt, neque intelligunt*! tanta eſt ἐν οἴνῳ πολλῷ ἀσωτία. Epheſ. cap. 5: verſ. 18. *Deum* verò, *in cujus manu anima omnium, & omnes viæ non glorificare*! Beltazar *contra dominum cœli ſe extulit*. Dan. 5: 1. 4. 23.

§. 87. *Eadem hora egreſſi ſunt digiti manus humanæ, & ſcripſerunt in pariete, Rege ipſo vidente partem manus, quæ ſcribebat. Sapientes Regis non poterant Scripturam iſtam legere*. Dan. 5: 5. 8. adeo θαυμάσιον ϗ πεϱίςιον θέαμα fuit Scriptura hæc. Cur ſapientes Babel ſcripturam hanc legere non potuerint, multi curioſè inquirunt. Inſolenti ordine literas poſitas fuiſſe ajunt. Poſſunt certè rationes multæ excogitari, quare verba hæc fuerint illegibilia. Sufficit, ut ſciamus, voluiſſe Deum hæc à Daniele primo legi; deinde ab ipſo prælecta & ab aliis. Quam ſæpe accidit, ut in antiquis ſcripturis, manu haut familiari, & incognita exaratis, nihil legere poſſimus, niſi alius præmonſtret:

Manus ſcribens in pariete.

§. 88. Scriptura autem in pariete exarata, Daniele legente, hæc fuit, MENE MENE TEKEL UPHARSIN. Interpretationem illius lege Dan. 5: 25-28. Percepit ex illa Belſazar, regnum ſuum numeratum & conſummatum; appenſum eſſe lancibus, & diviſum, traditumque *Medis ac Perſis*.

§. 89. Et hactenus quidem de Regibus Babel, qui populum Judaicum tenuerunt captivum. Dicamus nunc de ſtatu captivorum; de quo quædam attigimus ſupra §. 32. 33. Captivitas Babylonica, utut initio dura, ſevera, & incommoda; conjuncta enim fuit cum jactura urbis, patriæ, templi, ararum focorumque; non tamen in ſe uſque adeo fuit immitis & aſpera, non legimus populum in Babel tanta preſſum ſervitute, ut in Ægypto olim, non ibi lateres coquere coacti, nec infantes in undas projicere, *non gravia perpeſſi* leguntur ſervitutis verbera, nec vincula, nec cætera captivitatis mala, quinimò liberum illis fuit *ædificare domos, & inhabitare; plantare vineas & edere illarum fructus; ducere uxores, & gignere liberos*, Jerem. 29: 5. 6. Ipſi Judæi non fuerunt ita ſpreti & viles, ut nonnulli illorum non fuerint præfecti maximis negociis, ut *Daniel*, qui *in porta Regis manſit* ſemper, tanquam domeſticus Regis; & ſocii Danielis, quos Rex *fecit feliciter procedere in provincia Babel*, Dan. 2: 49. 3: 30. imò & *Jechonias* Rex ab Evilmerodacho exaltatus. Imò licuit illis ſuo more vivere, quod Paulo eſt ἰουδαϊκῶς ζῆν ſeu ἰουδαΐζειν; nec cogebantur vivere

Status Judæorum & conditio in Babel.

vere ἐθνικῶς (Galat. cap. 2: verſ. 14.) uſque adeo ut & Danieli ſociiſque illius, quibus Rex *ordinaverat demenſum quotidianum de cibo & vino epularum ſuarum*, Dan. cap. 1: verſ. 5. libertas concederetur edendi *ſativa*, & bibendi *aquam, ut ne polluerentur cibo Regis & vino potus illius.* ibid. verſ. 8: 12. Sacrificia tamen & oblationes ceſſarunt, quia ipſum tabernaculum & altare ceſſabat. Si unquam anguſtia illos invaſit, id fuit ſine dubio illo tempore, quo imago illa aurea erecta fuit, tunc enim multorum fides periclitata eſt, & naufragium paſſa; aut etiam multorum corpora in ignem abjecta, putabimuſne enim nullos præter Danielis ſocios idololatriæ reſtitiſſe, aut martyrium ſubiiſſe? Denique ut cernatur tolerabilis conditio Judæorum in Babel, conſideretur verbum Domini apud Jeremiam cap. 29: 7. *Quærite pacem civitatis, quo tranſportavi vos. Nam in pace illius erit vobis pax.* Ecce *pace*, incolumitate, proſperitate, tranquillitate in ipſa Babel frui illis datum fuit, utut autem conditio populi in Babylone fuerit mediocris & mitis, nihilominus populus cauſam habuit agendi ut eſt. Pſalm. 137: verſ. 1–4. *Apud flumina Babylonis, ibi ſedimus. Etiam flevimus, dum recordaremur Tſijonis. In ſalicibus ſuſpendimus citharas noſtras. Quomodo caneremus carmen Jehovæ in terra aliena?*

Ezechiel Propheta in medio exulum.

§. 90. Durante captivitate non *Daniel* tantùm inſomnia ſomniavit, & viſiones vidit, ſed & *Ezechiel* Propheta, qui *in medio* fuit *exulum, apud fluvium* כְּבָר *Chebar*, de hoc fluvio prolixè Fullerus libr. 4. miſcellaneorum cap. 2. Fluvii hujus nomen Græcis videtur innotuiſſe. Ptolemæo enim auctore χαβώρας & σαοκόρας fluvii Meſopotamiam interſecant. Strabonis ἀβόῤῥας & Marcellini *Abora* idem fluvius eſſe videtur. Chaboras in Euphratem ſe exonerat, ubi & oppidum *Chabora* à Ptolemæo ponitur.

§. 91. Apud hunc fluvium cum eſſet Ezechiel, *aperti ſunt cæli, & vidit* מַרְאוֹת אֱלֹהִים *viſiones Dei.* Ezech. 1: 1. Omnis prophetia è cœlo habet originem. Cum *Spiritus S.* cujus cælum habitaculum, egit Prophetas, ut loquerentur, illis quaſi cæli aperti ſunt; è quibus miſſa eſt vis, quæ illos induit; venitque & deſcendit *manus Domini, quæ ſuper illos fuit.* Ezech. 1: 3. Denique cui *viſiones Dei* dantur videre, illi utique aperiri cœlum, unde deſcendit, quicquid Dei videtur, cenſendum eſt.

Viſio apud fluvium Chebar.

§. 92. Prima viſio, quam non ſomnians, ſed in ecſtaſi, vel etiam vigilans vidiſſe videtur, dicit enim de ſe, *Et vidi, & cecidi in faciem, & audivi vocem loquentis.* Ezech. 1: 28. fuit מַרְאֵה דְּמוּת כְּבוֹד יְהוָה *viſio ſimilitudinis gloriæ Dei.* ibid. verſ. 28. de qua etiam audivit *vocem terræ motus magni, Benedicta gloria Domini* מִמְּקוֹמוֹ *inde a loco ſuo.* Ezech. 3: 13. Si *Evangelium* ſcrutamur, tum viſam imprimis docebimur *gloriam* Domini, cum Deus manifeſtatus eſt in carne. Joh. cap. 1: 14. *Sermo caro factus eſt, & vidimus gloriam illius, gloriam ut unigeniti.* Luc. 2: verſ. 11. *Natus eſt vobis Servator*, & ſtatim, *Gloria in excelſis Deo.* verſ. 14. Si *Prophetias*, eædem idem docent. *Et manifeſtabitur Gloria Dei & videbunt omnis caro* Os DOMINI Loquens. Eſ. cap. 40: verſ. 5. Seraphim viſo *Domino, in ſolio excelſo, toga induto*, exclamant, *Plena eſt terra gloria illius.* Eſ. 6: 1. 2. 3. Igitur ut ibi Eſaias vidiſſe dicitur *gloriam* Domini Jeſu, Joh. 12: 41. ita & hîc putemus accidiſſe Ezechieli.

§. 93. Vidit Ezechiel poſt *turbinem* ſeu procellam *ex aquilone Nubem & Ignem*, non vorantem & ſe diffiindentem, ſed מִתְלַקַּחַת *ſe continentem. E medio ignis* vidit *Animalia quatuor, ſimilitudine hominis*, unumquodque habebat *quatuor facies, duas à dextra, hominis & leonis; duas à ſiniſtra, bovis & aquilæ, quatuorque alas*, ſub quibus erant יְדֵי אָדָם *manus hominis. Pedes* animalium erant *pes rectus*, non flexus aut contortus, *planta* pedis,

ut

ut planta pedis vituli, pedes ſcintillabant, ut æs candens. Hæc animalia רָצוֹא וָשׁוֹב *ibant & redibant, quo erat ſpiritus; ibant, non circumagebantur in ambulando.* Ezech. 1:4--13.

§. 94. Apud animalia vidit *Rotas*; & ut quatuor animalia, ita & quatuor Rotas. *Aſpectus & opus rotarum, ut Tarſis, & ac ſi eſſet Rota in medio Rotæ. Terga* rotarum *oculorum plena* erant. Rotæ indiviſſi comites animalium, *cum ibant animalia, ibant rotæ apud illa:* cum *in altum ferebantur deſuper terram*, etiam *rotæ tollebantur, & ſpiritus animalium erat in Rotis.* Ezech. 1: 14--21.

§. 95. *Super capita* animalium vidit *expanſum* ſeu *cœlum inſtar glaciei terribilis*; ſub quo *alæ* illorum *rectæ* ſtabant; quæ alæ emiſerunt *vocem, ut aquarum multarum, ut vocem omnipotentis*, קוֹל הֲמֻלָּה *vocem articulatam inſtar exercituum.* Ezech. 1:22. 23. 24.

§. 96. *Super expanſum* hoc dicit fuiſſe 1. קוֹל *vocem*, ſubter expanſo Alæ edebant vocem: ſed & ſuper expanſum vox eſt, non jam animalium, ſed alterius cujuſdam, nim. illius *hominis*, de quo jam jam. confer ỽ. 28. *Et audivi Vocem loquentis.* 2. *Thronum è lapide ſapphir.* 3. Super ſolium *ſimilitudinem, ut aſpectum hominis, ab ejus lumbis ſuperius & inferius ignis* erat & *ſplendor*; qui fuit *ut aſpectus iridis, qui eſt in nube, in die pluviæ.* Ezech. 1:25--29.

§. 97. De hac inſigni viſione nil dicemus, niſi quod Ezechieli monſtrata eſt conditio Eccleſiæ Dei, quæ per *animalia* adumbrata eſt; in ſocietate Angelorum, qui per *Rotas* denotati ſunt, & Eccleſiæ triumphantis, cujus inſtar fuit *expanſum inſtar glaciei*; ac in fide & merito Mediatoris Dei & hominum, qui per *hominem in throno* exhibitus eſt, feliciter, beatè & ſalutariter viventis & perſiſtentis.

§. 98. Animalia, quæ Ezechiel vidit, vocantur *Cherubim.* Ezech. 10: 1. Hi enim ſunt *animal, quod vidit juxta fluvium Chebar*, Ezech. 10: 15. confer ỽ. 20. הִיא הַחַיָּה *hoc eſt animal, quod vidi ſub Deo Iſraëlis apud Chebar, & cognovi* כִּי כְּרוּבִים הֵמָּה *quod Cherubini eſſent.* Loquitur Ezechiel nunc *de uno animali*; nunc de *quatuor animalibus.* In ſe unum enim tantùm eſt animal, ut una eſt Eccleſia Catholica: ſed alio reſpectu ſunt quatuor animalia, quemadmodum Eccleſia una è multis conſtat gentibus, nationibus, linguis; & ex omnibus mundi plagis, quæ quatuor ſunt, collecta eſt. Quatuor autem *animalia*, ſive *Cherubinos*, notare *Eccleſiam* conſtat ex Apoc. 5: 8. 9. pro illis enim ibi *Agnus* dicitur *mactatus*; illoſque *emiſſe in ſanguine ſuo*, quod de Eccleſia verum eſt, non de Angelis. Non enim Chriſtus *Angelos*, ſed *ſemen Abrahæ* ἐπιλαμβάνεται. Hebr. 2: 16. Pariter hinc diſcimus, ſpeciem animalium, quæ Ezechieli viſa eſt, non fuiſſe novam aut incognitam. Nam ſuper propitiatorio fuerant *duo Cherubim.* Exod. 25: 18. 19. 20. & in aulæis *tentorii conventus* erant intexti *Cherubim.* Exod. 26: 1. Id tantum differentiæ ſubeſt, quod Ezechiel hæc animalia vidit *currere & ire, Spiritum ſequi*, & *aſpectu ſimilia*, ut *prunæ ignis* & *ut aſpectus tædarum*; nec ſola, ſed una cum *rotis* &c.

§. 99. Sed qui vult plura de his cognoſcere, ut & de aliis propheriis Ezechielis, quæ plurimæ ſunt, & ponderoſiſſimæ, qualis eſt prophetia de *Tyro* & *principe Tyri* cap. 27. & 28. de *Ægypto* & *Pharaone* cap. 29. 30. 31. 32. de *Gog & Magog* cap. 38. & 39. Imo & de aliis viſionibus, quas vidit Ezechiel, inter quas primas tenet viſio *ſtructuræ urbis ab auſtro*, & viſio omnium partium *ſanctuarii* & *menſurarum ejus*, de quibus Ezech. 41. uſque ad 48. ipſum adeat, conſulat & meditetur Ezechielem.

§. 100. Nobis redeundum eſt ad exules Judæ, habitantes in Babylon. Exules nunc quidem erant & captivi, non tamen ſemper manere tales debebant; quinimo terminum poſuerat Deus, quem explere debebant in captivitate: quoque impleto liberari è captivitate, Terminus exilii 70. anni.

ζοντας Ἀσσυήρος exprimitur. Darius hic hiſtoricis dicitur *Cyaxares*, nomine Patris Filio dato. Joſephus Darium dicit fuiſſe Ἀστυάγου ὑιόν. Darius Medus avunculus Cyri fuit, frater matris Cyri, quæ filia fuit Aſtyagis, ſecundùm Juſtinum libr. 1. cap. 4. Inde narrat Xenophon. Cyrum militaſſe Cyaxari, Regi Medorum, avunculo ſuo, & ei mortuo ſucceſſiſſe; Darius hic Medus apud Xenophontem libr. 6. Cyri παιδείας, ita loquens introducitur, Ἐπειδὴ παρὼν τυγχάνω, καὶ πρεσβύτερός εἰμι κύρου, εἰκὸς με ἄρχειν λόγου, & libr. 4. ipſe Cyrus ad eum ſcribens, συμβουλεύω ὅ σοι, καίπερ νεώτερος ὤν.

§. 105. *Cyrus*, Hebræis כּוֹרֶשׁ, fuit *Perſo-Medes*, patre Perſa, *Cambyſe*, *mediocri viro*, Juſtino teſte libr. 1. cap. 4. matre Meda genitus, natuſque, de quo ipſe Nebucadnezar, Cyrus filius Cambyſis.
jam jam moriturus, apud Abydenum, dicitur ad ſuos vaticinatus eſſe; *veniet Perſes Mulus, veſtris dæmonibus, ut commilitonibus uſurus, & ſervitutem inducet*, quomodo & oraculum illud Cræſo datum, Ἀλλ᾽ ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς μήδοισι γένηται, de Cyro, ex duobus diverſarum gentium parentibus orto, Pythia interpetata eſt, lege Herodotum libr. 1. cap. 55. & 91. *Cyrum* Perſico ſermone *Solem* ſignificare, auctores ſunt Cteſias, & Plutarchus in Artaxerxe. Imò ad hunc uſque diem, *Chur* & *Churſid* apud Perſicos Poëtas idem denotare dicitur. Unde apparet, Suidam, etymon exotici nominis petentem è Græcia ſua, toto quod ajunt cœlo errare. Cyrum *adverſus Babylonios bellum geſſiſſe*, *Babyloniisque Regem Lydorum Cræſum, cujus opes & divitiæ inſignes ea fuerunt tempeſtate, in auxilium veniſſe, Cyrumque poſt victoriam, compoſitis in Babylonia rebus, bellum in Lydiam tranſtuliſſe*, Juſtinus autor eſt libr. 1. cap. 7.

§. 106. Hi duo, Darius Medus & Cyrus, quos junctim lege. Dan. 6:29. *Et Daniel feliciter proceſſit in regno Darii, & in regno Cyri Perſæ*, finem Babylonico fecerunt imperio; ab iiſque *Beltaſar*, referente Daniele בְּלֵילְיָא קְטִיל *in nocte interfectus eſt*. Dan. 5:30. De illo ita Joſephus; Βαλτάσαρος γὰρ ἐστὶν, ἐφ᾽ οὗ τὴν ἅιρεσιν τῆς Βαβυλῶνος συνέβη γενέσθαι, βασιλεύσαντος αὐτοῦ ἔτη ἑπτακαίδεκα. Igitur in Beltaſaro Babyloniorum imperium deſiit. In Dario & Cyro Medorum & Perſarum incepit. Ita Daniel re ipſa expertus eſt, *mutare Deum tempora & opportunitates*; *transferre Reges & erigere*. Dan. 2:21. confer Dan. 4: verſ. 17. *Ut ſciant viventes, quod Excelſus poteſtatem habeat in regno hominum, & cui vult, det illud, & humillimum hominum conſtituat ſuper eo.*

§. 107. Tranſlato à Chaldæis ad Medos Perſaſque imperio nunc omnia è novorum Imperantium arbitrio fieri par erat; Legeſque & edicta illorum obſervari. Hinc *Darius Medus* accepto erexit ſeu conſtituit *ſuper regno*, quod occupaverat, *Satrapas* alio numero, & ſupra eos סָרְכִין *Eparchos*, ex *quibus unus* erat *Daniel*. Dan. 6: 1. 2. 3. quem Rex in tam magno habuit pretio, ut *cogitarit eum præficere toti regno*. ibid. verſ. 4. Mutatio ordinis in imperio Babel facta per Darium.

§. 108. Invidia ut virtutis, ita & honoris comes eſt. Inviſus Daniel Satrapis vitæ incurrit periculum. Ut capiatur, ſtatuunt illi *ſtatutum regium, ut omnis, qui petiiſſet petitionem ab ullo Deo & homine intra dies triginta, niſi à Rege Dario, conjiciatur in foveam leonum.* Dan. 6: 8. Novum Imperium novis utitur ſuppliciis. Igne animadvertebat Nebucadnezar. Leonibus utitur Darius. Statutum Darii.

§. 109. Bonus Rex, ignorans quid hic doli ſubeſſet, *ſignavit ſcriptum & interdictum.* Dan. 6: 10. Daniel haut quaquam territus nil remittit de timore & pietate ſolita; quin imo *ut fecerat antehac*, ita & poſt ſignatum ſcriptum, *tribus de die vicibus flectit genua, & orat, ac confitetur coram Deo ſuo.* Dan. 6: 11.

§. 110. Ita facili negocio deprehenſus, accuſatur coram Rege. Optimo Regi *vehementer id diſplicuit, & advertit animum ad liberandum illum.* verſ. 15. ſed cum vehementer Daniel Leonibus projectus.
urge-

urgeretur, tandem conjicitur Daniel in foveam Leonum. Ibid. verſ. 17.

§. 111. Cerne hic inſigne Dei miraculum. Leonum clauduntur ora: nec læditur ab illis Daniel. *Deus meus*, inquit, *miſit Angelum ſuum, & clauſit os Leonum, & non læſerunt me.* Illico Daniel jubente Rege eductus eſt è fovea; & *nulla noxa reperta eſt in ipſo, quia confiſus erat Deo ſuo.* Dan. 6:23.24.

§. 112. Hoc miraculo Rex convictus, jubet, ut *omnes tremant & timeant propter Deum Danielis. Eſt*, inquit, *Deus vivus, manens in ſecula, qui liberat & eripit, & facit ſigna & mirabilia in cœlis & in terra.* Dan. 6:26.27.28.

E defectione Regni Babel concludere populus poterat imminentem ſuam liberationem.

§. 113. Hanc Babylonici imperii defectionem, Perſicique in illius locum ſucceſſionem omnis multitudo Iſraelis oculis ſuis vidit & conſpexit. Sciebat illa 70. annos captivitati ſuæ deſtinatos; impletis 70. illis annis viſitandum Regem Babel, imperiumque Chaldæorum. Jerem. 25:11.12. Igitur viſitato nunc & ſublato Regno Babel potuit bona cum certitudine citra temeritatem concludere, 70. Annos captivitatis ſuæ effluxiſſe; adeoque ad liberationem & reductionem animum mentemque ſuam intendere.

Danielis diligens ſcrutatio.

§. 114. Eximia hic fuit cura induſtriaque Danielis. Is *anno* ſtatim *primo Darii Medi conſideravit in libris numerum annorum, de quibus ſermo exſtiterat Jehovæ ad Jeremiam Prophetam, de conſummando vaſtitatibus Hieroſolymorum ſeptuaginta annos.* Dan. 9:1.2. Scilicet ſciebat Daniel annos captivitatis & vaſtitatis Hieroſolymæ definitum habere numerum; illum numerum, captivatis nunc captivatoribus, deſtructisque deſtructoribus terræ gentisque ſanctæ impletum & abſolutum eſſe. Ideo *conſiderat* & examinat *libros* ſacros, Jeremiæ imprimis, ut ex illis ad infallibilem erudiatur πληροφορίαν.

Et oratio.

§. 115. Id cùm ea, qua par erat attentione egiſſet, certusque eſſet, horam liberationis adeſſe, *vertit faciem ſuam ad Dominum Deum, ad quærendam orationem & ſupplicationem, cum jejunio, & ſacco, & cinere.* Dan. 9:3.

§. 116. Inſignis & ardentiſſima eſt illius oratio, quæ & nobis formula ſit orandi perpetua confeſſuris peccata & imploraturis gratiam. *Obſecro*, inquit, *Domine Deus, magne & metuende, ſervans fœdus & gratiam. Peccavimus & perperam egimus, & impiè & rebellavimus. Tua Domine eſt juſtitia, nobis autem pudor faciei. Domini Dei noſtri commiſerationes ſunt & condonationes. Domine ſecundùm omnes juſtitias tuas recedat, age, ira tua & æſtus tuus a civitate tua Ieruſalem, monte ſancto tuo. Fac lucere faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum vaſtatum, propter Dominum. Domine audi, Domine condona, Domine adverte, & fac; ne tardes; propter te Deus mi; nam nomen tuum nuncupatum eſt ſuper urbe tua, & ſuper populo tuo.* confer Dan. 9:4–20.

§. 117. Habemus in hac oratione humillimam peccati & indignitatis confeſſionem, ſeriam divinæ miſericordiæ gratiæque implorationem; iræ pœnarumque deprecationem; lucis cœleſtis petitionem; idque omne *propter Dominum.* Ita Dominus rogatur per Dominum, ſive quod idem eſt, *in nomine Domini.* Bene intellexit Daniel doctrinam Domini, *quæcunque petiveritis à Patre in Nomine meo, dabit vobis.* Joh. 14:13.14. 16:23.

Adventus Gabrielis.

§. 118. Dum ita *loquitur, orat, & confitetur peccata* Daniel, *ecce Vir Gabriel* מֻעָף בִּיעָף *advolitat celeritate maxima*, propriè *in defatigatione*, quæ è celerrimo motu oboritur, dicitur *advolitaſſe*: quia tam ſubito adfuit Danieli, ac ſi alis devectus eſſet e cœlo. גַּבְרִיאֵל ex etymo ſignificat, vel, *Dominus meus Deus potens*; vel, *Robur meum Deus.* Hoc nomen non eſt unius Angeli proprium, ſed omnium myriadum ſanctarum. Omnis Angelus *Gabriel* eſt, eſt enim miniſter Dei, qui à Deo Domino mittitur, & potens eſt in Deo, nec ſine Deo. vide hoc nomen. Dan. 8:16. Luc. 1:26. Unus Chriſtus Archangelus vocatur

catur *Michaël*, Apoc. 12:7. ſed omnis multitudo ſanctorum Angelorum eſt, dicique poteſt & vocari *Gabriel.*

§. 119. Notatur tempus, quo Gabriël advolitavit, *tetigitque* Danielem, *circa tempus doni veſpertini*, hoc eſt, illo tempore, quo ſtante templo & altari donum veſpertinum ſolebat offerri, quod dicitur בין הערבים *inter duas veſperas*; & inter meridiem & veſperam terminatur. Chriſtus, verum ſacrificium juge, illo tempore in cruce animam efflavit, *hora* enim *nona*, quæ noſtra *tertia* pomeridiana eſt, ἐξέπνευσε; cum *hora tertia*, quæ eſt *nona* matutina, affixus cruci fuiſſet. Marc. 15:25.37. Gabriël informaturus Danielem de *exciſione* futura Meſſiæ, facit id illo diei articulo, quo Meſſias exſcindendus animam emiſſurus erat; ut ita videatur ſimul mortem & horam mortis Meſſiæ indicaſſe. confer Exod. 29:38.39.40.41. Hora adventus.

§. 120. Sermonem ita exorditur Gabriel. *Daniel*, inquit, *nunc exivi*, *ut faciam te diſtinctè cognoſcere*, non ænigmatico aut parabolico uſurus ſermone, ſed claro, & perſpicuo, ac facile intelligibili. *In initio ſupplicationum tuarum*, hoc eſt, cum inciperes offerre δεήσεις καὶ ἱκετηρίας (en, ut rationem habet Deus precum ſanctorum) *exivit verbum*, à Deo nim. mihi, angeliſque, conſervis meis, qui ἐπιθυμοῦσιν παρακύψαι (1 Pet. 1:12.) in hæc myſteria revelatum & manifeſtatum. *Et ego veni ad indicandum*, hoc eſt, ego è multis & pluribus denominatus & juſſus ſum, ut verbum id ad te referrem, *eò quòd tu ſis vir deſideriorum*: Deo curæ & carus. *Ideo conſidera verbum*, & *intelliges viſionem.* Viſiones prophetarum intelliguntur à conſiderantibus verbum. Dan. 9:23. Daniel ſcrutatus erat de 70. *annis vaſtitatum Hieroſolymæ.* Angelus illum erudit de 70 ſeptimanis, quibus non Hieroſolyma tantùm reædificanda, ſed collatio gratiarum permanentium & in[illegible]ilium futura erat. Ita magis Danieli exhibitum, quàm ipſe videtur petiiſſe. Sermo Gabrielis.

§. 121. Pergit. *Septuaginta ſeptimanæ deciſæ ſunt ſuper populo tuo*, & *ſuper urbe ſancta tua.* verſ. 24. Septuaginta ſeptimanæ.

§. 122. Septimanæ ſunt aliæ minores ac vulgares, ut ita loquar; aliæ majores & extraordinariæ, ſacris autoribus uſurpatæ. Illæ ſeptem diebus; hæ ſeptem abſolvuntur annis; quilibetque in illis dies Annum facit; eſtque adeò ſumendus יום לשנה יום לשנה *dies pro anno*, *dies pro anno*, ut ita loquar ex. Ezech. cap. 4: ℣. 6. Illæ dicuntur שבעים ימים *ſeptimanæ dierum*. Dan. cap. 10: verſ. 2. Hæ שבתות שנים *Sabbata*, hoc eſt, *ſeptimanæ annorum*, Lev. 25:8. שבתות *Sabbata* pro *ſeptimanis* vide Lev. 23:15. non dierum ſed annorum.

§. 123. Gabriel loquitur non de *ſeptimanis dierum*, in illis enim non potuit fieri, nedum ut factum ſit omne id, quod his 70 ſeptimanis futurum prædicit, reductio nimirum populi, ædificatio urbis, exciſio Meſſiæ, deſtructio, adeoque & deſtructionem antecedens reædificatio ſanctuarii, &c. ſed de *ſeptimanis annorum*; eruntque ſeptuaginta illæ ſeptimanæ 480 anni.

§. 124. Septuaginta ſeptimanæ *deciſæ ſunt*, inquit; à Deo ſcilicet fixæ & determinatæ, in cujus manu ſunt tempora & opportunitates, ſunt deciſæ *ſuper populo tuo*, cujus tu es concivis, & *urbe ſancta tua*, cujus tu nunc ruinas & rudera doles; ut populus tuus in illis recolligatur, & miranda Dei cernat; & urbs tua ſancta reædificetur. Ingens Dei nobis benignitas. Septuaginta anni fuere exilii & captivitatis, hos quaſi compenſat ſeptuaginta ſeptimanis annorum; qui erant futuri anni maximorum beneficiorum, quamvis & memorabilium judiciorum, nam & in hoc intervallo 70 ſeptimanarum continentur 70 *anni*, quibus *rigide habuit Deus Hieroſolymam & civitates Juda*, de quibus vide Zach. 1: verſ. 12. 7:5.

§. 125. Nominat igitur quidem Gabriel ſeptuaginta ſeptimanas, non tamen dicit, ſpatio hoc & intervallo omnia præciſè & conſummatè implenda, quæ pronunciat. Si enim cuncta rectè expendamus, multa occurrent, quæ hoc 70 ſeptimanarum ſpatio vix inceperunt, nedum ut abſoluta ſint; quale eſt Meſſiæ exciſio, urbis ſecunda deſtructio, ſacrificii & muneris abolitio, defectionis coërcitio. Nam ut hoc unum tantùm dicam, Chriſti nativitas ſerior eſt edicto Cyri, unde hæ 70 ſeptimanæ, ſive hi 480 anni incipiunt, annis 537. Deſtructio autem ſanctuarii facta eſt anno Chriſti 70 unde conficientur anni 607. Ita docti cenſent Chronologorum. Sed hæc Gabrielis mens eſt, illa, quæ prænunciat, & de quibus vaticinatur, non minus 490 annis fore. Septuaginta hebdomades ſunt deciſæ; ut non minori intervallo omnia hæc impleantur. Igitur minorum numerum negat, hoc eſt, negat ante annos 490 omnia hæc fore, majorem autem non negat, hoc eſt, non negat poſt annos 480, illiſque jam elapſis, quædam horum adhuc fore & impletum iri.

§. 126. Utut igitur certum ſit, has 70 ſeptimanas incipere ab edicto Cyri, quod *anno primo* monarchiæ promulgavit, 2 Chron. 36:22. non autem ut alii volunt *a ſeptimo anno Artaxerxis Longimani*, aut *à ſecundo anno Darii Nothi*, tamen dicere illas terminari & finem habere in morte Chriſti, non æquè congruum eſt. Docemur enim à Chronologis, mortem Chriſti 537 annis ab edicto Cyri diſtare; cùm hæ 70 ſeptimanæ tantùm faciant annos 480, adeoque jam ante mortem Chriſti elapſæ fuerint. Multò minus, illas finiri in deſtructione Hieroſolymæ per Titum, hæc enim non 490, ſed 607 annis ſerior Cyri edicto exſtitit.

Eventura in illis. 1. §. 127. Illa, quæ his 70 ſeptimanis, hoc eſt, non minori intervallo eventura dicit Angelus, ordine hæc ſunt, 1. לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע *ad coërcendum defectionem.* Igitur defectio coërcebitur. Defectio ſeu apoſtaſia eſt Judæorum. Eſ. 48: verſ. 8. *Defector ab utero vocatus es.* Eſ. 53:8. *A defectione populi mei plaga illis.* Defectionis Judæi rei facti ſunt, quoties Dei fœdus fecerunt irritum, & juſtitiæ Dei ὐχ' ὑπετάγησαν. Maximè autem abominabilis eſt illa defectio, quâ Regem Meſſiam, in Sione unctum, rejecerunt, & alium dotarunt, & vincula Domini Meſſiæ ruperunt, & funes illius abjecerunt. Pſalm. 2: 1. 2. 3. 6. Pſalm. 16:4. Hic populus defector *coërcendus* dicitur, & habena illius quaſi defectioni ac apoſtaſiæ injicienda; ut & agnoſcatur talis à ſanctis, & incrementum illius impediatur. Hæc coërcitio agnoſcenda eſt in initiis ſuis; deinde in conſummatione. Cœpit inquam illa, quum Judæi & Gentes vocati ſunt per Euangelium, ad obediendum Siloh, & ad ſtandum in libertate ab omni jugo, quale erat Lex ceremoniarum. Tunc enim populus hic apoſtata, qui *in lege* hac *juſtificari* volebat; & putabat, hanc ſuam juſtitiam eſſe, quando offerret dona, oblationes & libamina, *ſeparatus eſt ab omnibus tribubus* veri *Iſraelis*, Deut. cap. 29: verſ. 21. ita ut amplius pro domeſtico Dei haberi non potuerit, ſed cenſeri debuerit, *gratia excidiſſe* & *à Chriſto abolitus eſſe.* Galat. cap. verſ. 4. Conſummata eſt, cùm templum, Sacerdotium, urbs, politia planè deſiit, & *vaſtitas ac conſummatio in ſtupentem deſtillavit.* Tunc enim defector populus inops factus, vilis & infirmus, & ad incitas quaſi redactus eſt, *ſedetque multos* abhinc *dies ſine Rege, ſine Principe, ſine ſacrificio, cippo, Ephod & Teraphim.* Hoſ. cap. 3: verſ. 4. Initium coërcitionis factum eſt aliquo modo labentibus ſeptimanis 70. Conſummatio
2. autem illius exſtitit illis jam elapſis. 2. וּלְחָתֵם חַטָּאוֹת: id ſecundùm conſonantes vertendum eſſet, *ad obſignandum*; ſecundùm puncta autem vocalia verti debet, *ad conſummandum peccata.* In ſacris *gentes*, olim in propriis ambulantes viis, & à ſcopo juſtitiæ & meta ſalutis aberrantes, dicuntur *ἁμαρτωλοὶ peccatores.* Matth. cap. 26: verſ. 45. Rom. 3: verſ. 7.

verſ. 7. Galat. 2: 15. Igitur gentium *peccata* dicuntur *conſummanda*; quod fit, quando gentes *è poteſtate tenebrarum liberatæ, transferuntur in regnum lucis.* Col. 1: 13. *Conſummantur* peccata, non ut gentes ab omni peccato deinceps immunes agant, id enim in hac vita non cadit in ſanctos; 1 Joh. cap. 1: verſ. 8. 10. ſed ut *peccatum* deinceps in illis *non* amplius *regnet*, Rom. cap. 6: verſ. 12. illæque *liberatæ à peccato in ſervitutem tranſeant juſtitiæ.* Rom. cap. 6: verſ. 18. Ut igitur coërcetur defectio per abolitionem & rejectionem Judæorum deficientium; ita peccata conſummantur per vocationem & converſionem gentium peccatricum. 3. וּלְכַפֵּר עָוֹן *& ad expiandum pravitatem. In pravitate* 3.
genitus eſt omnis homo, ut & *in peccato*, hoc eſt, reatu *conceptus.* Pſalm. 51: verſ. 7. Expiabatur *pravitas* olim typicè per ſacrificia pecudum. Levit. cap. 1: verſ. 4. cap. 4: verſ. 20. cap. 5: verſ. 5. 16. Verè autem & realiter expiatur per *meliorem* illam *hoſtiam, & ſanguinem precioſum agni* Dei, qui *ſe ipſum dedit victimam Deo.* Epheſ. cap. 5: verſ. 2. *& antilytrum*, 1 Tim. cap. 2: verſ. 6. eſtque *expiatio pro peccatis noſtris.* 1 Joh. 2: 2. Sine hoc non datur pravitatis expiatio. Oſtendit Gabriel, quomodo expietur pravitas, dum addit, *Exſcindetur Meßias*; per exciſionem nimirum Meſſiæ: hancque Meſſiæ exciſionem eſſe verum & ſufficiens ſacrificium, inde apparet, quod additur, *abolebit ſacrificium & munus.* Sacrificia typica non niſi per *ſacrificium juſtitiæ*, Deum decens, legem implens, peccatum expians, abolentur. Et ut olim *ſecundum legem ſine ſanguinis fuſione non fiebat remiſsio*, Hebr. cap. 9: verſ. 22. ita ſecundùm Euangelium ſine exciſione, morte, ſanguine Meſſiæ nulla eſt pravitatum peccatorumque expiatio & condonatio. Simul intelligitur, ubi peccatorum pravitatumque expiatio eſt, ibi nullam illorum eſſe ἀνάμνησιν, ut olim erat ἐν ταῖς θυσίαις κατ᾽ ἐνιαυτόν. Hebr. 10: 3. 4. וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים *& ad adducendam ju-* 4.
ſtitiam æternam. Juſtitia hæc adducenda olim, eſt *jus* illud, quod habet is, cujus expiata eſt pravitas; nimirum ut conſiſtere poſſit in judicio coram Deo, liber tutuſque ab omni accuſatione & condemnatione, hæres vitæ & ſalutis. Hæc enim eſt *juſtitia ſervorum Dei, ut omne inſtrumentum,* quod *fingitur contra ipſos, non proſperetur, & omnis lingua, quæ cum ipſis ſurgit in judicium, condemnetur.* Eſ. 54: 17. Hæc juſtitia vocatur *juſtitia Dei*, Rom. 1: 17. 3: 21. Eſ. 54: 17. מֵאִתִּי *à me.* quia Deus illam adducit, illam donat, & *in illa ſanctificatur*; Eſ. 5: 16. unde & Deus dicitur *juſtitia noſtra.* Jerem. 23: 6. Hæc juſtitia δωρεὰ eſt, Rom. 5: 17. *per illam regnat gratia in vitam æternam.* Rom. 5: 21. Vocatur illa *æterna*, quia non eſt obnoxia pœnitudini; eſt ἀμεταμέλητος; nec alterius admittit ſuccenturiationem. Hæc juſtitia adducitur per eundem, per quem expiatur pravitas; qui & inde dicitur *factus nobis à Deo juſtitia.* 1 Cor. cap. 1: verſ. 30. Denique dicitur *juſtitia ex fide ad fidem.* Rom. 1: verſ. 17. Phil. cap. 3: ℣. 9. 5. וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא *& ad obſignandum viſionem & Prophetam.* 5.
Viſio ſæpe ſignificat 1. Verbum Moſis & Prophetarum, olim dictum & narratum. 2 Umbras Legis & figuras olim uſurpatas. 3. Fidem promiſſionis olim promulgatæ & exſpectationem, ſic Habac. cap. 2: 3. *Nam adhuc viſio eſt ad tempus definitum.* Sed hic in appoſitione *Prophetæ* ſignificat in ſpecie *legem* figurarum. Igitur quod dicitur Matth. cap. 11: verſ. 13. *Omnes Prophetæ & Lex uſque ad Johannem prophetarunt*, idem hic Angelus prædicit, fore, ut Lex & Prophetia obſignetur, hoc eſt, ut omne id, quicquid de ſalute per figuras fuit adumbratum, & per prophetias prædictum, verificetur; & ſic viſioni ac prophetis fides fiat; ſimulque viſio & Propheta deſinat prophetare, & incipiat teſtari. Cum expiata eſt pravitas, & adducta juſtitia æterna, etiam *viſio* obſignata eſt; impoſterumque à viſione, hoc eſt, umbris & ceremoniis legalibus liberi ſumus; imò & *Propheta*, omneſque Prophetiæ, quæ locutæ ſunt περὶ τῆς εἰς ἡμᾶς χάριτος, & *ante*

teſtata τὰ εἰς χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, 1 Petr. 1: ỳ. 10. 11. implementum habent, nullaque nova Prophetia audiri aut accipi debet. Judæorum effatum eſt, כל הַנְּבִיאִים לא נִתְנַבְּאוּ אֶלָּא לִימוֹת הַמָּשִׁיחַ *Omnes prophetæ non prophetarunt niſi ad dies Meßiæ.* 6. וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *& ad ungendum Sanctum Sanctorum.* In tabernaculo Moſaico duplex erat σκηνὴ, *prior* dicebatur ἅγια *ſanctum*, poſterior ἅγια ἁγίων *Sanctum Sanctorum.* Hebr. cap. 9: verſ. 2. 3. Id tabernaculum ſignificabat & *Chriſtum* & *Eccleſiam.* Igitur & hîc, ubi certè de tabernaculo terreſtri ſermo non eſt; quippe quod etſi cum Hieroſolyma reædificandum, tamen etiam cum illa dicitur rurſum *deſtruendum*, per *populum Principis advenæ*; intelligitur & *Chriſtus* & *Eccleſia.* Chriſtus *Sanctum Sanctorum* eſt, *ſanctum Domini, quod diligit.* Mal. cap. 2: verſ. 11. Sacerdos maximus olim auream in fronte laminam geſtans, cum hac inſcriptione קֹדֶשׁ לַיי, hoc eſt, ἅγιον τῷ κυρίῳ, typus Chriſti erat. Chriſtus *ungitur*, non tantùm *ab æterno*, Prov. cap. 8. nec tantùm *oleo alacritatis præ conſortibus.* Pſalm. 45. ſed & *Spiritu unctus eſt & potentia.* Actor. 10: 38. *Dominumque illum & unctum Deus fecit*, Actor. 2: 36. hoc eſt, publicè declaravit, nimirum tunc imprimis, quum *dextra Dei exaltatus promißionem ſancti Spiritus accepit a Patre, illumque effudit in omnem carnem.* Act. 2: 33. Etiam Eccleſia *Sanctum Sanctorum* eſt, non tantum illa, quæ ſupernè triumphat; ſed etiam illa, quæ hucuſque inferius militat. Illius enim *civitas in cælo eſt*, Phil. 3: 20. *& acceſſit ad Zion montem, civitatem Dei vivi, panegyrin primogenitorum*, Heb. 12: 22. 23. 24. *accedit cum libertate ad thronum gratiæ*, Hebr. 4: 16. nam *libera* eſt. Gal. 4: 26. *Eccleſia*, verè Sanctum Sanctorum *uncta* eſt. *Et vos unctionem accepiſtis ab illo.* 1 Joh. 2: 27. confer ỳ. 20. *Et vos unctionem habetis a ſancto, & noſtis omnia.* 2 Cor. 1: 21. *Ungens nos, Deus eſt.*

§. 128. Et hæc ſunt illa, quæ ſeptuaginta ſeptimanis, hoc eſt, non minore temporis intervallo fieri debebant, quorum ſi genuinum & nativum ordinem conſideremus, deprehendemus, antecedere *expiationem pravitatis*; ſequi *adductionem juſtitiæ*; ſuccedere *unctionem Sancti Sanctorum*; ſubſequi *conſummationem peccatorum*; tum demum *coërcitam defectionem*; & ita his omnibus, & per hæc omnia *obſignatam viſionem & Prophetiam.* Expiatio pravitatis facta eſt per lytrum Chriſti. Juſtitia æterna adducta per obedientiam Altiſſimi. Sanctum Sanctorum unctum eſt per effuſionem admirabilem Spiritus promiſſionis ſancti. Peccatum conſummatum eſt per converſionem gentium. Defectio coercita per rejectionem Judæorum. Viſio obſignata & prophetia per abrogationem & impletionem ceremoniarum legalium; & collationem promiſſarum gratiarum, & exercitium juſtiſſimorum judiciorum.

Quæ nunc plenius enarrat Gabriel.

§. 129. Summatim & in compendio hactenus narravit Gabriel τὰ μέλλοντα labentibus 70 hebdomadis, nunc per partes & temporis progreditur articulos, dictaque plenius, & claris quidem verbis enarrat.

§. 130. *Et cognoſce*, inquit, *& animadverte*, Tu Daniel, totuſque Iſraël, populus tuus, qui nunc eſt, & impoſterum erit, *ab exitu ſermonis*, hoc eſt, à promulgatione edicti Cyri Regis, 2 Chron. 36: 22. 23. Eſr. 1: 1-4. quo præcipiet *de reducendo* in terram populo, *& de ædificandis Hieroſolymis, uſque ad Meßiam Principem*, qui non eſt Jehoſuah ſacerdos, neque Zerubabel, filius Sealtiel; nedum Agrippa, aut filius ejus Monobazus, ſed *Dei Filius, hodie genitus*, Pſalm. 2: verſ. 2. 7. peccati expiator, juſtitiæ adductor, peccatorum conſummator, & verè Sanctum Sanctorum, *ſeptimanas ſeptem, & ſexaginta duas*; quæ junctæ faciunt annos 483. Mens Gabrielis eſt. Imprimis reductos in terram, & reædificatam cernentes Hieroſolymam cogitare debere de Meſſia

Prin-

Principe: ejuſque adventum propè eſſe elapſis ſeptem his & 62. ſeptimanis. Dum dicit *Meſsiam Principem*, innuit, Meſſiam fore *Principem, Dominum & Regem*. Ea quæ fluentibus his ſeptem & 62. hebdomadis fieri debebant, ſunt 1. *Reductio*. 2. *Ædificatio urbis*. 3. Ædificatio *fori & foſſæ in illa, denuo ædificabitur quoad forum & foſſam*: ædificatio Hieroſolymæ paulatim & ſucceſſivè perfecta eſt. 4. *Et in anguſtia erunt tempora quædam*. Talis anguſtia fuit ſub Dario Hyſtaſpis, & Artaxerxe Longimano, qui noluerunt templum & urbem ædificari; Eſr. 4: 5. 6. 7. imò & ſub Aſſuero Eſteræ marito; imò & illo tempore, quo facta ſunt, quæ leguntur Dan. 8: 9-14. confer Dan. 11: 30. 31. 32. Hæc anguſtiæ tempora incluſa videntur 70. ſeptimanis, exſtiterunt enim labentibus 7. & 62. ſeptimanis.

§. 131. *Et poſt ſeptimanas illas 62.* adde & illas *ſeptem*; nam & illæ antecedunt, *exſcindetur Meſsias*: nempe ita ut eſt Eſ. 53: 8. Dan. 2: 34. Actor. 2: 23. Exciſionem Meſſiæ Chronologi cenſent factam ſerius 54. annis. Ita autem exciſus eſt Meſſias ואין לו *ut nihil illi fuerit*, hoc eſt, ut omni humana ope & ſolatio orbatus fuerit, confer Dan. 11: verſ. 45. ואין עזר לו. ab ipſis diſcipulis fuit derelictus. Zach. 13: 7. Vel, *Et nihil illi*, vitalis facultatis ſuperfuit. Corpus enim ejus totum exanime & interfectum exſtitit. Alii. ואין לו *Non erat ei*, culpa vel crimen. Alii. *& nihil illi* acceſſit per exciſionem, quod exciſus eſt, aliorum bono exciſus eſt. *Excisio Meſſiæ.*

§. 132. Exciſionem Meſſiæ funeſta ſecuta ſunt tempora. *Et civitatem & ſanctum corrumpet*; (excidium Hieroſolymæ templique ſecundum innuitur) *Populus Principis advena*, hoc eſt, Romanus exercitus, cujus *Princeps*, quamvis à Judæis electus, Romæ Archelaum accuſantibus, & ſub Romanis præſidibus eſſe cupientibus, clamantibuſque, *Non habemus Regem niſi Cæſarem* Joh. 19: 15. Princeps tantum advena ſive alienigena erat. Duplicem cerne hic Principem. 1. Meſſiam Principem; qui exſcinditur; adeoque rejicitur, de quo & Jerem. 30: 21. *Erit Princeps ipſius ex ipſo*. 2. Principem advenam, cujus Populus eſt ſanctuarii deſtructor. Ita ſanctuario & urbe corruptis, *finis illius* fuit *in inundatione*. *Corruptio civitatis & ſancti.*

§. 133. Ante deſtructionem autem ſanctuarii *bellum* exſtitit, cum Principe ſcilicet advena, quod tamen infauſtum fuit, deſtructum enim eſt ſanctum, & urbs, *& uſque ad finem belli deciſio eſt vaſtitatum*, hoc eſt, ſeveriſſimæ rigidiſſimæque exſtiterunt vaſtationes. *Bellum.*

§. 134. *Et faciet prævalere fœdus* Meſſias Princeps; hoc eſt, faciet, ut ſit Pax, quæ fœdera pacta ſequi ſolet, in tota habitabili. Quando Chriſtus apparuit, pax fuit; omneſque populi uni ferè imperio fuerunt ſubjecti. Eſ. 7: 15. 40: 4. 5. Luc. 2: 1. quod tamen fœdus Meſſias, *incidens Virgam ſuam, clementiam, irritum fecit*, Zach. 11: 7. 10. *pacemque* datam *à terra abſtulit*, Apoc. 6: 4. hinc ſecutum eſt *bellum*, de quo jam jam diximus. Fœderi definitur *ſeptimana una*, hoc eſt, non minus ſeptem anni. Fœdus faciet prævalere לרבים *propter multos*, nempe *ad præparandum inopes gregis* Zach. 11: 7. qui *multi* erant futuri, (confer Eſ. 53: 11. *juſtificabit multos* ℣. 12. *propterea partem ipſi dabo in multis*.) hoc eſt, ad dandum illis ſpatium & opportunitatem *exeundi è terra* & urbe defectrice. Hoſ. 1: 11. confer Eſ. 52: 11. *Recedite, Recedite: exite ab ibi: ſeparamini*. &c. *Fœdus propter multos.*

§. 135. *Et dimidio ſeptimanæ*, illius nimirum, quâ fœdus faciet prævalere, *faciet ceſſare ſacrificium & donum*. Nondum elapſa erat ſeptimana una poſt mortem Chriſti, cum hoc factum eſt. *Sacrificium, donumque fecit ceſſare*, cum fideles ſanctoſque à legalibus his inſtitutis pronunciavit liberos, quod factum per prædicationem Apoſtolorum, *Ceſſatio ſacrificii & doni.*

ut *Pauli* Actor. 13:39. & decretum *Synodi* Hieroſolymitanæ Actor. 15:28. & judicium *Petri*, Actor. 15:10. item *Jacobi* ibid. ℣. 19. & exemplum *Cornelii*, qui ſine circumciſione accepit Spiritum Sanctum, & baptizatus eſt, & viſionem exhibitam Petro. Actor. 11: verſ. 9.

§. 136. Ita Chriſtus mox poſt exciſionem ſacrificia legemque finivit, & ab illis ſanctos ſuos liberavit. At Judæos defectores quod attinet, illi ſacrificium & munus pertinaciter tenuerunt, uſque ad deſtructum ſanctuarium, & necdum plenus menſis à ſacrificii jugis ablatione abierat, quum templum crematum eſt: πανέμȣ ſive Julii 17. id defecit. Auguſti ſive λώȣ decimo templum incenſum eſt, teſte Joſepho belli. 7. cap. 4. quo incenſo rebelles & apoſtatæ coacti ſunt à ſacrificiis & munerum oblatione abſtinere; fatenturque hunc uſque in diem ſe in nullo loco totius terrarum orbis ſacrificia offerre poſſe.

Alæ abominationum. §. 137. Porrò monet Gabriel, fore *alam abominationum*, hoc eſt, protectores abominabiles. *Ala* in ſacris ſæpe notat protectionem. Eſ. 18: 1. Idumæi, Zelotæ, duceſque illorum Simon, Eleazarus, Johannes, per hanc *alam* notantur. Illi geſſerunt ſe pro templi urbiſque defenſoribus, ejuſque quaſi alâ & clypeo. Sed illa *ala* erat *abominabilis*, atque adeò βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως *abominabile id deſolationis*, hoc eſt, jam jam deſolandum, *ſtans in loco ſancto*, de quo Matth. 24: 15. Marc. 13: 14. Erit ſuper illam *deſolans*, populus nimirum Principis advenæ, urbem & ſanctum corrumpens. Quem *deſolatorem* Chriſtus intelligit per *exercitus*, quos dicit *cinctures Hieroſolymam*; quod cum *viderent*, monet, ut agnoſcant *propinquam illius eſſe deſolationem*. Luc. 21:20.

Super illam deſolator.

Et conſummatio ac deciſio. §. 138. Hic deſolans deſolabit *ad conſummationem*, Eſ. 10:23. & *deciſionem*, hoc eſt, horrendam vaſtationem, hæcque *deſtillabit*, & ut fluvius manabit, & effundetur עַל שֹׁמֵם *ſuper ſtupentem*, hoc eſt, Judæos attonitos ſuper tanta miſeria & clade, obduratos, cognitione & ſapientia deſtitutos, confer Eſ. 52: 14. שָׁמְמוּ עָלֶיךָ רַבִּים *attoniti fuerunt, ſtupuerunt, ſuper te multi.*

§. 139. Et hæc de celebri hoc oraculo dicta ſufficiant. Videmus ut clarè & diſtinctè Gabriel determinavit & notavit Meſſiæ adventum, Paſſiones, Principatum, opera & beneficia: imò & judicia in incredulos & defectores. Nec non reductionem populi, exſtructionem urbis & ſancti, temporaque intervenientis anguſtiæ; de quibus omnibus agendum deinceps.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De reductione Populi, urbis templique extructione; & de iis, quæ circa illa populo evenerunt; ut & de Regibus Perſiæ, illorumque actis & ſucceſſionibus.

Reductio prædicta à Prophetis. §. 1. UT exilium tempuſque exilii, ita & reductio populi & ἀποκατάστασις *reſtitutio* jacturarum per Prophetas prædicta eſt. Deut. 30:3. 5. *Et reſtituet Dominus captivitatem tuam, & colliget te ex omnibus populis, quo diſperſit te, & reducet te ad terram, quam hæreditarunt patres tui, & hæreditabis illam.* Ezech. 34: 12. 13. *Eripiam oves meas ex omnibus locis, quo diſſipata ſunt, & educam eas ex populis, & congregabo eas ex terris, & deducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſraël, in cavis, & in omnibus habitationibus terræ.* Mich. 2: 12. *Colligendo colligam*, ô Eccleſia *Jacobi te totam.*

totam. Congregando congregabo reliquias Iſraëlis. Ponam illam ut oves Bozra, ut gregem in medio ovilis ſui; perſtrepent præ hominibus. Jam jam è Gabriele audivimus *exiturum verbum de reducendo & ædificanda Jeruſalem.* Eſaias loquens de *anguſtia prioris temporis,* dicit quod illa הֵקַל *levis exſtitit*: quia in liberationem exiit. Eſ. 8:23.

Imprimis autem à Jeremia.

§. 2. Jeremiah imprimis Propheta ſæpiſſimè de illa locutus eſt: hinc, ubi de illa agitur, ut Eſræ 1:1. additur, *ad implendum verbum Domini ex ore Ieremiæ.* vide Jerem. 4:27. *Sic dicit Dominus: Deſolatio erit tota terra,* וְכָלָה לֹא אֶעֱשֶׂה *& conſummationem non faciam.* Alio tempore facturus erat Deus *conſummationem.* Ita Gabriel. *Et ſuper alam abominationum erit deſolator, & uſque ad conſummationem.* confer Eſ. 10:22. Nunc autem nondum facturus erat conſummationem: quamvis in deſolationem daturus terram & ſanctuarium: quia urbs, templum, cultus reſtitui debebant in integrum. confer Jerem. 30: verſ. 11. *Certe tecum non faciam* כָּלָה *conſummationem, ſed caſtigabo te ad judicium.* Jerem. 16: 14.15. *Ecce dies veniunt, & non dicetur amplius, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſraël è terra Ægypti; ſed, Vivit Dominus, qui eduxit illos è terra Aquilonis, & ex omnibus terris, quo depulit illos, & faciam illos redire ad terram illorum,* confer Jerem. 23:7.8. adde Jerem. 29:10. *Sic dicit Dominus, ut impleti fuerint Babyloni 70. anni, viſitabo vos, & ſtabiliam ſuper vos Verbum meum bonum, ad reducendum vos ad locum hunc.* confer ✠. 11. 14. Jerem. 30:3. *Ecce dies veniunt, & reducam populum meum Iſrael & Iuda ad terram, quam dedi patribus illorum, & hæreditabunt illam.* ✠. 8. *Frangam jugum ejus à collo tuo, & funes ejus rumpam, & non facient ſervire illum adhuc Alieni.* ✠. 18. *Ecce ego reſtituo captivitatem tentoriorum Iacob, & habitationum illius miſerabor, & ædificabitur urbs* עַל תִּלָּהּ *ſuper tumulo ſuo; & palatium ejus,* templum, *ſecundum judicium ſuum habitabitur.* Jerem. 31: verſ. 10. *Qui diſperſit Iſraëlem, congregavit illum, & ſervavit illum, ut paſtor gregem.* confer Jerem. 33: 6.7. 10. 11.

Cui ſingulari ratione illam notificavit Dominus.

§. 3. Hæc reductio populi in terram, illiuſque in poſſeſſionem terræ reſtitutio vivo emblemate Jeremiæ notificata eſt à Domino. Cum eſſet à Zedekia conjectus in carcerem, accedit ad illum *ſecundum verbum Domini Chanamael filius Patrui illius Sallumi,* dicitque, *Eme, age, agrum meum, qui eſt in Anatot, in terra Benjamin* כִּי לְךָ מִשְׁפַּט הַיְרֻשָּׁה וּלְךָ הַגְּאֻלָּה *nam tuum eſt jus hæreditatis, & tua eſt aſſertio.* Jeremiah agnoſcens, verbum id Jehovæ eſſe, *emit agrum, & pependit argentum, & ſcripſit in libello, & obſignavit & adhibuit teſtes.* Jerem. 32: verſ. 6–14. Sed conſiderans urbem tunc obſidione cinctam, moxque tradendam hoſtibus, non poteſt divinare, cur illum jubeat Dominus emere agrum, cujus tranquilla poſſeſſione ob belli ſtrepitus gaudere haut poterat, *Tu, dixiſti ad me,* inquit, *Domine Deus, Eme tibi agrum, & civitas datur in manum Chaldæorum* ✠. 25. Igitur declarat Dominus, id fieri in ſignum, *facturum* Dominum, *ut Populus* abductus *redeat ad locum hunc, & habitet ſecurè,* tunc *emptum iri in terra* Canaan *domus, agros, vineas, in terra Benjamin, & circa Hieroſolymam, & in oppidis Iudæ, & in oppidis montanæ, & in oppidis depreſſæ, & in oppidis auſtralibus. Nam reſtituam jacturas eorum, ait Iehovah.* Jerem. 32: 15. 37–44.

Cyrus Perſarum Rex poteſtatem permiſit populo redeundi in terram, & extruendi templum.

§. 4. Poteſtas exeundi è captivitate, & redeundi in terram, & ædificandi templum ac urbem, facta eſt Populo à Cyro Rege Perſiæ, qui unà cum *Dario Medo* Babyloniorum occupaverat imperium. Darius, jam grandævus, cum novum regnum acciperet Dan. 6: verſ. 1. non diu videtur rebus præfuiſſe, ſed paulò poſt è vivis exceſſiſſe: hinc non narratur poteſtatem hanc dediſſe populo, in quem infenſo aliàs & inimico

animo

animo non fuit, ut paret è benevolentia, quâ proſecutus eſt Danielem Prophetam, gente Judæum, maximis honoribus ab illo affectum, Dan. 6:3.4. 15.20-25.

Publico edicto.

§. 5. Id ita fore dudum præmonuerat Deus, Eſ. 44:28. *dicens de Cyro, Paſtor meus eſt, & omnem voluntatem meam perficiet, & ad dicendum, ædificetur Hieruſalem, & fundetur templum.* Id ita factum eſſe conſtat è 2 Chron. 36:22.23. Eſræ 1:1.2.3. *Anno primo Cyri, Regis Perſiæ*, intellige, imperii & monarchiæ in Babel, nam ante in Perſis viginti jam, & quod excurrit annis regnarat, *excitavit Jehova ſpiritum Cyri, Regis Perſiæ; & fecit tranſire vocem in toto regno ſuo, & etiam ſcripto, dicendo. Sic dicit Cyrus, Rex Perſiæ. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus, Deus cœlorum, & ille mandavit mihi, ut ædificarem ſibi Domum in Hieruſalem. Quis in vobis ex omni populo illius; erit Deus ipſius cum ipſo; & aſcendat Hieroſolymam, & ædificet domum Dei Iſrael.*

Senſus illius.

§. 6. Cyrus totius terrarum orbis Monarcha, Vir, non initio tantùm regni, ſed continuo totius temporis ſucceſſu admirabiliter inſignis, *excitatus a Domino* ædificationem templi imperavit. *Rivi aquarum cor Regis in manu Domini eſt, quo vult, flectit illud.* Prov. 21:1. Homo paganus, mortalium potentiſſimus, flectitur à Deo, ut inſigne Dei promoveat opus. Omnia Regum decreta & conſilia, eximia & præclara capiuntur *excitante* Deo *ſpiritum* illorum. Rex divinitus excitatus voluntatem ſuam & voce & ſcripto publicè ſtatim promulgavit. Humilitatis eſt, quod agnoſcit, *Regna terræ data ſibi à Deo*, non negat, דִּי שַׁלִּיטִן שְׁמַיָּא *imperare cælos*, Dan. 4:17. *& Excelſum dare regna hominum cui vult.* Dan. 4: verſ. 17. Obedientiæ, quod jubenti ſe ſubjicit Deo. *Et ille juſſit me*, tum internè, movendo animum; tum & externè forſan, mittendo ad illum Prophetam, potuit is eſſe Daniel, qui *fuit ad annum uſque primum Cyri Regis.* Dan. 1:21. Addit Joſephus, legiſſe Cyrum *librum Eſaiæ*, qui de illo vaticinatus erat. Juſſit me, inquit, *ad ædificandum domum in Jeruſalem*, hoc eſt, ad curandum omnia, quæ ad id requirebantur. Cum igitur imprimis neceſſum eſſet, ut operi admoverent manum homines, invitat omnes è *populo* Dei, quos hæc res præcipuè tangebat, quibuſque adeo unicè curæ eſſe debebat, ut aſcenderent & ædificarent. Addit. *Erit Deus ipſius cum illo*, certus de hac Dei voluntate nil dubitat auxilium illius promittere opus aggreſſuris.

§. 7. Nec tantùm exſtructionem domus Domini imperavit, ſed & modulum ſtructuræ, ut eſſet *alta ulnas* 60, & totidem *lata*, &c. præſcripſit vel potius conceſſit, Eſr. 6:3. non enim ille obſervatus fuit, nam futura fuiſſet domus ſecunda amplior prima Salomonis. 1 Reg. 6:2. contra teſtimonium Hag. 2:3.

§. 8. Juſſit inſimul, ut *ſumtus* ſeu erogatio *è domo traderetur regia.* Eſr. 6:4. & ut exules Iſraëlitæ *adjuvarentur* ab aliis *auro, argento*, &c. Eſr. 1:4. denique vaſa *domus Domini, abducta à Neducadnezare*, aſcendentibus reddidit. Eſr. cap. 1: verſ. 7-11. cap. 5: verſ. 14. 15. cap. 6: verſ. 5.

§. 9. In hoc edicto Cyri continetur imprimis licentia ædificandi domum Dei, nèc excluſa eſt licentia ædificandi urbem, non tamen comprehenſa fuit licentia muniendi illam, illam enim Nehemias ab Artaxerxe demum impetravit. Nehem. 2:8.

Numerus eorum, qui ad edictum Cyri redierunt in terram.

§. 10. Publicato edicto ſurrexerunt & aſcenderunt *Capita Patrum*, hoc eſt, præcipui familiarum, *è Juda & Benjamin, & Sacerdotes & Levitæ, omneſque, quorum excitaverat ſpiritum Dominus.* Eſr. 1:5. in univerſum *quatuor milliones* ſeu *myriades*, hoc eſt, quadraginta millia, & 360. præter 7337 *ſervos & ancillas*, & 200 *cantores ac cantrices.* Eſr. 2:64.65. Nehem. 7:66.

§. 11. Non vacui aſcenderunt, ſed ditati multis muneribus. Eſr. 1:6. Cùm olim aſcenderent

derent ex Ægypto, nolebat illos Deus *vacuos exire.* Exod. capite 3: verſ. 21. 22. ſed tunc exiverunt onuſti ſpoliis, nunc autem exeunt cumulati donis & muneribus.

§. 12. Multo major aſcendentium olim ex Ægypto fuit numerus, quam nunc ex Babel. Exod. 12: verſ. 37. 38. Tamen major fuit aſcendentium numerus ex Babel, quam deſcendentium fuerat & abductorum in Babel. vide Jerem. 52: verſ. 30. *omnes animæ*, quas abduxit Nebucadnezar, *quater mille & ſexcenta*, qui numerus, ut æquo minor, nonnullis ſuſpectus videtur, imprimis cum, 2 Reg. 24: 14. 16. dicantur deportati 10000. & *viri ſtrenui* 7000, & fabrorum ac collegiorum 1000. unde conficitur ſumma 18000. Quicquid ſit de horum conciliatione numerorum, videmus quemadmodum in Ægypto, ita creviſſe Iſraëlitas in Babylone, nam & cum Eſra aſcenderunt alii pluresque. Eſr. 7: 7. & plurimi in Babel manſerunt, & in Palæſtinam non ſunt reverſi, de quibus Joſephus, πολλοὶ ἐν τῇ Βαβυλῶνι κατέμειναν, τὰ κτήματα καταλιπεῖν οὐ θέλοντες *poſſeſſiones linquere nolentes.*

§. 13. Fuit Daniel ſuperſtes, cum reductio facta eſt. Dan. cap. 1: verſ. 21. cap. 10: verſ. 1. An vero ipſe in Palæſtinam aſcenderit, non conſtat, quinimò *anno tertio* Cyri ſe fuiſſe ſcribit *juxta fluvium magnum Chiddekel*, hoc eſt, Tigrim, qui in Aſſyria fuit. Dan. cap. 10: verſ. 4. Ut igitur olim cum abductis Jeremiah non deſcendit in Babylonem, ſed manſit in terra; ita nunc Daniel cum reductis non aſcendit in terram, ſed manſit in Babylone, totus decrepitus, ſenio feſſus & defectus, cottidie exſpectans *tempus τῆς ἀναλύσεως.*

Daniel inter illos non fuiſſe videtur.

§. 14. Inter primores aſcendentium fuit *Zerubabel*, & *Jeſus*, ſeu *Jehoſuas*, Eſr. 2: 2. hic *filius Iehozadak*, ille *Schealtielis*, Eſr. 3: 2. hic *Sacerdos magnus*, ille *præſes Iudæ*. Hag. 1: verſ. 1. qui duo in promovendo templi ædificio primi & diligentiſſimi fuere. Hag. 1: 12. 14. 2: 3. 5. confer Zach. 4: 9. *Manus Sorobabelis fundarunt domum hanc, & manus ejus abſolvent.*

Inter illos fuit Zerubabel & Jehoſuah.

§. 15. Zerubabel dicitur fuiſſe filius *Schealtiel.* Matth. 1: 12. Σαλαθιὴλ δὲ ἐγέννησε τὸν Ζοροβάβελ, adeoque nepos *Iechoniæ* Regis, cujus filius Schealtiel, 1 Chron. 3: 17. 18. *Et filii Iechoniæ vincti, Salatiel filius ejus, & Malchiram & Pedajah*, &c. ſed verſ. 19. additur. *Et filii Pedajah Serubabel & Schimei.* Igitur non fuit filius Sealtielis, ſed *nepos*; & ſicubi *Filius* dicitur, id non proximo, ſed remotiori gradu accipiendum eſt, neque ergo eſt nepos, ſed pronepos Jechoniæ.

§. 16. Aulico nomine Babyloniis videtur dictus fuiſſe *Sesbazar*, Eſr. 1: 8. quemadmodum Daniel *Belteſchatzar.* Fundatio enim domus, quæ *Serubabeli*, Eſr. 3: 8. eadem attribuitur *Sesbazari.* Eſr. 5: 16.

§. 17. Dicitur fuiſſe פַּחַת ſive פֶּחָה, Eſr. cap. 5: verſ. 14. hoc eſt, ἐθνάρχης, præſes populi. Item נְשִׂיא *princeps Iudæ*, Eſr. cap. 1: verſ. 8. & תִּרְשָׁתָא Eſr. cap. 2: verſ. 63. quod deduci poteſt à רְשָׁה unde רִשְׁיוֹן ἐξουσία *facultas.* Eſr. cap. 3: verſ. 7. כִּרְשְׁיוֹן *ſecundum facultatem Cyri* collatam *illis*, neque enim certum eſt, Perſicum hoc eſſe nomen muneris aut officii.

§. 18. Sceptrum à domo Davidis nunc ablatum erat, hinc Sealtiel, unus è poſteris David, *Præſes* tantum & *Princeps* audit, noluerunt Reges Babel aut Perſiæ omnem deeſſe dignitatem magni olim Regis poſteris; regio tantùm carere illos voluerunt titulo, hinc Jechonias, ipſe antea Rex, à Rege Babel exaltatus fuit, & Sesbazarem Cyrus פֶּחָה שָׂמֵהּ Principem fecit Eſr. 5: 14. Igitur fuit Serubabel *Princeps* populi, ſed poteſtate delegata aut per-

 miſſa

miſſa à Rege Cyro; & ſub illo præſes ſummus totius populi; cujus quodammodo collega fuit Sacerdos ſummus, hinc plerumque videmus junctos Serubabelem & Jehoſuam. Officium Serubabelis & politiam ſpectavit & Eccleſiam, nam & ſacerdotes quoſdam ἀγενεαλογήτους à ſacerdotio removit, Eſr. 2:62.63. & curæ illius demandata fuerunt vaſa templi. Eſr. 1. 8.11. 5:14.15. & illius juſſu ac nomine altare exſtructum & templum fundatum, Eſr. 3: verſ. 8: 10. & conſummatum eſt. Zach. 4: verſ. 9. denique illi adſtiterunt *ſeniores*, hoc eſt, ἡ γερουσία, Eſr. 5: 9. qui ℣. 14. *Schesbazarem*, hoc eſt, Serubabelem nominant ut primum & principem inter ſe.

§. 19. Eximium de Serubabele verbum eſt. Hag. 2: 24. *Illo die ait Jehova, accipiam te Serubabel ſerve mi, & ponam te ut ſigillum, nam te elegi*, quod in Chriſtum Dominum, cujus pater Serubabel, imò & typus, pleniſſime quadrat.

§. 20. Inter reductos fuere *Sacerdotes*, *Levitæ*, *Cantores*, *Ianitores*, *Netinim*. Eſr. 2: 36-44. Ita in captivitate Babylonica diverſitas manſit ordinum, nec ſublata eſt; populo in futuram liberationem & reductionem aſſiduè intento. vide Pſalm. 137: 5.6. *Si obliviſcar tui Ieruſalem, obliviſcatur ſui dextra mea: Adhæreat lingua mea palato meo, ſi non recordertui; ſi non aſcendam Hieroſolymam ſuper ſummam gaudii mei.*

Et Sacerdotes & Levitæ. §. 21. Reducti in terram primum omnium ſedes priſtinas occuparunt. Eſr. 2: 1. *& reverſi ſunt Hieroſolymam & in Iudæam, quiſque ad civitatem ſuam*, & verſ. 70. *Et habitarunt Sacerdotes & Levitæ in civitatibus, & omnis Iſrael in civitatibus ſuis.* Ea eſt infirmitas humana, ut prius curemus noſtra, quàm Dei, niſi neceſſitas hoc flagitavit à Judæis; rebus ut privatis conſtitutis, paratius accederent ad publica Dei.

Quid reducti egerint primò. §. 22. *Menſe* tandem *ſeptimo congregatus eſt populus*, ut *vir unus Hieroſolymam*. Eſr. 3: verſ. 1. Tunc *ædificatum eſt altare, ad offerendum holocauſta*. verſ. 2. obtuleruntque *Domino holocauſta manè & veſperi*. verſ. 3. Eodem tempore egerunt *feſtum tabernaculorum*. verſ. 4. quod *in diem 15 menſis ſeptimi incidit*. Levit. 23: 34. Et ab illo tempore ſacrificia ordinaria, *juge*, *noviluniorum*, *feſtorum*, & *ſpontanea* patrio rurſum more oblata ſunt.

Ædificatio altaris. §. 23. Sed huc uſque הֵיכַל יְהוָה לֹא יֻסַּד *templi* ceſſavit *fundatio*. Eſr. 3: 6. donec *anno* reductionis *ſecundo fundamenta jacta* ſunt. Eſr. 3: 10. Inde maximum in populo gaudium. Sed & fletus ac lacrymæ fuſæ *multis è Sacerdotibus & Levitis*, & *Senioribus*, qui *domum viderant primam*, & nunc *fundamenta* hujus ſubjiciebant oculis. Eſr. cap. 3: verſ. 10-13.

Fundatio templi. §. 24. Neque hæc ſine *timore* à *populis* vicinis hactenus acta ſunt; Eſr. 3: verſ. 3. *hoſtes* enim *Iudæ* & *Benjamin*, hoc eſt, gentes illæ, quæ in *civitates* olim transportatæ erant *Samariæ* & *cis-Euphrateas*, de quibus lege, 2 Reg. 17: verſ. 24-34. audientes *templum* ædificari *Domino Deo Iſrael, debilitarunt manus populi Iudæ*, & *perturbarunt illos in ædificando*. Eſr. 4: 1-10.

Timor à gentibus & impedimenta objecta. §. 25. Imo in ipſis *Cyri* diebus *conduxerunt*, hoc eſt, largitionibus corruperunt *conſiliarios*, ſatrapas, aulicoſque Cyri, *ad irritum faciendum conſilium populi*. Eſr. 4: 5. Cyro autem περὶ τε ἄλλους ἀσχοληθέντι πολέμους ἄγνοια. τούτων ἦν inquit Joſephus. Inde Danieli trium ſeptimanarum luctus videtur obortus, in quibus jejunium circa tertium diem, menſis primi, anno tertio Cyri cœptum, ipſis etiam feſti Paſchalis diebus continuatum eſt. Dan. cap. 10: verſ. 1-4. Nam nec Danieli in Babylonia defuit cura rerum, quæ agebantur in Palæſtina.

Cyri mors. §. 26. Intervenit fortſan mors Cyri, antequam malo huic afferre poſſet remedium. Septuage-

ptuagenarius dicitur vitâ functus fuiſſe, poſtquam Perſis & Medis imperaſſet 30 annis, poſt captam Babylonem 9, poſt initam monarchiam 7, cum menſe uno aut altero. De mortis genere variant autores. Alii in prælio contra Maſſagetas ſeu Scythas occubuiſſe, caputque illius amputatum, in utrem humano ſanguine repletum, juſſu Reginæ Scytarum, quæ tum erat *Tomyris* ſeu *Tamiris* conjectum fuiſſe tradunt. Alii captum illum in acie, & cruci adfixum, alii, inter quos Xenophon, placidâ illum in Perſide inter ſuos morte defunctum fuiſſe. Conditorium illius Paſargadis in Perſide dicitur poſitum; hancque monumenti inſcriptionem nonnulli referunt. *O homo, Cyrus ego ſum, qui Perſis imperium conſtitui, & Rex Aſiæ fui. Ne igitur monumentum mihi invideas.* Alii ita. Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλέων. *Cyrus ego, Rex olim Regum, hic conditus ſum.*

§. 27. Xenophon multas narrat ſententias, frequenter à Cyro adhibitas, ut, πόνοι τοῦ ἡδέως ζῆν ἡγεμόνες εἰσί. *Labores jucundæ vitæ duces ſunt.* ὑπερμέγεθες ἔργον ἐςὶ τὸ καλῶς ἄρχειν: *Maximum eſt opus pulchrè imperare.* ὀλίγα δυνάμενοι προορᾶν ἄνθρωποι περὶ τοῦ μέλλοντος, πολλὰ ἐπιχειροῦμεν πράττειν: *Cum pauca de futuris proſpicere nos homines valeamus, multa tamen agere inſtituimus:* μηδὲν ἐςὶ κερδαλεώτερον ἀρετῆς, *nil eſt virtute fructuoſius.* Cyri Gnomæ.

§. 28. Cyro ſucceſſit filius *Cambyſes*, patri diſſimillimus. Nam, ut obſervavit Diodorus Siculus, Cyrus erat πρὸς τοὺς ὑποτεταγμένους εὐγνώμων καὶ φιλάνθρωπος. Cambyſes vero φύσει μανικὸς καὶ παρακεκινηκὼς τοῖς λογισμοῖς: regnavit annos ſeptem, menſes quinque. Non attulit hic furioſus, φύσει πονηρὸς ὤν, ut habet Joſephus, miſeris Judæorum rebus levamentum. Putat Joſephus, hunc Cambyſem eſſe *Artaſaſtam* Eſræ, ad quem Samaritani detulerunt Judæos, quique omnem urbis ſtructuram plenè inhibuit, Eſr. cap. 4: verſ. 7–24. ſed fallitur. Eſra narrat *Ahaſuerum* ut anteceſſorem *Artaſaſtæ*; quis autem erit medius hic inter Cyrum & Cambyſen? Deinde quàm diverſum eſt nomen *Cambyſes*, & *Artaſchaſt* ſeu Artaxerxes? Nam hoc eſſe commune nomen Regum Perſiæ, ut eſt in *Seder olam Rabba* cap. 30. כל המלכות נקראן ארתחשסת *omnis Rex vocatur Arthaſaſt*, non eſt probabile. Perſarum enim Reges alii appellantur Cyri, Darii alii, Aſſueri alii, Artaxerxæ alii. Denique Zach. 1: 12. 7: 5. numerantur 70 *anni*, quibus Deus *durius tractaverat* reductos in terram, & quibus *jejunaverant*, illorum implementum non habebimus, ſi ſub Cambyſe impedimenta templi impleta & urbis ſtatuamus, qui ſtatim Cyro ſucceſſit, & parvo tantùm intervallo regnavit. Pariter qui hunc Cambyſen eundem faciunt cum *Ahaſſuero*, de quo Eſr. 4: 6. illi conſiderent, ſecundùm ſe & Joſephum unum eundemque hominem vocari Cambyſen, Ahaſuerum, Artaſchaſtam; quæ nomina nunquam unus habuit. Cambyſes.

§. 29. Poſt Cambyſen *Magi* duo, fratres, quorum unus *Cometes* ſeu *Patizithes*, alter *Oropaſtes* ſeu *Smerdes* dictus, regnum dolosè occupaverunt. Cometes *Oropaſti* regnum tradidit, hunc autem Eſræ nominari *Artaſaſtam*, & ad hunc Samaritanas literas perlatas Eſr. 4. quorundam opinio eſt. Nimis breve fuit regnum Magi hujus, *unum* tantùm regnantis annum, quàm ut de rebus Judæorum tantas ſollicitudines conceperit. Satis uno hoc anno negocii habuit, ut regnum, quod fraude quæſiverat, indulgentia & largitionibus confirmaret. Magi.

§. 30. Eſra non facit mentionem Cambyſis & Magorum; ſed à *Cyro* mox tranſit ad *Darium*, Eſr. 4: 5. nam utrorumque regnum fuit breve & ignobile; & nullam rebus Judæorum attulit mutationem.

Darius Hyſtaſpis. §. 31. Occiſis Magis à *ſeptem* optimatibus Perſarum unus è conjuratis & Magorum interfectoribus *Darius* Hyſtaſpis filius, qui Hyſtaſpes Suſis præfuiſſe dicitur, Rex conſtitutus eſt; cui præter formam, virtutemque hoc imperio dignam, etiam cognatio juncta cum priſtinis regibus fuit. Hic & Cyri filiam, *Atoſſam*, quæ fratri Cambyſæ primum, deinde Mago nupſerat, in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus, & ut in familiam Cyri id reverſum videretur. Scio Æſchilum, qui adverſus Darii copias in pugna Marathonia dimicavit, inter Magi cædem & hujus Darii Imperium duos alios ordine reges nominare *Maraphem*, & *Artaphernem*; ſed quia de illis probatiſſimi quique autores ſilent, nec nos de illis dicere operæ ducimus pretium.

Non ſub illo abſolutum templi urbisque ædificium. §. 32. Sub hoc Dario Joſephus putat templi urbisque abſolutionem perfectam, & quæcunque Eſræ cap. 5. & 6. narrantur, ſub hujus auſpiciis, & ex illius nutu & conſenſu facta eſſe, ſed hæc ſententia per ſe ruit, poſtquam probatum eſt, nec Ahaſſuerum, nec Artaſaſtam, qui poſt hunc Darium memorantur eſſe aut Cambyſen aut Magum. Certum eſt, Darium, ſub quo templum perfectum eſt, eſſe ſeriorem Artaſaſta, qui omnem ſtructuram inhibuit. Atque hic Darius, de quo nobis ſermo, prior eſt Artaſaſta, non ergo templum ſub illo abſolutum eſt.

Joſephi fabula de Serubabele. §. 33. Fabulatur etiam Joſephus, *Serubabelem*, filium Sealtiel, poſtquam Darius Hyſtaſpis Regnum adeptus eſt, ex Hieruſalem deſcendiſſe, & Darium veterem amicum conveniſſe, & ab illo cuſtodem corporis cum aliis duobus electum; Regemque, cum aliquando inſomnem tranſigeret noctem, tres hos cuſtodes corporis ſui rogaſſe; primum, *εἰ ὁ οἶνος ὑπερέχοι*; ſecundum, *εἰ οἱ βασιλεῖς*; Tertium, Serubabelem, *εἰ αἱ γυναῖκες, ἢ τούτων μᾶλλον ἡ ἀλήθεια*; Serubabelem autem benè in rem dixiſſe; Regemque ad teſtandum voluptatem, quam è reſponſo illius ceperat, omnia ipſi, quæ de ædificanda petierat urbe & ſanctuario conceſſiſſe.

§. 34. Neque tamen ex eo, quod dicitur, Eſr. 4: 5. *irritum fecerunt conſilium illorum omnibus diebus Cyri, & uſque ad regnum Daris Regis*, ulla ratione ſequitur, ſub Dario templum perfectum eſſe, aut ſub Dario conſilium Judæorum non amplius factum irritum. Mens Eſræ eſt. Inde à Cyro, uſque ad Darii regnum conſilia Judæorum turbata; & nec ſub Darii regno deſiiſſe turbari. Dum Eſra dicit, *& uſque ad Regnum Darii* innuit, nec illo tractu, qui inter regnum Cyri & Darii interjacet, quo Cambyſes rebus præfuit, conſilia Judæorum manſiſſe imperturbata.

§. 35. Qui Darium hunc Hyſtaſpis volunt eundem eſſe cum Aſſuero, de quo in libro Eſther, & reginam *Vaſthin* eſſe ipſiſſimam *Atoſſam*, Cyri filiam, Hyſtaſpidæ conjugem, ſtatuunt incerta valde. Si Darius idem cum Ahaſuero, cur incipit de *Ahaſuero* ſermo, ut de alio & diverſo à Dario? Eſræ 4: 6.

§. 36. Pariter qui putant *Artachſaſtam*, de quo eſt, Eſr. 6: 14. *è ſententia Cyri, Darii, & Artaſaſtæ Regis*, fuiſſe unum è ſeptem Perſis, qui oppreſſerunt Magum, illumque conſortem cum Dario imperii fuiſſe, dicunt, quod probare non poſſunt. Nunquam enim habuit Darius Hyſtaſpis regni ſocium. *Artaſaſta* autem is eſt idem ille, ſub quo *Eſra* aſcendit Hieroſolymam, Eſr. 7. & *Nehemias*, Nehem. 2. Dices. Atqui nominatur & jungitur cum *Dario*, & illo in loco, ubi agitur de abſolutione templi, cum Artaſaſta Nehemiæ poſt Darium & poſt perfectum templum demum regnarit. Reſpondeo, illius fieri mentionem per uſitatam *περίληψιν*; illumque eſſe recenſendum merito cum illis, qui promotores ædificandi fuere templi, quia & ille juſſit deinceps dari *ligna, ad contabulandum portas, quæ erant domui*, hoc eſt, templo. Nehem. 2: 8. & de cætero fautor promotorque fuit urbis, in qua templum ædificatum fuit.

§. 37. Da-

§. 37. Darius Hyſtaſpis 36. regnavit annos: moriens multos reliquit filios, & in regno & ante regnum ſuſceptos, è quibus *Xerxes*, Atoſſæ filius, regni gubernacula adeptus eſt; prælatus omnibus aliis. Scribit Herodotus habuiſſe illum εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Bellum à Patre Dario cœptum adverſus Græciam quinquennium inſtruxit; tantusque illius fuit apparatus, ut non immerito proditum ſit, flumina ab exercitu ejus ſiccata, Græciamque omnem vix capere exercitum ejus potuiſſe. Ariſtides Sophiſta ita de illo, inquit, *Telis obtegebatur ipſe Sol, mare navibus, terra copiis pedeſtribus, aër ſagittis redundabat.* Juvenal. Satyr. 10. *Credimus altos defeciſſe amnes; epotaque flumina Medo prandente.* Sed quam terribilis Xerxis in Græciam introitus, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit: illeque terror ante gentium, bello in Græciam infeliciter geſto, etiam ſuis contemptui eſſe cœpit, & ab Artabano præfecto trucidatus eſt, poſtquam regnaſſet annis 21. De hoc Xerxe ſermo eſt Dan. 11: verſ. 2. *ditabitur divitiis magnis præ omnibus, & excitabit omnia contra regnum Græcorum.*

Xerxes; ſeu Ahaſſuerus.

§. 38. Eſra poſt Darium nominat *Ahaſuerum.* ℣. 6. *Et in regno Ahaſueri, in initio regni illius, ſcripſerunt adverſationem contra habitantes Judam & Hieroſolymam. Xerxes, Cyaxares* Græcis dicitur, qui ſacris ſcriptoribus *Ahaſſuerus.* Ita Darius Medus dicitur filius *Ahaſueri* Dan. 9: 1. & alibi Cyaxaris, Xerxis. Ergo & hic *Xerxes* erit Eſræ *Ahaſſuerus.*

§. 39. Hic *Ahaſſuerus*, Græcis *Xerxes*, eſt ille de quo in libro Eſther agitur, qui repudiata uxore, *Eſtheram*, aliàs *Hadaſſam*, Abichajilis Benjaminitæ filiam ſibi junxit. Eſth. 2: 1–8. 16. 17. In novarum harum nuptiarum honorem exhibuit Ahaſſuerus ſive Xerxes convivium magnificum, omnibus principibus & ſervis ſuis; conceſſit levamenta onerum provinciis, & dona largitus eſt ſecundum facultatem regiam. Eſth. 2: 18.

§. 40. Sub hoc Xerxe ſive Aſſuero ſcripta eſt *adverſatio* ſeu *criminatio* adverſus Judæos & Hieroſolymam. Ita ut nec ſub illo Judæi reducti, magna proſperitate gaviſi ſint. Et hîc memores ſimus anguſtiæ maximæ, quæ Judæis, qui in terram non aſcenderant, excitata eſt, fraude & dolo *Hamanis*, Amedathæ filii, Agagæi, è regia Amalekitarum ſtirpe orti; qui à Rege Aſſuero mandatum de toto Judæorum genere tollendo impetravit. Eſth. 3: 7–11. Sed hæc anguſtia, ut ut magna, in gaudium vertit. Haman in crucem Mardochæo præparatam actus eſt. Eſther cap. 7. Mardocheus patruelis Eſtheræ maximis dignitatibus honoratus. Eſth. 8: 1. 2. 15. Et interfectores Judæorum ipſi interfecti. Eſth. 9: 1–16. A Mordecajo denique inſtituta eſt conſuetudo celebrandi feſtum *Purim* ſeu *ſortium* quotannis die 14. & 15. menſis Adar. Eſth. 9: 20–32. quod feſtum etiamnum Judæi celebrant, cum prælectione libri Eſther, pulſantes pugnis & malleis ſcamna in Synagogis, quoties *Hamanis* fit mentio. Ut ut autem ſub hoc Xerxe talia & tanta in bonum evenerint Judæis, tamen parum in negotio templi & urbis ſub illius regno effectum legimus.

§. 41. Xerxen excepit filius *Artaxerxes*, Μακρόχειρ ſive *Longimanus* nominatus, quod manum dexteram haberet altera longiorem. Hic eſt ille *Artaſaſt*, de quo Eſr. 4: verſ. 7. ad quem *gentes Samariam & cis-Euphrateam* inhabitantes miſerunt epiſtolam, in qua dolebant *Judæos ædificare Hieroſolymam, civitatem illam rebellem & malam*; quæ ſi abſolveretur, non daturos illos amplius Regi vectigalia & tributa, imò & אַפְּתֹם מַלְכִים hoc eſt, autoritatem Regum & poteſtatem, quâ abſolutè decernunt, aguntque ἀποτόμως, damnum paſſuram. Addunt, ipſis non fuiſſe integrum *videre nuditatem Regis*, τὴν ἀσχημοσύνην βασιλέως. Ideo maturè ſcripſiſſe. Eſr. 4: verſ. 9–16. Satis callidè agunt hi filii tenebrarum. Templum ædificari id erat, quod ægrè faciebat ipſis; non poterant

Artaxerxes Longimanus.

terant ferre repulſam, quam acceperant, ***Non vobis & nobis ad ædificandum domum Dei noſtri***, Eſr. 4: 3. ideo opus impedire ſatagunt. Non queruntur coram Rege de ædificatione templi; eam enim forſan Rex permiſiſſet; ſed ſpecioſo prætextu futuræ rebellionis, ingruentis damni regiis vectigalibus, & detrimenti abſolutæ poteſtatis regiæ urbem accuſant; gnari ſatis, Regem non laturum, ut ædificetur urbs æmula imperii.

§. 42. Ut cogitarunt, ita & evenit. Rex lectâ epiſtolâ è veſtigio reſpondet; ædificationem urbis jubet ſiſti, uſque dum *ponatur ab illo* טְעֵם *decretum* aliud. Eſr. 4: verſ. 18-22. Videtur Rex voluiſſe maturius alias de re deliberare. Interim autem, donec id fiat, abrumpendam ædificationem. Reſponſo hoc læti hoſtes Judæorum ſtatim adſunt armata manu. Tuncque *ceſſavit opus domus Dei uſque ad annum ſecundum regni Darii*. Eſr. 4: 23. 24. Regnavit Longimanus 41. annos. Ita longo ſatis intervallo opus ſanctum impeditum fuit.

§. 43. Quanta miſeria! opus tanto ſtudio ædificari cœptum; in diebus quidem Cyri aliquo modo impeditum; ut & in diebus Cambyſis, Darii Hyſtaſpis, Xerxis; ſub quibus tamen per intervalla aliquid in illo ſtructum videtur, nunc intactum manet, nec ulla manus tam longo illi adhibita intervallo! Verè Judæi hæc animo perpendentes dicunt Joh. 2: 20. 46. *annis* οἰκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος. Certè non minus 46. annis extructum eſt templum. A primo enim Cyri anno, quo Monarchia potitus eſt, & edictum promulgavit de ædificanda domo, uſque ad annum ſextum Darii Nothi, quo abſoluta eſt templi ædificatio, numerantur anni 114. hoc tempore currente ædificata fuit domus, & interrupta, & non niſi elapſo illo abſoluta. confer Eſr. 5: 16. *Ex tunc*, nimirum ab edicto Cyri *hactenus ædificatur domus, & non perfecta eſt*.

Xerxes ſecundus. §. 44. Artaxerxes Longimanus, ubi vita exceſſit, filius ei *Xerxes* in imperio ad unum duntaxat annum ſucceſſit. Cum enim in feſto quodam ebrius eſſet, atque in regia ſua dormiret, à fratre *Secundiano*, & Pharnacya eunucho interfectus eſt.

Secundianus. §. 45. *Secundianus*, aliàs *Sogdianus*, ex Aloguna Babylonia ſuſceptus, imperio potitus eſt menſibus ſeptem; vel ut alii, menſibus ſex, & diebus quindecim.

§. 46. *Ocho* enim fratri illius, quem Pater Artaxerxes Hyrcanorum præfectum conſtituerat, à magnatibus, quamvis invito cidaris impoſita eſt. Sogdianus autem captus & interfectus. *Ochus* mutato nomine *Darius Nothus* appellatus eſt. *Paryſatidem* ſororem ſimul & uxorem habuit. Hunc Scaliger ſentit Hieroſolymitani templi reſtauratorem eſſe.

Darius Nothus.

Haggæus & Zacharias Prophetæ. §. 47. Uſque ad annum ſecundum hujus Darii Nothi omne opus domus Domini ceſſaſſe diximus. Eſr. 4: 24. Populus ſecurè degebat, nec de abſolvendo amplius ſollicitus erat ſanctuario, ſua curans, iiſque contentus, qui meritò jureque non ceſſare, ſed continuis jejuniis & precibus Deum fatigare, nec ſomnium oculis dare debuiſſet, antequam à Deo impetraſſet auxilium. Pſalm. 132: 3. 4. 5. Igitur dormientibus mittuntur monitores, Prophetæ, *Haggæus*, *Zacharias*, quorum prophetiæ abſoluta captivitate Babylonica in terra ſancta editæ ſunt. *Sciendum eſt*, inquit Hieronymus, *magni ſpiritus fuiſſe Aggæum & Zachariam Prophetas, ut adverſum Artaxerxis Regis edictum, & Samaritanos, gentesque cunctas per circuitum, ædificationem templi impedientes, juberent templum exſtrui*. De iis ita Eſra 5: 1. *Et prophetavit Haggæus, & Zacharias ad Iudæos in Iuda & Ieruſalem in nomine Dei* Iſraël.

§. 48. Apud Haggæum queritur Dominus dixiſſe populum, *Non eſt tempus, ut veniat tempus domus Domini, ut ædificetur*, Hag. 1: 2. hoc eſt, nulla adhuc adeſt opportunitas; nulla ſe offert occaſio. Regis edictum ejuſdem adhuc eſt ſeveritatis & rigoris. Reſpondet Domi-

Dominus. ℣. 4. *An opportunum eſt vobis ipſis habitare in domibus veſtris contabulatis, dum Domus hæc deſolata eſt?* Torporem hunc multis Deus judiciis & caſtigationibus expellere non neglexit. *Seminaſtis multum, & infertis parum, editis & non eſt ad ſatietatem; bibitis, & non eſt ad ebrietatem.* &c. ℣. 6. confer ℣. 9. 10. 11. *Quamob cauſam? Propter domum meam, quæ deſolata eſt, & vos curritis unuſquiſque ad domum ſuam.* Igitur ſerio monet ℣. 8. *Aſcendite montem, & afferte ligna, & ædificate domum, & gratam illam habebo.* Libanum intelligit, ex quo Cedri ad domum ædificandam petendæ erant.

§. 49. Per Zachariam autem hunc in modum locutus eſt Dominus. Zach. 1: 16. *Sic dixit Iehova: reverſus ſum ad Hieroſolymam in miſericordia: domus mea ædificabitur in illa, & linea tendetur ſuper Hieroſolyma.* Zach. 4: 6. *Hoc eſt verbum Domini ad Serubabel, non robore, neque viribus, ſed per Spiritum meum.*

§. 50. His monitionibus excitati Serubabel, Jehoſuas, & omne reſiduum populi, *obedioverunt voci Domini, & inceperunt ædificare domum Domini in Ieruſalem*, Prophetis illos jugiter inſtigantibus Eſr. 5: 2. & Domino *Spiritu* ſuo aſſiſtente. Hag. 2: 5. 6. *Fortis eſto omnis populus terræ, & facite: nam ego vobiſcum cum verbo meo, & Spiritus meus ſtat in medio veſtri.*

§. 51. Ita dum in opere ſunt, accedit Satrapa *Tatnai*, aliique rogantes, *Quis dedit vobis licentiam* בַּיְתָא דְנָא לִבְנֵא *ædificandi domum hanc.* Eſr. 5: 3. Tempore Artaſaſtæ erat *Rehum, Schimſai, ſociique* Eſr. 4: 7. 8. 9. multo tamen impudentiores & maligniores Tatnæo: nam non obſtante interloquio Tatnæi pergunt in opere Eſr. 5: 5. Neque etiam epiſtola, quam Tatnai Dario Regi ea de re ſcripſit, tam plena eſt conviciorum, ut illa Rechumi fuerat. Simpliciter & non mala fide narrat, *Domum lapide cæſo ædificari, & lignum poni in parietibus.* Judæoſque dicere, id illos facere *juſſu & autoritate Cyri Regis*; petitque *voluntatem Regis* ſibi notificari. Eſr. 5: 6 -- 17. Tatnai Satrapa.

§. 52. Juſſit mox Darius, liberam permitti ſenioribus Judæ ædificationem domus, & ſumptus illis ſolvi ex ærario opibuſque regiis, & ad holocauſta animalia curari, vinum oleumque ad libamina; ſtatuta ſeveriſſima pœna in omnes, qui ulla auſint ratione transgredi hoc edictum. Eſr. 6: 1 -- 13. Edictum Darii.

§. 53. Ita abſolverunt *ſeniores Iudæ domum Domini, anno ſexto Darii, die tertio menſis Adar* Eſr. 6: verſ. 14. 15. cum incepiſſent *opus in domo Iehovæ exercituum. In die viceſimo quarto, menſis ſexti, anni ſecundi Darii Regis.* Hag. 1: 14. 15. & *induit* rurſum *veſtes ſuas ornatûs civitas ſancta.* Eſ. 52: 1. Miremur autem Dei potentiam. Darius Nothus, filius Artaxerxis, inimici populi Dei, ſua auctoritate, ſuis opibus exſtruit domum Domino, quem non agnoſcebat, nec recte colebat. At quid mirum, corda humana flecti Deo, cui mare cedit, & venti obediunt; coram quo petræ rumpuntur & montes transferuntur? Abſolutio templi.

§. 54. Paulo poſt celebrata ſunt *encænia templi à filiis Iſrael, Sacerdotibus Levitis, cum gaudio, centum* oblati *boves, ducenti arietes, quadringenti agni, duodecim hœdi pro peccato, ſecundum numerum tribuum Iſrael.* Eſr. 6: 16. 17. Ut ut enim tribus Judæ & Benjamin imprimis facta fuerit reductio, tamen & è reliquis decem tribubus multi reverſi ſunt. Nam & *terra Sebulon, & terra Naphtali* partem habuit in liberatione, Eſ. 8: 23. & de decem tribubus factum, quod eſt Jerem. 3: 14. *Et capiam vos unum de civitate, & duos è tribu* ſeu familia. Encænia templi.

§. 55. Nec tantum, ſed & *Sacerdotes reſtituti ſunt* לְבְפַלְגָּתְהוֹן ἐν διαιρέσεσιν αὐτῶν *in diſtribu-*

diſtributionibus ſuis; & Levitæ בְּמַחְלְקָתְהוֹן ἐν τοῖς μερισμοῖς αὐτῶν *in diviſionibus ſuis, in opere Dei, ſecundum ſcripturam libri Moſis.* Eſr. 6: 18.

§. 56. Deinde ſtatuto tempore factum eſt *Paſcha*, & *feſtum celebratum azymorum, ſeptem diebus, in gaudio*, quô *affecerat illos Deus*, & *verterat cor Regis Aſſur* (ita vocatur Rex Perſiæ, cui nunc Aſſyria & Chaldæa obediebant) *ad illos, ad confortandum manus illorum in opere domus Dei, Dei Iſrael.* Eſr. 6: 20. 22.

§. 57. Ita revixit cultus Moſaicus, Leviticus, & ceremonialis, intravit rurſum זֶבַח וּמִנְחָה *ſacrificium & munus.* Dan. 9: 27. Sacerdotibus redditum miniſterium, Levitis tabernaculi ſervitium.

Templum ſecundum non par primo.

§. 58. Templum hoc ſecundum, ut ut exſtructum *è lapide caſo* Eſr. 5: verſ. 8. inferius tamen fuit ſplendore, decore, ornatu & magnificentia primo Salomonis: hinc multorum lacrymæ. Eſr. 3: verſ. 12. adde Hag. 2: verſ. 4. *Quis è vobis eſt ſuperſtes, qui vidit Domum hanc, in gloria ſua prima; & quid vos videtis illud nunc; annon ut nihil eſt in oculis veſtris?* Habuit quidem eaſdem numero partes, ſanctum ſanctorum, & ſanctum, & *καταπέτασμα velum*, Matth. 27: 51. attamen eandem non habuit formæ pulchritudinem. Primum ædificatum eſt liberali manu Regis potentiſſimi, domeſtici, pacifici, opulentiſſimi. Secundum ab exulibus, miſeris, pauperibus, ſæpè interruptum & impeditum; & liberalitate Regis advenæ promotum. Quinque præterea res dicunt Judæi defuiſſe huic templo 1. *Arcam & Cherubinos.* 2. *σκήνωσιν*; de qua vide Exod. 29: 42–46. Lev. 16: verſ. 22. 1 Reg. 8: verſ. 12. 3. Spiritum ſanctum ſeu Prophetiam. 4. Ignem *οὐρανόθεν*. 5. Urim & Tummim. Hæc partim ſunt vera; partim falſa. Verum eſt, defuiſſe Arcam: vaſa domus Domini ſervavit Nebucadnezar; illa reddita ſunt. Arcam non ſervavit; nec unquam rediit. Ceſſante arca, etiam inhabitatio ceſſavit ſuper arcam. *Non dicent amplius, Arca fœderis Domini, & non aſcendet in cor, & non recordabuntur illius, & non viſitabunt, & non fiet adhuc.* Jer. 3: verſ. 16. Arca ſpiritualis, Propitiatorium verum, Corporalis inhabitatio Deitatis, futura ſub templo ſecundo, Arcam videtur conſtituiſſe inutilem: ideo nec facta rurſum eſt. Falſum, defuiſſe *Prophetiam*. Nam & Haggæus, Zacharias, Malachias ſub ſecundo prophetarunt templo. Illo ſtante venit miſſusque eſt *Elias Propheta, antequam veniret dies Domini magnus ille & terribilis.* Mal. 4: verſ. 5. Imo ad illud venit *Dominus, Propheta ut Moſes.* Mal. 3: verſ. 1. Deut. 18: verſ. 15. Illo ſtante inceperunt *prophetare filii & filiæ.* Joel. 2: verſ. 28. Neque etiam defuit *Spiritus S.* Hag. 2: verſ. 6. *Spiritus meus ſtat in medio veſtri; ne timete.* Imo impletum illis diebus, quod eſt Joel. 2: verſ. 28. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.*

Gloria tamen illius major primi.

§. 59. Ut ut autem templum hoc exilius fuerit primo, quod totum erat auro coopertum, hoc nudum, tamen inſigniter de hoc teſtatus eſt Deus. *Meum*, inquit, *eſt argentum, & meum eſt aurum.* Hag. 2: 9. Si vellem aurum & argentum, non id mihi deeſſet: nam omne meum eſt. Sed non id quæro, ne ergo defectus illius in templo vobis diſpliceat, quandoquidem ita voluntas mea eſt *Ædificate domum*, illam tantum promovete, & *gratam habebo illam*, ut ut humilem & pauperem; & *glorificabor, inquit Dominus.* Hag. 1: 8. Eritque *major gloria domus hujus poſterioris præ prima.* Hag. 2: 10. *Implebo domum hanc gloriâ.* Gloria, quæ primo adfuit templo, umbratilis fuit & externa. Gloria, ſecundo promiſſa, vera eſt, ſpiritualis, & interna. καὶ γὰρ οὐδὲ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον. 2 Cor. 3: 10. Nonne magna gloria hujus templi eſt, ad quod *venit Dominus gloriæ*, 1 Cor. 2: 8. Mal. 3: 1. cujus *vidimus gloriam, ut gloriam unigeniti*, Joh. 1: 14. in quo apparuit חֶמְדַּת כָּל הַגּוֹיִם *deſiderium omnium*

nium gentium; ad quod venerunt gentes, dicentes, ***age aſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iſrael.*** Hag. 2: 8. Eſ. 2: verſ. 3. quodque *ipſum*, ut & *Hieroſolyma* tota exſtitit כִּסֵּא יְהוָה *ſolium Domini*, Jerm. 3: 13. cujus ***mons exaptatus fuit in capite montium***, & ***elatus præ collibus***, altior quodammodo ſe ipſo factus. Eſ. 2: 2.

Judæorum errores.

§. 60. Hanc gloriam non vident nec intelligunt miſeri Judæi, ſecundum prophetiam. Eſ. 6: 10. *Pinguefac cor populi hujus, ne intelligat; obline oculos, ne videat.* Omnia alia fingunt, hanc gloriam non capiunt; quæ non ipſa eſt, ut gloria olim faciei Moſis, in quam intueri nemo poterat; 2 Cor. 3: 13. ſed quam *nos omnes retecta facie ſpeculamur*; ut gloriam *κυρίου* 2 Cor. 3: 18. Dicunt. Templum Solomonis ſtetiſſe annos 410. Secundum annos 420. Atqui miſera certe gloria eſt, quæ exiguo decem annorum efficitur intervallo. Addunt. Excellentior fuit *ſtructura* ſecundi. Si id ita, cur fleverunt ſeniores. Cur Deus ipſe dicit הֲלֹא כָמֹהוּ כְּאַיִן בְּעֵינֵיכֶם Hag. 2: 4. Dicent, Herodis ſtructuram longè fuiſſe ſplendidiorem, & ſumtuoſam valde. At ſciant miſeri, hac ipſa Herodis ſtructura *conatum* fuiſſe *Diabolum larvam illis objicere, ut non ſperarent in Chriſtum*, ut Calvini verba faciamus noſtra. Inſtant. Sub templo ſecundo ceſſavit nunquam cultus Dei integro anno, ſed ſub primo aliquoties, tempore Achaſi, Menaſſe, Joachaz, & Jojachin. Atqui fateri debent, cultum, qui ſub primo aliquoties ceſſavit, & diu in Babel, ſemper de novo inſtitutum, at nunc eundem ſub ſecundo & pòſt ſecundum ita ceſſare, ut hactenus, elapſo tanto tempore, nondum ſit reſtitutus, nec ſpes ſit ulla, illum unquam in æternum iri reſtitutum.

Verus ſcopus ædificari templi.

§. 61. Qui non data opera cæcutit, facile intelliget, ſcopum Dei jubentis ædificare templum ſecundum non fuiſſe hunc, ut oſtenderet, ſe templis manu factis indigere & delectari, & non extra illa coli aut adorari poſſe; quod non ita eſſe, docet Servator Joh. 4: verſ. 21. Sed voluit hoc templum exſtare, ut eſſet receptaculum & domicilium quaſi Servatoris, in carne appariturі, *Subito veniet ad templum ſuum, Dominus, quem vos quæritis*, Mal. 3: 1. & ut interim in populo, qui ad illud accedere cogebatur cottidie, cultus ſervaretur & doctrinæ unitas; adeoque *pædagogus*, hoc eſt, exercitium legis, eſſet & vigeret in populo. Hinc Deus non curavit ſpeciem illius exilem; nec exegit, ut mundana ornaretur pompa & ſplendore.

Artaxerxes Mnemon.

§. 62. Darius Nothus, qui tam impensè rebus faverat Judæorum, cum annis 19. imperium obtinuiſſet, mortem obiit. Illi ſuccedens filiorum natu maximus *Artaxerxes*, è Paryſatide natus, ante regnum *Arſaces* ſeu *Arſicas* dictus, cognomine *Mnemonis*, à memoriæ felicitate inſignitus, 43. annos regnavit. Dicitur Darius jam jam moriturus, ab illo rogatus, qua induſtria regnum per tot annos conſervaſſet, reſpondiſſe; juſta erga Deos, omneſque homines faciendo. Idem Darius, qui regnum Artaxerxi, *Cyro*, fratri illius, teſtamento legavit civitates, quarum præfectus erat. Crudele deinde inter hos duos fratres exarſit bellum; ſed infelix Cyro ac exitioſum. Hic Artaxerxes eſt ille *Artaſaſta*, de quo Eſr. 6: 14. 7: 1.

Eſræ aſcenſus in Hieruſalem.

§. 63. Non minor novi hujus Regis in Dei populum pietas fuit. *Anno ſeptimo regni Artaſaſtæ Regis aſcendit Eſra è Babel*, annuente & volente Rege, qui *ipſi dedit omnem petitionem ſuam*, Eſr. 7: 6. imò & *diploma*; in quo libertatem facit omnibus, qui vellent, *adeundi cum illo Hieroſolymam.* Eſr. 7: 13. Reſtitabant multi Babylone, neceſſitate partim; quia in terra omnes initio habere haut potuiſſent domos, agros, urbes, victum, partim metu; quod ſecurius ſe in Babylone, quam in Judæa habitare poſſe exiſtimaſſent; idque propter gentium vicinarum terrorem. Illos admonuerat ſæpius Deus. *Heus, heus, & fugite è terra Aquilonis, ait Jehovah, nam ut quatuor plagas cæli expandi vos. Heus Zion*

effuge, habitans cum filia Babylonis. Zach. 2: 16. 17. Et certe æquum erat terram ſanctam præferre terræ impuræ. Imò quis non mallet ſub paſtore Deo agere, quam ſub dominatione gentium.

§. 64. Magnam argenti aurique ſummam, quam *Rex Deo Iſrael obtulerat* ad emendum animalia & libamina *ad offerendum in altari Dei, qui in Ieruſalem*, abduxit ſecum, Eſræ. 7: 14-17. Imo & juſſit Rex præfectos & theſaurarios cis Euphratæos, facere omnia Eſræ deſideria, verſ. 19. 20. 21. omneſque Sacerdotes, Levitas, & ſacræ rei operam dantes immunes habere à vectigalibus. verſ. 24. Et quod maximum eſt, facultatem conceſſit Eſræ, *ordinandi* ſeu conſtituendi שָׁפְטִין וְדַיָּנִין *judices & cognitores*, ad *jus dicendum omni populo*, hac cum autoritate, ut delinquentes & inobedientes traderent ſive *ad mortem*, ſive *in exſtirpationem, ſive ad mulctam opum & vincula*, Eſr. cap. 7: verſ. 26. Ita etiam judicia capitalia licuit illis exercere; quod poſtmodum ſub Romanis non licuit, Joh. cap. 18: verſ. 31. ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα hic fuit primus quaſi gradus & via ad αὐτονομίαν, quam deinceps obtinuerunt.

Quis Eſra fuerit?

§. 65. Fuit hic Eſra è familia *Aharonis, Pontificis ſummi*, adeoque *ſacerdos*, Eſr. 7: 1-5. 11. fuit סופר מָהִיר בְּתוֹרַת משֶׁה *ſcriba velox in lege Moſis.* Eſr. 7: 6. confer Nehem. 8: 2. 5. 10. 14 & Eſr. 7: 11. *Eſdræ Sacerdoti Scribæ, Scribæ verborum præceptorum Domini & ſtatutorum ejus ad Iſraelem* & verſ. 10. *Eſra diſpoſuerat cor ſuum ad ſcrutandum legem Iehovæ, & ad faciendum & ad docendum in Iſraele ſtatutum & judicium.* Fuit ergo γραμματεὺς *ſcriba*, non tantum deſcriptor verborum legis, ſed etiam interpres illorum, לְלַמֵּד Eſr. 7: 10. Ita multi è Levitis etiam fuerunt סֹפְרִים *ſcribæ*, 2 Chron. 24: 13. De *ſcribis* querela eſt Jerem. 8: 8. *in mendacium fecit* legem *ſtilus falſarius ſcribarum*; falſa interpretatione & depravatione genuini ſenſus, & contorſione verborum fecerunt legem quaſi mentiri; nec rectè docere populo *veritatem Dei.* confer Eſ. cap. 33: 18. *ubi* סֹפֵר γραμματεὺς, *eruditus & literatus*, ſcripturæ tractator?

Prævaricatio in populo, uxores ductæ peregrinæ.

§. 66. Advenienti Eſræ ſtatim adfertur querela de מַעַל *prævaricatione*, in qua *manus Principum & Magnatum* ſeu antiſtitum fuerat רִאשׁוֹנָה *prior*, nimirum reducti è populo duxerant *uxores è puellis Cananæorum, Iebuſitarum Ægyptiorum*, &c. Ita *Semen ſanctum*, hoc eſt, populus Iſraël, ſanctus ob eximias illas prærogativas, de quibus, Rom. 9: 4. *commixtum erat cum populis terræ.* Eſr. 9: 1. 2.

Contra Dei præceptum.

§. 67. Præceperat Deus per Moſen de illis gentibus, Deut. 7: 3. 4. *non contrahes cum illis affinitatem, filiam tuam non dabis filio illius, & filiam illius non ſumes filio tuo*, adde Deut. 23: 6. *non requires pacem illorum & incolumitatem omnibus diebus tuis in ſeculum.* Sivit olim Deus *gentes omnes ire in viis ſuis*, Actor. cap. 14: verſ. 16. *abalienavit illas à politia Iſrael, à Chriſto, Deo, Spe, teſtamentis.* Epheſ. 2: verſ. 12. poſuit *parietem intergerinum, legem præceptorum in placitis*, Eph. 2: 14. 15. illas inter & Iſraëlem. Ut paries domum à domo diſtinguit, & vicinos à vicinis ſeparat, & corpora dividit à corporibus, ita hic ceremonialis cultus, circumciſio in carne, lotiones externæ, ſacrificia pro peccato, diſcrimina ciborum, & ſi quid aliud, ſeparavit Judæos à gentibus, quæ non potuerunt haberi, ut unum corpus cum illis, non lotæ, nec ſignatæ ut Iſraël. Placuit Deo olim tanta in gentes, de quibus eximiæ promiſſiones dictæ erant Abrahamo Geneſ. 22: 18. uti ſeveritate; tum quia id ob multiplicia peccata benè erant commeritæ; tum ut oſtenderet, quanta gratia dignaretur Iſraëlem, nil in ſe gentibus potiorem aut amabiliorem, Deut. 7: 7. tum ut demonſtraret, *mediatorem*, in cujus manu Lex erat addita, *non eſſe unius*, Gal. 3: 19. 20. tum ut doceret, nondū adeſſe tempora illa meliora, quibus per pacis Principem, *ambos reconciliantem*

tem in uno corpore Deo per crucem, inimicitiamque abolentem in ſe, evangelium nunciaretur de pace tum *illis*, qui erant *prope*; tum illis, qui erant *procul*, Eph. 2: 13 – 17. denique ut evidenti exemplo probaret, quanta ira ſequatur peccatum; quam impotens ſit caro, ad ſe reconciliandum Deo; quam cœca, ad inveniendum viam juſtitiæ; quam dedita malo & averſa ab omni bono: quis enim gentilium durante hac Dei ſeveritate, Deum novit, ad Deum acceſſit, aut in Deo ſalvatus eſt? Proſelyti, qui in Iſraële fuerunt omni tempore, vix numerandi ſunt, habito reſpectu ad myriades innumeras τ̃ ἀπηλλοτριωμένων, & ipſi illi, nonne *gratiâ Dei fuerunt, quod fuerunt*? 1 Cor. 15: 10.

§. 68. Igitur exſtante hoc præcepto Legis, quod ut omnia alia veteris fœderis, horribilibus munitum erat exſecrationibus, Deut. 27: verſ. 15 – 26. & a Deo vivo promulgatum; & à Moſe, fideli ſervo in tota domo Dei impoſitum præceptumque; & tanto intervallo à ſanctis, ut ut non ſine dolore & exprobratione imperfecti ſtatus, & commemoratione nondum adductæ conſummationis omnium, obſervatum; cujuſque tranſgreſſio ſeu violatio ſancto Pinchasi zelo, ſtrage duorum juſtiſſimè olim erat piata Num. 25: 6 – 8. ſcelus certè fuit, & prævaricatio & transgreſſio fœderis & inobedientia, ſecus agendo illius non implere tenorem. Ideò injuſte.

§. 69. Nullum peccato huic erat remedium, & ut eſſet *exſpectatio Iſraëli ſuper hoc*, ſpeſque condonationis (Eſr. 10: 2.) niſi ut *fœminæ peregrinæ*, ductæ *è populis terræ, educerentur, & quicquid genitum* natumque eſſet *ex illis*. Eſr. 10: 3. Id, quamvis populus dicitur fuiſſe מַרְעִיד עַל הַדָּבָר *tremens propter verbum*, Eſr. 10: 9. utpote jubens rem contrariam amori conjugali & diuturnæ conſuetudini, factum communi conſenſu & animi niſu; *dataque confeſſio Domino Deo Patrum*: ita *ſeparati fuerunt à populis terræ, & à fœminis peregrinis*. Eſr. 10: 11. Et juſtiſſimè ſeparatæ.

§. 70. Conjugii Deus autor eſt. Legem illi dixit: *Relinquet vir Patrem & Matrem, & adhæreſcet uxori*, Geneſ. 2: 22. 24. quodque *Deus conjunxit, homo ne ſeparet*. Matth. 19: 6. Sed quid hîc Iſraëlitæ? ducentes uxores alienas reliquerant Deum, illius transgreſſi præceptum, dictum erat: *relinquet Patrem, & adhærebit uxori*, non autem dictum erat, *relinquet Deum*, & adhærebit uxori. Nullum conjugium licitum integrumque eſt, quod eſt contra voluntatem legemque Dei. Igitur & hoc Iſraëlitarum conjugium cum peregrinis mulieribus illicitum erat: quia id contrahendo reliquerant, non tantum patrem & matrem, quos hoc in caſu relinquere juſtum eſt; ſed & reliquerant Deum, quem relinquere ullo modo, caſu, tempore injuſtum eſt. Deinde, quod *Deus conjunxit*, quodque aſſentiente divina illius voluntate junctum & ſociatum eſt, *homo ne* ſeparet. Atqui non conjunxerat Deus Iſraëlitas cum peregrinis, licet ut ipſi carnaliter impulſi cum illis ſe conjungerent, aſſuetâ tolerantiâ permiſerat; ſed dando præceptum, *ne ducite peregrinas*, disjunctos illos eſſe debere, & non conjungi, declaraverat. Igitur homini *Eſræ* ſervo Dei, ſociiſque illius liberum erat, quod non conjunxerat Deus, quod contra Legem conjunxerat ſe, quodque adeo ipſo jure disjunctum reputari debebat, ſeparare.

§. 71. Lex hæc divina non nos obligat: nobis enim data non eſt. Et *Pax* Chriſti *inimicitiam abolevit*. Eph. 2: 15. Unde & Apoſtolus ſuadet, *Si quis frater mulierem habet infidelem, & illa acquieſcit habitare cum illo, ne dimittat illam. Et mulier, quæ habet virum infidelem, & ille acquieſcit habitare cum illa*, μὴ ἀφιέτω αὐτόν. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis in muliere & mulier infidelis in viro.* 1 Cor. 7: 12. 13. 14. Docet tamen nos id quod eſt 2 Cor. 6: verſ. 14. *ne ſitis jugum trahentes cum infidelibus* & Lex de mittendis mulieribus infidelibus an nos obliget?

1 Cor. 7: 15. *Si infidelis ſeparatur ſeparetur, non cogitur ſervire frater aut ſoror in talibus.*

Hieroſolyma munis portiſque deſtituta.

§. 72. Exſtructam hactenus vidimus Hieroſolymam, templum reædificatum, cultum divinum reſtitutum, Sacerdotes & Levitas in functionibus, ſacrificia in altari, ſuffimenta in thuribulis, ceſſationes & jejunia in feſtis & diebus indictis, leges ſtabilitas, judicia confirmata, politiam ordinatam, hucuſque tamen id defuit perfectioni reſtitutæ tum urbis tum gentis, quod legitur. Nehem. 1: 3. *Reliqui è captivitate in Provincia*, hoc eſt, reducti in Canaan, *in miſeria magna & opprobrio* vivebant, חֹמַת יְרוּשָׁלִַם מְפֹרָצֶת *murus Jeruſalem ruptus erat*, וּשְׁעָרֶיהָ נִצְּתוּ בָאֵשׁ *& portæ ejus combuſtæ erant igne.* Civitas carebat munimentis, patebat unicuique, etiam hoſtibus, portæ à veteri necdum revixerant incendio, iiſdem adhuc jacebant inſepultæ ruinis. Inde *malum magnum* populi, expoſiti quaſi hoſtium furori & ſævitiæ omni momento, & *opprobrium*, ſannaque inimicorum, ſperantium urbem deſtitutam fortalitiis, apertam omni vi & injuriæ, mittere una cum templo in incendium. Hoc in ſtatu filia Zion conſtituta, omnino ſe ſolari debuit verbo Domini apud Zachariam cap. 2: 5. *Ego ero illi, inquit Dominus, murus igneus undique, & in gloriam ero in medio illius.*

Nehemias à Rege obtinet licentiam muniendi urbem.

§ 73. *Nehemias, Pincerna Regis Artaſaſt*, hanc urbis nuditatem multo cum gemitu deplorat. *Quare*, inquit Regi, *facies meæ non erunt tetræ, quum urbs, quæ domus eſt ſepulchrorum patrum meorum ſit deſolata, & portæ ejus abſumtæ igne?* Nehem. 2: 1-4. Mitiſſimus Rex, qui antea tam liberaliter Eſram, nunc & mittit Nehemiam, *anno regni vigeſimo* (Nehem. 2: 1.) *ut ædificet urbem*, illamque includat *muro*, & muniat omni meliori modo, additis *copiis & equitibus*, ut majori id fieret ſecuritate. Nehem. 2: 5-9. Ita *venit* Nehemias *Hieroſolymam*; Nehem. 2: 11. Sacerdotes, Levitas, & antiſtites illico compellans. *Age*, inquit, *ædificemus murum Hieroſolymæ, & ne ſimus amplius opprobrium.* Neh. 2. 17. habuit illos ſibi obſequentes. *Et dixerunt, ſurgamus & ædificemus, & roborarunt manus ſuas in bonum.* Nehem. 2: 18.

Quam & munivit, fruſtra ringentibus adverſariis.

§. 74. Habuerant, cum fundarent templum & urbem Zerubabel & Jehoſadak, qui nunc videntur vitâ jam fuiſſe functi, adverſarios ſuos, ſtructuram opuſque impedientes omni virium contentione. Eſr. cap. 4. & 5. Habuit & hic Nehemias. Ita malignus ſemper obſtat piorum conatibus. *Sanbelat Choronita, Tobiah Ammonita & Geſchem Arabs* adſunt protinus. *Quanam eſt res*, inquiunt, *quam vos facitis? an in regem rebellatis?* Ita ſpecioſo prætextu exornant malitiam, ſed fortiter reſpondet Nehemias. *Deus cæli faciet nos ſucceſſum habere. At vobis non eſt pars, nec jus, nec memoriale in Ieruſalem.* Neh. 2: 19. 20.

§. 75. Junctis igitur viribus opus aggreſſi, educunt murum, portas ſtatuunt, brevique *murus totus* תִּקָּשֵׁר עַד־חֶצְיָהּ *colligatus*, conſertus, continuatus *eſt ad dimidium*, altitudinis nimirum Neh. 4: 6. in vanum ſubſannantibus hoſtibus, *quid Judæi* הָאֲמֵלָלִים *exhauſti*, debiles, *faciunt? an vacabunt ſibi, an ſacrificabunt, an abſolvent in die, an vivificabunt lapides ex acervis pulveris, & illi aduſti ſunt? Certè, quod illi ædificant, ſi aſcendat vulpes, frangeret murum lapideum illorum.* Nehem. 4: 1. 2. 3. Qui cum fruſtratos ſe opinione ſua deprehenderent, & audirent, כִּי עָלְתָה אֲרוּכָה לַחֹמוֹת *quod aſcenderet longitudo muris Jeruſalem*, hoc eſt, quod ædificatio murorum benè procederet, quodque ii inciperent attolli, כִּי הֵחֵלּוּ הַפְּרֻצִים לְהִסָּתֵם *& quod inciperent rupta ſarciri*, valde commoti ſunt. Nehem. cap. 4: verſ. 7. conjurationeque inita decernunt oppugnare Hieroſolymam, לַעֲשׂוֹת לוֹ תּוֹעָה *ad faciendum ei errorem.* Nehem. 4: 8. ſed *irritum fecit Deus conſilium illorum.* Nehem. 4: 15. Coacti tamen ſunt ſtructores muri *una manu* promovere opus, alterâ *tenere miſſile*, & gladium habere accinctum lumbis, ut vim repellere aggreſſorum poſſent.

Nehem.

Nehem. 4: 16. 17. Ita tandem perfectus fuit murus, וְלֹא נוֹתַר בָּהּ פֶּרֶץ nec *ulla ruptura ſuperſtes fuit in illo, menſe Elul* Nehem. 6: 1. 15. & magna ſolemnitate initiatus. Nehem. 12: 27 -- 42. Ita paulatim cœpit *Hieruſalem excutere pulverem, & conſidere*. Eſ. 52: 2.

§. 76. Rebus huc perductis convenit *totus populus* כְּאִישׁ אֶחָד *ut vir unus*; juſſitque *Eſram* Scribam *adducere librum legis Moſis*. Prælectus eſt publicè liber in auribus *virorum & mulierum*. Acclamavit populus, *Amen, Amen. Levitæ*, מְבִינִים אֶת הָעָם לַתּוֹרָה *expoſuerunt populo legem, & intellexerunt* בַּמִּקְרָא *textum ſacrum*. Auditis verbis legis *flevit* populus. Juſſit autem *Nehemias* & Eſra, *non lugere, nec flere*, ſed hilares eſſe & cibis uti in hilaritatem: nec *dolore affici : nam*, inquiunt, *gaudium in Domino, id robur veſtrum* eſt. כִּי חֶדְוַת יְהוָה הִיא מָעֻזְּכֶם. Nehem. 8: 1 -- 11. In Domino gaudere, robur addit animo: hinc Paulus. Phil. 4: 4. χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε, πάλιν ἐρῶ χαίρετε.

Conventus populi. Lex Moſis prælecta toti populo.

§. 77. Per idem tempus fecerunt *feſtum tabernaculorum, menſe ſeptimo*, tanta ſolemnitate, ut *à diebus Ioſuæ, filii Nun, non ſic factum ſit*. Nehem. 8: 17.

§. 78. Abſoluto feſto, die 24. ejuſdem menſis *congregati* ſunt iterum *filii Iſraël in jejunio, & ſaccis, & pulvere*, ſteterunt *& confeſſi ſunt peccata ſua, & iniquitates patrum ſuorum*. Nehem. 9: 1. Ibi excellentiſſimam orationem habent Levitæ, quæ meretur legi & relegi, in qua omnia Dei opera, miracula, beneficia, cum & in Iſraële geſta, ab initio uſque in diem illum ſuccinctè & divino eloquio, & ordine perfectiſſimo enarrant. Nehem. 9: 5 -- 35. Concludunt illam his verbis. *Ecce nos hodie ſumus ſervi, & terra, quam dediſti patribus noſtris, ecce nos ſervi in illa, & proventus illius copioſus, eſt Regum, quos dediſti ſuper nos ob peccata noſtra, & in corpora noſtra imperium exercent; & in pecora noſtra ſecundum lubitum illorum, & in anguſtia magna nos*. Nehem. 9: 36. 37. Patet ex his, quamvis nunc reducti fuerint in terram, & templum habuerint more antiquo, urbemque muris firmatam, & judices, populum judicantes, illos nihilominus adhuc *ſervos* fuiſſe Perſarum, & abſoluto illorum dominio ſubjectos: cujus argumenta hæc ſunt. 1. Dominatus in corpora. 2. In pecora. 3. Uſus & fruitio proventuum terræ.

Secundus populi conventus.

§. 79. Simul Sacramento ſe obſtrinxerunt *ad eundum in lege Domini data per Moſen*, & ad obſervandum omnia præcepta Domini & judicia & ſtatuta; & ne darent filiis ſuis filias populorum terræ, & ne emerent annonam in Sabbato, & ut omitterent annum ſeptimum. Etiam ſtatuerunt ſibi præceptum, ad dandum tertiam partem ſicli annuatim in opus domus Domini, & pro pane facierum, & munere ac holocauſto jugi. Etiam ſortes conjecerunt ſuper oblatione lignorum, ad adducendum illa in domum Dei anno in annum ad urendum in altari Domini; & ad adducendum ad domum Domini primitias terræ & fructus omnis arboris; & ad offerendum primogenita filiorum & pecudum; & de dandis decimis Levitis. Nehem. 10: 29 -- 39. Ita nihil de tota lege Moſis & omni illius cultu omiſerunt, ſed omnia maxima & minima ſibimet ipſis impoſuerunt.

§. 80. His peractis manſerunt & *ſederunt Principes populi in Ieruſalem*, Nehem. 11: 1. *ſederunt in cathedra Moſis*, Matth. 23: 2. ſederunt, ut judicia exercerent in populo, & ut indicarent אֶת דְּבַר הַמִּשְׁפָּט *verbum judicii*, Deut. 17: 9. 10. & ut *legem* ac inſtitutionem *quærerent ab ore illorum*. Malach. 2: 7. Hi vocantur Judæis *Viri Synagogæ magnæ*, cujus caput præſidemque Eſram fuiſſe dicunt. Hi principes ſucceſſoreſque illorum aſſeruerunt ſe deinceps in αὐτονομίαν, *ſolventes ſe à vinculis colli*. Eſ. 52: verſ. 2. *Solve tibi vincula colli, captiva filia Zion*: dicunturque in ſacris מֹשְׁלִים *dominatores* Eſ. 49: 7. נֹגְשִׂים *exactores* Zach. 9: 8. Eſ. 9: 3. שֹׁפְטִים *judices*. Eſ. 1: 26. *Reddam judices tuos ut primo, & conſiliarios tuos, ut in initio*, & מְחֹקְקִים *legiſlatores*, quos eſſe oportuit, donec *Siloh* veniret. Gen. 49: 10.

Senatus Hieroſolymitanus.

 §. 81. Con-

Decimus quiſque è populo manſit in Jeruſalem.

§. 81. Conjecit etiam populus ſortes *ad adducendum unum è decem, qui habitaret in Hieroſolyma civitate ſancta, novem partibus relictis in urbibus* aliis terræ Canaan. Nehem. 11: 1. nam urbs *Ieruſalem* erat *ſpacioſa & magna, & populi parum in medio illius, & non ædificabantur domus*, Nehem. 7: 4. ob inopiam incolarum civiumque multarum domuum intermittebatur ædificatio. Præter illos ſorte deprehenſos, multi *ſponte ſe obtulerunt ad habitandum in Ieruſalem*, quibus omnibus *benedixit populus*. Nehem. 11: 2. Ex hac turba ita populoſa facta eſt Hieroſolyma, ut impletum ſit, quod eſt Zach. 2: 4. *Vicis habitabitur Ieruſalem, præ multitudine hominis & pecudis in illa.* Urbs non potuit capere omnes: hinc neceſſe habuerunt habitare in villis & ſuburbiis, urbi proximè adjunctis illique accenſendis.

§. 82. Cum etiam *illo die*, hoc eſt, tempore legeretur in libro Moſis. *Non veniet Ammonita, aut Moabita in Eccleſia Dei in ſeculum*, confer Deut. 23: 3. 4. 5. 6. *ſepararunt omnem colluviem ex Iſrael*, Nehem. 13: 1 – 3. ut ſupra vidimus de mulieribus peregrinis.

Nehemiæ abitus, & reditus in Hieroſolymam.

§. 83. Nehemias *Anno* 32. Regis Artaxerxis, (quem vocat *Regem Babel* Nehem. 13: 6. ut Darius vocatur *Rex Aſſur* Eſr. 6: 22.) rediit ad Regem. Nehem. 13: 6. Interea magni irrepſerunt abuſus & corruptiones in Hieruſalem. *Eljaſchib ſacerdos* dedit *cellam magnam*, ubi *thus, vaſa, decimæ frumenti, muſti, olei*, pôni ſolita *Tobiæ* Nebuloni Nehem. 13: 5. 6. Lege de hoc Tobia Nehem. 2: 10. 3: 34. 4: 1. 6: 17. Deinde מְנָיוֹת *portiones* ordinariæ neglectæ erant *dari Levitis*: hinc illi abierunt quiſque ad agrum ſuum, & *relicta eſt domus Dei* ſine facientibus opus illius. Nehem. 13: 10. 11. Itaque Nehemias *in fine dierum*, hoc eſt, finitis quibuſdam diebus, *petitus eſt a Rege*, ut ſecunda vice rediret. Redux igitur Hieroſolymam Nehemias, conſiderans malum, quod fecerat ſacerdos Eljaſchib, *ad faciendum cellam Tobiæ in atriis domus Dei*, projecit foras e cella, quicquid erat Tobiæ, & purgata illa repoſuit in illa *vaſa domus Domini & munus & thus*. Nehem. 13: 7. 8. 9. Deinde revocavit Levitas, & *collocavit illos in ſtatione illorum, & de decimis* illis debitis providit. Nehem. 13: 10. 11. 12. Illis etiam diebus animadvertit *Nehemia*, (qui etiam vocatur הַתִּרְשָׁתָא ut Serubabel Nehem. 10: 2.) in Sabbato opus fieri & mercaturam, & ita profanari diem Sabbati: unde ira accenſus, omni id ſtudio impedivit. Nehem. 13: 15 – 22. Cumque videret Judæorum quoſdam rurſum ducere fœminas peregrinas, percuſſit illos, & ignominia notavit, & ita à facto alios abſterruit. Nehem. 13: 24 – 27.

§. 84. Fuit hic Nehemias vir plenus zelo gloriæ Dei, alienus ab omni idololatria & ſuperſtitione, diſcipulus Moſis, reſtaurator cultus, bonam ſervans conſcientiam: hinc toties dicit. *Memento mihi Domine in bonum omne, quod feci, & parce mihi ſecundum multam gratiam tuam.* Nehem. 5: 19. 13: 22. 31. *Malachias Propheta* fuit illi σύγχρονος.

Ochus, ſeu Artaxerxes.

§. 85. Artaxerxes Mnemon morbo ex dolore contracto ob cædem filii *Arſamis*, quem alter filius *Ochus* interfecerat, deceſſit, Rex, quàm Pater felicior. Succeſſit Patri *Ochus*, fratricida, & paterno nomine *Artaxerxes* nominatus eſt.

§. 86. Sub hoc Ocho an quid Judæis acciderit, è ſacris non conſtat literis: nam illæ tantum conſignarunt res ad Artaxerxem uſque Mnemonem. Dicitur tamen Ochus, cum expeditionem faceret in Ægyptum, multos ſecum adduxiſſe Judæos; & magnam partem Judæorum, in Ægypto habitantium, captivam inde ſecum Babylonem abduxiſſe, & in transmigrationem egiſſe, & deinde iis præcepiſſe, ut habitarent ad Caſpium mare. Sacra Ægyptiorum, & Apim in Deum receptum, traditur Ochus irriſiſſe; cumque eum Ægyptii, ob inertem ejus animum, Aſinum appellaſſent, Apim, vi abſtractum, immolaſſe Aſino, carnemque illius ad cœnam præparari juſſiſſe. Hunc Artaxerxem Ochum, quum 23. annis

re-

regnaſſet, ægrotantem veneno ſuſtulit *Bagoas* Eunuchus, militum tribunus, medici ad hoc opera uſus. Cum enim natione eſſet Ægyptius, Ochum, ob cæſum Apin tanto odio eſt proſecutus, ut non ſolum contumeliam gentis morte Regis fuerit ultus, ſed & ejus interempti cadaver felibus projecerit comedendum, ejuſque loco aliud ſepulchro regio condiderit.

§. 87. Hic Bagoas, cum in regno poſſet omnia, interfecto Patre, filium ejus *Arſen*, natu minimum, regem conſtituit. Sed & hunc cum liberis tertio imperii anno è vita ſuſtulit, eò quod deprehenderet, Arſen ſcelerum pœnas ab eo repetiturum. Arſes.

§. 88. Ita ad ſolitudinem regia adacta domo, *Darium*, ex amicis quendam, *Arſanis*, qui Artaxerxis Perſarum Regis frater fuerat, filium, in regno collocavit; ut docet Diodorus Siculus libr. 17. Juſtinus verò *Codomannum*, ob memoriam priſtinæ virtutis, regem à Populo conſtitutum, & *Darii* nomine, ne quid Regiæ Majeſtati deeſſet, honoratum fuiſſe narrat libr. 10. cap. 3. *Ne Darius quidem*, verba ſunt Alexandri M. apud Curtium libr. 6. cap. 4. *hæreditarium Perſarum accepit imperium, ſed in ſedem Cyri beneficio Bagoæ caſtrati hominis admiſſus eſt.* Strabo libr. 15. Νάρσην ἀποκτείνας Βαγώος ὁ εὐνοῦχος, κατέστησε Δαρεῖον οὐκ ὄντα τοῦ γένους τῶν βασιλέων. Idem tamen Bagoas à Dario hoc interemptus eſt. Curtius libr. 6. cap. 6. Darius Codomannus.

§. 89. Geſſit Codomannus cum Alexandro M. bellum diu variante fortuna, poſtremo victus, & à Beſſo occiſus vitam pariter cum Perſarum regno finivit. Dicitur Darius, antequam crearetur Rex, fuiſſe Ἀστάνδης, ſeu ἡμεροδρόμος *diurnus curſor*, tabellarius. De illo Nehemiam loqui cap. 12:22. probabile eſt. *Jaddus* enim Pontifex ei dicitur fuiſſe σύγχρονος, regnavit annis 6.

§. 90. Judæi tribuunt Medorum Perſarumque imperio annos 250. Calviſius ab edicto Cyri, quod locat in Annum Mundi 3418. uſque ad mortem Codomanni, quam ponit in A. M. 3620. facit annos 202. Curtius 230. annos dominationi Perſarum, quos à Medis diſtinguit, aſſignat. Numerus Regum annorumque Regni Perſici.

§. 91. Ponamus autem numerum omnium Regum unà cum numero annorum, quos quilibet regnando implevit.

Cyrus, Imperii Perſici conditor in univerſum ante & poſt Babylonem captam regnavit annos — — — — — — — —	30	
Cambyſes, Cyri filius — — — — — —	7	menſes 5.
Magi, interfectores Mergis, fratris Cambyſis — — —	1	
Meraphim & *Artaphernem* Reges, de quibus Æſchilus mittimus.		
Darius Hyſtaſpis, unus interfectorum magorum — —	36	
Xerxes, Darii filius, qui *Ahaſſuerus Eſthera* — — —	21	
Artaxerxes Longimanus, Xerxis filius — — — —	41	
Xerxes, Longimani filius — — — — —	1	
Sogdianus ſeu *Secundianus*, etiam filius Longimani — —	0	menſes 7.
Ochus, dictus *Darius Nothus*, etiam Longimani — —	19	
Artaxerxes Mnemon, Darii Nothi filius — — —	43	
Ochus Artaxerxes, filius Mnemonis — — — —	23	
Arſes filius Ochi — — — — — —	3	
Darius Codomannus — — — — — —	6	

Sunt igitur anni Imperii Perſici in univerſum omnes

Anni 231. menſ. 12.

§. 92. Ita

§. 92. Ita vaſtum hoc Imperium, quod totum terrarum orbem turbavit & ad ſe rapuit, brevis & momentaneæ tantùm durationis fuit; quod in Imagine, quam ſomnians vidit Nebucadnezar, per *pectus & brachia argentea* notatum fuit, Dan. 2: 32. 39. & Danieli repræſentatum ſub figura *arietis* cornibus ferientis verſus omnes plagas cœli, facientiſque ſecundùm voluntatem ſuam, & tandem projecti ac conculcati ab Hirco caprarum Dan. 8: verſ. 3 -- 7. 20.

§. 93. Ut autem Babylonicum imperium Judæam & Hieroſolymam vaſtavit àc abolevit, & Judæos in novas ſedes abduxit; ita Perſicum Imperium Hieroſolymam Templumque reſtituit, & Judæos in antiquas remiſit ſedes. Ita impletum, ut eſt Zach. 4: 7. *Mons magnus, ante Zerubabelem* conſiſtens exſtitit לְמִישׁוֹר *in planitiem.*

Quænam ſub imperio Perſico impleta ſint de prædictis à Gabriele.

§. 94. Stante hoc Imperio Perſico, quod è 70. Septimanis Danielis circiter 33. Septimanas abſolvit, impleta ſunt hæc de iis, quæ Gabriel ſeptuaginta hiſce hebdomadis aſſignavit. 1. Exitus verbi. 2. Reductio. 3. Ædificatio Hieruſalem. 4. Continuata ædificatio quoad forum & foſſam. 5. Reiterata inſtitutio Sacrificii & muneris. Denique etiam quædam tempora anguſtiæ, dico *quædam*, ſubſecuta enim ſunt plura.

Conſideratio viarum Dei.

§. 95. Miremur autem Dei vias planè extraordinarias & mirabiles. Promiſerat reductionem populi, ædificationem templi, reſtaurationem urbis. Potuiſſet efficere, ut omnia hæc regnante Cyro plenè fuiſſent confecta. Sed protrahi illa permiſit uſque ad Darii Nothi & Artaxerxis Mnemonis tempora. Ita qui omnia habet in manu ſua, & voluntati Regum imperat, conſilio ſapientiſſimo, ſic res ordinavit, ut & voluntas ſua fieret, & hominum patefieret; ut quod promiſerat impleretur, & Eccleſia per tentationes utiliter exerceretur. Per contraria procedit ad executionem efficaciſſimæ ſuæ voluntatis. Per tyrannidem Regum Perſiæ, & crudelia illorum edicta penetrat ad conſilii ſui executionem, ejuſdem terræ Regibus id promoventibus, quod alii turbare & mittere in præcipitium quæſiverant. Ita feciſſe Deum ſæpè obſervare licet. Abrahami ſemini promiſerat benedictionem, anteceſſit ſervitus in Ægypto & multiplex exſecratio. Pharao dimittere debebat populum, anteceſſit multiplex illius refragatio & potens coactio, Iſraël in terram Canaan intrare debebat: anteceſſit diuturna illius & moleſta in horribili deſerto oberratio. Idem quiete in Canaan debuit gaudere: anteceſſit longa cum habitatoribus terræ contentio & operoſa illorum expugnatio & ejectio. Meſſias, filius Davidis, debebat Regnum accipere: anteceſſit Regni Davidici abjectio & abolitio: Iſraël debebat è Babylone exire, cultum reſtaurare, templum reædificare: anteceſſerunt & comitata ſunt multiplex remora, Regum interdicta, hoſtium molimina. Tamen in omnibus & per omnia executionem adepta eſt voluntas divina.

Juſtini relatio de Judæis.

§. 96. Concludemus hoc caput relatione quarundam, quæ Juſtinus, gentilis ſcriptor, de Judæis tradidit, rerum. *Abraham*, inquit, *& Iſrahel reges Judæorum fuere. Sed Iſrahelem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit. Minimus ætate inter fratres Joſeph fuit: cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, brevi ipſi Regi percarus fuit: nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit; adeo ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos providerit; periſſetque omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet. Filius ejus Moſes fuit quem præter paternæ ſcientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat: ſed Ægypti eum terminis Ægyptii pellunt. Dux igitur exulum factus, ſacra Ægyptiorum furto abſtulit, quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempeſtatibus coacti ſunt.*

Itaque

Itaque Moſes montem Synam occupat, quo cum tandem veniſſet, ſeptimum diem, more gentilium, Sabbatum appellatum in omne ævum jejunio ſacravit. Caverunt, ne cum peregrinis communicarent, quod paulatim in diſciplinam religionemque convertit. Poſt Moſen filius ejus Arvas, Rex creatur, Sacerdos ſacris Ægyptiis, exinde hic mos apud Iudæos fuit, ut eoſdem reges & ſacerdotes haberent. Quorum juſtitia religione permixta, incredibile quantum coaluere. Primum Xerxes rex Perſarum Iudæos domuit, poſtea cum ipſis Perſis in ditionem Alexandri M. venere, hæc & plura lege apud Juſtinum libr. 36. cap. 2. & 3. Videmus ex hiſce, quæ non longè abſunt à veritate, res Judæorum gentibus non omnino fuiſſe incognitas.

§. 97. Conſtare autem ſatis arbitramur, ut è diverticulo in viam redeamus, ex iis quæ attulimus, quæ de reductione populi & reſtitutione cultus divini, quantum ad ſcopum noſtrum ſatis, ſcitu ſunt neceſſaria. Inquirendum porro, quid cum Judæis & inter Judæos, in terram nunc reductos, & patria peragentes ſacra, actum ſit, de quibus proximo capite.

CAPUT VIGESIMUM.

De Rebus, quæ poſt abolitam Perſarum Monarchiam, Judæis, in terra Canaan nunc rurſum habitantibus, evenerunt, uſque ad excidium Urbis & Sanctuarii.

§. 1. ILlarum, quæ abolitâ Perſarum Monarchiâ, in Imperio Macedonico, & poſt illud, Iſraëli evenerunt rerum hiſtoria ſacris divinarum literarum monumentis prodita haut eſt. Servitus Ægyptiaca, longa in deſerto itinera, occupatio terræ Canaan, regimen Judicum, Imperium Regum, Captivitas Babylonica, Reductio ex illa in terram, & ſi quæ alia, uſq; ad tempora Eſræ & Nehemiæ, qui coævi & coætanei fuere Artaxerxi Mnemoni, fusè ſunt in divinas relata hiſtorias. Sed quæ poſt illa acciderunt, hiſtoricè in Sacris narrata haut exſtant. Habemus autem de iis vaticinia in ſcripturis propheticis multa & clara ac expreſſiſſima, quorum quædam, ne quid operi deſit, enarranda ſunt; additâ brevi hiſtoriâ earundem rerum; ut ita conſtet, revera eſſe impleta, quæ in Prophetiis fuere prædicta. *Vaticinia de ſtatu Iſraelis ſub templo ſecundo.*

§. 2. Primum teneat locum illuſtre Jacobi oraculum. Geneſ. cap. 49: verſ 10. *Non recedet Sceptrum, & Legiſlator, donec veniat Siloh.* Duo prævidit ſanctiſſimus vates. 1. *Regnum* fore. 2. *Legiſlatorem*, hoc eſt, Synedrium, Senatum, è principibus & primariis compoſitum populi. *Sceptrum* deſiit in captivitate Babel. Synedrium ſeu Legiſlator exſtitit poſt reductionem è Babel. Sceptrum habuit Domus David. Synedrium non ſola Davidis, ſed & Aharonis conſtituit domus. Fuerunt enim in illo non tantum Serubabel, illiuſque nepotes, ſed & Jehoſuah; & ejus ſucceſſores, Sacerdotes, Eſra, imò & ſeniores populi è Juda, aliiſque tribubus. Sceptrum, quod poſt captivitatem tenuere Aſmonæi, & filii Antipatri Idumæi, umbra tantum ſceptri fuit. Synedrium, quod antè captivitatem, omni tempore, quo Iſraël fuit populus, exſtitit, inferius multo fuit potentia, authoritate, & latitudine dominationis illo, quod ſoluta captivitate ſtetit & rebus præfuit. Synedrii hujus, quod Jer. 30: 19. dicitur עדה *cœtus*, Aſſeſſores, non tantùm *Legiſlatores* dicuntur in Sacris, ſed & *Dominatores*. Eſ. 49:7. 52:5. *Exactores*, Zach. 9:8. *Principes Iehudæ*, Zach. 12:5.6. *Principes populi.* Nehem. 11:1. *Antiſtites ſanctuarii*, Eſ. 43:28. *Interpretes.* Eſ. 43:27. *Iudices & Conſiliarii*, Eſ. 1:26. רוזנים Pſ. 2:2. אישים *Viri* κατ᾽ ἐξοχὴν Eſ. 53:3. אלהים *Dii* Pſ. 8:6. 82:1. רעים *Paſtores* Zach. 11:8. & quidem *tres paſtores*, quia triplex illorum ordo fuit, fuerunt enim vel *Legiſla-* *Locus Gen. 49:10.*

tores ſ. Judices, vel *Doctores*, vel *Sacerdotes*, ſive ut eſt, Mal. 2: 12. עֵר *Vigil.* Judices pro Republica vigilant. עֹנֶה *Reſpondens*, id Doctorum eſt. מַגִּישׁ מִנְחָה *offerens munus*, id eſt Sacerdotum. Et ut multitudo Filiorum in ſacris *Filia* nomine, *Filia Zion*, *Filia Ieruſalem*, ita hæc multitudo Legiſlatorum Patrumque nomine *Matris* deſcribitur. Hoſ. 2: 1. *Contendite cum matre veſtra.* verſ. 4. *Scortata eſt mater illorum.* Hoc Synedrium Legiſlatorum non Eccleſiæ tantùm, ſed & Politiæ habuit curam, nam & bella geſſit, & nationes ſubegit. Zach. 12: 5. 6. In Novo Teſtamento hi homines dicuntur ἄρχοντες, 1 Cor. 2: 8. ἀρχαί & ἐξουσίαι, Col. 2: 15. Epheſ. 1: 21. imò & forſan *Patres carnis.* Heb. 12: 9. Prænunciat porro Jacobus *receſsionem*, ut ſceptri, ita & Legiſlatoris. *Non recedet Legiſlator, uſque dum Siloh veniat.* Ergo poſtquam Siloh venit, recedere debuit. confer Zach. 11: 8. *Abolebo tres paſtores.* Mal. 2: 12. *Exſcindet Deus Vigilem, reſpondentem, offerentem munus è tentoriis Iacob.* Eſ. 43: 28. *Profanabo principes Sanctuarii, & dabo in anathema Iacobum, & Iſraelem in opprobria.* Eſ. 52: 5. *Dominatores ejus ejulant*, ob imminutam potentiam & imminentem caſum. Pſ. 82: 6. 7. *Ego dixi, Dii vos. Certè ut homo moriemini, & ut unus principum cadetis.* Per *Deos* intelliguntur hìc illi, in quorum medio *Deus, ſtans in cœtu Dei*, hoc eſt, manifeſtatus carne in medio Iſraël, *judicavit* verſ. 1. hoc eſt, quos reprehendit & redarguit. Illi autem erant Legiſlatores, præſideſque populi. Hoſ. 2: 2. *Exuam illam*, matrem veſtram, *nudam*; *ponam illam ut deſertum*, Hoſ. 3: 4. *ſedebunt ſine Rege, Principe, Ephod, Sacrificio.* Dan. 9: 27. *Super alam abominationum Deſolator* erit. *conſummatio ſtillabit in ſtupentem.* adde 1 Cor. 2: v. 6. τῶν ἀρχόντων τῶν καταργουμένων. Col. 2: 15. ἀπεκδυσάμενος ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ.

Num. 24: 17. §. 3. Sequatur Prophetia Bileami. Num. 24: 17. Dixerat, *ſtellam è Iacobo proceſſuram; & angulos Moabi compreſſuram*; id impletum per regnum Davidicum. *Virgam ſurrecturam ex Iſrael; deſtructuram omnes filios Seth*, id verificatum in Chriſto & per Chriſtum. Proximè addit. *Et erit Edom hæreditas, & erit hæreditas Seir, Inimici ſui, & Iſrael aget ſtrenuè. Et dominabitur ex Iacobo*, aliquis, nimirum ſceptrum ex Iſraële ſurgens, *& perdet reliquum ab Urbe. Edom & Seir*, hoc eſt, Idumæi, hoſtes Iſraëlis, ab Iſraële victi, & ut circumciſionem acciperent coacti, *hæreditas*, & gratiſſima poſſeſſio futuri prædicuntur. Id cœpit fieri ſub Johanne Hyrcano. Tunc *dominaturum è Iacobo*, illum nimirum ſuper *cujus humeros eſt Dominatio.* Eſ. 9: 5. Addit denique Bileam. verſ. 24. *Et naves præter Chittæos venient, & debilitabunt Aſſur, & debilitabunt Eber.* Ab oriente, id quod eſt *præter Chittæos*, venerunt Romani, *Aſſur*, hoc eſt, Græcos, Aſſyriam, ut & Perſiam, aliaque regna tenentes, imo & *Eber*, Judæos, Eccleſiam & Rempublicam illorum debilitantes, & abolentes.

Deut. 30: 3. 5. §. 4. Audiatur & Moſes, Deut. 30: 3. 5. *Avertet Dominus captivitatem tuam, & deducet te ad terram, quam hæreditarant Patres tui; & hæreditabis illam*, id impletum, cum Iſraël è Babele rediit. וְהֵיטִבְךָ *& benefaciet tibi*: reductis Dominus benefecit, reddendo templum & urbem munitam, ſolvendo vincula & jugum gentium, וְהִרְבְּךָ *& multum te faciet præ patribus tuis*: reductos potiores Dominus facere voluit ipſis patribus, Davide, Salomone, &c. & quo ad numerum ſeminis carnalis; & quoad extenſionem potentiæ & virium. Conſtat, Judæos poſt captivitatem Babylonicam omnes quaſi terras impleviſſe, ut *ſtellæ* ubique videntur locorum, *ut fuit Abrahami ſemen*, Geneſ. 15: 5. non inhabitarunt tantum terram promiſſam, ſed & fuerunt diſperſi & colonias quaſi habuerunt per Aſiam totam, Ægyptum, Africam, Græciam, Italiam, Hiſpaniam. confer Hoſ. 1: 10. *Et erit numerus filiorum Iſrael, ut*

fabuli

ſabuli maris, quod non menſuratur, & non numeratur; ἀριθμὸς ἀνάριθμος. Eſ. 9:2. *Multiplicaſti gentem.* Jerem. 3:16. *Et erit cum multiplicati fueritis, & fructificaveritis in terra,* reducti nimirum in eam. Imò & conſtat, illos plures gentes ſubegiſſe & viciſſe; Idumæos, nunquam anteaita domitos, ut admitterent circumciſionem, & acciperent eadem ſacra; & alias pluresque, Syros, Phœnices, &c. de quibus poſtea.

§. 5. Addatur Eſaias. Is cap. 40:4. hunc in modum loquitur; *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabuntur; & erit lamoſum in planitiem, & tubera in vallem, & revelabitur gloria Domini.* Antequam revelata eſt gloria Domini, hoc eſt, antequam ſermo caro factus eſt, noſque ſpectavimus illius gloriam, humiles gentes, alta imperia, & potentes reſpublicæ in unum æquale coire debuerunt Imperium. Id factum per Romanum imperium, quod debilitavit Aſſur; quodque omnes gentes & regna fecit æqualia, ſubjecta ſibi. Adde Eſ. 52:1.2.3.4.5. Eſ. 40:4.

§. 6. Adeatur & Jeremias. Jerem. 30:19.20.21. *Et exibit,* inquit, *ex illis,* reductis è captivitate, *ædificata urbe,* conſtituto & erecto rurſum *palatio,* hoc eſt, templo, *confeſſio & vox ludentium, & multos illos faciam, & non minuentur, & glorioſos illos faciam, & non ad paucitatem redigentur, & erunt filii ejus, ut olim; & cœtus illius coram me firmabitur, & viſitabo oppreſſores ejus; & erit Magnificus illius ex ipſo.* Jerem. 30:19.20.21.

§. 7. Imò & inſpiciatur Ezechiel cap. 21:26. docemur poſt *ablatam cidarim & coronam,* hoc eſt, abolitum regnum domus Davidis, aliam exſtituram coronam, qualis eſt illa Aſſamonæorum; imò & Herodis. Sed de illa dicitur. זאת לא זאת *hæc non hæc,* hoc eſt, non eſt illa, quæ manebit & exaltabitur, imò, גם זאת לא הָיָה *Etiam hæc nil exſtitit,* hoc eſt, auferetur & ad nihilum redigetur. Quid ergo erit fietque? *Altam humiliabo; humilem exaltabo; donec veniat, cujus eſt judicium.* Ezech. 21:26.27.

§. 8. Nec prætereatur Micheas. *Et tu turris gregis, clive filiæ Zion ad te uſque veniet, & veniet dominatio prima, Regnum filiæ Jeruſalem. Nunc, quare clangis clangore? An Rex non eſt in te? num periit conſiliarius tuus? Et nunc,* poſtquam *aſſertus es è Babel, colligentur contra te gentes multæ, dicentes, Hypocriſi contaminabitur, & videbit Zionem oculus noſter. Surge & tritura filia Zion, nam cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas æneas, & comminues populos multos. Nunc turmas ducta, filia Legionum, obſidium poſuit circa nos. Virga percutiunt Iudicem Iſraelis.* Mich. 4:8-14. Mich. 4:8-14.

§. 9. Legatur & Zacharias, cap. 1:14. *Sic dicit Dominus, Zelo pro Hieroſolyma & Zione zelo magno.* verſ. 16. *Reverſus ſum ad Ieruſalem in miſericordia,* verſ. 17. *Adhuc prædica. Sic dicit Dominus. Adhuc diffundentur domus meæ præ bono, & conſolabitur Iehova amplius Zionem, & eliget adhuc Hieroſolymam.* Zach. 8:4. *Adhuc ſedebunt ſenes & vetulæ in foris Hieruſalem, & quiſque tenebit ſcipionem ſuum in manu ſua præ multitudine dierum,* verſ. 5. *Et fora urbis implebuntur pueris & puellis, ludentibus in foris illius,* &c. Zach. 9:7. *Removebo ſanguines illius,* Palæſtinæ gentis, *& abominationes illius, & ſuperſtes etiam ille Deo noſtro erit, & erit, ut princeps in Iuda, & Eckron, ut Iebuſita.* Zach. 12:2. *Ecce ego ponam Hieroſolymam pelvem vertiginis omnibus populis circumquaque. Imò Lapidem bajulationis omnibus populis, & congregando congregabuntur contra illam omnes gentes terræ. Illo die, inquit Dominus, percutiam omnem equum ſtupore, & ſeſſorem amentiâ, & ſuper domum Iuda aperiam oculos meos. Illo die ponam Principes Iuda, ut foculum ignis in lignis; & ut flammam ignis in manipulis; & comedent ad dextram & ad ſiniſtram omnes gentes undique, & ſedebit Ieruſalem adhuc ſubter ſe in Ieru-* Zach. 1:14-16. 8:4. 9:7. 12:2-6.

ſalem. Et dicent principes Iudæ: Robur mihi ſunt habitatores Ieruſalem in Domino exercituum, Deo illorum. Zach. 12:5.6.

Dan. 8: 5. &c. §. 10. Omnium expreſſiſſimè de hiſce vaticinatus eſt Daniel. *Vidit juvenem Hircum; creſcentem valde; & cornu ſpecioſum inter oculos illius.* Dan. 8: verſ. 5. Ille notavit *Regem Græciæ*, hoc eſt, regnum Græcorum, hoc, *Regem primum*, hoc eſt, Alexandrum Magnum, verſ. 21. *hoc magnum cornu* vidit *fractum, cum eſſet robuſtiſſimum*, verſ. 8. tum *aſcendiſſe velut quatuor loco ejus*, ℣. 8. quo notatum, *quatuor regna è gente exſtitura*, ℣. 22. *Ex uno cornu*, hoc eſt, ex una regnantium familia & ſtirpe vidit *egreſſum cornu unum, minus quàm parvum, quod crevit in auſtrum, & ad ortum, & ad decus*, ℣. 9. imò *uſque ad exercitum cœlorum, & uſque ad principem exercitus*, ℣. 10. 11. *& ab eo ſublatum eſt juge, & projecta ſedes ſanctuarii ejus, & projecit veritatem in terram*, ℣. 11. 12. *deditque ſanctum & exercitum conculcationem*, ℣. 13. vide *cornu* hoc *parvum* deſcriptum, Dan. 8: 23-26. Joſephus, ἀρχαιολογ. l. 10. c. 12. ἃ δὴ ταῦτα ἡμῶν συνέβη τὸ ἔθνος παθεῖν ὑπὸ Ἀντιόχου τοῦ ἐπιφανοῦς. confer caput *undecimum* Danielis verſ. 4-33. Denique cap. 9: 25. prædicit poſt ædificatam Hieroſolymam, fore *tempora quædam in anguſtia. Civitatem & ſanctum iri deſtructum, finem illius futurum in inundatione*, &c. *Meſſiam* ante *exſcindendum.*

Status Iſraëlitici compendioſa deſcriptio petita è locis citatis. §. 11. Ex hiſce conficitur 1. Fore *Legiſlatores, Principes, Dominatores, Cœtum* ſeu Synedrium, id quod indicatur, Dan. 2. per *montem*, à quo exciſus eſt *Lapis*. 2. *Dominationem* & *regnum*; ſed id ipſum לא *nihil* futurum. 3. Principes illos *acturos ſtrenuè*; ſubacturos gentes multas. 4. *Idumæos*, incolas montis *Seir*, *Palæſtinos*, *Ekronitas* aſſociandos Iſraëli, ut ſint *hæreditas* illius. 5. Populum fore *multum* numero, imo & viribus & potentiâ. 6. Hieroſolymam abundaturam omni *bono*; plenam fore ſenibus & juvenibus. 7. Adventura *tempora anguſtiæ*, uſque adeò ut *ſacrificium juge auferatur*, & multi è populo *fœdus ſanctum derelinquant* & multi *ſanctorum corruant gladio & flamma, captivitate & direptione*. Dan. 11: 31. 32. 33. 8. Illa tamen deſitura; *ſanctum juſtificandum*, Dan. 8: 14. & *populum agnoſcentium Deum ſuum confirmatum iri*. Dan. 11: 32. 9. Derelictum iri *regnum hoc*, & *quidem aliis* Dan. 11: 4. *Aſſur affligendum à navibus à latere Chittim*. Id Dan. 2: 32. 39. 40. indicatum per *ventrem & femora æris, confracta & comminuta*. 10. *Meſſiam* venturum, *Iudicem Iſraelis, Dominatorem*, ſed *percutiendum virgâ*, & *exſcindendum*. 11. *Principem advenam* ſurrecturum, & *filiam Legionum obſidium poſituram* circa percutientes Judicem. 12. Exſtiturum *bellum*, cujus *finis* ſit *cum inundatione*, abolendum ſanctuarium, urbem, ſacrificium, munus; *Legiſlatores* receſſuros, *& exſcindendos à tentoriis Jacob.*

§. 12. Ut autem omnia hæc oracula ex amuſſim videamus adimpleta, age ſubjiciamus rerum harum hiſtoriam, compendiosè & breviter.

Judæi ſubjecti Alexandro M. §. 13. Judæi cum ipſis Perſis in ditionem Alexandri M. venere; diuque in poteſtate Macedonici imperii ſubjecti regno Syriæ fuere. Juſt. l. 36: 3. Alexander εἰς Συρίαν προαγόμενος, captâ Damaſco, Sydone, cinctâ Tyro obſidione, in Hieroſolymam movit. *Jaddus*, Pontifex ſummus, divinitus monitus, ivit in occurſum Alexandri, habitu ornatus pontificali. Alexander viſo illo protinus coram illo procubuit; mirantibuſq; comitibus, & ſuſpicantibus, διεφθάρθαι τῷ βασιλεῖ τὴν διάνοιαν, reſpondit, ſe non id feciſſe in honorem *ſacerdotis*, ſed *Dei* ipſius, (οὐ τὴν ἀρχιερωσύνην αὐτὸς τετίμηκε), Deinique in tali habitu in Macedonia ipſi apparuiſſe, & juſſiſſe, ut moveret in Perſas, cum promiſſione ſucceſſus. Dicitur & Alexander *templum* intraſſe, ibiq; legiſſe in prophetia *Danielis*, *Regem Græcorum* Perſarum abolitùrum regnum, eaq; de re valde gaviſus eſſe. Denique Judæis conceſſit ubique terrarum χρῆσθαι τοῖς πατρίοις νόμοις, καὶ τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι.

§. 14. Per

§. 14. Per idem tempus cœpit ædificare *Sanballetes*, præfectus Samaritanæ regionis, permittente Alexandro, ναὸν ὅμοιον ὄντα τῷ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, *templum ſimile Hieroſolymitano, in monte Garizim*; ibique ἱερέα κατέστησε *Sacerdotem conſtituit Menaſſen* generum ſuum, fratrem *Jaddi*, ſummi in Hieruſalem ſacerdotis. Hoc templum diu manſit; & poſt annos ducentos à *Johanne Hyrcano* demum dirutum eſt. Si quis Hieroſolymæ habebat αἰτίαν κοινοφαγίας, ἢ τῆς ἐν τοῖς σάββασι παρανομίας, ἢ τινος ἄλλου τοιούτου ἁμαρτήματος, ad Sichimitas (Templum in Garizim propè *Sichem* urbem erat) confugiebat, λέγων ἀδίκως ἐγκεκλῆσθαι. Joſeph. ἀρχαιολογ, libr. 11. cap. 8.

Templum Samaritanum in Garizim.

§. 15. Alexander Magnus brevem habuit vitam; brevius imperium. *Cum robuſtiſſimum eſſet, fractum eſt cornu hoc magnum*, Dan. 8:8. *& ut conſtituit Rex hic fortis fractum eſt regnum ejus.* Dan. 11:3.4. Moriens reliquit Fratrem *Aridæum*, & uxorem *Rhoxanen*, octavo jam prægnantem menſe, & *Herculem* filium è *Barzine*. Delatum eſt regnum *Aridæo*, & adjunctus illi, quem Rhoxane peperit *filius Alexander* nominatus. Sed *ille* ſex annis poſt Alexandrum potitus regno ab Olympiade interfectus eſt, *hic* autem una cum matre juſſu Caſſandri vita privatus; & tandem, ne quid regii ſupereſſet ſanguinis, ab eodem occiſus eſt *Hercules*, alter filius. Ita impletum quod eſt Dan. 11:4. *Non* erit regnum לְאַחֲרִיתוֹ *poſteritati ejus.*

Mors Alexandri & ſucceſſores.

§. 16. Circa idem tempus, quo Alexander, vitam etiam finivit ὁ ἀρχιερεὺς Ἰαδδοῦς; & Sacerdotium accepit Filius illius *Onias*.

§. 17. Mortuo Alexandro factum ita ut prædictum Dan. 8:8.22. & 11:4. *& dividetur* regnum ejus *in quatuor plagas cœli*. Maximum in terris Macedonum regnum nomenque inde à morte Alexandri diſtractum in multa regna eſt. Liv. libr. 45. Meminit Scriptura *quatuor*; cum tamen in plura fuerit diviſum; ſed propoſitum illi eſt oſtendere, numero illo pluralitatem tantum regnorum inde ortorum. *Antigonus* Aſiam obtinuit. *Seleucus* Babyloniam. *Lyſimachus* Helleſpontum. *Caſſander* Macedoniam. *Ptolomæus* Ægyptum; *Craterus* Triballos & Epirum; *Eumenes* Cappadociam & Paphlagoniam. Hi duces, nunc Reges, inteſtinis bellis, mutuiſque cladibus ſe contriverunt. Ita *derelictum eſt regnum aliis præter hos*, Dan. 11:4. quam partem prior quis occupaverat ex illa ab alio expulſus eſt. Antigonus amiſit Aſiam; Caſſander Macedoniam; Lyſimachus Thraciam.

Diviſio regni Alexandri.

§. 18. Inter omnes Alexandri διαδόχους duo ſunt, qui regnum occupatum diutiſſimè tenuerunt, & latiſſime extenderunt, de quibus imprimis Scriptura loquens, unum vocat מֶלֶךְ הַנֶּגֶב *Regem Auſtri* Dan. 11:5. ſeu auſtralis plagæ; cui attribuit מִצְרַיִם *Ægyptum* Dan. 11:8. alterum מֶלֶךְ הַצָּפוֹן *Regem Aquilonis*, Dan. 11:6. è cujus poſteris fuit *Spretus* ille, qui tantum peccavit *in fœdus ſanctum*. Dan. 11:21.30.

Duo ex illius ſucceſſoribus maximè memorabiles.

§. 19. *Ptolemæus*, filius *Lagi*, obſcuri Macedonis, idem *Soter* dictus, *Ægyptum* accepit & Arabiam; & poſteris ſuis longâ ſerie poſſidendam reliquit. Is illiuſque poſteri per *Regem Auſtri* innuitur in ſacris.

Ptolomæus Lagi.

§. 20. *Seleucus*, *Antiochi* filius, dictus *Nicator* ſeu *Nicanor* à crebritate victoriarum, ſubjecit ſibi poſteriſque ſuis Mediam, Aſiam, Syriam; diu multumque luctatus cum *Antigono*, qui Rex Aſiæ audiebat. Hic diutiſſime de cohorte Alexandri remanſit, omnium poſt Alexandrum M. maximus, victor victorum; Antigonum enim vicit & Lyſimachum. Hujus Seleuci ſucceſſores in ſacris *Reges Aquilonis* dicuntur.

Seleucus Antiochi.

§. 21. Horum duorum Regum hiſtoriam fuſius proſequitur Daniel propheta. Cujus nunc nos ductum ſequemur.

Rex Auſtri.

§. 22. *Et confirmabitur Rex Auſtri*, inquit. Dan. 11:5. Ptolemæus Lagi Ægypti & Arabiæ Imperator magnum acquiſivit robur. *Et aliquis è principibus ejus*, Alexandri nimirum Magni, etiam confirmabitur. Is *Antigonus* eſt, Aſiæ Rex ſalutatus, *& vincet illum*, Rex Auſtri, Ptolemæus; adjutus à Seleuco, Caſſandro, Lyſimacho. Ita potens fuit Antigonus, ut non niſi à pluribus, ſocietate inita, vinci potuerit, *& dominabitur. Imperium ejus magnum erit.* Hic Ptolemæus Lagi, *cavam Syriam* initio regni adortus, dicitur Hieroſolymam cepiſſe δόλῳ καὶ ἀπάτῃ *dolo & fraude*, *Sabbati die*, quo, ut refert ex Agatarchide Cnidio, Joſephus libr. 12. cap. 1. Antiquit. *Judæi arma capere nolentes*, διὰ τὴν ἄκαιρον δεισιδαιμονίαν, *ob intempeſtivam ſuperſtitionem durum ſuſtinuerunt habere herum*, χαλεπὸν ὑπέμειναν ἔχειν δεσπότην.

Ptolomæus Philadelphus.

§. 23. Ptolomæus Lagi regnum reliquit filio *Ptolomæo*, dicto *Philadelpho*, per ſannam ſcilicet; duos enim fratres vita privavit. Hic Philadelphus Alexandriæ celebratam illam inſtituit Bibliothecam; idemque ſacrum codicem in græcam linguam curavit traduci; unde verſio *ſeptuaginta Interpretum* exorta eſt.

Antiochus Soter. Antiochus Deus.

§. 24. Seleuco Nicanore, Aſiæ Syriæque Rege mortuo, (cui dum viveret, Judæi annuum dicuntur ſolviſſe ſtipendium, per Sacerdotes ſuos recti, patrioque ritu viventes) ſucceſſit filius *Antiochus*, dictus *Soter*, ob repulſos Gallos ex Europa in Aſiam irrumpentes: huncque excepit filius *Antiochus*, Θεός *Deus* dictus, ita a Mileſiis cognominatus ob ſublatum *Timarchum*, illorum Tyrannum: hic dicitur Judæis civium jus inter ethnicos conceſſiſſe, & ſuis tamen moribus vivere permiſiſſe. De hoc Antiocho Theo, primo Regum Syriæ, cujus Daniel meminit, ita habetur Dan. 11:6. *& filia Regis Auſtri veniet ad Regem Aquilonis.* Filia Ptolomæi Philadelphi *Berenice* deducta eſt ad Regem Syriæ & Aſiæ Antiochum Θεόν: geſſerat hic diuturna adverſus Philadelphum bella, quæ finire volens Philadelphus filiam illi uxorem dedit; id innuit Daniel: *veniet filia* לַעֲשׂוֹת מֵישָׁרִים *ad conciliandam complacentiam.* Sed miſera hæc à *Seleuco Callinico*, Antiochi Dei filio, ex alia uxore *Laodice* ſuſcepto, cum amicis interfecta eſt, id dicit Daniel cap. 11:6. *& non obtinebit* filia adveniens *vim brachii, & non ſtabit brachium illius, & tradetur illa*, in necem nim. *& adducentes illam*, &c.

Ptolomæus Euergetes.

§. 25. Ptolomæum Philadelphum excepit filius *Ptolomæus*, *Euergetes*, ab Ægyptiis ita nominatus, quia illorum Deos, à Cambyſe Perſarum Rege olim ablatos è Perſia in Ægyptum retulit. De illo ita Daniel cap. 11:7. *Et ſtabit ex ſurculo* Philadelpho, *radicum ejus*, Ptolomæi Lagi, *ſtolo illius*; Euergetes, frater Berenices, *& invadet arcem Regis Aquilonis*; ut vindicaret injuriam interfectæ ſororis bellum intulit *Callinico*, qui Antiocho Deo Patri ſucceſſerat, *& faciet in illis & confirmabitur.* Syriam aliquamdiu tenuit. *Et Deos ipſorum, cum fuſilibus ipſorum, cum vaſis argenteis & aureis, inter capta auferet in Ægyptum.* ℣. 8.

Seleucus Callinicus. Antiochus Magnus.

§. 26. *Seleuco Callinico*, ita à victoriis dicto, quas nullas tamen habuiſſe legitur, ſucceſſit primò filius *Seleucus*, cognomento *Ceraunus*; ſed veneno ab amicis illo interfecto accepit regnum frater illius junior, ejuſdem Callinici filius, *Antiochus*, ob res geſtas *Magnus* cognominatus, de illo eſt Dan. 11:10. *& veniet & inundabit* &c.

Ptolomæus Philopator.

§. 27. Euergetæ ſucceſſit filius *Ptolomæus*, *Philopator*, dictus per antiphraſin. *Ægyptum, patre ac matre interfectis, occupaverat Ptolomæus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit.* Juſtinus libr. 29:1. De hoc ita Daniel 11:11. *Exacerbabitur Rex Auſtri* Ptolomæus Philopator, eo quod *venerat*, & *inundaverat & bellum geſſerat uſque ad arcem*

ejus

ejus Antiochus Magnus ℣. 10. *& præliabitur cum Rege Aquilonis*, cum Antiocho Magno ad Raphiam, in finibus Ægypti, quo venerat Antiochus, *& dabitur turba in manum ejus*, hoc eſt, turba Antiochi tradetur in manum Ptolomæi, *& efferetur cor ejus*. ℣. 12. Ptolomæi Philopatoris. Voluit intrare in ſanctiſſima templi Dei, Hieroſolymæ; & iram exercuit adverſus Judæos. Id cum Judæi contentioſiſſimè recuſarent, ille è recuſatione majus accipiens deſiderium, dicitur corpore animoque ita ſubitò perturbatus fuiſſe, ut ne fari quidem potuerit, & ſemivivus a ſuis extra templum abductus fuerit.

§. 28. Philopatori ſucceſſit filius *Ptolomæus Epiphanes*, quinquennis. Antiochus Ptolomæus Epiphanes.
M. Syriæ Rex puerulum hunc è medio tollere ſtatuit. Appianus: ὡς Αἴγυπτον ἔρημον ἄρχοντος ἁρπασόμενος, de illius in Epiphanem expeditione eſt Dan. 11: verſ. 13. *Et rurſus Rex Aquilonis excitabit turbam majorem priore*, hoc eſt, Antiochus M. collecto exercitu ampliore expeditionem ſuſcipiet. ℣. 14. *Et illis temporibus multi ſtabunt contra Regem Auſtri*. Nam & Philippus Rex Macedonum cum Antiocho M. ſocietatem inivit ad invadendam Ægyptum, & inter ſe dividendam. Juſtin. libr. 30: 2. ℣. 15. *Et veniet Rex Aquilonis, & fundet aggerem, & capiet urbem munitionum, & brachia Auſtri non ſtabunt*. Superavit Antiochus *Scopam*, præfectum Epiphanis. Arcem Sionis, Syriam, Ciliciam recepit. ℣. 16. *Et conſiſtet in terra decoris*, וְכָלָה בְיָדוֹ *& omnia venient in manum ejus*. In terram ſanctam venit Antiochus. Hieroſolymam intravit; & Scopæ milites, qui in arce erant, obſedit. Judæi libentes in poteſtatem Antiochi conceſſerunt: fuit enim illis voluntate conjunctus, & liberalis erga illos, remittendo tributa, largiendo pecudes, pecunias, ligna ad templi ſtructuram, & ad cultum peragendum. Joſephus Antiquit. libr. 12: 3. Et hoc artificio uſus eſt Antiochus. *Filiam mulierum dabit illi*, ℣. 17. filiam ſuam Cleopatram, multis cinctam mulieribus, dedit Ptolomæo Epiphani in matrimonium; & Cæleſyriam, quam ei prius ademerat, & Judæam, pro dote: fecit autem hoc mala fine, לְהַשְׁחִיתָהּ *ad corrumpendum illud*, regnum nimirum Ptolomæi, qua tamen intentione fruſtratus eſt. Cleopatra enim magis viro favit, quam Patri. Tandem Antiochus hic M. *cum converteret faciem ſuam ad inſulas*, ℣. 18. hoc eſt, adverſus Romanos, in occidente poſitos, ubi erant mare, & inſulæ maris, quamvis quaſdam, imo & *multas cepiſſet*, tandem tamen victus eſt, & Aſia coactus cedere tota, quod intendit Daniel, ℣. 18. 19. quâ amiſſâ, benigne ſibi à populo Romano factum eſſe dicebat, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. Obſides etiam viginti dedit; (inter quos, junior illius erat filius, Antiochus) unoquoque triennio mutandos.

§. 29. Antiochi Magni ſucceſſor fuit *Seleucus Philopator*; otioſus, nec admodum potens; de eo ita Dan. 11: verſ. 20. *Et ſtabit in loco ejus*, Antiochi M. *qui faciet tranſire exactorem decoris regii*: dicitur Seleucus ab omnibus ſubditis exegiſſe pecunias, ut tueretur regiam dignitatem: imo & Heliodorum miſit Hieroſolymam, ut pecuniam è Templi gazophylacio auferret. Seleucum quod attinet; *paucis diebus factus eſt*, Dan. 11: 20. *non per iram*, ut Antiochus Pater, à Barbaris occiſus; *neque bello*, ſeu aperto Marte, ſed inſidiis Heliodori. Idem Seleucus in locum Antiochi fratris, qui Romæ obſes fuerat. *Demetrium* filium ſuum ſubſtituit. Seleucus Philopator.

§. 30. Seleuco ſucceſſit non filius *Demetrius*, cui jure regnum debebatur, ſed frater Antiochus Epiphanes.
Antiochus, qui Syris *Epiphanes* ſeu Illuſtris cognominatus eſt, ſed rectius judicatus à fanaticis moribus eſſe *Epimanes* ſeu inſanus. In ſacris vocatur נִבְזֶה *ſpretus*, ſeu vilis, contemptibilis, homo levis & futilis. Dan. 11: 21. *Non tribuerant illi Majeſtatem regiam*. ibid. non

com-

competebat illi, nemo illum ad uſurpandum illam vocavit, *& venit in tranquillitate, & occupavit regnum per blanditias.* ỽ. 21. Tutoris id fecit nomine. *Brachia inundationis inundata ſunt coram illo & fracta.* ỽ. 22. Heliodorus oppreſſus & ejectus. *Atque etiam princeps fœderis.* Demetrius, filius Seleuci fratris, qui obſes manere debuit Romæ, de techuis illius lege Dan. 11: 23–25.

Ptolomæus Philometor. §. 31. Ptolomæus Epiphanes, Ægypti Rex, à ducibus ſuis veneno ſublatus, duos poſt ſe reliquit filios impuberes, *Ptolomæum*, *Philometorem* dictum ob ingentem amorem, quo in matrem Cleopatram ferebatur; & *Phyſconem.* Antiochus Epiphanes *excitavit vires ſuas contra Regem Auſtricum magno exercitu. Et Rex Auſtri incitavit ſe ad prælium cum exercitu magno; ſed non ſtetit; edentes cibum illius, fregerunt eum.* Dan. 11: 25. 26. Hic Ptolomæus Philometor eſt. Antiochus invaſit illum. Cœleſyriam, Clopatræ matris dotem ipſi eripuit; & denique è toto Ægypti regno illum expulit, ablato diademate, quod tamen, ut & regnum, coactus à Romanis illi reddidit, & ille proditione ſuorum cæſus eſt.

Antiochi Epiphanis ſævitia in populum Dei. §. 32. Antiochum Epiphanem quod attinet porro, ſcribit Daniel, *cor illius fuiſſe contra fœdus ſanctum*, Dan. 11: 28. imo illum *indignaturum contra fœdus ſanctum*, ỽ. 30. illum *animum advertiſſe*, hoc eſt, ſtudioſe curaſſe & promoviſſe, *ad deſertores fœderis ſancti.* ỽ. 30. Prævidit Daniel fore, ut *ſanctuarium profanaretur*, *Iuge auferretur*, & *abominatio deſolans daretur*, ỽ. 31. & de *exercitu cœlorum & de ſtellis in terram dejicerentur*, *& calcarentur*, Dan. 8: 10. *& populus ſanctorum perderetur*, Dan. 8: 24. & exſtitutam *defectionem ſtupendam.* Dan. 8: 13.

§. 33. Ita Antiochus malè agens habenſque populum Dei, multos invenit *defectores*: qui à fœdere Dei & Eccleſia Dei defecerunt; per quos maxima mala ſanctis illata ſunt. Hi deſertores fœderis, inter quos fuit *Iaſon*, ſacerdos ſummus, imò & *Menelaus*, itidem Pontifex maximus, populum Dei, ab antiquis moribus & inſtitutis alienatum, ad omnem ſeduxere iniquitatem; ſecundum ſtatuta gentilium cœperunt vivere; præputia arte ſibi reduxerunt, ut nudi quoque Græcis non eſſent diſſimiles; ſicque brevi invaluit Helleniſmus, ut cultus templi ceſſaret, & ſacrificia negligerentur.

§. 34. Antiochus Templum Dei omni auro argentoque ſpoliavit; Porcos ſuper altari mactavit, & jure carnium illarum Templum aſperſit. Duobus annis, poſtquam Templum ſpoliaverat, miſit Apollonium Hieroſolymam, ut, die Sabbati, omnes, qui ad ſacra venerant peragenda, confoderet, & accipiens ſpolia civitatis illam incenderet. Miſit etiam in Judæam ſenem quendam Athenæum, ut Judæos à divinæ legis obſervatione cogeret diſcedere, & templo Hieroſolymitano imponeret nomen Διὸς ὀλυμπίου *Iovis Olympii*; quemadmodum & Garizimitano dedit nomen Διὸς ξενίου *Iovis Hoſpitalis.* Voluit Judæos ritus gentium ſequi, ſacrificia tollere, Sabbata & dies feſtos omittere, aras & lucos & idolorum delubra ædificare, ſues & immundas pecudes alias immolare, filios incircumciſos relinquere; idolothyta comedere, in feſto Dyoniſiorum hederam ferre, pompamque Baccho ducere. Abominandum *Iovis Olympii* idolum ſuper altare collocavit. Sacra etiam Legis & Prophetarum volumina igni cremata ſunt. Joſephus Antiq. libr. 12: 7. ἠφανίζετο δὲ εἴ τις βίβλος εὑρεθείη ἱερὰ καὶ νόμος; καὶ παρ᾽ οἷς εὑρεθείη, καὶ οὗτοι κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο. Templum denique ipſum luxu & commeſſationibus impletum fuit à Gentilibus, molliter in illo vitam cum meretricibus conſumentibus.

§. 35. Cum autem in urbe præ ſævitia Antiochi tutum non eſſet habitare, pii plurimi ex illa aufugerunt; ſicque urbs ſancta exſtitit extera natis ſuis, hi in ſpecubus latitarunt, ferarum inſtar,

inſtar, gramineo alimento veſcentes, ne participes eſſent contaminationis. Multi etiam ſanctorum martyria paſſi ſunt. Mulieres duæ, quia filios circumciderant, à muro præcipitatæ ſunt. Eleazarus, in lege verſatiſſimus, ætate nonagenarius, ob non manducatas carnes ſuillas, crudeliſſima ſubiit tormenta. Eandem ob cauſam ſeptem fratres cum Matre, exquiſitis tormentorum modis excruciati, invictas Deo animas reddiderunt. Rhazis ſenator Hieruſalymitanus corpus animumque ſuum pro Judaiſmo tuendo expoſuit; unde *Iudæorum Pater* appellatus fuit, hic utiliter legentur *Maccabæorum* libri.

§. 36. In oppido *Modi* (Modin erat *vicus juxta Dioſpolin*) conſedit illo tempore *Mattathias*, filius Johannis, filii Simeonis, Hieroſolymitanus ſacerdos, è familia *Ioaribi*; (de quo vide 1 Chron. 24: 7.) una cum quinque filiis, *Iohanne*, qui *Iaddis* vel *Gaddis*; *Simone*, qui *Taſſi*; *Iuda*, qui *Maccabæus*; *Eleazaro*, qui *Abaron* vel *Avaran*; & *Ionathane*, qui *Happhus* vocabatur. 1. Maccab. 2: 1-5. A Juda *Maccabæo*, omnes *Maccabæi* vocati ſunt, vel quia Judas ætate fuit maximus; vel quia præcelluit virtute, fortitudine & robore. Pater vero eorum *Mattatias* ſeu Matthias, *Aſmonæi filius* etiam appellatur. Joſeph. libr. 12. Antiq. c. 8. υἱὸς Ἰωάννου, τοῦ Συμεῶνος, τοῦ Ἀσαμωναίου inde poſteri illius etiam *Aſſamonæi* dicti. *Mattatias Aſmonæus & filii ejus.*

§. 37. Hic *Mattatias* nullam obedientiam iniquiſſimis Regis mandatis exhibuit. Judæum quendam in altari ethnico ſacrificantem, ſuper aram ipſam jugulavit. Imo & Regium præfectum, *Apellem* dictum, qui cogebat homines ſacrificare, trucidavit, & aram diruit; dein una cum filiis & pluribus aliis in montes fugit. Statuerunt etiam tunc, ſi die Sabbati ab hoſtibus oppugnarentur, armis illum repellere. Adjunxerunt ſe illis *Aſidæi*, viri religioſi, qui legem per arma tueri decreverant. Ita conſtituto exercitu homines impios partim occiderunt, partim aufugere compulerunt; aras diruerunt, incircumciſos pueros circumciderunt, filios ſuperbiæ perſecuti ſunt, & proſperè ſucceſſit opus in manibus illorum. Tandem Mattatias, poſtquam annum unum miſeræ & exulanti turbæ præfuiſſet, mortuus eſt.

§. 38. *Iudas* Maccabæus, in locum patris ſuccedens non minus ſtrenuè rem geſſit, ejecto hoſte & impiis tribulibus necatis, à præteritis piaculis terram purgavit. Occidit *Apollonium* Samariæ, & *Seronem* Cœleſyriæ præfectum. Exercitus potentiſſimos, quos *Antiochus*, qui ira ob anteacta accenſus, Judæorum nomen delere decreverat, ſub diverſis ducibus, Lyſia, Gorgio, Nicanore, Ptolemæo, Timotheo, Bachide, ſæpius in illum miſit, feliciter fugavit, diſperſit. Tandem aſcendit Hieroſolymam; templum & civitatem, excepta arce Sionis, recepit; Aras & delubra demolitus eſt; mundavit ſanctuarium, altare novum exſtruxit; & ab illo tempore Sacrificia, aliquot annis intermiſſa, rurſum offerri cœperunt. *Judas Maccabæus.*

§. 39. *Antiochus* audito infelici ſuorum ſucceſſu, ipſe in Jeruſalem iter inſtituit, librociter minatus, cœmeterium Judæorum ſe effecturum Hieroſolymam, quum illuc veniſſet. Sed morte præventus, non venit, dicitur lecto affixus, complures hæſiſſe dies, φθίνων & tabe diffluens, & jam jam moriturus, cum odorem ſuum ipſe perferre non poſſet, agnoviſſe, ſe dira illa pati, ob injurias Iudæis illatas; & in hæc erupiſſe verba, *Iuſtum eſſe Deo ſubjici; cumque qui mortalis eſſet, non paria Deo arroganter ſapere.* Ita *pertinax* hic *Rex*, qui *mirabiliter perdiderat, confractus eſt* בְּאֶפֶס יָד *ſine manu.* Dan. 8: 23. 25.

§. 40. Vivente hoc Antiocho dicitur *Onias*, Oniæ III. ſummi Pontificis filius, videns ſacerdotium profanari, in Ægyptum fuiſſe profectus, & à Ptolomæo Philometore obtinuiſſe, ut in Heliopolitica præfectura, templum Deo inſtar Hieroſolymitani exſtrueret, dicitur hoc auſus autoritate verbi, male intellecti. Eſ. 19: 19.

Antiochus Eupator. §. 41. Antiocho Epiphani ſuffectus eſt filius *Antiochus*, dictus *Eupator* ob virtutem Patris. Sub illo pax facta eſt cum Judæis, ſed illa mox rupta, etiam ſecunda vice, cum Rex ſe non ſuperiorem videret evaſurum, eadem ſtabilita eſt; licuitque Judæis patriis uti legibus. Ab hoc Antiochum inter & Maccabæum inito pacis fœdere deducunt nonnulli Haſmonaici principatus initium, quem Joſephus in fine libr. 14. Antiquit. uſque ad captam ab *Herode* Hieroſolymam & occiſum *Antigonum*, annos ait duraſſe 126.

§. 42. De regibus Ægypti nunc narrare plura ceſſamus, nam & in prophetia Danielis nil amplius de illis dictum invenimus; nec Judaico populo quicquam cum illis rei fuit. Perſequimur tantum ordinem Regum Syriæ, ſive Seleucidarum.

Demetrius Soter. §. 43. Antiochum Eupatorem loco movit *Demetrius*, Seleuci Philopatoris filius, hactenus Romæ obſes, cui Regnum doloſe Antiochus Epiphanes eripuerat. Ita exſtincta ſobole Tyranni Epiphanis, Demetrius hic, à Babyloniis *Soter* cognominatus, in Syria regnum adeptus eſt, hic incitatus in Judæos, miſit multis cum copiis in Judæam *Bachidem* Meſopotamiæ præfectum; deinde, cum is parum promoveret, *Nicanorum*, maximum Iudæorum inimicum; ſed nec is quicquam effecit; imo fœdus cum Iuda Maccabæo, Rege inconſulto iniit, & familiariſſime cum Iuda vixit, ſed poſtmodum à Demetrio Rege ſerio juſſus, ut cito Machabæum vinctum mitteret Antiochiam, cœpit illi tendere inſidias; quæ tamen ipſæ in exitium & cædem illius exierunt, victus enim eſt à Iuda, caputque illi amputatum & manus cum humero, ac delatum Hieroſolymam.

Legatio prima Iudæorum ad Romanos. §. 44. Poſt cædem Nicanoris Iudæa dies paucos à bello quievit. Tunc Iudas, quum de Romanorum potentia & humanitate erga afflictos audiviſſet, Legatos Romam miſit, ſuo, fratrum, & Reipublicæ Iudæorum nomine, ut ſocietate & amicitia cum populo Romano initia, à Demetrii & imperii Græcorum gravi jugo liberarentur.

§. 45. Interea miſit Demetrius *Bachidem* ſecundo in Iudæam. Iudas fortiter dimicans cecidit; eoque cadente cæteri fugerunt, factum id anno poſt exceſſum Mattatiæ patris *ſexto*. Poſt mortem Iudæ tota fere regio Bachidi ſe ſubmiſit, & maxima exſtitit afflictio in Iſraële.

§. 46. Legati Romam miſſi rebus è voto compoſitis, ſocietatem cum Romanis inierunt, fædusque in tabulis æreis inſcriptum eſt, ut Iudæi Romanis, & Romani Iudæis mutua auxilia contra communes hoſtes exhiberent. Ad Demetrium à Senatu etiam miſſæ literæ, ne gentem Iudæorum amplius opprimeret. Hac de re ita Iuſtinus libr. 36: cap. 3. *A Demetrio cum deſciviſſent*, Iudæi, *amicitiâ Romanorum petitâ*, *primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt*, *facile tunc Romanis de alieno largientibus.*

Ionatan ſucceſſor Iudæ Maccabæi. §. 47. Poſt Iudam, *Jonatan*, frater illius, Dux ejus loco electus eſt, à quo Bachides victus pacem petiit & impetravit. Ita ſublato ex Iſraële bello, cœpit Ionatan judicare populum.

Alexander. §. 48. Hæc dum aguntur, deficiunt à Demetrio Sotere Antiocheni, ſubornantque quendam ſortis extremæ juvenem, cui nomen *Alexandri* inditum, quique genitus ab Antiocho Rege dicebatur, regnumque Syriæ velut paternum armis repetere. Admirabili rerum varietate, oblitus priſtinarum ſordium Alexander bellum intulit Demetrio, victumque vita pariter & regno ſpoliavit; ſuperſtitibus duobus illius filiis, *Demetrio Nicanore*, & *Antiocho Sedete*, quos pater Demetrius, ut belli periculis eximerentur, & ſi ita fors tuliſſet, paternæ ultioni ſervarentur, mature *Cnidum* ablegaverat.

§. 49. Novus hic Alexander amicitiam ambivit Iudæorum. Ionatanem ſummum conſtituit Sacerdotem, utque amicus Regis vocaretur, conceſſit; ſimulque purpuram ei miſit

ſit & coronam auream. Ita Jonatan, Haſmonæorum nunc primus, è ſacerdotali quidem Ioarabi, ſed non ex Pontificia Iaddi, (cujus Onias hæres hoc tempore in Ægypto circa exſtructionem novi templi occupatus erat) familiâ, ſummi ſacerdotii munere functus eſt. Judæi repudiato Demetrio, Alexandro acquieverunt.

§. 50. Sed quinquennio Regno gavíſus Alexander à *Demetrio* Soteris filio victus & regno rurſum exutus eſt. Antiocheni veterem Patris offenſam novis meritis correcturi, ſponte ſe Demetrio tradiderunt.

Demetrius Nicanor.

§. 51. Demetrius *Nicanor*, nunc Syriæ Rex, confirmavit Jonatani principatum Sacerdotii. Sed deinde alienatus ab illo, graviter eum afflixit.

Antiochus. Θεός.

§. 52. Reliquerat autem Alexander Rex filiolum, *Antiochum*, è Cleopatra Ptolomæi Philometoris filia genitum; qui & Θεὸς ſive *Deus* nominatus eſt: hic adjutus ad amicis, accepto diademate, regnum Syriæ occupavit; Demetriumque prælio ſuperatum, Seleuciam fugere compulit. Huic Antiocho Jonatan, gratus ob beneficia paterna, ſe adjunxit, geſturus bellum contra communem hoſtem Demetrium.

Legatio Judæorum ſecunda.

§. 53. Miſit hoc tempore Legatos Romam Jonatan, qui ſocietatem cum Juda Maccabæo initam, renovarent. Id quod & factum. Paulo poſt *Jonatan* à *Tryphone* procuratore Regis Antiochi, Ptolemaidem invitatus, doloſè interfectus eſt, poſtquam annos ſeptendecim Judæ fratri vixiſſet ſuperſtes, & per annos novem ſummum Pontificatum geſſiſſet. Idem hic Tryphon *Antiochum*, Dominum ſuum per fraudem occidit, & occupata Syria, regni ſibi diadema impoſuit.

Simon frater & ſucceſſor Ionatanis; Imperator Iudæorum & Pontifex.

§. 54. Loco Jonatanis Dux electus eſt *Simon* frater illius. Romani per literas pactam cum fratribus amicitiam cum illo renovarunt, amicum, ſocium, & fratrem illum appellantes. Simon nunc Dux Judæorum & Pontifex, actus Tryphonis meras rapinas fuiſſe animadvertens, auream coronam ad Demetrium Nicatorem Regem miſit, rogans, ut tributorum remiſſionem Judææ concederet. Demetrius confirmato ei Principatu ita reſcripſit, *Rex Demetrius, Simoni Pontifici & amico Regum, & Senioribus, gentique Iudæorum, ſalutem*; & promiſſâ omnium ἀμνηςίᾳ tributa omnia remiſit. Ita ablatum eſt jugum Gentium ab Iſraële; cœpitque populus in ſyngraphis & contractibus ſcribere, *anno primo, Simone Pontifice magno, & Stratego ac Duce Iudæorum.* Altero tum anno Arx Hieroſolymæ à præſidiariis, qui illam huc uſque tenuerant, evacuata eſt. Ita liberati ſunt hoſte, qui illis Templum adeuntibus tantoperè nocuerat. Evenerunt hæc anno 170 & 171 regni Græcorum.

§. 55. Anno regni Græcorum 172, anno tertio Pontificatus Simonis, in congregatione magna Sacerdotum & populi, principumque gentis & ſeniorum, Scriptura publica eſt edita; in qua jura majeſtatis ipſi & poſteris conceſſa, ut eſſet eorum Imperator, & ut Sacrorum curam haberet, utque obediretur ei ab omnibus. Quæ cum recepiſſet Simon, placuit ei Pontificatu fungi, eſſeque Imperatorem & ethnarcham Judæorum ac Sacerdotum, & præeſſe omnibus.

Antiochus Sedetes.

§. 56. Cumque hoc tempore Demetrius Nicator bellum Parthis inferens, in poteſtatem illorum vivus veniſſet, & cuſtodiæ mancipatus; *Antiochus* vero *Sedetes*, ſeu Sidetes *a venatione* צידה, quam valdè amavit, ita dictus, imò & *Pius*, regnum à fratre Demetrio deſertum accepiſſet, ſcripſit ſtatim *Simoni*, conciliandi illius causâ, & jus monetæ propriâ notâ cudendæ illi conceſſit, Hieroſolymamque cum Sanctuario ab omni juriſdictione liberam declaravit. Quinimò Romani ad Reges & provincias dederunt literas, ut nil in Judæos tentarent,

nec auxilium ferrent pugnantibus adverſus eos; & ſi quando transfugæ ex Judæa ad eos venirent, Simoni Pontifici puniendos traderent.

§. 57. Antiochum Sedetem pœnitentia cepit tot Iudæis conceſſorum privilegiorum; ideo ſtatim arcem Hieroſolymitanam à Simone repetiit & tributa, quod cum Iudæi recuſarent, Cendebæus, Antiochi præfectus, Iudæam cum exercitu invaſit. Sed cæſus eſt.

Iohannes Hyrcanus filius Simeonis & ſucceſſor.

§. 58. *Simon*, Iudæorum Pontifex & Ethnarcha, inſidiis generi ſui *Ptolomæi* interfectus eſt; cum octo annis tantùm Iudæis præfuiſſet. *Iohannes Hyrcanus*, filius Simonis, ſucceſſit.

§. 59. Anno 1 Hyrcani Antiochus Sedetes, ducto in Iudæam exercitu, in urbem Hieroſolymitanam illum compulit, eamque ſeptenis caſtris cinxit. Inedià fameq; coacti Hieroſolymitani deditionem urbis fecere; & armis Regi traditis, muros urbis deſtruere, & vectigalia ſolvere neceſſitate adacti debuerunt, & ne tenerentur præſidium regium recipere, obſides dederunt Regi, quos inter fuit Hyrcani frater, & 500 inſuper talenta, de his ita habet Iuſtinus lib. 36: 1. *Antiochus, Iudæos, qui in imperio Macedonico ſub Demetrio Patre* (adde & Fratre) *armis ſe in libertatem vidicaverant, ſubigit.*

Hyrcanus deficit à Macedonibus. Subigit Idumæos.

§. 60. *Antiochus* Sedetes expeditionem in Parthos faciens, ad repetendum Fratrem *Demetrium*, cum exercitu deletus eſt, Demetrio nil minus à Parthis dimiſſo, & in regnum reſtituto. Poſt cædem Antiochi defecit *Hyrcanus* à Macedonibus, jamq; nec ut ſubditus, nec ut amicus ullam illis ferebat opem amplius, & audita illius morte ad urbes Syriæ duxit exercitum, & multas cepit. Confirmat id Iuſt. l. 36: 1. *Poſt Antiochum Judæi nullum Macedonum Regem tulerunt, domeſticiſque imperiis uſi, Syriam magnis bellis infeſtaverunt*, & Strab. l. 16. *Syriaque & Phœniciæ non pauca ſubegerunt.* Cepit etiam Hyrcanus *Sicima & Garizim*, & templum Cuthæorum diruit. Cepit urbes Idumææ, Adoram & Mariſſam; ſubjugatiſq; omnibus Idumæis edixit, ut circumciderentur, niſi mallent è propriis pelli ſedibus. Amore illi patriæ admiſerunt circumciſionē, & reliquam juxta Iudaicos ritus vivendi formulam; atq; ex eo primū tempore inter Iudæos cenſeri cœpti ſunt. En impletū verbū Bileami; *& erit Edom hæreditas.*

§. 61. Differentiam Iudæos inter & Idumæos hanc ſtatuit Ammonius Grammaticus. *Judæi*, inquit, *ſunt, qui naturâ ita fuerunt ab initio. Idumæi verò non Iudæi fuerunt ab initio, ſed Phœnices & Syri, a Iudæis autem ſuperati, & ut circumciderentur, & in unam cum eis gentem coirent, & iiſdem legibus ſubderentur adacti, Judæi ſunt nominati*; non generis, ſed religionis & inſtituti ratione habita.

Ariſtobulus ſucceſſor Hyrcani.

§. 62. Mortuus eſt *Hyrcanus*, quum per annos 29 ſummo fuiſſet functus Sacerdotio & Principatu. Poſt illum filiorum natu maximus *Iudas*, alio nomine *Ariſtobulus* dictus, Principatum ſimul & Pontificatum per unum tantùm annum obtinuit; & principatum, impoſito diademate, in Regni formam tranſtulit; Fratrem *Antigonum*, in regni ſocietatem aſſumſit; quē tamen deinceps falsâ motus ſuſpicione, interfecit: reliquos tres fratres cuſtodiæ tradidit, & matrem, quam Hyrcanus Pater rerum dominam reliquerat, fame necavit in vinculis. Horum ſcelerū pœnitudine ductus, paulo poſt vitā finivit cum maximis animi & corporis cruciatibus.

Alexander Iannæus ſucceſſor Ariſtobuli.

§. 63. Poſt Ariſtobulum, *Alexander Iannæus*, unus è tribus fratribus, Rex conſtitutus eſt. Cepit Iannæus urbes plurimas, *Gadara*, decimo obſidionis menſe, *Raphidem & Anthedonem*, quæ poſtea ab Herode *Agrippias* nominata eſt. *Diam*, imò & *Eſſam* ſeu Geraſam, expugnavit etiam *Gaulanam* & *Seleuciam*. Caſtellum *Gamala*, vallemque quæ *Antiochi* dicitur in ſuam redegit poteſtatem. Tertio autem expeditionis ſuæ anno completo, domum reverſus eſt; magno illum gaudio Iudæis ob res tam præclarè geſtas excipientibus.

§. 64. Alex-

§. 64. Alexander Jannæus belli requiem morbi habuit principium; cumque 27. annos regnaſſet, mortuus eſt; duos relinquens filios *Hyrcanum* & *Ariſtobulum*. Uxori autem *Alexandræ* regni adminiſtrationem Teſtamento diſpoſuit, & deligendi Pontificis permiſit arbitrium. Illa igitur *Hyrcanum* declaravit Pontificem; minorem *Ariſtobulum* privatim vivere voluit. Ita novem annis regno functa eſt; & nomen quidem regni penes reginam erat; ejus autem adminiſtratio penes *Phariſæos*, quorum magna fuit autoritas & exiſtimatio: nam & Johannes Hyrcanus ex illorum ſecta fuit; quâ ob offenſam acceptam deſertâ, poſtmodum ad Sadducæos tranſiit.

§. 65. Regnante hac fœmina natus eſt *Herodes*, qui poſtea regnum Judææ obtinuit. Patre genitus *Antipâ* ſive *Antipatro*, nobili Idumæo; adulatur *Nicolaus Damaſcenus*, qui Herodis vitam deſcripſit, Antipatri genus à primatibus Judæorum, qui in Judæam venerunt è Babylonica, deducens. Nativitas Herodis.

§. 66. Mortua Alexandra adeptus quidem eſt regnum natu major filius *Hyrcanus*, cui id mater adhuc vivens jam commiſerat; verum is elapſis tribus menſibus ab Ariſtobulo juniore fratre regno pulſus eſt. Res deinde ſolemni fœdere compoſita eſt; ceſſitque regno & ſummo Sacerdotio Hyrcanus; uſurpavit utrumq; Ariſtobulus annis tribus, & quod excurrit. Lis inter Hyrcanum & Ariſtobulum fratres.

§. 67. Antipater Idumæus, vir natura factioſus, ſtudens Hyrcani partibus, ſuſpectam habens Ariſtobuli potentiam, induxit *Aretam*, Arabiæ Regem, ut Hyrcanum in regnum reduceret. Victus prælio Ariſtobulus confugit Hieroſolymam; & ab Areta oppugnatus eſt in templo.

§. 68. Ad componendam hanc litem advocatus *Pompejus*, Romani exercitus Dux, tunc Damaſci agens, & Cæle-Syriam obiens, Ariſtobulum cuſtodiæ tradidit: Templum, à factione Ariſtobuli in vinculis nunc degentis occupatum, vi expugnavit, menſe obſidionis tertio. Captum dicitur Templum die jejunii, C. *Antonio*, & M. *Tullio Cicerone* Conſulibus. Introgreſſus in templum Pompejus ſacratiſſima inſpexit; nil tamen ſanctatum rerum attigit. Hircano reddidit Pontificatum & Principatum gentis ſuæ; vetuit tamen diadema illum ferre. Tali conditione gaviſus eſt Hyrcanus annis 24. Judæos voluit Pompejus populo Romano eſſe tributarios. Urbes, quas habebant in Cœleſyria, ademptas illis, juſſit proprio parere præſidi; totamque adeò gentem, prius elatam rebus proſperis, contraxit intra veteres terminos. Annus hic numeratur 79. ab illo tempore, quo ab Iſraële jugum gentium ablatum fuit. Adeò brevi temporis ſpatio miſeri illi libertate ſua potiti ſunt. Ita *filia Legionum* cœpit *obſidium ponere circa* Judæam. Pompejus advocatus capit Hieroſolymam.

§. 69. *Hujus calamitatis*, inquit Joſephus ἀρχαιολ. 14: 8. *cauſa fuere Hieroſolymitanis, Hyrcanus & Ariſtobulus, inter ſe diſſidentes invicem. Nam tum primum libertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum imperio, & regionem de Syris bello captam reddere ipſis coacti ſumus.* Livius in Epitome libri 102. *Cneius Pompejus Judæos ſubegit, fanum eorum Hieroſolymæ, inviolatum ante id tempus, cepit.* Appianus in Syriacis. *Una Judæorum gens armis ſubigenda ſuperfuit: cujus Regem Ariſtobulum victor Pompejus Romam miſit, & Hieroſolymorum, maximæ ſanctiſſimæque in ea regione Urbis, mœnia diruit.* Tacitus Hiſtor. libr. 5: 9. *Romanorum primus Cn. Pompejus Iudæos domuit, templumque jure victoriæ ingreſſus eſt.* Florus libr. 3: 5. *Hieroſolymam defendere tentavere Iudæi. Verum hanc quoque intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo vitem cœlo, diſſidentibuſque de regno fratribus, arbiter factus regnare juſſit Hyrcanum. Ariſtobulo, quia renuebat eam rem, catenas dedit.*

Filii Ariſtobuli. §. 70. Nec Ariſtobulum miſit Pompejus tantum Romam, ſed & filios illius duos, *Alexandrum & Antigonum.* Alexander in itinere quidem effugit, & poſtea Judæam incurſionibusq; vexavit, ſed a *Gabinio* paulo poſt ſubactus veniam petiit: cumque ſecunda vice Judæam invaderet, tandem Antiochiæ ſecuri eſt percuſſus. Etiam Ariſtobulus cum alio filio, Antigono, Roma elapſus, in Judæam reverſus eſt. Sed rurſum captus cum filio Romam remiſſus eſt; cumque initio belli inter Pompejum & Cæſarem, in patriam Palæſtinam à Cæſare dimitteretur Ariſtobulus, ut contra Pompejum aliquid moveret, veneno a Pompejanis Ariſtobulus ſublatus eſt.

Gabinius quinque Judæis conſtituit tribunalia. §. 71. A. Gabinius, poſt captam à Pompejo Hieroſolymam, Syriæ Præſes, curam Templi & Sacerdotii Hyrcano demandavit; cæteris Reipublicæ partibus optimates præfecit; & conſtitutis quinque juridicis conventibus, in totidem æquales partes totam diſtribuit provinciam; ita ut alii Hieroſolymis, alii Gadaris, alii Amathunte, alii Jerichunte, alii Sepphoris jura peterent. Ita ſingulari unius dominatione Judæi liberati, ariſtocraticè cœperunt regi.

Craſſus Conſul. §. 72. *Craſſus* conſul Romanorum, à Parthis poſtmodum cæſus, Hieroſolymam adiit, Templum pervaſit, opes diripuit.

Julius Cæſar. §. 73. Julius Cæſar, devicto Pompejo, confirmavit Hyrcano pontificatum; Antipatrum autem Idumæum Judææ procuratorem conſtituit; fruſtra rogante *Antigono*, Ariſtobuli filio, ut principatus ipſi redderetur paternus, & Antipatrum ac Hyrcanum accuſante.

Antipater Idumæus. §. 74. Antipater Judææ Procurator, *Phaſaelum* filium natu maximum, Hyrcano ſtupido & ſegni haut refragante, Hieroſolymis & circumjacenti regioni Ducem conſtituit. *Herodi*, admodum adoleſcenti, Galilæam curandam commiſit. Optimates Judæorum videntes Antipatrum tantum creſcere; nec ignorantes violentum ac audax Herodis ingenium & Tyrannidis cupidum, ceperunt quidem conſilia contra utrumque; nil tamen effecerunt. Inſidiæ *Malichi*, quibus Antipatrum ſtatuerat perdere, mature detectæ fuerunt, tandem tamen Antipater ab eodem veneno interfectus eſt.

Antigonus Ariſtobuli filius invadit Judæam. §. 75. *Antigonus* Ariſtobuli filius, rurſum Judæam invadens, ab Herode repulſus eſt: hinc revertentem Hyrcanus coronis coronavit; pauloque poſt in familiam Hyrcani aſcitus Herodes eſt, ducta in uxorem *Mariamne*, ſeu Maria, ex *Alexandro*, filio Ariſtobuli, fratris Hyrcani, & *Alexandra* filia Hyrcani genita.

Herodes Rex Judæorum à Romanis declaratus. §. 76. Deceſſerat per idem tempus *Julius Cæſar*, antequam interficeretur *Dictator* declaratus perpetuus; *Octavius*, cujus avunculus I. Cæſar, nomen *Cæſaris* aſſumpſerat, hæreditatemque inierat, ſeque pro *Cajo Octavio*, *Cajum Iulium Cæſarem Octavianum* appellaverat; quo tempore *Antigonus*, à Parthis adjutus, Judæam ſubito adortus, Hyrcanum & Phaſaelem doloſe cepit; Herode una cum ſuis vix evadente. Herodes illico Romam profectus, narravit, quæ ſibi & familiæ ſuæ in Judæa contigerant. Faventibus Herodi Cæſare & Antonio, eo res in pleno deducta eſt Senatu, ut Antigonus hoſtis declaratus, & Herodi regium nomen omnium ſuffragiis delatum ſit. Hyrcanus enim in Parthiam erat abductus, amputatis illi ab Antigono auribus, ut ſic ineptus redderetur ad Pontificatum. Et Phaſaelus, Herodis frater, neci ſe cognoſcens deſtinatum, alliſo ad ſaxum capite vitam abruperat.

Capit Hieroſolymam & Antigonum. §. 77. Herodes regium nunc adeptus faſtigium, & inſperata ornatus felicitate, reverſus in Judæam, collectis copiis, adjutus à *Soſio*, Romanorum præfecto, Hieroſolymam vi expugnavit; *Antigonus* captus, miſſus eſt ad Antonium; qui referente Dione, *virgis illum cæſum, & ad palum deligatum, (quod in nullo unquam Rege a Romanis factum fuerat)*

poſtea etiam occidit. Ita nunc Haſmonæorum Principatus planè ſublatus fuit, & fata Antigoni infeliciora adhuc fuere fatis Alexandri fratris; qui tantum ſecuri eſt percuſſus; hic autem ante ignominioſe flagellatus. *Hyrcanus* à Parthiorum Rege tandem dimiſſus, inſidiis Herodis circumventus etiam interiit.

§. 78. Herodes capta urbe, adverſos ſibi homines quotidianis abſumpſit ſuppliciis; & inter illos omnes magni Synedrii judices, *Pollione* Phariſæo & diſcipulo ejus *Samea* exceptis, quos in præcipuo honore ille habuit. Cavit etiam Herodes, ne quis illuſtrium crearetur Pontifex; hinc ſummum donavit ſacerdotium *Ananelo*, obſcuri generis Sacerdoti; *Ariſtobulum* autem adoleſcentem, fratrem uxoris Mariamnes, è familia Aſmonæorum, ne Pontificatu fungeretur, aquis præfocavit.

§. 79. Cæſar Auguſtus, victo Antonio, confirmavit in regno Herodem; imo &, ut habet Tacitus hiſt. libr. 1. cap. 9. *Regnum, ab Antonio Herodi datum, victor Auguſtus auxit*, attribuit enim illi Gadora, Hippon, Simoniam. Servus planè fuit Herodes Auguſti; ſine cujus nutu vix quicquam egit. Confirmatur ab Auguſto.

§. 80. Ædificavit Herodes in Sione regiam magnificentiſſimam: deinde & *Templum* Hieroſolymitanum cœpit inſtaurare, quæ inſtauratio annorum novem ac dimidii ſpatio conſummata eſt. In templo hoc perficiendo, *multum temporis conſumptum omneſque theſauros ſacros, quos toto orbe Deo miſſos repleverant*, monet Joſephus. Communis Hebræorum ſententia eſt, Herodis templum ad formam templi Zerubabelis exſtructum fuiſſe.

§. 81. Regnante Herode natus eſt Johannes Baptiſta; & ipſe Dominus noſter *Ieſus Chriſtus.* Matth. 2.

§. 82. Sanguinolentis cædibus omnia miſcuit Herodes. Uxorem *Mariamnem* Aſmonæam ſupplicio affecit. Filios ex illa ſuſceptos, *Alexandrum & Ariſtobulum* ſtrangulavit. *Antipatrum* filium, è plebeja, & ab ipſo adhuc privato genitum, quinque ante mortem diebus interfici juſſit. Quis ſine horrore mente revolvet cædem tot puerulorum in Bethlehem? Matth. 2: verſ. 16. Dicitur inter illos etiam fuiſſe filius ejus, quod Auguſtum Cæſarem ita turbavit, ut dixerit, referente Macrobio libr. 2. Saturnal. cap. 4. *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium.* Illius ſævitia.

§. 83. Proximus morti regnum legavit filio *Archelao*; *Herodem Antypam*, natorum minimum Galilææ ac Peretææ; *Philippum* Gaulonitice, Trachonitice, Batanææ tetrarcham conſtituit. Hic *Herodes tetrarcha* interfecit Johannem Baptiſtam; ægrè ferens reprehenſionem illius juſtam ſanctamque ob ductam *Philippi fratris uxorem.* Matth. 14: verſ. 1–11. His actis mortuus eſt *Herodes*, *Magnus* dictus, annos 37. regno potitus, ex quo à Romanis Rex declaratus fuerat. Diſpoſitio illius ſeu Teſtamentum.

§. 84. *Archelaus*, Patris ſucceſſor, Matth. 2: 22. abſtinuit à *Regis* nomine, donec à Cæſare paterni fieret teſtamenti confirmatio; Romamque ipſe adiit à Cæſare petiturus confirmationem. Eodem tempore legatos quinquaginta Judæi Romam miſerunt, deprecaturos ἀπηλλάχθαι βασιλείας καὶ τοιῶν ἢ ἀρχῶν· προσθήκην δὲ Συρίας γεγονότας ὑποτάσσεσθαι τοῖς ἐκεῖσε πεμπομένοις στρατηγοῖς, hoc eſt, *ne amplius eſſent ſub Regibus ſuis; ſed ut eſſent ſub Romanis præſidibus, & Syriæ contribuerentur.* Joſephus. Hæc fuit *ejulatio dominatorum*, de qua Eſ. 52. Cæſar Auguſtus non quidem Regem declaravit Archelaum; ſed *Ethnarcham* eum conſtituit Judææ, Samariæ, Idumææ. At quum Judæi, non ferentes Archelai tyrannidem, ſecunda vice illum ad Cæſarem deferrent, Cæſar auditis Archelai accu- Archelaus accuſatus relegatur.

accuſatoribus & ipſius defenſione, Viennam Galliæ in exilium eum miſit, patrimonio ejus & theſauris fiſco adjudicatis; & ditione illius in provinciæ formam redacta & Syriæ attributa. Ita nunc *Damaſcus*, Syriæ metropolis, exſtitit *caput Judææ*. Eſ. 7. Judæique, Regibus deſtituti, à Præſidibus Syriæ cenſi & gubernati ſunt; quorum fuit criminalia exercere inter illos judicia; illis enim ipſis *non licebat occidere quenquam*, Joh. 18: verſ. 31. quique Pontificatum ſummum largiti ſunt, quibus voluerunt. Ita dicitur *Cyrenius* venditis Archelai facultatibus, peractoque cenſu, privaſſe *Ioazarum Pontificem* dignitate, & *Ananum* ſeu Annam, Sethi filium ſubſtituiſſe, & Valerius Gratus adempto Annæ ſacerdotio, ſubrogaſſe *Iſmaelem*, Fabi filium: imo & hoc depoſito, Pontificatui præfeciſſe *Eleazarum*, deinde *Simonem* Camithi filium; denique *Ioſephum*, cognomento Cajapham, Annæ exuti generum. &c. Miſerunt & Cæſares *Procuratores* in Judæam. Auguſtus *Coponium*, *Marcum Ambivium*, *Annium Rufum*. Tiberius *Valerium Gratum*, *Pontium Pilatum*, cujus hæc narrantur crimina, *venditæ ſententiæ, rapinæ, injuriæ, clades, tormenta, crebræ cædes indemnatorum, crudelitas ſæviſſima*: dicitur cum ad objecta à Judæis crimina reſpondere non poſſet, propria ſe manu interfeciſſe.

Judæa Syriæ contributa.

Tiberius Nero.

§. 85. Auguſto Cæſari ſucceſſit *Tiberius Nero*: ſub hujus Principatu confecit miniſterium ſuum *Iohannes Baptiſta*; & guſtavit mortem *Ieſus*, Servator mundi, lux gentium, Iſraëlis ſolatium; id ipſum referente Tacito Annal. libr. 15: 44. *Chriſtum, Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio adfectum fuiſſe.* Dicitur Tiberius à Pilato de rebus Chriſti certior factus, de eo in Deorum numerum adſcribendo ad Senatum retuliſſe; Senatuque repugnante, *in ſententia manens periculum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſſe*; ut refert Tertullianus in Apologetico. A Tiberio *Vitellius* proconſul in Syriam miſſus eſt; qui benignum ſe exhibuit Hieroſolymitanis; & ſtolam cum ornatu Pontificio permiſit in Templo aſſervari à Sacerdotibus, quæ prius à Romano turris Antoniæ præfecto, cuſtodiebatur. Illa turris fuit caſtellum templo imminens. Hujus Vitellii juſſu Romam profectus eſt Pilatus, poſtquam decem annos in provincia exegiſſet.

Cajus Caligula.

§. 86. Succeſſor Tiberii *Cajus* fuit *Caligula*. Hic voluit Coloſſum inauratum in templo Hieroſolymitano poni; & quidem in adytis templi intimis. Judæis multum & profundè id deprecantibus, accedente interceſſione Agrippæ Regis, diſtulit dedicationem Coloſſi ſeu ſimulachri Jovis; ſed paulo poſt juſſit alium fieri Coloſſum æreum inauratum, eumque clam & repente poni in Templo, antequam ſentiretur: hinc luctus, lacrimæ gemituſque miſerorum Judæorum. Tacitus Hiſt. libr. 5: 9. *Iuſſi à Cæſare effigiem ejus in templo locare, arma potius ſumpſere, quem motum Cæſaris mors diremit.* Imperavit Caligula triennio tantum, & quod excurrit; interfectus à Chærea Caſſio.

Herodes Agrippa.

§. 87. *Ariſtobulus*, Herodis è Mariamne filius, à patre occiſus, reliquit filium *Herodem Agrippam*. Huic Caligula impenſe favit; illumque tetrarchia Philippi, deinde & Herodis Antypæ donavit. Claudius autem ſucceſſor Caligulæ auxit illi regnum, additâ inſuper Judæâ & Samariâ, quod olim ad avi ejus Herodis regnum pertinuiſſent. Conſulares etiam ei tribuit honores; & fœdus cum illo pepigit, in æs inciſum in medio urbis foro. Hic Herodes Agrippa perſecutus eſt nonnullos ex Eccleſia; ipſe rituum patriorum obſervator religioſiſſimus. Actor. 12: 1. Jacobum interemit, Petrum in carcerem conjecit. Actor. 12: 3–17. Septem denique annos regnans, ab Angelo percuſſus obiit. Act. 12: 18–23. Filius illius fuit *Agrippa* ille, dictus *Iunior*, de quo eſt Act. 25: 26. Ita regnum Herodiadum Archelao ablatum, Agrippæ redditum, revixiſſe videtur.

§. 88. De

§. 88. De *Claudio*, ſucceſſore Caligulæ, ait Suetonius cap. 25. in Claud. *Illum Iudæos impulſore Chreſto aſsiduè tumultuantes Româ expuliſſe.* Suetonium non intellexiſſe *Chriſtum*, Dominum noſtrum, probabile eſt.

Nero. Geſſius Florus. Excidium Hieroſolymæ, & templi.

§. 89. Extincto Claudio, *Nero*, gener & adoptivus filius ejus Imperator declaratus eſt. Illius uxor Poppæa, Judaicæ favens religioni, ſæpe apud maritum pro Judæis deprecatrix fuit: ſed illa ab irato ictu calcis poſtmodum occiſa eſt. Miſit Nero in Judæam procuratorem *Geſsium Florum*; hominem iniquiſſimum, de quo Tacitus lib. 5: 10. *Duravit Judæis patientia uſque ad Geſsium Florum procuratorem. Sub eo bellum ortum.* Erat Florus inflexibilis ad miſericordiam, nullis unquam lucris ſatiabilis; fautor latronum; miſſusque videbatur ad oſtentandam malitiam. Laborarunt multum Judæi, & ſupplicibus rogarunt precibus Ceſtium Gallum Syriæ Præſidem, ut Florum ejiceret, ſed nil effecerunt. Augebat illis indies Florus calamitates, ut defectionem negotiaretur, & ut gens Judaica arma ſumeret in Romanos; ſperans ita melius iniquitates ſuas occultari poſſe. Ita Judæi tandem rebellarunt; fruſtra illos dehortante Rege Agrippa. Exitus *belli* funeſtiſſimus fuit. Urbs capta & incenſa; ſanctuarium igne abſumtum; Sacerdotes occiſi. Tito judicante, *πρέπειν τοῖς ἱερεῦσι τῷ ναῷ συναπολέσθαι, decorum eſſe ſacerdotibus cum templo perire*, gens ipſa magno numero abducta; omniaque Judæorum, abſque ulla reſtitutionis ſpe ablata. Et ſuperba Judæorum natio, quæ *habitans in fiſſuris petræ, dicebat in corde ſuo, Quis dejiciet me in terram, dejecta eſt, & parva reddita in gentibus; ſpreta valde.* Obad. verſ. 2. 3. 4. *Sapientes ab Edom perditi, vir à monte Eſau exciſus, forteſque Theman conſternati ſunt.* Obad. verſ. 8. 9. Sic veritas conſtitit oraculo Gabrielis, *Sanctum & Urbem deſtruendam* per *populum principis advenæ*; *finem illius fore in inundatione*; *& ad finem belli deciſionem exſtituram deſolationum.* Dan. cap. 9: verſ. 26. Ita juſtè factum illis, qui *dereliquerant Dominum*, *ſpreverant ſanctum Iſrael*, Eſ. cap. 1: verſ. 4. *profanaverant ſanctum Domini*, & *ſcortati fuerant cum filia Dei peregrini.* Mal. cap. 2: verſ. 11. *pro flagitioſo habuerant rupem ſalutis.* Deut. cap. 32: verſ. 15. & *germen Domini fecerant exſpirare.* Mal. 1: 12. 13. *Multiplicentur dolores illorum, qui alium dotarunt.* Pſalm. 16: 4. *Sit palatium illorum deſolatum*; *& in tentoriis illorum ne ſit habitans. Aboleantur è libro viventium, & cum juſtis ne ſcribantur.* Pſ. 69: 26. 29.

Progenies Herodis mox ceſſavit.

§. 90. Progenies Herodis non diu floruit poſt hoc excidium. Agrippa regum Herodiarum ultimus fuit. Ita cum Judæis interiit Herodis domus, quæ, obſervante Joſepho, numeroſiſſima licet, centum intra annos tota ferè occubuit.

§. 91. Finita, ut ita loquar, politiâ, urbe, ſanctuario finiatur & caput hocce, in quo demonſtravimus, Iudæos in terram reductos, ſub imperio Macedonico mediocri conditione gaviſos eſſe, rectos à ſacerdotibus & ſenioribus; ſub Antiocho Epiphane graviter quidem afflictos, ſed ſurgentibus Aſmonæis in plenam libertatem & *αὐτονομίαν* reſtitutos: tandem in ditionem veniſſe Romanorum, à quibus Regem acceperant Idumæum; quorum & clementiam experti ſunt & ſævitiam, à quibus denique, juſtiſſimo Dei judicio, poſt occiſum *principem vitæ*, & crucifixum *Dominum gloriæ*, funditus everſi, miſerè mactati, & per totum terrarum orbem diſperſi

internè à Dei Spiritu, autore converſionis unico, tacti & attracti, ut *quærant Iehovam Deum ſuum & Davidem regem ſuum*, & *trepident ad Iehovam & bonum ejus*, quod ſecundum prophetias fore credimus *in extremo dierum*. Hoſ. 3: 3.4.5. *Utinam* brevi e Zione veniat *hæc ſalus Iſraelis*; & *Deus reſtituat captivitatem populi ſui*! Tunc *gaudebit Iacob, lætabitur Iſrael*. Pſalm. 14: 7.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Epilogus.

§. 1. DE ſtatu populi Eccleſiæque Iſraëliticæ, ut titulus promiſit *libri* hujus *ſecundi*, nil nunc dicendum ſupereſt, poſtquam *populus* Iudaicus deſiit, & Eccleſia Iſraëlitica, alligata ad templum manu factum, inſtitutis onerata legalibus, altari & tabernaculo ſerviens, nulla amplius eſt, quæ certè *non eſt, quamvis eſt*; hoc eſt, quamvis moderni Iudæi ſe illam fovere & componere ſtatuant, putentque ſe eſſe *cœtum Dei*, & tenere ritus patrios, nam non eſt neque ad voluntatem Dei, nec ad legem *Uncti Principis* ejus, quem miſit. Ita loquentes imitati ſumus ſtilum. Apoc. 17: 8. τὸ θηρίον ὃ, ἦν, οὐκ ἔστι, καίπερ ἔστιν.

§. 2. Si quis autem putet doctrinam, de Chriſto nato, mortuo, glorificato, huic debuiſſe libro inſeri, quia Chriſtus, templo ſtante, *viſione* vigente, & quidem *in fine illius*, *in poſtremo illorum dierum*, natus, mortuus, glorificatus eſt, illi, quamvis ad *caput decimum ſeptimum* hujus libri ablegari poſſet, impræſentiarum reſpondebimus, nos in ipſo titulo Chriſti *nativitatem* terminum fixiſſe & poſuiſſe, ad quem uſque, & non ultra quem tractatio ſecundi libri progrederetur, deinde & indicavimus, doctrinam de Chriſto, Novi Teſtamenti Mediatore, omnium commodiſſimè conjungi cum illa operis noſtri parte, quæ de Eccleſia Novi Teſtamenti aget, quamque nunc ordiemur. Erit igitur initium *tertii* libri id, quod debebat eſſe proximum fini antecedentis, ſeu ſecundi, quem nunc claudimus.

§. 3. Fuit autem unicè ſcopus noſter, demonſtrare hucuſque, ut Deus populum Iſraëliticum, eductum ex Ægypto, mirabiliter ductum in deſerto, introductum in Canaan, ſubjectum Iudicibus, Regibus, Senioribus, ſecretum à gentibus, ob peccata variis modis ſæpèque caſtigatum, ad jacturam uſque urbis, Sanctuarii, & libertatis, gratioſe reductum, auctum, & priſtino redditum ſplendori, ab initio uſque ad finem invitarit & adduxerit ad notitiam & communionem fœderis gratuiti, & Mediatoris illius unici, Ieſu Chriſti; & ad hæreditatem ac poſſeſſionem gratiæ & verorum bonorum, aſſervatorum in cœlis. Hinc non in Ægypto tantùm apparuit, & promiſſionem patribus factam repetiit, & in fidei, ſpei, charitatiſque corroboramentum præcepit de mactando agno paſchali, de edendis azymis, de conſecrandis primogenitis, ſed & eductos ex Ægypto ſæpiſſimè alloquio eſt dignatus, & de monte Sina ſolemniſſimè verba fœderis elocutus eſt, additis maximis miraculis, ad quæ pertinet edulcatio aquarum in Marah, Pluvia Mannæ, Aquæ fluxus è Petra, imò & juſſit illos ſanctuarium ædificare & altare, cui dedit Sacerdotes, Sacrificia, Leges, Ritus, qui fuere alimentum fidei, incitamentum ſpei, pædagogus puerorum, jugum denique refractariorum; dein dedit illis poſſidendam terram, quæ *decus* fuit & ornamentum terrarum, pignus patriæ melioris, futuram ad tempus receptaculum & domicilium illius, cujus eſt terra & omnis ejus plenitudo; denique miſit omni tempore Prophetas, indices futurorum,

præcones Chriſti, redargutores malorum, doctores errantium, conſolatores afflicto rum, nuncios divinæ voluntatis; donec tandem omnium Prophetarum maximus, non minor Moſe, ſed major, Filius Evæ & Abrahæ, manifeſtatus eſt in carne, viſus oculo ad oculum, viſus ab omni carne, medios illos pede perambulans, verba Dei loquens, juſtitiam & veritatem illius annuncians, & voluntatem Dei, in qua ſanctificati ſumus, cum voluptate faciens & adimplens.

§. 4. Quamvis autem in tam nobili argumento defuerit nobis debita ἱκανότης, ſperamus tamen veniam nobis paratam, quia & in magnis *voluiſſe* ſat eſt; & cauſa, quam egimus, ſatis firma per ſe, cauſa nimirum Ieſu Chriſti, magni Dei & Servatoris, qui eſt heri, hodie, & in ſecula. Illi ſit gloria in perpetuum.

F I N I S.

I N D E X

Locorum Scripturæ, qui diligentius in Tomo Priori exponuntur. Reliqui, qui ita citantur, ut illis lux aliqua fiat, legendo obſervabuntur.

Cap.	Vers.	Pag.
	Geneſ.	
3	14.15	9-19
—	16	17
—	17	18
—	20	20.21
—	22	21
—	23	*ibid.*
4	1	28
—	4.5	30.31
—	6.7	32
—	8	*ibid.*
—	25	34
—	26	35
5	24	35-38
—	29	41.42
6	8	42
—	9	43
—	11.12	45
—	2	46
—	6	48
8	20	51.52
9	10.11	52
—	25.26.27	52.53
10	5	54
11	1	55
—	4	55.56
—	7.8.9	57.58
12	2.3	62
15	1	67
—	6	72
17	1	67
—	10	*ibid.*

Cap.	Vers.	Pag.
	Exod.	
1	8.10	91
3	14	97.98
4	21	99
6	1	100
—	2	101
9	16	103.104
14	31	119
15	24.25.26	122.123
17	14	127
—	16	*ibid.*
19	3.4	128
20	1-16	133-146
23	20.21	150-152
24	10.11	157.158
32	25	181.182
—	32.33	182-184
33	2.4	184
—	7	184.185
—	13	185
—	14	*ibid.*
—	18	186
—	19	*ibid.*
34	5.6.7	187-191
	Levit.	
9	24	197
18	4.5	228
26	12	252
	Numer.	
6	23.24.25	254-256
23 & 24		252-255
24	18	304

Cap.	Vers.	Pag.
30	6	262
34	5	264
	Jehoſ.	
5	14	266
13	7	270
	Judic.	
11	30.31	276-278
	1 Samuel.	
2	1-10	281.282
4	22	282
16	14.15	287
28	6-9	288.289
	2 Samuel.	
6	14.16	294
7	5-17	295-301
23	1-7	305
24	1	302
	1 Reg.	
19	11.12.13	315
	2 Reg.	
2	1	315-317
5	18	321.322
20	1-11	328
	Eſai.	
58	9-20	329
40	4	395
45	18	2
	Ezech.	
1	28	364.365
21	26.27	395
	Daniel.	
2		355-359

Cap.	Vers.	Pag.
8	5-12	396
9	23.24	369-374
	Johan.	
3	14	245
	Rom.	
4	2	73
—	5	72.73
5	1	74
8	15	239-241
	2 Corinth.	
3	17	192.193
	Galat.	
3	10	24
—	13	25
—	19.20.	232
4	3	236-258
	Hebr.	
2	15	238.239
10	18	242.243
11	5	35
—	6	36
—	7	44
—	23	93
—	24.25.26	94.95
—	27	117
—	29	118
	Jacob.	
2	21	74
	Judæ.	
Vers.	11	33
	14	38.39

INDEX

I N D E X

Inſigniorum Typorum & Figurarum Veteris Teſtamenti; in quibus repræſentatus fuit Chriſtus Jeſus, & beneficia illius.

Typi ex hominibus.

Abel. pag. 33.34
Enoch. 38
Noachus. 41.42
Melchiſedek. 75–77
Iſmaël & Iſaacus. 77
Joſephus. 88
Moſes. 95
Primogeniti ſanctificati. 114–116
Aharon. 170.171
Gideon. 276
Simſon. 278.279
David. 292–300
Salomon. 309

Typi ex animalibus & donis.

AGnus Paſchalis. 107–111
Juvencus mactandus in die initiationis Aharon. 172.173
Aries. 174
Aries initiationis. ibid.
Agni duo in ſacrificium juge. 176.177
Munus & libamen. 178
Dimidium Sicli lytrum animæ. 178.179
Holocauſtum. 201
Sacrificia pacifica. 201.202
pro peccato. 202.203
Hircus Domino & Azazel. 205–207
Munus è farina. 207
Sanguis. 217.218
Vacca rubra. 223.224

Typi à rebus in cælo, è cælo, & in terra.

Azyma. 111–114
Columna nubis & ignis. 118
Mare rubrum. *ibid.*
Manna. 123–125
Petra. 126. 127
Sabbatum ſanctificationis ſignum. 144
Arca fœderis. 160. 161
Cherubini. 161
Menſa cum panibus facierum. 162
Candelabrum cum lucernis. *ibid.*
Tabernaculum Moſis. 163. 164
Sanctum, & Sanctum Sanctorum. 164
Velum Sanctuarii. 166. 167
Altare holocauſti, & Cornua altaris. 167. 168
Altare ſuffitus. 168
Labrum. 169
Veſtes Aharonis. 169. 170
Velum in facie Moſis. 192
Manipuli oblatio. 214
Munus novum. *ibid.*
Novilunia. 219
Primus dies menſis ſeptimi, dies jubilationis. 220
Feſtum Tabernaculorum. 221
Annus Jobel. 221. 222
Virga Aharonis. 244
Serpens æneus. 244–246
Vellus Gideonis. 276

FINIS.